


5 J.

BIBLIOTHECA
MONASTERII STI MICHAELIS ARCH.
ET OMN. S.S. ANGELORUM,
APUD BELMONT
PROPE HEREFORDIAM.

CONCILIA GERMANIÆ,

QUORUM COLLECTIONEM

CELSISSIMO PRINCIPE

JOANNE MAURITIO,

GLOR.MÆ MEM. ARCHIEPISCOPO PRAGENSI

AUTHORE ET AUSPICE,

CL. JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT

PRIMUM COEPIT,

P. JOSEPHUS HARTZHEIM SOC. JESU P. M.

CONTINUAVIT ET PRELO DEDIT,

P. HERMANNUS SCHOLL EJUSD. SOCIET. P. M.

EX

HARTZHEMIANIS COLLECTIS

EVOLVIT, AUXIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT.

TOMUS X

QUEM

ALIORUM AD NORMAM

EXEGIT, DIGESSIT, EDIDIT

ÆGIDIUS NEISSEN PRESBYTER

EJUSDEM OLIM SOCIETATIS JESU.

COMPLECTITUR CONCILIA

AB ANNO MDCLXII AD MDCCXLVII.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOANN. WILHELMI KRAKAMP ET HÆREDUM

CHRISTIANI SIMONIS Bibliopolarum. ANNO MDCCLXXV.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

PERPETUÆ. GRATISSIMÆQUE.
MEMORIÆ.

JOANNIS.
MAURITII.
GUSTAVI.

DEI. GRATIA. ARCHIEPISCOPI. PRAGENSIS.

SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATI. NATI.

S. ROM. IMP. PRINCIPIS.

COMITIS. DE. MANDERSCHEID-BLANCKENHEIM.

ET. GEROLDSTEIN.

LIBERI. BARONIS. IN. JUNCKERATH.
DOMINI. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.

UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ. HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARII. INTIMI. ACTUALIS.

INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATIS.

ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET. CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITI. SENIORIS. AC. THESAURARII.

ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITI.

NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARII. PERPETUI. AC. PROTECTORIS. &c. &c.

OPERIS. HUJUS. PRIMI. AUTHORIS. ET. MUNIFICENTISSIMI. ETIAM. POST. FATA.


MÆCENATIS.

TOMUM. HUNC. DECIMUM.

D. D. C.

ANNO. ÆRÆ. CHRIST. MDCCLXXV.

Ægidius Neissen olim Soc. JESU.



INDEX CHRONOLOGICUS
TOMI X
CONCILIORUM GERMANIÆ ET EPISTOLARUM &c. AD CONCILIA PERTINENTIUM
SÆCULIS XVII ac XVIII
AB ANNO CHRISTI MDCLXII AD ANNUM MDCCXLVII.

Annus Christi — *Pagina*

1720

SUPPLEMENTUM BREVE
CONCILIORUM GERMANIÆ &c.

FINIS INDICIS CHRONOLOGICI
TOMI CONC. GERM. X.



INDEX

INDEX ALPHABETICUS CONCILIORUM GERMANIÆ

EX SÆCULIS XVII & XVIII

AB ANNO MDCLXIII AD ANNUM MDCCXLVII.

FINIS INDICIS ALPHABETICI
TOMI CONC. GERM. X.



CATA-

CATALOGUS
ROMANORUM PONTIFICUM
SÆC. XVII & XVIII
AB ANNO CHRISTI MDCLXII AD ANNUM MDCCXLVII.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Clemens IX *antea Julius Rospiliosius, Pistoriensis.*	CCXL.	Anno Christi MDCLXVII XII Kal. Quintil.	Annos II. Menses V. Dies XIX.	Anno Christi MDCLXIX V. Idus Decembr.

Alexandro VII mira suffragiorum omnium consensione (a) *datus est Successor die 20 Junii,* Clementis *nomine, ceu fido facilis ingenii sui, morumque suavissimorum teste, mox adscito, & sparsis per Urbem nummis tum aureis, tum argenteis,* Pellicanum *exhibentibus cum hac epigraphe:* Aliis, non sibi clemens. *Qua quidem clementia, erga egenos maxime, ut erat jamtum a puero illustris; sic suo in Pontificatu ad stuporem excelluit, ratus cum Tito se perdidisse diem, quo nemini benefecerat.* (b)

Nosocomia invisebat frequentissime; palam in æde Vaticana per plures sæpe horas dabat confitentibus aures, iisque expiatis, Martyrum sepulchra religionis ergo adibat, inclytum eam ob rem vel apud heterodoxos nomen Sacerdotis de cœlo delapsi *consecutus.*

Neque id solum beneficii tulit; sed effecit præterea, ut e Batavis Ernestus Wilhelmus, *Comes Bentheimensis,* (c) *e Gallis* Henricus Ture-

(a) Adeo spectata magnis occasionibus virtute & regia quadam animi magnitudine Julius Rospiliosius & sacri Collegii voluntates & Regiam gratiam occupaverat, inquit *in Pontificio Docto* Cl. Eggsius pag. 891.

(b) Cum pauperibus (verba sunt Sandini *in Vit. Pontif.* pag. 568) gessit se (*Clemens*) quam largissime; cum suis, quos maxime diligebat, quam parcissime . . . tota aula obstupescente & invictam ejus erga nepotes severitatem admirante.

(c) Fidem hic juravit catholicam, exemplo sanctissimi Pontificis, non alio impulsu motus, quod cogitaret secum ac fateretur etiam, *fidem, quam tam pius Princeps profiteretur, erroneam esse non posse.* Eggs cit. pag. 895. Eundem Comitem, queritur Imhofius *in Notitia S. Rom. Germ. Imp.* Lib. IX Cap. I pag. 586, a Christophoro Bernardo, Monast. Episcopo, Cœsfeldiam fuisse abductum, ibique obsessum a Monachis ac sermonibus de religione continuis defatigatum, *Romanis* veluti coactum accedere.

Turenius, (d) *vir ætate sua ob summam rei militaris peritiam clarissimus, a Calvinismo ad sacra nostra redierint. Quosdam Nationis ejusdem Gallicæ Episcopos, qui per annos aliquot* Formulario *Alexandri VII, contra Jansenianam doctrinam edito, subscribere recusarant, sua flexit authoritate, & ad debitum Sedi Apostolicæ obsequium traduxit.*

Retulit in fastos Sanctorum insigne Ordinis Franciscani lumen, Petrum *de* Alcantara, & Mariam Magdalenam *de* Pazzis, *Florentinam, Carmeli immortale decus. Nec multo post ipse ad Superos evolavit laudatissimus Pontifex gravi extinctus morbo, ad quem dolor acerbissimus amissæ post triennalem obsidionem ac Turcarum in potestatem delapsæ Candiæ accesserat.* (e) *Brevissimo, quod sibi scripserat, epitaphio:* Clementis IX cineres, *hoc suffecit illustrius Clemens X Successor:*

CLEMENTIS IX
ÆTERNÆ MEMORIÆ PONTIFICIS MAGNI CINERES,
NE ABSQUE ULLO SEPULCHRI HONORE, SICUT IPSE
JUSSERAT, HUMI LATERENT,
CLEMENS X PONTIF. MAX.
BENEFACTORI SUO
ET OB SPECTATUM FIDEI ZELUM, OB EGREGIAM ERGA OMNES BENEFICENTIAM ET CHARITATEM, DE RE CHRISTIANA OPTIME MERITO
GRATI ANIMI MONUMENTUM POSUIT ANNO DOMINI
MDCLXXI.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Clemens X *antea Æmilius Alterius, Romanus.*	CCXLI.	Anno Christi MDCLXX III Kal. Majas.	Annos VI. Menses II. Dies XXIII.	Anno Christi MDCLXXVI XI Kal. Augusti.

Post comitia in quintum mensem extracta designatus Pontifex, cum annum ætatis fere octogesimum ageret, dignitatem hanc precibus lacrymisque uberrimis aversabatur, nec admiserat fortassis unquam, nisi pia quadam, ut scribit Eggsius, *violentia ad solennem inaugurationis locum pertractus potius, quam deductus fuisset.* Clemens *adpellari potuit, memor purpuræ, quam a Clemente IX ante menses quinque acceperat.*

A

(*d*) Publice, ut narrat Brietius *in Annalibus Mundi* Tom. VIII pag. 34, Romanam fidem Heros ille professus est summis regni totius & maxime Regis Ludovici gratulatione & plausu.

(*e*) Creticum hoc bellum eleganter vereque descriptum est a Joanne Palatio *in vita Clementis X* n. 16 & 17 cit. ab Eggsio pag. 899.

A publicatione Jubilæi *fecit regiminis exordium, laudante Leopoldo Imperatore ac multis modis probante. Purpureo amictu donavit sub id temporis Abbatem Fuldensem, Bernardum Gustavum, Durlacensis Marchionis fratrem, ejurato quondam Luthero, ad Ecclesiam Christi conversum: alias viros alios de Rep. christiana optime meritos* (f) *Disciplinam reparaturus ecclesiasticam, antiquos canones renovavit. Legato Mosco postulanti, titulum* Cæsaris *Regi suo impertiretur, respondit:* In orbe christiano præter Romanum, nullum alium Imperatorem existere, aut agnosci posse.

Anno 1675 Jubilæum solemne XIV celebravit, eodemque anno, ad augendam Christianorum pietatem, honores decrevit sacros undeviginti Martyribus Gorcomiensibus, *qui quod confirmarent Romani Pontificis* Primatum *& realem veri Christi Corporis in Eucharistia præsentiam adsererent, vario excruciati tormentorum genere, mortem gloriosam sæculo superiore apud Belgas oppetierant.*

Sanctis adnumeravit BB. Cajetanum, *Ordinis Theatinorum fundatorem,* Franciscum Borgiam, *tertium Soc. JESU Præpositum Generalem,* Philippum Benitium, *Servitam,* Ludovicum Bertrandum *&* Rosam *virginem ex Ordine S. Dominici.*

Obiit anno ætatis suæ 86, laudatus pro funere a Malagonello, *illustri ejus ævi Oratore.*

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Innocentius XI *antea Benedictus Odeschalcus, Comensis.*	CCXLII.	Anno Christi MDCLXXVI X. Kal. Octobres.	Annos XII. Menses X. Dies XXII.	Anno Christi MDCLXXXIX Prid. Idus Augusti.

Ab Innocentio X ante annos 31 creatus Cardinalis, successit Clementi X, eo semper, ut refert Brietius, (g) *rerum terrenarum contemptu, ut cœlo originem ejus referres; ita abundanti præviarum virtutum exemplo orbi notus, ut dignitati non impar, fausta & solidæ pietatis digna omnia polliceretur.*

Adito Pontificatu, sanctis aulam suam institutis composuit, ex eaque tantum non effinxit aram, aut palæstram virtutis. Mox jura immunitatis ab exterorum Principum Legatis, non sine scandalo,

(*f*) Pag. 905 apud Eggsium narrantur, Purpuratis a Clemente X adscripti Fridericus Borromæus, Camillus de Maximis & Gaspar Carpineus.

(*g*) *Annales Mundi* Tom. VIII pag. 95.

dalo, ſuis in domibus male uſurpatæ abrogavit; Ludovicus XIV Galliarum Rex id quamvis ægerrime ferret. Decreto S. Lini pervetuſto, dum opus erat renovato, licentiam mulierum coercuit in templis minus honeſte comparentium. Paſtorali erga Clerum ſolicitudine aſſidue vigil, omnibus mandavit Epiſcopis, ne quem ad ſacros Ordines admitterent, niſi prius edocti, eum per decem dies exercendo juxta pium D. Ignatii inſtitutum ſpiritui vacaſſe.

Juſtitiam, quam virtutum cuſtodiam, vitiorum terrorem *adpellare conſueverat, adminiſtrabat ſanctiſſime, clementiſſime, integerrime.* (h) *Dignitates ambientibus, ubi carebant merito, nunquam indulſit; patronis deſtitutos, modo virtutibus abundarent, ultro provexit.* (i)

Anno 1683 Principes graviſſimo contra Portam bello implicitos juvit pecunia; magis tamen ac felicius fuſis ad Deum, magnamque cœli Reginam precibus: parta enimvero eſt de barbaris luculenta & inſignis victoria, quam Deiparæ acceptam referens Innocentius, quo tanti redderet beneficii perennem memoriam, diem ſanctiſſimo MARIÆ Nomini conſecratam Officio duplici *quot annis recolendam decrevit: Joanni etiam III Poloniæ Regi, cujus præſertim virtute tanta peracta res fuerat, enſem miſit & galerum, munus Imperatoris ſummis in rem chriſtianam meritis clari.*

Anno 1687 damnavit ſapientiſſimus Pontifex Michaelis Ludovici de Molinos, *Hiſpani Presbyteri, ejusdemque ſocii laici Antonii de* Leonibus *impiiſſimam doctrinam & errores ſacrilegos.* (k) *Biennio poſt obiit ætatis 78, optimorum catholicæ Eccleſiæ Præſulum nulli ſecundus, & (quod raræ virtutis argumentum eſt) vel apud ipſos fidei noſtræ hoſtes authoritate florens & exiſtimatione. Succeſſit*

Alexan-

(h) De Innocentio Orator Luſitanus ad Oratorem Gallum jura *Regaliæ* poſcentem, *ſi juſta petimus*, ajebat, *annuit; ſi dubia, diſcutit; ſi iniqua, abnuit. Hæc Innocentii laus eſt maxima, æqua concedere; iniqua abnuere.* Eggs pag. 911.

(i) Narrante eodem pag. 911, contigit, ut, cum inter nomina *ambientium Canonicatum*, quæ legebat Card. *Cybus*, Secretarius Pontificius, unius recurreret nomen ſine patrono ac literis commendatitiis, interrogaverit Innocentius: *Hunc quis commendat?* Reſpondente Cybo: *Nemo, licet idoneum maxime.* Mox Papa: *Atqui Nos, ſi dignum judicas, ejus patrocinium ſuſcipimus, & cæteris præferimus. Non enim commendationes magni facimus, ſi virtus, quæ una ſuffragium apud nos habet, commendatis deſit. Sunt enim dignitates merces virtutis, non ambitionis; meritorum, non precum.* Imitandum omnibus & dignum Innocentio reſponſum!

(k) De impiiſſimo *Michaële* Morerus *in Magno Lexico hiſtorico* Tom. III pag. 531. Quem Hiſtoricum ſi vel ſiniſtro inſpexiſſet oculo Chriſt. Wilh. Franc. Walchius, Prof. Götting. erubuiſſet *in idea plenæ Hiſtoriæ Pontificum* (recuſa Lipſiæ in 8. a. 1760) ſcribere, Innocentium probaſſe Molinoſii quem tanti fecerat, damnationem, ne ipſemet, ceu hæreticus, in manus Inquiſitorum veniret. Videri quoque poteſt Eggſius *in Purpura Docta* Lib. VI n. 99. & *in Pontificio Docto* p. 916.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Alexander VIII *antea Petrus Ottobonus, Venetus.*	CCXLIII.	Anno Christi MDCLXXXIX Prid. Nonas Octobris.	Annum I. Menses V. Dies XXVI.	Anno Christi MDCXCI Kal. Febr.

Erat hic Marci Ottoboni (l) *Equitis Venetæ Reip. Magni Cancellarii filius, Brixiæ olim Episcopus, Vir doctrina & rerum experientia clarus. Ad solium Pontificium ob explorata in Ecclesiam merita, scientiamque cum probatissimis moribus conjunctam duobus supra 50 Patrum suffragiis, die 6 Octobris evehebatur, maximo Venetorum plausu ac lætitia; qui re intellecta, honorificam de tanta dignitate concivi suo gratulandi causa, legationem miserunt.* (m)

Gratus in patriam adfirmavit iisdem jus antiquum exigendi decimas Clericorum, & urbium, quas Turcis eripuissent, sacros Antistites eligendi. Potestatem Præsulis ad S Marci, quem Primicerium *vocant, authoritatem munivit, ampliavitque* (n) *B.* Laurentium Justinianum, *primum Venetiarum Patriarcham, pietate inclytum ac doctrina, adscripsit in Sanctos: quo honore auxit etiam* Joannem a S. Facundo *Ord. Eremit. S. Augustini,* Joannem a Capistrano, & Paschalem Baylonium *Ord. S. Francisci, denique* Joannem de Deo *Ordinis Sacerdotum Xenodochiis inservientium Fundatorem.*

Obiit, damnatis peccato Philosophico, & *31 propositionibus, annum ætatis agens octogesimum primum. Reliqua quæ cum laude gessit Alexander, Roma his marmori insculpsit verbis:* (o)

ALEXANDRO VIII
OB AQUÆDUCTUM TRAJANI INSTAURATUM: BIBLIOTHECAM
IN VATICANO AUCTAM: REM AGRARIAM
RESTITUTAM:
S. P. Q. R.
GRATO ANIMO SACRAVIT.

(l) Gentis *Ottobonæ* decora videsis apud Jacobum Philippum Tomasinum *in Elogiis Virorum illustr.* pag. 284 cit. ab Eggsio *in Pontif. Docto* pag. 921.

(m) De hac legatione simul & de celebritate Reip. Venetæ, Eggsius pag. 923.

(n) Illum usque ab *Joanne Patriciato*, Principe Venet. XI usum fuisse Episcopalibus insignibus, benedixisse in templis suis populo, præfecisse Sacerdotes sacris confessionibus audiendis &c. Atque hos favores non modo confirmatos ab Alexandro VIII, sed concessa *Primiceriis* illis, Clericos suos ad quatuor minores Ordines promovendi facultate auctos esse, tradit Sandinus *in vitis Pontif. Rom.* pag. 573.

(o) Eggs *in Pontif. Doct.* pag. 924. Vide & Brietium *in Annal. Mundi* Tom. VIII pag. 202.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Innocentius XII *antea Antonius Pignatellus, Neapolitanus.*	CCXLIV.	Anno Christi MDCXCI IV Idus Jul.	Annos IX. Menses II. Dies XV.	Anno Christi MDCC V Kal. Octob.

In hunc tandem post menses quinque & amplius consensere Purpurati Patres. Illustri erat inter Neapolitanos natus genere, (p) *& Archiepiscopali dignitate fulgebat. Innocentii XI, cujus nomen sumpserat, mores imitari statim ab initio voluit. Edidit Constitutionem* Nepotismo *horribilem, sibi gloriosam.* (q) *Finem imposuit acri de origine Ord. Carmelitarum disputationi.* (r) *Vetuit quam severissime, Officia & Magistratus Curiæ Romanæ, mercari pecuniis, volens meritis unis ac virtutibus aditum ad illa patere. Periculosas quorundam opiniones, e Jansenio ut plurimum haustas, tam in Gallia, quam in Belgio compressit.* (s) *In Purpuratorum Senatum adlegit viros undetriginta, conspicuos omnes scientia & probitate, ac tanto honore dignissimos. Erga pauperes tam erat benignus & facilis, ut dignitate licet omnium maximus, par tamen infimis humilitate videretur.*

Obiit anno ætatis 85, ceu alter Simeon, solatio plenus, ac delibutus gaudio, quod, antequam decederet, pacem christiano Orbi redditam; Poloniæ regnum, ab obitu Joannis III, *collatum Principi catholico* (Friderico Augusto *Saxoniæ Duci*), *ipsumque Regem avitæ Religioni restitutum viderit.* (t)

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Clemens XI *antea Joes Franc. Albanus, Urbinas.*	CCXLV.	Anno Christi MDCC IX Kal. Decembr.	Annos XX. Menses III. Dies XXV.	Anno Christi MDCCXXI XIV Kal. Aprilis.

Pon-

(p) Longam Majorum Pignatellorum seriem refert Antonius Foresti *de Gestis Pontificum* n. 516.
(q) Constitut. *Romanum decet Pontificem* 28 tom. 9 Bullarii pag. 260 apud Sandinum.
(r) Citat Sandinus in hanc rem S. *Hieronymum* de S. Paulo, primo Eremita, *Papebrochium* de B. Alberto die 8 April., *Bellarminum* Lib. II de Monachis cap. 39, & Cardinalem *Petram* in Comment. ad Constitut. Apostol. Tom. II pag. 273.
(s) Prodiit in lucem S. D. N. INNOCENTII Papæ XII *BREVE APOSTOLICUM* ad Illmos & Revmos Belgii Episcopos circa usum *Formularii* ALEXANDRI VII, & administrationem Sacramentorum &c. Et *DECRETA* eorundem DD. Episcoporum pro dicti Brevis Apostolici executione. *Bruxellis, apud* Martinum de Bossuyt, *dictæ urbis Typographum, via ornamentaria* 1697.
(t) Eggs *in Pontif. doct.* pag. 929. Kolb *in Serie Rom. Pontif.* pag. 378.

Pontificiæ vir majeſtatis, quam oculis ſpirabat, moribusque teſtabatur integerrimis, non annos natus, niſi unum & quinquaginta, S. Petri ut conſcenderet Cathedram, ipſa die D. Clementi Papæ ac Martyri ſacra, electus fuit. Omnium inter plauſus & gratulationes ſolus ipſe ingemiſcens, ſummum triduo toto recuſavit Sacerdotium: (u) *Quæ modeſtia perennem Clementi famam vel apud heterodoxos peperit.* (x)

Bullam Deceſſoris ſui de abolendo Nepotiſmo *confirmavit Pontifex recens creatus, multaque decrevit ſapienter alia & fecit præclare. In id maxime incubuit, ut graviſſima inter Principes chriſtianos diſſidia reſtingueret. Populum verbo & exemplo ad virtutem; ad honeſtas artes, ne otio diffluerent, præmiis adoleſcentes animabat. Feſtum Conceptionis B M. V. immaculatæ ubique terrarum ab omnibus Chriſti fidelibus de præcepto mandavit* ſervari & celebrari. (y) *S. Joſephum*, ejusdem Virginis *Sponſum, novo decrevit coli* Officio Divino, *quod ipſemet compoſuerat.* (z) *Divis adcenſuit* Pium V *P. M.*, Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio, & Catharinam *Bononienſem, ut quid intuerentur ſimul atque imitarentur, Fidelibus præſto eſſet.*

Egregio Religionis catholicæ tum cuſtodiendæ tum propagandæ zelo reſplenduit. Sacros ablegavit Evangelii præcones ad Sinas, ad Indos, Perſas, Æthiopes, Ægyptios & Moſcos: quorum non pauci vel ab ethnica ſuperſtitione avulſi vel a ſchiſmate revocati fuere. Ad illuſtrandum Chriſtinæ Alexandræ, (a) *Suecorum Reginæ nomen, ac poſteritati commendandum, elegans in æde Vaticana poſuit monumentum. Celebrem diremit controverſiam de ritibus Sinenſium & de honoribus* Confucio *exhibitis.* (b) *Secutus*

(u) " Nuntio *electionis ſuæ* delato, alto dolore preſſus, quem moleſta febris ſecuta eſt, " nil intentatum reliquit, ut eligentium voluntati reſiſterer; nec ceſſit, niſi poſtquam quatuor inſignes Theologi concordi judicio validiſſimis ex cauſis judicarunt, non ſine graviſſimi criminis labe oblatum ipſi ſummum catholicæ Eccleſiæ " Pontificatum poſſe dimitti: quemadmodum late refertur in ejus *vita Lib. I* " *pag.* 47. Lambertinus *de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz.* Lib. III n. 8 & 12 apud Sandinum pag. 577.

(x) Norimbergenſes tantam Viri modeſtiam & tam ſingularem in tanto honore qua precibus qua lacrymis deprecando conſtantiam admirati, numiſmata divulgarunt, quæ Clementis exhibebant effigiem cum inſcriptione: *Albanum coluere Patres, nunc maxima rerum Roma colit* &c. Sandinus *pag. cit.* P. Joſ. Ignat. Chiaberge S. J. *in Orat. panegyr.* docet Clementem fuiſſe *magnum* in Pontificatu detrectando; *majorem* in accipiendo; *maximum* in adminiſtrando.

(y) Conſtitut. *Commiſſi Nobis divinitus* 120 Tom. X Bullar. part. I pag. 206 apud Sandinum.

(z) Lambertinus cit. Lib. IV part. II cap. XX n. 5.

(a) Nomen *Alexandræ* addidit *Alexander* VII P. M., Sacramentum Confirmationis ei adminiſtrans.

(b) Conſtitut. *Ex illa die* 217 Tom. X Bullar. part. II pag. 50.

tus Innocentium XI Janſenio oppoſuit ſeſe, ſacriſque initiandos Ordinibus aſceſi Ignatiana prius purgari & excoli voluit. (c)

Parilis in illo erat literarum cura: Vaticanam Bibliothecam vetuſtiſſimis auxit codicibus Mſc., Syriacis præſertim & Arabicis, ex interiore Ægypto ſedulo conquiſitis; bonarum artium Magiſtros mirifice coluit ac decoravit honoribus; Urbini quoque Bibliothecam publicam in Cœnobio Conventualium *inſtituit.* (d)

Poſt tot, tantaque in Eccleſiæ & Imperii a Turcarum impetu vindicandi emolumentum geſta facinora obiit anno ætatis LXXII, vel hoc uno ex capite ſummus, immortalis, incomparabilis, quod temporibus toto ferme Pontificatu uſus difficillimis, animum illis parem nunquam non geſſerit. Succedebat

Nomen & Natio.	*Ordo Succeſſionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Innocentius XIII *antea Michael Angelus de Comitibus, Romanus.*	CCXLVI.	Anno Chriſti MDCCXXI VIII Idus Majas.	Annos II. Menſes IX. Dies XXIX.	Anno Chriſti MDCCXXIV Nonis Martii.

Supremum orbis chriſtiani faſtigium qui conſcendit, ob claritatem generis, & officia domi foriſque laudabiliter geſta, honore illo apprime dignus. Quod nactus eſt placatum miris modis & optime conſtitutum imperium, novis illuſtrare decoribus ac publica majeſtate augere ſtuduit.

Mitiſſimi erat ingenii Præſul: id quod experti non ſemel primi ordinis Viri, quos ab accuſationibus malevolorum, tutor innocentiæ generoſus & æqui ſervantiſſimus, vindicavit: jure in ipſum ut cadat S. Auguſtini effatum: Nec manſuetudo integritatem corrupuit; nec integritas manſuetudini repugnavit. (e)

Carolo VI Imperatori inveſtituram *Regni Siciliæ utriusque ac Hieroſolymæ impertiit: quo facto ſuam in aſſerendo jure eccleſiaſtico conſtantiam orbi declarare voluit univerſo.* (f)

Fidelibus porro perpetuam erga ſanctiſſimum Nomen JESU reverentiam fiduciamque aſpiraturus, Dominicam ab Epiphania ſecundam Feſto ejusdem quotannis celebrando præſtituit, vita functus LXIX ætatis anno, dignus longiore. Succeſſor

Bene-

(*c*) Ajebat Sapientiſſimus Pontifex, ſeceſſu illo ſacro " quidquid ſordium de mundano " pulvere contractum eſt, commode detergi, Eccleſiaſticum ſpiritum reparari, " mentis aciem ad divinarum rerum contemplationem extolli, recte ſancteque vi-" vendi normam vel inſtitui vel confirmari. *Epiſt. 6 encycl. ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Ordinarios data.* Contin. Bullar. edita Luxemburgi a. 1727.

(*d*) Conſtitut. 275 Tom. II part. II pag. 166.

(*e*) Epiſt. 43 al. 162 extremo cap. 5 §. 16 apud Sandinum pag. 581.

(*f*) Conſtitut. *Inſcrutabili illius.* 26 tom. XI Bullar. pag. 442.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Benedictus XIII *antea Vinc. Maria Ursinus, Neapolitanus.*	CCXLVII.	Anno Christi MDCCXXIV IV Kal. Junias.	Annos V. Menses VIII. Dies XXIII.	Anno Christi MDCCXXX IX Kal. Mart.

Ex illustrissima natus prosapia, quæ in utroque Statu viros ostentat præstantissimos, immo quæ Divos olympo transscriptos non paucos numerat, (g) *ex Ordine celeberrimo S. Dominici anno ætatis suæ XXIII ad Purpuram a Clemente X P. M., porro Beneventanam ad Ecclesiam promotus, atque ab insigni vitæ sanctimonia commendatissimus, votis 53 Cardinalium, licet invitus, eligebatur, ipse duorum jam & quinquaginta annorum Cardinalis, qui memoriam* Petri de Luna (h) *Antipapæ ut extingueret, nomen* Benedicti XIII *sibi præ aliis legit.*

Primo, ut Tiaram acceperat, anno celebravit Romæ Concilium, Titulos triginta & duos complectens atque in ecclesiasticam disciplinam respectans unice. (i) *Mandavit eum haud dubie in finem omnibus Italiæ Episcopis, ut Collegia Clericis educandis sive* Seminaria *ex præscripto Synodi Tridentinæ haberent, ac sedulo adcurarent. Ludovicum Antonium Cardinalem Noallium, Parisinum t. t. Archiepiscopum, ad Bullam* Unigenitus *recipiendam, pietate sua permovit.* (k)

Erat castissimis Sponsis Josepho & MARIÆ addictus singularem in modum. Hanc triplici Salutatione Angelica, ad æris campani monitum, de genu colentibus Indulgentiam *centum dierum ac semel in mense* plenariam *concessit:* (l) *illi post S. Joannem Bapt. in Litaniis proximum assignavit locum.* (m) *Gregorio Cardinali*

 Barba-

(g) Teste Kolbio *in Serie Rom. Pontif.* pag. 390. prodiit ex Ursinorum stirpe agmen integrum Senatorum, Ducum, Consulumque: rursus Purpurati Patres 40 & Pontifices 4. Adde 10 Reginas ex Ursina domo ad Europæ solia evocatas, simulque Ursino desponsatas nomini filias 12 qua Imperatorum, qua Regum. Accedunt procreati eodem ab stemmate Sancti, quorum 18 nomina ex Historicis refert cit. Kolbius pag. 391.

(h) Petrum de Luna, Arragonem, Cardinales Galli Avenione collecti opposuere Bonifacio IX, cum crearetur ab ipsis Pontifex die 28 Sept. a. 1394. Sandinus *in vit. Pontif.* pag. 471. Kolb pag. 264.

(i) Summam istius Concilii habet Biner Soc. Jesu *in Apparatu Eruditionis* Part. X Cap. II Art. VI a pag. 282. Subscripsere eidem Conc. 32 Cardinales, 4 Cardin. Procuratores, 44 Episcopi, 3 Abbates, 23 Episcoporum & 5 Abbatum Procuratores &c. *Loc. cit.* pag. 291.

(k) De Congregatione Seminariorum quam Benedictus XIII instituit, extat Constitutio: *Creditæ nobis divinitus* 67 Tom. XI Bullar. pag. 409. De Noallio Biner *cit.* a pag. 413.

(l) Id narrat Lambertinus Lib. IV *de Serv. Dei Beatif.* part. II cap. XX n. 5.

(m) Constitut. 32 tom. XI Bullar. pag. 356.

Barbadico, (n) *olim apud Patavinos Episcopo, fama sanctitatis inclyto*, Venerabilis *adscripsit titulum, ejusque corpus erutum sepulcro, ac specie illæsa repertum alio transferri decentiorem in sedem jussit. Inter Ecclesiæ nostræ lumina, quæ Apotheosi donavit, præ reliquis nominandus venit* B. Joannes Nepomucenus, *Pragensis Canonicus, ob invictum, inter gravissima tormentorum genera, sacramentale silentium palma martyrii coronatus.* (o)

Auxit præterea Benedictus archiepiscopali dignitate Lucensem Cathedram: (p) *Episcopatu initiavit Viterbii a. 1729 Clementem Augustum Electorem Coloniensem:* (q) *nosocomium ad ægrorum aut scabie aut impetigine adfectorum curationem erexit.* (r) *Nullis denique pro Ecclesia pepercit laboribus; tantam tamen in ista facinorum omni ex parte præcellentium luce præ se tulit moderationem animi ac demissionem, ut Cœnobitam agere obscurum, non Pontificem splendidum, Urbi & Orbi videretur.*

Obiit demum anno ætatis LXXXII, prospera ad extremam senectutem usus valetudine, Præsul, ut scribit Biner, (s) *ecclesiasticæ disciplinæ zelo laudatissimus. Ei successit*

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Clemens XII *antea Laurentius Corsinus, Florentinus.*	CCXLVIII.	Anno Christi MDCCXXX IV Idus Quintil.	Annos IX. Menses VI. Dies XXV.	Anno Christi MDCCXL VIII Idus Febr.

Post varias quinque fere mensium sacro in Conclavi deliberationes, (t) *tandem Christi in terris Vicarius ac supremus Ecclesiæ Pastor creabatur, cum annum ætatis ageret nonum & septuagesimum.* Clementis XII *assumsit nomen, tum ut renovaret Clementis XI Pontificis vere magni recordationem, tum ut virtutem istius eximiam æmularetur.*

Constitutiones bene multas, quæ tomum Bullarii Romani XIII & XIV implent, edidit. Primam efficiunt Regulæ Cancellariæ, quas

(n) De Præsule hoc, virtutum literarumque amantissimo, Sandinus *in vit. Pontif.* pag. 384.
(o) Oratio Ecclesiæ *in Festo* S. Martyris.
(p) Sandinus cit. annot. 1 ad Alexandrum II pag. 350.
(q) Errore lapsus est Sandinus, pag. 383 *Federicum* Electorem Coloniensem scribens pro *Clemente Augusto*, de quo videsis Tomum hunc Concil. X a pag. 427.
(r) Eminent. Lambertinus epist. ad Benedictum XIII præmissa Vol. III *de Serv. Dei Beatif.* &c.
(s) *In Apparat. Erudit.* Part. X Cap. II pag. 281.
(t) Post varios motus, quos sæculares maxime Principes per suas *exclusivas*, ut vocant, concitaverant, scribit *l. c.* Biner pag. 292.

quas more aliorum Pontificum confirmavit. (u) *Mortuo sine liberis Antonio Farnesio, Parmensium ac Placentinorum Duce,* (x) *decrevit ex Constitutione S. Pii V,* (y) Ducatum *illum* ad Sedem Apostolicam *rediisse, ubi Henrica Essensis, ejus vidua, quam uterum gerere acceperat, prolem masculam non peperisset.* (z)

In Cosciam Cardinalem, biante avaritia hominem, ab aurique fame ad Simoniæ labem abreptum, anno 1733 tulit sententiam sat acrem & asperam; a Successore tamen oppido temperatam. Purpuratis adcensuit a. 1735 Ludovicum Antonium, Archiepiscopum Toletanum, Philippi V Hispan. Reg. & Elisabethæ Parmensis filium, novem vix annorum Principem: Divis a. 1736 Vincentium a Paulo, Joannem Franciscum Regis *Soc. JESU Missionarium,* Julianam de Falconeriis & Catharinam Fliscam Adurnam. (a) *Eodem anno die 14 Augusti* Indulgentiam *largitus est Christifidelibus, quotquot juvandis in piaculari flamma piis manibus, prima noctis hora ad pulsum campanæ aut Psalmum* De profundis, *aut Orationem Dom. cum Salutatione Angel. & versiculo* Requiem æternam, *flexo poplite recitaverint.*

Obiit anno æt. LXXXVIII, carus omnibus, & habitus in fontes salubriter rigidus, *ut erat legere in pegmate funebri, justis ejus solvendis extructo,* in populis audiendis facilis, in egenos liberalis, in supplices clemens & potius quam pœna, correctione contentus. *Hunc excepit*

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Benedictus XIV *antea Prosper Laurent. Lambertinus, Bononiensis.*	CCXLIX.	Anno Christi MDCCXL XVI Kal. Septembris.	Annos XVII. Menses II. Dies XVII.	Anno Christi MDCCLVIII V Nonas Maji.

Magnum profecto in Scriptoribus sacris, vereque eximium nomen hic BENEDICTUS; *cujus tam alta vel apud doctiores ex adversariis*

(u) Regulas illas obiter delibavit Binet pag. 309.
(x) Obiit *Antonius* a. Ch. 1731 ætatis 52 Reg. 4 masculæ stirpis Farnesiæ ultimus.
(y) De S. Pio V Sandinus *in vit. Pontif.* pag. 541.
(z) Constitutio: *Cum bonæ mem. Antonius Farnesius* 39 edita a. 1731 die 20 Junii. Interim Carolus VI Imp. dum spes fœtus virilis hærebant, occupari jussit Ducatum, illisque dissipatis, sibi vindicavit.
(a) Habuit Canonizatio hæc speciale illud, quod mos offerendi turtures, columbas, aliasque volucres, decem fere annorum spatio intermissus, redierit. Lambertinus *de Serv. Dei Beatif.* Lib. I Cap. XXXVI pag. 201 & 202.

riis nostris ac prudentiores rerum arbitros vigebat existimatio, ut luculentis illum præconiis, publico etiam typo exaratis, concelebraverint. (b) *Natus Bononiæ optimis parentibus die 31 Martii a. 1675, singularia a teneris statim unguiculis tum præclaræ indolis, tum vasti excelsique ingenii argumenta dabat: quæ annis labentibus, in editis ab ipso doctissimis libris* (c) *explicabant jucundius sese, & splendidius præfulgebant.*

Solo exivit natali, scientiarum fere omnium ornamento insignis, Jurisprudentiæ inprimis munitus præsidio: quod fecit, ut amplissimis in Urbe muneribus, quæ sibi commissa videbat, adamussim perfungeretur. Per annos ipsos viginti Promotoris fidei *obivit munus,* (d) *in Collegio* Advocatorum Consistorialium *pulchram diu operam collocavit,* (e) *Congregationi Cardinalium S.C.T. interpretum, per annos complures fuit a secretis, Doctorem sacrorum Canonum egit, aliaque pari semper cum laude sustinuit officia: quibus ad Anconitanam primum ecclesiam, inde ad purpuram,* (f) *tum Bononiensem ad metropolim,* (g) *ac tandem ad supremam in terris dignitatem, ad B. Petri cathedram facile sibi viam aperuit: quo post dissidium sex mensium & amplius, non sine singulari Numinis adflatu, tota plaudente christiana Republica, cogitarat licet ipse alia prorsus omnia,* (h) *die 17 Aug. a. 1740 evehebatur.*

Constitutus jam in altissimo hoc fastigio adeo non (quod inter honores persæpe evenit) intumescebat animo, ut sine discrimine etiam audiret quosque, & sine solatio nullum ab se dimitteret. Cardinalem

---

(b) Rei litterariæ & pulcherrimæ eruditionis stator & fautor est apud Lipsienses *in Actis erudit.* Vide Tom. I *de Serv. Dei Beatif.* edit. Patav. Gloriam vastæ eruditionis ei tribuendam censet Walchius *in idea plenæ historiæ Pontif.* pag. 443. Doctum Pontificem velut ἀντονομαστικῶς eundem compellant passim omnes, maxime qui a Jansenio stare se profitentur.

(c) Edidit Vir Cl. 1. quatuor magna volumina auro cedroque digna *de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione*, Cl. Antonio Genuensi (*in Elementis Metaphysicæ*, a. 1756 Neapoli editis) visa tam egregia, ac tam mascule, nitide ac perspicue elaborata, ut & miraculorum hostes & Prophetiarum derisores iis contundantur penitus suæque temeritatis & impudentiæ convicti teneantur, 2. Libros *de JESU Christi, Matrisque ejus Festis*, 3. *de Sacrificio Missæ*, 4. *de Sanctis, qui divino Officio Bononiæ coluntur*, 5. Institutiones ecclesiasticas, vulgo *Notificazioni*, 6. Tractatum *de Synodo*, jam Pontifex, 7. tot conscripsit *Epistolas, Constitutionesque Apostolicas*, ut tomos omnino quatuor Bullarii (*edit. Luxemburgensis*) impleant, nempe XVI, XVII, XVIII & XIX.

(d) Lib. I *de Serv. Dei Beatif.* Cap. XVIII n. 10.

(e) Eod. Lib. Cap. XXXV pag. 183 apud Sandinum *in vit. Pontif.* pag. 590.

(f) Die 9 Decembris a. 1726 sub Benedicto XIII.

(g) A. 1731.

(h) Fertur ad PP. conscriptos dixisse " videre se quidem omnium suffragiis Pontificem " factum; de hujusmodi tamen honoris gradu, quasi fieri posset, ut in eo collo- " caretur aliquando, nunquam cogitasse." Ita P. Contuccius Contucci S. J. *in Orat. paneg.* habita IV Id. Jan. in Collegio Rom.

nalem Coſciam, *in monaſterio S. Alexii ad id temporis incluſum, libertati priſtinæ ac dignitati eodem mox anno reſtituit.* (i)

De ornamento Urbis ſollicitus, Liberianæ Baſilicæ porticum refecit; frontem ejus primariam marmoreo exſtruit opere, partemque interiorem magnis ſumtibus inſtauravit. Lateranenſe triclinium, ſub Clemente XII dirutum vindicavit ab temporum injuria; (k) *ædi Seſſorianæ, vulgo S.* Crucis in Hieruſalem, *cujus titulum ſuſtinuerat Cardinalis, renovatis porticu & laquearibus, directaque ad Lateranum via, novum conciliavit decus; ampliavit in uſus pauperum, quos amabat mirifice & benevolentia vere paterna ſemper complectebatur, Xenodochium S. Spiritus in Saxia; Solis obeliſcum, longinquitate annorum confractum & jacentem, extraxit e Campo Martio;* (l) *Vaticanam locupletavit Bibliothecam; & fornici maximo Baſilicæ S. Petri, mole ſua fatiſcenti, tempeſtive proſpexit, Mathematicis illo ævo celeberrimis in conſilium adhibitis.* (m)

Has inter curas, geſtaque illuſtria, quæ ad Urbem ædificiis & aliis inſolitæ magnificentiæ monumentis exornandam ſpectabant, ad aliud multo præſtantius, quod a cultu ac flore ſcientiarum repetitur, decus oculos animumque convertit. Veterem, quæ ſupererat adhuc Romæ, Scholarum rubiginem atque ſqualorem deterſurus, ſcribit de illo Genuenſis, *graviſſimos Philoſophos, & in omni literarum genere ſubactos viros velut in orbis domicilium revocabat, novosque literatorum, in quibus res quæque graviſſimæ pertractarentur, cogebat conſeſſus.* (n) *His intererat non tam, quid docte acuteque diſputarent alii, tanquam ſi ipſe ignarus eſſet, auſcultandi gratia & intelligendi, quam eorundem aut reſponſa, ſi quid vitii haberent, corrigendi, aut plenam in lucem, ſi forent obſcuriora, traducendi. Ipſum profecto, ceu Mecænatem optimum, poſteris commendabunt erecta in Quirinali palatio Academia, fundatæ in Collegio PP. Soc. JESU Cathedræ, altera* Liturgica; Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *altera: uti & Muſeum chriſtianum in Capitolio.* (o)

(*i*) Biner *in Apparatu Erudit.* Part. X Cap. II Art. XIII pag. 311.
(*k*) Lib. I *de Serv. Dei Beatif.* pag. 246.
(*l*) Inſcriptio in hanc Obeliſci horarii translationem a Benedicto XIV anno 1748 factam legitur *in Hiſtor. Litter. Italiæ* Vol. I. Lib. III pag. 297.
(*m*) De Joanne *Poleno* inter iſtos Mathematicos clariſſimo Sandinus pag. 591.
(*n*) " Singulis Lunæ diebus conſuevit (doctiſſimus Papa) conventum apud ſe celebrare " Virorum eruditorum, in quo tum de profana veterum Romanorum, tum de " Catholicæ Eccleſiæ Hiſtoria, Conciliis ac rebus Liturgicis diſputantur." Idem Sandinus de Benedicto *adhuc vivente*, & *annum* agente Pontificatus ſui *nonum*.
(*o*) Clemens Sibillatus Hiſt. Eccl. Profeſſor *in Orat. funebri* habita in æde Cathedrali *Patavina* IV Idus Majas: ubi Benedictum a *doctrina* primum, tum a *veritate* laudat.

Ex Urbe porro, cujus tantopere splendori atque utilitati studuit; Orbi quid & quacunque demum in plaga prodesse posset, ad supremum usque vitæ suæ diem pervigilabat. Argumento sint Constitutiones, quas reliquit numero plurimas, sapientia summas, eruditione plenissimas. (p) *Cultum Religionis nostræ ab Indorum superstitione purgavit;* (q) *jejuniorum instauravit disciplinam;* (r) *officia Episcoporum ad severiores ecclesiæ leges conformare voluit.* (s) *De matrimoniis in* Hollandia & Belgio *contractis, de usu sacrarum imaginum cultuque, de Jubilæo, de proscriptione librorum seu fidei seu bonis moribus noxiorum, & aliis de rebus ad christianæ Reipublicæ bonum facientibus egit studiose, scripsit docte, prudenter solideque decrevit.* (t)

Goritiæ *Ecclesiam S. Crucis erexit in* Archiepiscopatum, *cujus Præsuli Tridentinum, Tergestinum, Petinensem & Cominensem, Suffraganeos olim Patriarchæ Aquilejensis Episcopos, omni cum authoritate subjecit;* (u) Fuldæ *in* Episcopatum *celeberrimam Ord. S. Benedicti Abbatiam. Cum hac transegit Herbipolensis Episcopus atque a P. M. jus Pallii & Crucis præferendæ honorem obtinuit.* (x)

Tandem die 3 Maji a. 1758 e vita discessit Benedictus cum summis ante se Pontificibus merito comparandus, cui a Pallavicino sub id temporis Nuncio Apostolico hoc positum Neapoli epitaphium: (y)

D. O. M.
BENEDICTO. IIII. LAMBERTINO
PONT. MAX.
PATRIA. BONONIENSI
AD. ÆTERNITATEM. ROMANI. NOMINIS. NATO
DIVINARUM. ET. HUMANARUM. RERUM
SCIENTISSIMO
PONTIFICI. OPTIMO
ET. CUM. IIS. QUOS. OMNIS. MIRATA
EST. ÆTAS. FACILE. COMPARANDO
VIX. ANN. LXXXIII. MENS. I. DIEB. III.
IMPERAV. ANN. XVII. MENS. VIII. D. XVI.
DECESSIT. V. NON. MAJ. ANN. MDCCLVIII.
HAVE. ANIMA. INNOXIA. SANCTA. COLENDA
IN. CÆLESTIUM. NUMERUM. RECEPTA.

Cle-

(p) Has ex ordine recensitas habet *Bullarium.*
(q) Biner cit. *in Apparatu Erudit.* Part. XI a pag. 410.
(r) Idem a pag. 419. (s) a pag. 433. (t) Ex Bullario Biner cit. sparsim.
(u) Idem ad annum 1752 pag. 463. (x) Ad eund. annum pag. 464 & 465.
(y) Annales litterarii (*Annali litterarj*) Vol. III Lib. III Cap. VI pag. 499.

CLEMENS XIII successit: & huic CLEMENS XIV. Tametsi sub neutro, quod senserim, habita est Germaniæ Synodus; tamen, cum Collectio hæc CC. quæ, illo vix gubernaculis Christi Ecclesiæ admoto institui cœpit, paulo post supremæ hujus fata typis exeat; mutilusque videri possit Romanorum Pontificum, istis silentio præteritis, Catalogus in ætatem, qua hic tomus conficitur, excurrens; paucis si vitam utriusque heic perstrinxero, gratam rem Lectori benevolo me facturum putem. Esto igitur

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Clemens XIII *antea Carolus Rezzonicus, Venetus.*	CCL.	Anno Christi MDCCLVIII Prid. Non. Julii.	Annos X. Menses VI. Dies XXVII.	Anno Christi MDCCLXIX V Nonas Februarii.

Natus est a. 1693 die 7 Martii, Rezzonico *patre, matre* Barbadica, *parentibus lectissimis, a quibus & patriciam sanguinis claritatem & avitum solidæ virtutis amorem studiumque hausit. Bononiæ in nobili, quod a PP. Soc. JESU tunc regebatur, S. Franc. Xaverii Collegio, magna cum laude oratorium perinde ac philosophicum decurrit spatium; mox Venetias primum, ubi in Jure civili & Theologorum dogmatis cognoscendis per biennium studiose est versatus; deinde Patavium, quod in amplo doctissimorum virorum cœtu Doctoris ipsum Laurea donavit; postremo Romam se contulit, ubi a Clemente XII ob insignem religionem pari cum prudentia conjunctam purpuratis adlegebatur Patribus, atque a Benedicto XIV Patavinum Episcopatum referebat.*

Anno 1758 die 6 Julii, tiaram pontificiam, cœlo auspice, est consecutus: quam ille dignitatem oratione gravitatis plena, multis etiam lacrymis ac singultibus sæpe interrupta, deprecari studuit. Die 15 Augusti e. a. Mariam Theresiam Imperatricem titulo Apostolicæ *ab ea, ceu Hungariæ Regina, usurpando exornabat. Peracris ei erat cum Parma contentio,* (z) *Societatem JESU & amabat plurimum & duabus Constitutionibus, altera:* Apostolicum; (a) *altera:* Animarum saluti (b) *motu proprio editis confirmabat.*

Obiit piissimus, & æqui tenacissimus Pontifex post horrendos regiminis sui fluctus, ipso Purificatæ Virginis MARIÆ festo die animam purissimam suo reddens Creatori, Præsul æterna memoria dignissimus. (c)

Cle-

(z) In vita Clementis XIV (*Berolini & Lipsiæ* a. 1774) Part. I a pag. 18.
(*a*) A. 1765 VII Id. Jan. Vid. Justus Catholicus Jureconf. Medit. tertia de *Excommunicatione injusta* a pag. LX. Bononiæ 1774 in 8. maj.
(*b*) A. 1766 ad diem 10 Septembris.
(*c*) Raymundus Cunich e Soc. Jesu, *Oratione habita in Collegio Romano prid. Kal. Sept. 1758.*

Nomen & Natio.	Ordo Successionis a S. Petro.	Adiit Pontificatum.	Sedit in Cathedra S. Petri.	Obiit.
Clemens XIV antea *Laurentius Ganganelli, Urbinas.*	CCLI.	Anno Christi MDCCLXIX XIV Kal. Junii.	Annos V. Menses IV. Dies III.	Anno Christi MDCCLXXIV X Kal. Octobr.

Lucem adspexit a. 1705 die 31 Octobr. ad scientias adficiebatur a puero, quas facili etiam profectu acquisivit, tum ob ingenii praestantiam, tum ob singularem assiduitatem, atque diligentiam. Venerabilem dein FF. Minorum S. Francisci Conventualium Ordinem ingressus est; in eo mente capaci, & rerum sciendarum, praesertim sacrae antiquitatis curiosa coepit Theologiae Catholicae fontes potius, quam ratiocinii rivulos consectari non sine continua solidae eruditionis accessione; per hujus luculenta specimina viam sibi in Urbem aperuit. Romam missus Collegio florentissimo S. Bonaventurae, quod Sixtus V aere suo, & legibus fundavit, datus est Rector. Hoc dum munere fungebatur, in Comitiis generalibus Ordinis a. 1741 celebratis copiosa & perpolita oratione latina Benedictum XIV, qui tunc iis praesidebat, Jo. B. Minuccii in iis electi Ministri Generalis, totiusque coetus nomine honoravit (d)

Magni hujus ingeniorum Censoris favorem adeo sibi feliciter conciliavit, ut S. Officii, seu Inquisitionis haereticae pravitatis Consultor fuerit nominatus. (e) *Munus hoc multa cum laude in dandis responsis promptae facilitatis sub Benedicti XIV & Clementis XIII Pontificatu sustinuit, usque dum Eminentissimo S. R. E. Cardinalium Collegio fuit insertus; quae sors ei praeter exspectationem obtingebat 24 Sept. a. 1759 cum titulo Ecclesiae S. Laurentii in* Pane & Perna *nuncupatae, cui postea surrogata fuit Basilica XII Apostolorum.* (f)

Defuncto Pontifici Clementi XIII suffragiis Eminentissimi Collegii Purpuratorum Patrum in Cathedra S. Petri Successor eligebatur 19 Maji a. 1769 postquam S. Sedes Apostolica trimestri & aliquot diebus vacaverat.

Characterem Episcopalem electo summo Pontifici die 28 ejusdem mensis Maji impertivit Eminent. Card. Lantius *pro Eminent. Card.* Cavalchino, *qui, cum ad eum tanquam primum Cardinalem Episco-* pum,

(*d*) Oratio typis Romanis impressa anno eodem cum dissertationibus P. Laur. Ganganelli ex historia sacra, & Ecclesiastica, & Mythologia publicae concertationi expositis Benedicto XIV fuit nomine Ordinis oblata.

(*e*) Munus Consultoris S. Officii cuidam ex ordine Conventualium juxta morem Romanae Curiae dari consuevit. Congregatio Cardinalium S. Officii bis fit singulis hebdomadibus, saltem duodecim Cardinales ad eam deputantur.

(*f*) Haec titulo Cardinalitio insignita basilica XII Apostolorum ad primarium Monasterium Ordinis PP. Conventualium pertinet.

pum, & facri Collegii Decanum confecratio pertineret, fenio & morbo cogebatur ab operofo hoc minifterio abftinere.

Quanquam ad Principatum nec natus, nec ufu, ac exercitatione formatus e vita clauftrali & fchola Deo per electionem jubente velut a noviffimo loco fuperiùs *ad Hierarchiæ culmen* afcenderit, *fe totum* impendere, ac fuperimpendi cupiens *pro Grege Domini ita quinquennium, & quod ultra eft temporis fibi a Deo conceffum, Principi Paftorum Chrifto confecravit, ut difficillima negotia nec gravitate nec multitudine animum ejus excelfum obruerent, hierarchica & politica gubernatione fe Vicarium Chrifti, & Patrem populi, ac Principem falutis publicæ ftudiofum oftenderit.*

Singularia de eo cum pofteris communicanda hæc videntur: (g) *I. Populo Romano gratum fecit fui Principatûs exordium provida rei annonariæ curatione. II. Mufæum de fuo nominè* Clementinum *nuncupatum magnifice ftruxit & locupletavit. III. Bibliothecam Vaticanam ditavit monumentis antiquis, numifmatibus & cimeliis. IV. Sedi Pontificiæ denuo Comitatum Avenionenfem & Beneventanum Ducatum vindicavit. V. Beatorum facros honores decrevit* Paulo Aretio *S. R. E. Cardinali,* Francifco Caracciolo *Congreg. Cler. Regul. Min.* & Bonaventuræ de Potentia *Ord. Min. Convent. VI. Etfi pro affectu erga Inftitutum, cui me perpetuum devoveram, acerbum fit memorare, cogit addere facti veritas: Societatem JESU per Breve Urbi & Orbi publicatum, cujus initium:* Dominus ac Redemptor nofter, *die 21 Julii a. 1773 fuppreffam, extinctamque declaravit, honori tamen fingulorum, paternæ benevolentiæ erga fingulares ejus Inftituti perfonas fignificatione, profpectum voluit, excommunicationem comminando vetuit, ne quis occafione hujus fuppreffionis ullum ufque ad fuppreffionem Societati adfcriptum clam aut palam, voce aut fcripto, injuriis, contumeliis, aliove contemptu audeat afficere, data etiam facultate Clericorum fæcularium privilegiis, juribus utendi, fruendi fub facro Imperio Epifcoporum, cum habilitate ad Beneficia, Dignitates & Cathedras Academicas. VII Ne carni & fanguini indulgeret, nec familiæ fuæ bona temporalia de patrimonio Chrifti impertivit, nec Ecclefiafticis honoribus aut Beneficiis quenquam fuæ cognationis extulit; imo nec Ordini, cui fe votis addixerat, invidiofâ beneficentiâ favere voluit. Cardinales paucos, ex Regularibus nullum creavit.*

Denique a. 1774 die 22 Sept. animam magnâ per totum Pontificatum difficillimum in adverfis & profperis fortitudine, præfertim vero in extremâ infirmitate roboratam Ss. morientium Sacramentis munitam Deo reddidit.

FINIS CATALOGI ROMANORUM PONTIFICUM.

SERIES

(g) Hæc per Ephemerides, vulgo *Gazettas*, innotuere.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Tomum hunc decimum Collectionis Conciliorum Germaniæ imprimi permittimus.

6 Aprilis 1775.

JOANNES GODEFR. KAUFFMANS,
S. T. D. Archidiœc. Colon. Sigillifer Major, & Librorum Censor ordinarius mpp.

SERIES IMPERATORUM OCCIDENTIS

AB ANNO MDCLXII SÆC. XVII, AD ANNUM MDCCLXXIV curr. SÆC. XVIII.

LEOPOLDUS I.



Viennæ in Austria a. MDCXL die 9 Junii natus, Maria Anna, Philippi III Hispaniarum Regis filia, (*a*) matre nondum sexennis; Ferdinando IV fratre, annum ætatis agens quartum decimum; patre vero, Ferdinando III Imp. Princeps annorum fere octodecim, Austriæ jam Regens, coronatus quoque Rex Hungariæ & Bohemiæ, (*b*) orbabatur. Per varia ipsi & gravissima sane obstacula (*c*) ad imperii coronam eundum fuit: quibus tandem, quod propensus in Germaniam Deus erat, feliciter sublatis, ei imponebatur Francofurti a. MDCLVIII die 8 Julii (*st. V*) al. ipsis Augusti Calendis.

Eodem mox anno Rhenanum fœdus coaluit, cujus hæc ferme capita vulgabantur: *Curare ne quid in Monasteriensem pacem quisquam moliretur; quamvis injuriam a sociis depellere; militum quorumcunque transitum, molestias, exactiones inhibere; copias communi consilio, ubi usus sit, adhibere. Triennio hæc pacta tenerent, & ultra prorogarentur, si belgicas turbas interim sopiri non contingeret.* (d)

Anno MDCLX dies 3 Maji pacem Olivensem Suecis, quibus cum Dano, Belgis, Polono, Moscis, Cæsare, & Brandeburgo luctandum diu fuerat, pergratam & utilem, adnitente potissimum Gallia, conciliavit. Leopoldus præter solidam, quod binos ab interitu servarit Reges, gloriam nihil sibi ex ea decerpsit, (*e*) factis quadriennio post ad ærarium accessionibus felicior atque opulentior;

(*a*) Prima Ferdinandi III Imp. conjux, quam die 11 Febr. a. 1631 duxerat; altera Maria Leopoldina, Leopoldi V Tirol. Archiducis filia, nupta a. 1648 & a. 1649 mortua. Vid. Franc. Wagneri S. J. *historia Leopoldi M. C. A.* Tom. I Lib. I. & Joh. Steph. Pütteri *Manuale plen. Hist. Imperii Germ.* Tom. I §. 254 a pag. 771.

(*b*) Rex Bohemiæ coronatus est Leopoldus aliis a. 1655 die 4 Sept.; aliis anno insequente ad diem 14 Sept.

(*c*) Hæc obstacula compendio dat Struvius *Corp. Hist. germ.* Tom. II Period. X Sect. X pag. 3066. Wagnerus *Hist. cit.* admodum fuse a pag. 26 ad pag. 46.

(*d*) Londorp. apud Struv. *Act. publ.* Tom. VIII pag. 417. Dumont *Hist. univ. dipl.* Tom. VI Part. II pag. 235.

(*e*) Wagnerus pag. 71.

lentior; cum insignem de Turcis victoriam ad S. Gotthardum Kalendis Augusti reportaret: (*f*) quanquam ratus, pacem cum superato hoste ad annos XX sanciendam. (*g*) Anno MDCLXVI die 12 Dec. Margaritam Philippi IV Hispaniæ Regis filiam secundo loco genitam (Theresia primo genita jam ante Ludovico XIV Galliarum Regi cesserat (*h*)) in conjugem duxit, pompa nuptiarum incredibili: (*i*) ne Hispaniam suam desideraret Hispana, aut Germaniam (qualem exteri pingunt) velut agrestem ac rudem & citra delicias horridam aversaretur. Sed in ipso hoc genialium gaudiorum æstu proxime occubuerat Cæsar, cum eoque Domus Austriaca; nisi singulari factum providentia numinis, ut geminum vitæ periculum (quod emicans primum conjurationis Hungaricæ germen adpellari potest) Augustissimus evaderet. Fassi postmodum conjurati, antequam de iis supplicium (*k*) sumeretur, & structas Cæsari in arce Pottendorfensi ab se insidias fuisse, & fontem aulicum, unde in cibaria aqua petebatur, cum lusos se, quantum ad id consilii erat, adverterent, veneno præsentissimo corruptum.

Anno MDCLXVII Flandriam subegit & Burgundiam Ludovicus XIV Galliæ Rex, contendens devolutum, a morte Philippi IV Regis Hisp. ad Mariam Theresiam conjugem suam, (*l*) Belgium; cujus tum status erat longe miserrimus. (*m*)

Anno MDCLXIX proscripti Vienna, ac tota Austria Judæi, gens in Christum & Christianos impia: id quod Margarita Imperatrix ab Cæsare marito tandem impetraverat. (*n*)

Anno MDCLXX Galli, crebris primum itineribus circumducti, in Lotharingiam irrumpebant, omnemque mox provinciam tam occupabant celeriter,

(*f*) Accuratam pugnæ S. Gotthardianæ descriptionem dat idem Historicus a pag. 159. De virtute bellica Caroli Lotharingi agit pag. 163.

(*g*) Ad pacem hanc tantopere festinandam quid Aulas incitaverit, vid. a pag. 170.

(*h*) *Grandi*, ut scribit Binerus *in Apparatu Erudit.* Part. VIII Lib. II ad calcem pag. 380; *quod posteriora docuerunt tempora, Austriæ jactura.*

(*i*) Wagnerus pag. 205.

(*k*) Struvius *loc. cit.* hæc: "Cæsar constituto judicio delegato, adhibito consilio Jure-" consultorum, Cameræ Spirensis, Lipsiensis, Tubingensis, atque Ingolstadiensis " Academiarum, reos istos (*Zrinium, Nadastium, Frangopanium & Tattenbachium*) " vel per ipsorum literas vel confessionem convictos, ad mortem condemnavit." Sententia in tribus illis executioni mandata Viennæ die 30 (*st. n.*) Aprilis; in Tattenbachio post integrum semestre Græcii ad diem 21 Nov. anno MDCLXXI. Eadem fere Wagnerus Lib. III *Hist. Leop.* a pag. 250. Binerus in *Apparat. Erud.* Part. IX Cap. VIII a pag. 257.

(*l*) Obiit Margarita a. 1673 die 9 Jan. annum ætatis agens secundum & vigesimum, filiamque post se duntaxat unicam, Mariam Antoniam, in magnas olim spes Bavaro despondendam, relinquens: a cujus mox obitu alterum Leopoldus matrimonium cum *Claudia Felicitate*, Ferdinando Carolo Archiduce Oenipontino genita, init Græcii in Styria. Verum & hanc sine prole mascula annus 1676 eripuit. Tertia Imperatori conjux fuit *Eleonora*, filia Neoburgici Ducis natumaxima, quæ Josephum Archiducem (*de quo postea*) a. 1678 genuit. *Vid.* Wagner, Struv. Biner &c.

(*m*) De *Jure devolutionis* egit Petrus Stockmannus, qui extat in *Diarii Europæi* Tom. XVI *appendice.* Wagner *cit.* pag. 24.

(*n*) Causas decreti adversus gentem exilii profert Wagner pag. 231.

riter, ut, Ducem ipſum Carolum IV quin interciperent, perparum abfuerit. Egit Imperatoris nomine rem Ducis apud Galliæ Regem Windiſchgrazius Comes, vir clariſſimus; ſed præter verba, nihil ſecum ex iſta legatione domum retulit.

Anno tandem MDCLXXII primum erupit bellum Gallicum, quod annos ſeptem tenuit, adflixit graviter Germaniam, atque in præſentiſſimum ſupremi exitii diſcrimen Bataviam conjecit. Idem Ludovicus XIV icto jam ante cum potentiſſimis Imperii Statibus (*p*) fœdere ſecurus, nec ab Anglia, Suecia, Sabaudia, ac Dania quidquam ſibi metuens, exercitum educebat & copioſiſſimum & florentiſſimum; cumque prona ubivis nanciſceretur omnia, brevi ne menſis quidem integri ſpatio Geldriam, Ultrajectum, Zutphaniam expugnabat; quin ad portas Amſtelodami conſpectumque perveniebat, munitis tot urbibus & arcibus plus XL tam exiguo tempore ac veluti per jocum ſubactis; dum interea Monaſterienſis Epiſcopus, tranſiſalana provincia una cum Covardo intra paucos dies expugnata, Groningam obſidione premebat, in qua tamen hæſit impetus Car. Rabenhauptio, nobili Germano, magnis eam animis, Marte etiam ſecundo, defendente. (*q*)

Anno MDCLXXIII Trajectum ad Moſam, multo ſuorum ſanguine, ad deditionem die 30 Julii coegit Franciæ Rex, ſubjugante ſub idem fere tempus decem Alſatiæ imperiales civitates Fevillada gallici exercitus Duce.

Conventus eodem anno Coloniæ Agrippinæ de pace inſtitutus, capto ad diem 4 Febr. anni ſeq. per Cæſareos Furſtenbergio, mox in auras abiit.

Varia dein pugnatum ſorte; donec a. 1679 Februario ineunte, hinc Cæſarem inter & Imperium, inde Galliæ ſimul & Sueciæ coronas pax Neomagi ſubſcriberetur. (*r*) Reſtituti tunc in integrum Batavi: at Burgundiam Gallus non dimiſit; cujus pariter in poteſtatem urbs Germaniæ opulentiſſima & nobiliſſima, Argentina Alſatiæ metropolis, die 22 Sept. a. 1681 ſine ullius militis impendio, conceſſit. (*s*)

Anno eod. MDCLXXIX, qui pacem Neomagenſem protulit, peſtis Viennam prope exhauſit. Elata intra menſes octo ultra LXXX mille funera. Malum fractum tandem, ſopitumque fuit, habita ad ſtatuam Divinæ Triadi, juſſu Cæſaris, erectam humili & perfrequenti ſupplicatione.

Anno

(*p*) Status illos, ſcribit Pütterus *Manual. cit.* pag. 824, fuiſſe Electores Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Bavarum, Palatinum, Epiſcopos Monaſterienſem & Oſnabrugenſem, Comitem Neoburgicum, & Imperatorem ipſum.

(*q*) Vid. Lotichii & Hofmanni *Hiſtor. aug. Imperatorum Romanorum* in fol. Amſtelodami a. 1710 pag. 282. (*Opus cum circumſpectu legendum.*)

(*r*) Inſtrumentum pacis hujus Neomagenſis in Synopſin contractum vide apud Biner. *in Apparat. Erudit.* Part. VIII a pag. 406.

(*s*) Quanto terrore tantæ urbis occaſus, Germaniam omnem concuſſerit, dici vix poteſt. Wagner *Hiſt. Leopold.* Lib. VII pag. 522. Tanti fuit apud Carolum V Imp. Argentina momenti, ut diceret: Si eodem tempore Viennam Turca; Argentinam Gallus invaderet; relicturum fortunæ ſuæ Viennam, ut Argentinam totis viribus defenderet. *Ibid.*

Anno MDCLXXXIII diem 12 Septembris eadem Vienna lætiſſimam ſenſit, bimeſtri, qua ab immenſo Turcarum 200000 exercitu, non ſine maximo orbis chriſtiani terrore cingebatur, obſidione liberata. Fœderatis qui copiis præerant, fuere præcipui Joannes III Poloniæ Rex, Maximilianus Emmanuel Bavariæ, Joannes Georgius III Saxoniæ Electores & Carolus Dux Lotharingiæ. Urbem fortiſſime defendit Erneſtus Rudigerus Starembergius Comes.

Cæſi eod. rurſus anno ad Barcanum barbari; captum Strigonium, aliæque urbes & arces occupatæ. Annis porro continua ſerie ſubſecutis, tota fere Hungaria, Sclavonia, Tranſilvania, Boſnia Ottomannico erepta imperio. (*t*)

Anno MDCLXXXVII Decembri menſe, corona Hungariæ hæreditario deinceps jure ad Auſtriacos tranſitura, Joſepho I Leopoldi filio, Poſonii ab Archiepiſcopo Strigonienſi, pompa qua fieri alias conſuevit maxima, imponebatur. Triennio poſt electus Rex Romanorum & Auguſtæ Vindelicorum inauguratus idem Archidux.

Anno MDCLXXXVIII alterum exarſit bellum Gallicum, quod duæ inprimis cauſæ, Palatina nimirum hæreditas, & Furſtenbergii ab Archiepiſcopatu Colonienſi repulſa concitaverant. (*u*) Funeſta ad Rhenum facies: urbes florentiſſimæ, quas facili negotio Gallus ceperat, ab eodem, dum recuperata poſt magni operis multique ſanguinis oppugnationem Moguntia, acrius Cæſarei inſtabant, miſerandum in modum exuſtæ ac devaſtatæ fuerunt. (*x*) Loviſius, Crequius, Melacus, & Duraſſius triſtia hodiedum ac mali ominis apud Germanos nomina. Vetuſtiſſimæ Vangionum, Nemetumque civitates, ut ait *Wagner*, (*y*) vici deinceps ignobiles, & fraternorum odiorum æterna monumenta.

Anno MDCXC die 15 Maji apertum eſt Wetzlariæ, quo, Spira, veteri ſede, in cineres redacta, transferendum erat, Judicium Camerale Imperii. Prima ejusdem ſeſſio a. ſeq. die 30 Jan. (*z*)

Anno MDCXCII nonus acceſſit Electorali Collegio Electoratus, Leopoldo I Imp. dignitatem illam Erneſto Auguſto, Brunsvic. & Luneburg. Duci, Epiſcopo Oſnabrugenſi, conferente, novoque deſtinante Electori S. R. I. *Archivexilliferi* officium. (*a*)

Anno

(*t*) Vid. *Act. SS.* Junii Tom. I in Dedicatione Leop. Imp. ſcripta.

(*u*) Strictim cauſas illas in conſpectum dat Wagner *Hiſt. Leopold.* Part. II a pag. 70 ad pag. 84. Biner *Appar. Erudit.* Part. VIII a pag. 420. Pütter *Manual. Hiſt. Germ. Imp.* pag. 870. Maſcovius *Introd. ad Hiſt. Imper. Romano-Germ.* Lib. X pag. 216 rem Furſtenbergicam clare ſimul & breviter exhibet.

(*x*) Apud Struvium cit. *Hiſtor. Europ.* Tom. I pag. 406 ſqq. *Theatr. Europ.* Tom. XIII pag. 771. *Theatr. Mart.* pag. 277. &c. (*y*) Tom. II *Hiſt. Leop.* pag. 97.

(*z*) Struv. *Corp. Hiſt. Germ.* pag. 1393 §. 70.

(*a*) Cl. Imhof. *Notit. S. R. Germ. Imp. Procerum* L. II Cap. X, quod incipit: "Multarum " in republica Germaniæ mutationum ferax hoc ſeculum, (*XVII*) cum naſcens " *Septemviros* Imperii vidiſſet; media vero ætate *Octoviratum* introduxiſſet: ad finem jam vergens *Novemvirum* oſtendit. Is eſt Revmus pariter & Sermus Ernestus Augustus &c.

Anno MDCXCVII die 30 Octobris ad finem perducta est Pax Rysvici, sito Delphos inter & Hagam castello, quo tota fere Europa convenerat. (*b*) Rogati, subscriberent, facile consensere Cæsarei & Galli una cum catholicorum Statuum Legatis; at recusarunt Protestantes ob clausulam hanc articulo quarto, ubi de restituendis Imperio locis omnibus, extra Alsatiam sitis, agitur, adjectam: *Religione tamen catholica Romana in locis sic restitutis, in statu quo nunc est, remanente.* (*c*)

Anno Sæculi XVIII ineuntis primo, die 18 Januarii, Fridericus III Brandeburgicus Regiomonte, principe Ducalis Borussiæ urbe, diadema ipse sibi imposuit, & insignia Regis nomenque adscivit. (*d*)

Philippus Andegavens. Dux, defuncto Cal. Nov. a. 1700 sine liberis Carolo II Hispaniarum Rege, ad diem 24 Febr. Madritum tenuit, hæreditatem aditurus post homines natos maximam: quam & sibi Leopoldus Cæsar vindicatum ibat, etsi Philippi avum, Lodovicum Galliæ Regem, adversarium haberet. Inde tertium cum Gallis bellum, idque per Italiam, Hispaniam, Belgium & Germaniam annis succedentibus diffusum, ac variis ab eventis (*e*) notandum.

Anno interim MDCCV die 5 Maji mortem oppetiit Leopoldus I anno Ætatis LXV, Imp. XLVII, Regni Hungar. L, Bohem. XLIX. Imperator vere *Magnus*, immo *Maximus*, qui fortunam utramque dum experiebatur, altior utraque, utraque major constitit: quem conspicari erat, victo ad Arrabonem exercitu, invictum; Vienna tantum non cadente, erectum; trepidante a Turcis christiano orbe, intrepidum: in quo pietas summa cum summa rerum gestarum gloria veluti de palma contendebat; ut, si plures posteris ætatibus darentur similes Leopoldo Principes, cum Sacerdotio probe, probe cum Imperio ageretur. (*f*)

JOSE-

(*b*) Erant Deputati Imperii 1) ex Collegio *Electorum* Moguntinus, Bavarus, Saxo & Brandeburgicus. 2) ex Collegio *Principum* I *catholicorum* Austriacus, Salisburgensis, Magister Ordinis Teutonici, Herbipolensis, Spirensis, Constantiensis, Hildesheimensis, Leodiensis, Monasteriensis, Palat. Neoburgicus, Badensis & Prælati Suevici. II *acatholicorum* Magdeburgensis, Bremensis, Saxo-Coburgensis, Saxo-Gothanus, Culmbacensis, Cellensis, Guelferbytanus, Cassellanus, Würtenbergensis, Glückstadiensis, Anhaltinus, & Comites Wetteravici. 3) ex Collegio *civitatum imperialium* Colonia, Augusta, Francofurtum & Norimberga.

(*c*) De celebri hac clausula postremo prope momento Tabulis inserta & valido non semel ariete a Protestantibus pulsata, monet Pütterus, ut consulantur Adami Cortreii *Observata ad art. IV pacificationis Ryswicensis.* Joan. Jac. Moseri *plena relatio* de *celebri juxta ac fatali clausula art. 4 pac. Ryswic.* (Vollständiger Bericht.) Joan. Wolfg. Kipping *de statu Religionis ante pacem Ryswicensem.* Ego Lectores remitto ad Dissertationem Cl. Nelleri, super illo articulo publici juris factam, Autori, quod nodis omnibus solutis, rem omnem doctissime explicet, prorsus honorificam.

(*d*) Struv. qui citat *Cellarii Panegyricum* Boruss. Regi dictum: a Püttero citantur Küster *Biblioth. Brandenb.* & Pauli *Histor. Boruss.*

(*e*) Hæc pulcro ordine Pütterus a pag. 993.

(*f*) Iisdem prope verbis *historiam suam Leopold.* claudit Wagner pag. mihi 808.

JOSEPHUS I.

Felix jam e Romanorum Rege Imperator turbidum ſane & graviſſimo involutum bello ſuſcepit Imperium. Domanda ipſi prona in ſeditiones Hungaria; reducenda præter Mediolanum Neapolis, Sicilia, Sardinia, Hiſpania, America; decertandum ad Rheni utriusque ripas cum Gallia, in hujusque viſcera, quacunque demum via poſſet, transferenda partem non exiguam belli moles. Has tamen difficultates, mira omnes gloria, parique felicitate ſuperavit; cum ſenos regiminis ſui annos victoriis grandibus ac triumphis impleret, duplici jam ante, ex capto (g) receptoque (h) Landavio, palma illuſtris.

Anno MDCCV cruentum fuit in Italia prælium, etſi victoria dubia, ab Eugenio Principe & Vendomio Duce, ad Caſſanum die 16 Auguſti commiſſum. (i) In Hiſpania Carolus Auſtriacus claſſe anglo-batavica, die 28 Aug. prope Barcinonem appulſus, non hanc modo metropolim die 9 Octobr., ſed & omnem fere Cataloniam, Valentiamque cepit. (k) In Bavaria tumultuantes menſe Nov. contra Cæſaream Adminiſtrationem ruſticos accepta ad Monachii muros, nocte Domino noſtro natali, clades perdomuit. (l)

Anno MDCCVI victoriam ingentem retulere Marlborugius & Eugenius, inclyti ambo Cæſareorum Duces: hic in Italia Taurinum, munitiſſimis Gallorum caſtris die 7 Sept. rara fortitudine ſuperatis; ille acerrimo ad Ramilliacum Brabantiæ oppidum prælio cum Gallis die 23 Maji congreſſus, Bruxellas, Lovanium, Mechliniam, Brugas, Gandavum, pluresque urbes alias ad deditionem coegit. (m)

Anno MDCCVII novum aperiebatur belli theatrum Neapoli, ubi Daunius Comes regnum omne in Caroli Auſtriaci redegit poteſtatem; Eugenio interim & Sabaudiæ Duce Telonem Martium, Galliæ portum egregie munitum, inutili opera obſidentibus.

Eodem anno die 4 Januarii Ludovicus Wilhelmus Badenſis Marchio, fatis conceſſit, Imperator Cæſarei exercitus multa de Turcis parta victoria clarus. (n)

Anno MDCCVIII quæ ſub cineribus gliſcebant Clementem XI Pont. inter & Leopoldum Imp. diſſidia, in luculentum erupere incendium: quod tamen amica utriusque partis compoſitio brevi reſtinxit. (o)

Hoc

(g) Die 10 Sept. a. 1702. (h) Die 23 Nov. 1704.
(i) Wagner *Hiſtor. Joſeph.* a pag. 26. *Theatr. Europ.* Tom. XVII pag. 248 apud Pütter §. 350.
(k) Lamberty *Memoires pour ſervir a l'hiſtoire du XVIII ſiecle*, Tom. III a pag. 528. cit. a Püttero. (l) Wagner a pag. 22.
(m) Struv. *Corp. Hiſt. germ.* Period. X Sect. XII pag. 1455.
(n) Idem Wagner a pag. 77 breve dat meritiſſimi Ducis elogium.
(o) Dumont Tom. VIII Part. I pag. 233.

Hoc pariter anno & Georgius Ludovicus Hannoveranus poſt acrem viginti prope annorum diſceptationem in *Collegium electorale* fuit introductus; & Joſephus Imp. ceu *Elector Bohemiæ* ad omnia in Imperii comitiis penſanda ac tractanda pari cum cæteris Electoribus jure negotia admiſſus. (*p*)

Anno MDCCIX ſcintilla quædam pacis e Belgio promicabat, quæ tamen mox evanuit. (*q*) Tornacum vaſtiſſimi firmiſſimique operis propugnaculum poſt unius & viginti dierum obſidionem die 28 Jul. ceſſit Fœderatis. Montes quoque die 20 Octobris in eorundem redacti poteſtatem, fructus erant pugnæ atrociſſimæ, quam Malplaquetanam alii, alii Montenſem vocant. (*r*)

Anno MDCCXI diem Aprilis 17 fatalem ſibi ac ſupremam habuit Joſephus I Imperator in ætatis flore, ſimul & victoriarum curſu medius; annos natus 33, menſes 3, dies 8. Anno Imp. VI, Regni Rom. XXI, Hungar. XXIV. Variolarum ut ſenſit ſe morbo teneri, *vale*, ait, *Imperator*: atque extemplo res ſuas cum Deo, ſumma qua poterat religione compoſuit. (*s*) Duas duntaxat reliquit ſorores, Mariam Joſepham nat. a. 1699 & Mariam Amaliam nat. a. 1701. Spes igitur Domus Auſtriacæ, in uno omnes Carolo III, Hiſpaniarum Rege confidebant. (*t*)

CAROLUS VI.

Summa Electorum, (*u*) qui Francofurti aderant omnium conſenſione, creabatur Romanorum Rex duodecima Octobris; ſimulque qui perferret Imperatori novo, ex Hiſpania jam in Italiam adpulſo nuncium, Germanus Imperatricis, Carolus Philippus Palat. Neoburg. ab Electorali Collegio deligebatur. Mediolani tum modo Cæſar: inde maturato itinere, decima nona Decembris Francofurtum (*x*) venit, ibidemque coronatus eſt vigeſima ſecunda ejusdem. (*y*)

Verſa mox belli Hiſpanici facies; cum diſcederet a Carolo Imp. Anglia, pacemque cum Gallia iniret, tractis ſuo exemplo Batavis, Luſitanis, ac fœderatis aliis.

Anno MDCCXII die 29 Januarii primus Ultrajecti conventus de pace habitus eſt a Gallis, Anglis, Sabaudicis ac Batavicis Legatis. (*z*) Typus gallicæ

(*p*) Extat cit. a Püttero Diſſertatio Joan. Nicol. Hert *de renovato S. R. G. I. & regni Bohemici nexu* Gieſſ. 1709.
(*q*) Wagner *Hiſt. Joſeph.* a pag. 275. (*r*) Lamberty Tom. V pag. 374.
(*s*) Joſephi virtutes ac decora in Wagner *Hiſt. Joſ.* a pag. 408.
(*t*) Maſcov. *Introd. ad Hiſt. Imp. Rom. Germ.* Lib. X pag. 242.
(*u*) Convenerant ad diem 20 Aug. Electores ipſi præſentes Lotharius Franciſcus *Mogunt.*, Carolus Joſephus *Trev.*, & Joannes Guilielmus *Palat.* Reliqui per Legatos.
(*x*) Tutum haud erat Aquisgrani: quod proinde ornamenta ſua Imperialia: enſem Caroli M., librum Evangeliorum latine charactere aureo conſcriptum, & ciſtulam cum terra, S. Stephani cruore conſperſa, Francofurtum transmiſit. De contentione Aquenſes inter & Norimbergenſes ob iſtorum inſignium aſſervationem orta vid. Struv. *Corp. Hiſt. Germ.* Sect. XIII pag. 1475.
(*y*) Coronationis ſolennia breviter apud Biner *Apparat. Erudit.* Part. X a pag. 42.
(*z*) Horum nomina legeſis in Wagner *Hiſt. Joſ.* pag. 454.

licæ pacis (a) communem facile excitavit indignationem, rem interea gnaviter Londini agente Eugenio Principe, qui Cæsari, cujus legatum agebat, consilium suggessit & sua dignum prudentia, & Austriæ rebus saluberrimum: ita nimirum componendas esse ejusdem domus rationes, ut a Gallia procul sit, ac lubricis, quæ sub id temporis erant, fœderibus carere possit.

Anno MDCCXIII die 11 Aprilis etsi pacem Ultrajectinam signarent fœderati cæteri; Cæsar tamen, ut se videret ab omnibus destitutum, subscribere noluit, ratus pugnandum potius gloriose, quam turpiter paciscendum. Et reipsa bellum prosequi Eugenium jussit. Sed Villarius Gallorum ductor impediri ab eo non potuit, quin victricia Landaviæ ad diem 22 Aug. & Friburgi ad diem Nov. 21 signa erigeret. Tum proniora ad pacem videri omnia.

Anno MDCCXIV erecta est ab Eugenio & Villario die 7 Sept. pax Badensis, (b) cujus iidem ipsi fundamentum Rastadii ad diem 4 Martii e. a. posuerant. Remissa sunt, quæ difficultatem in executione fors paritura essent, ad Imperii Ordines; quæ res Italicas spectabant, ad amicam Caroli Imp. & Ludovici Reg. compositionem. (c)

Anno MDCCXVI restinctis gallici tredecim annorum belli flammis, de improviso repentinum exarsit cum Turcis bellum, quo Veneti petebantur. Auxilio venit ab Cæsare Eugenius, tantaque rem suam gessit prudentia & felicitate, ut quinta Augusti, luce Divum Reginæ solemni, non modo cladem Petrivaradini inferret luculentam barbaris; sed & Temesvariam iis die 12 Octob. ereptam, post annos centum & septuaginta in Cæsaris potestatem redigeret.

Accessit anno proxime insequenti strages ad Taurunum (*Belgradum*) altera; ipsiusmet quoque urbis die 18 Augusti deditio. (d) Eugenium, cui nunquam non Fortuna obsecundabat, antequam Vienna in Pannoniam discederet, Carolus Imp. signo Servatris nostri & Domini aureo donatum admonuit, ut tanto bellum Duce gereret, seque si posset, aliquanto etiam se ipso majorem præstaret. Partis tot illustribus triumphis Viennam redeunti obviam miserat nobilissimum Virum, qui suo nomine heroëm salutaret, gladioque donaret cum aureo gemmatoque capulo. Quem postea magnifice, eque solio laudavit; tanti autem semper deinceps fecit, quanti fieri oportuit Virum Imperii, Reique publicæ vindicem. (e)

Attriti tantis cladibus Turcæ, ac binis veluti clavibus Hungariæ privati pacem rogabant; quam anno MDCCXVIII die 21 Julii, conciliatore inprimis & sequestro Magnæ Britanniæ legato, Passarovici tandem sunt adepti. (f)

Eodem

(a) Idem pag. 457.
(b) Pacis Badensis epitomen habet Biner *Appar. Erud.* Part. X a pag. 46.
(c) Brietius *Annal. mundi* Tom. VIII pag. ult.
(d) Guidonis Ferrarii S. J. *de rebus gestis Eugenii bello Pannonico* Lib. II & III.
(e) Hæc ad verbum idem cultissimus Scriptor. (f) Struv. Pütter. & Biner.

Eodem anno conditum eſt Londini celebratiſſimum illud, quod a quatuor paciſcentibus *quadripartitum* adpellabant, fœdus: unde Alberonii Cardinalis juſta calamitas, & prudens Philippi V Regis conſilium tantis ſeſe turbis evolvendi conſequebatur. Fuit 20 Januar. a. MDCCXX, cum Rex ad idem fœdus, communi poſt calculo die 17 Febr. Hagæ Comitum a fœderatis ſubſcriptum, accederet; inita tamen Congreſſus Cæſarem inter & Hiſpaniam apud Cameracenſes habendi ratione.

Anno MDCCXXII Viennenſis Epiſcopatus ad Archiepiſcopatus dignitatem, renitente incaſſum Salisburgenſi, ab Innocentio XIII P. M. evehebatur.

Anno MDCCXXIII die 5 Sept. Auguſtiſſimus Imp. Pragæ coronatus eſt Rex & die 6 ej. menſ. Imperatrix Regina Bohemiæ.

Anno MDCCXXIV conceptum annos abhinc undecim & quadriennio jam ante, convocatis Statibus, propoſitum Succeſſionis (*g*) ordinem (*Sanctionem Pragmaticam* dixere) publicari maxime in Belgio juſſit; & altero anno, cum tardius Cameraci res irent, tacitum cum Philippo Hiſp. fœdus amicitiæ ac defenſionis, ex inopinato Viennæ concluſit. (*h*)

Anno MDCCXXVI icto cum Suecia & Moſcovia ſimili fœdere, de pace communi Cæſar, Angli, Galli ac Belgæ præludia Pariſiis die 31 Maji a. ſeq. decidit.

Cætera quotquot inde celebrati ſunt conventus, tractationes, pactiones; quotquot agitata inter Aulas conſilia, id ſpectabant fere ex integro, ut aboleretur *Oſtendana Societas*, & ſua Cæſari *Sanctio Pragmatica*, qua nihil ei carius erat, nihil antiquius, approbatione omnium confirmaretur. Quod ultimum annis MDCCXXXII & MDCCXXXV evenit. (*i*)

Obiit glorioſiſſimus Cæſar Carolus VI die 20 Octobris anno Chriſti MDCCXL, ætatis LVI, Imp. XXIX, Romanorum Imperator ſeptimus decimus (*k*) & ultimus ex Auſtriæ Habsburgicæ auguſtiſſima familia; poſtquam perpetuas inter viciſſitudines ſymboli ſui: (*Conſtantia & Fortitudine*) in ſe expreſſit veritatem: utpote in quibus ſua eum conſtantia in recte cœptis, ſua in adverſis fortitudo avitis regnis dignum, imperio natum, illuſtribus deſtinatum tropæis nunquam non repræſentarunt.

CARO-

(*g*) *Primo* loco ſtatuebat Cæſar Mariam Thereſiam, filiam natumaximam Regnorum ſuorum omnium hæredem, ubi ſine prole maſcula ipſe extingueretur. *Secundo* Mariam Annam ejusdem Thereſiæ ſororem. *Tertio* duas Joſephi filias, Mariam Joſepham & Mariam Amaliam. *Quarto* tres ſuas ſorores Leopoldi Imp. filias. *Quinto* demum deſcendentes omnes utriusque ſexus in domo Auſtriaca hæredes, ordine ſemper primogenituræ ac lineæ, ut in ſtirpe maſcula, ſervando. Pütter. Part. III *Hiſtor. recent.* §. 394 a pag. 1025.

(*h*) Viennenſis pacis negotium cum Barone de *Riperda*, Hiſp. Legato confectum die 30 Aprilis. Vide articulos apud Biner *cit.* a pag. 58.

(*i*) Biner pag. 85 & 99.

(*k*) Cl. La Lande *Hiſt. Imp. Caroli VI glor. mem.* gallice ſcript. Tom. VI pag. 126 ait, Carolum obiiſſe *ſextum & decimum* Rom. Imperatorem &c. In Caſtro doloris Viennenſi erat hæc legere: CAROLO VI. Auſtriacorum Cæſarum *ſeptimo-decimo.* Anteceſſorum ſuorum Compendio. Pio, Juſto, Magnanimo &c.

CAROLUS VII.

Cujus electioni quæ præcesserunt cum posteris communicanda, breviter hic loci perstringo. I) Statim a morte Caroli VI Archidux *Maria Theresia Walburga Amalia Christina* conjux *Francisci Stephani* M. Hetruriæ Ducis, circa sextam matutinam Vindobonæ proclamabatur, ex præscripto *Sanctionis Pragmaticæ*, Regina *Hungariæ* & *Bohemiæ*, Archidux *Austriæ* & Provinciarum, regionumque hæreditariarum omnium Princeps suprema: (*l*) quæ, ut omnibus de *voto Bohemico* dubiis occurreret, Conjugem suum in socium regiminis die 21 Nov. e. a. adsumsit. II) Varii vario ex argumento (*m*) jus sibi amplissimæ hæreditatis adserebant. III) Interregnum tenuit menses quindecim. IV) Rex Borussiæ, Decembri medio e. a. in Silesiam inopinato, sine omni clarigatione, valido cum exercitu irrupit, paucasque intra hebdomadas partem inferioris Silesiæ maximam cum *Jablunca*, præsidiario firmavit milite, potitus sub anni MDCCXLI initium Glogavia & post cruentam ad *Molwicium* pugnam die 4 Maji Briega, & die 10 Aug. urbe Silesiæ principe Vratislavia. V) Elector Bavariæ Carolus Albertus, *Galliæ*, *Hispaniæ*, *Poloniæ*, *utriusque Siciliæ*, *Borussiæ*, Electorum Coloniensis & Palatini fœderatorum auxiliis adjutus, superiorem occupavit Austriam & Bohemiam, Rex etiam Pragæ ad diem 10 Dec. proclamatus. *Hæc in antecessum.*

Anno MDCCXLII die 24 Januarii Carolus Albertus Bavar. in Regem Romanorum & Imperatorem eligebatur: cujus Consecratorem die 12 Febr. egit Serenissimus frater, Clemens Augustus Elector Coloniensis, (*n*) ad pompam ac splendorem quod facere posset, nihil desiderari passus. Coronata postmodum Imperatrix die 15 Martii & sacramentum fidelitatis ritu veteri urbs Francofurtum præstitit. Regina interim Hungariæ, deserta fere ab omnibus, quin armis potentissimis undique impetita, aliud ex alio regnum amittebat. Præter Hungariam, quo se reciperet, vix supererat adflictæ locus. Sed versa est vel eodem adhuc anno rerum facies: quidquid enim terrarum Fœderati ceperant, ipsa armis Austriacis nunc felicioribus, cœlo auspice, recuperavit. (*o*) Imperator subin Francofurti residere, judiciumque illuc aulicum transferre cogebatur.

Anno

(*l*) Olenschlager apud Pütter, *Hist. Interreg. a morte Caroli VI* Tom. I pag. 318 & Tom. II pag. 499.

(*m*) Adsertores illos, eorumque argumenta una cum horum refutationibus refert Biner *Apparat. Erudit.* P. X a pag. 116. Fuere illi *Bavarus*, *Saxo*, *Hispaniæ*, *Sardiniæ*, *Borussiæ* Reges.

(*n*) Legati ad hanc electionem extant apud Pütter §. 468 a pag. 1143.

(*o*) Idem a pag. 1149 ad pag. 1160.

Anno MDCCXLIII die 27 Junii certamen ad Dettingam acerrimum, quo Galli, duce Noallio, præliantes a Georgio II Britanniæ Rege in castris Austriæ fœderatis præsente superati, trans Rhenum se receperunt. Princeps etiam Carolus aliique partium Austriacarum socii in Bavaria, Palatinatu superiore ac Bohemia Fortunam comitem habebant: unde Monachio, ubi mense Aprili Cæsar vix advenerat, relicto, die 8 Junii Augusta Vindelicorum Francofurtum rediit.

Anno MDCCXLIV idem Princeps Carolus Pragam extorsit Borusso, & Silesiam superiorem, Saxone socio, recuperavit.

Anno MDCCXLV postquam die 7 Januarii congressis feliciter ad Ambergam Austriacis totus subjiciebatur Palatinatus superior; e vivis abiit Monachii, 20 ejusdem mensis, Carolus Imp. a. æt. XLVIII, Imp. III, Elect. XIX. Princeps animi fortitudine, mentis excelsæ perspicacia, religione in Deum & Superos ornatissimus, qui levitatem volubilitatemque fortunæ, si ullus mortalium, ad supremum vitæ suæ diem expertus est.

FRANCISCUS I.

Magnus Hetruriæ & Lotharingiæ Dux, elapso novem mensium interregno, & compositis post pacem Dresdensem ac Fussensem, inter Domum Austriacam & Maximilianum Josephum Bavar. Electorem rebus, ad Imperii Coronam Heidelberga e castris evocabatur, suffragiis Septemvirûm, præsente ac Præside Moguntino, die 13 Septembris a. c. electus. Secuta ad diem 4 Octobris, postquam in puncta pro more (p) juraverat, unctio ejusdem & inauguratio: a qua domum vix redierat, cum de Consilio aulico Viennæ rursus aperiendo, de sanandis rei monetariæ vitiis, de Capitulationis Cæsareæ figenda perennitate, deque aliis Imperii emolumentis procurandis laborabat sapientissimus Cæsar. Comitia quoque Imperii statim die 29 Novembris, Eo decernente, Ratisbonam Francofurto iterum translocabantur. Interim ob progressus Borussi admodum felices, in pacem *Dresdensem* die 25 Decembris itum fuit. (q)

Anno MDCCXLVII *Associatio* Circulorum Rhenensium diu multumque versata, non sine egregio Domus Austriacæ fructu, coaluit, accedente tribus reliquis Suevico.

Anno MDCCXLVIII, cum Galli, Trajecto ad Mosam occupato, plenam omnisque impedimenti expertem nacti essent in ipsa quasi Belgii fœderati viscera penetrandi copiam, pacis præliminaria (r) *Aquisgrani* die 30 Aprilis, & ipsa pax Octobri mense a Principibus bello implicitis, eadem in urbe subscribebantur.

Anno

(p) Puncta Capitulationis refert synoptice Biner *Apparat. Erudit.* Parte X art. LIII a pag. 164 ad 184. (q) Cl. Pütter pag. 1197 §. 512.
(r) Hæc præliminaria Biner *cit.* pag. 195.

Anno MDCCL opus de Josepho Archiduce in Romanorum Regem eligendo fervebat. Suggesserat Rex Angliæ inprimis hoc consilium, variæ ut turbæ & pericula averterentur. Neque alieno erant animo Moguntinus, Trevirensis ac Bavarus Electores: verum sese Rex Borussiæ opposuit, remoramque negotio injecit.

Anno MDCCLVI novum subito bellum infelici in Germania caput extulit. Communi nomine *Germanicum*; alias *Borussico-Austriacum*, *Gallico-Westphalicum*, *Borussico-Imperiale*, *Russo-Borussicum*, *Borussico-Suevicum*, alio alias nomine dici potest. Hujus modo compendium quoad quidem pugnas memorabiliores spectat, posteris legendum hic offero.

Die 1 Octobris prima accidit ad *Lovocicium* Bohemiæ oppidum pugna inter Fridericum III Borussiæ Regem & Brounium copiarum Austriacarum ducem, in qua utri victoriam tribuas, non satis constat.

Anno MDCCLVII die 6 Maji prælium inter eosdem cruentum ad *Pragam* & suscepta a victore Rege urbis illius obsidio, desideratis in prælio clarissimis ducibus *Schwerinio* Boruss. & *Brounio* Austr. Die 18 Junii Rex a Daunio duce Austr. ad *Planian* superatus insigni victoria; Pragæ obsidio soluta, & deserta a Borussis tota Bohemia. Die 26 Julii ab *Estræo* duce Gallico cæsi sunt *Hastenbeci* sub *Cumberlando* Hannoverani, ita ut primus esset victoriæ fructus *Hammelia* occupata; reliquos Augusto potissimum mense colligeret *Richelius*, avocati e victoriis Estræi successor, qui octava Septembris *Conventionem* a Monasterio *Sevensem* dictam iniit. Die 30 Augusti ad *Grosjägersdorffium* Borussos sub duce *Lewaldio* grandi affecit strage *Apraxinus* Russorum Præfectus. 5 Nov. Fridericus Rex copias Imperiales Gallis conjunctas ad *Rosbacum* in Thuringia. 22 Nov. Carolus Lotharingiæ Dux Borussos ad *Vratislaviam* in Bohemia; hi 5 Dec. fortuna quasi ludente, Austriacos ad *Lissam*: capta rursus & ingenti quidem præsidio a Borussis Vratislavia.

Anno MDCCLVIII die 23 Jun. profligatus est prope *Creveltum* a *Ferdinando* Brunsvic. Duce *Claremontanus* Comes Gall. 25 Aug. certarunt ad *Zorndorffium* in Marchia nova Brandeb. pertinaci decem horarum certamine cum Borussis Russi: hi illis succubuisse creduntur. 14 Oct. *Daunius* Austr. commisso ad *Hocbkirchiam* super. Alsatiæ vicum cruento prælio circumvenit munitis in castris Borussos, cecidit, fugavitque.

Anno MDCCLIX Fœderatorum exercitus sub ducibus *Ferdinando*, *Principe hæreditario* Brunsvic. *Holsato* &c. Franconiæ jam imminebant, trepidantibus Herbipoli, Francofurto & urbibus aliis. Metum exemit *Broglius*, qui, conserto die 13 April. ad *Bergam* prælio victor, laudem ingentem a Germanis retulit. Vicit contra *Brunsvicensis* prope *Mindam* Cal. Aug. Gallos sub *Contado* belli imperatore: & Borussos die ejusd. mens. 12 ad *Kunnersdorfium* e campo martio in fugam conjecit, adjutore *Laudonio* Austr. *Soltikovius* Russ. Iidem Borussi cum *Finckio* aliisque octo ducibus ad *Maxenam* Saxoniæ ita a *Daunio* die 21 Nov. fuere inclusi, ut armis positis, totus se exercitus dederet.

Anno

Annò MDCCLX die 23 Jun. idem à *Laudonio* fatum accidit prope *Landishutum* *Fouqueto* Boruff. cum omnibus copiis post acerrimum certamen capto. Die 15 Augusti a Rege Boruff. gravem accepit cladem haud procul *Lignicio* Laudonius: unde & hujus & Daunii consilia perierunt. Die 3 Nov. ad *Torgaviam* pugna maxime cruenta inter Austriacos rursum & Borussos; ubi vulneratus Daunius, & Borussi, beneficio noctis usi, juga *Sipticii* occuparunt. Torgavia pariter in manus Regis venit. (*s*)

Annus tandem MDCCLXIII optatissimam nobis pacem e Saxonia advexit, in Castro S. Huberti, a conspirantibus in idem consilium, Germaniæ inprimis nostræ saluberrimum Aulis, die 15 Jan. subscriptam. Inde jam pro singulari sua prudentia & immensa in Imperium germanicum pietate meditari iterum, curare ac laborare de successore Franciscus.

Et vero tantum ponderis meditationes Augustissimi Imperatoris, curæ, ac labores illi habuerunt, ut Josephum II, Archiducem primo inter quindecim proles serenissimas loco Austriacæ domui natum, uno IXviri Augustales suffragio renunciarent die 27ma Martii a. MDCCLXIV Romanorum Regem; Elector quoque & Archiepiscopus Moguntinus Emericus Josephus coronam ipsi Francofurti die 3 Aprilis inter amplissima plaudentis Germaniæ, quin & Europæ universæ vota imponeret.

Collato præstantissimo hoc & immortali in Imperium Germanicum beneficio, Vienna profectus est anno MDCCLXV Oenipontem Franciscus, ut nuptiarum solemnia Petri Leopoldi, secundi Archiducis, Magni tum Hetruriæ Ducis, & Mariæ Ludovicæ Caroli III Hispaniarum Regis filiæ coram intueretur, eximiumque iis præsentia sua splendorem jungeret. Celebrata ea sunt ad diem 22 Julii, gratulantibus ad novum hymenæum Gallia & Hispania, omnesque veluti thesauros ac delicias in pompam effundentibus. Verum (quæ vitæ & gloriæ humanæ fragilitas est) medio illo oblectamentorum nuptialium quasi e curriculo, mors Franciscum, apoplexia tactum abripiebat die 18 Augusti; cum annos vitæ numeraret 56, menses 8, dies 2; Imperii vero annos 19, menses 10, dies 6. Vixit *Deo & Imperio*: Deo ob religionem carissimus; Imperio per prudentiam utilissimus. Neque vixit solum; sed pergit etiamnum utrique vivere in JOSEPHO II Imperatore, paternarum virtutum hærede & æmulo gloriosissimo, cui felicitatem boni omnes cum voto hoc quam incenso, tam integro:

Religio stupeat columen, Mars fulmen, Apollo
Præsidium, robur Turcia, Terra decus.

FINIS SERIEI IMPERATORUM OCCIDENTIS.

CON-

(*s*) Hæc pene ad verbum libellus *Adjumentum memoriæ manuale*, edit. V in 8. Monachii & Ingolstadii a. 1763.



CONCILIA GERMANIÆ SÆCULI XVII.

AB ANNO EJUSDEM LXIII.

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Anno Christi MDCLXIII. Alexandri VII. PP. IX. Leopoldi I. Imp. V.

Sub Revmo Domino FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, (*) Tornacensi LXXXIV. Episcopo,

DIE 10. MAJI

CELEBRATA.

ACTA CONGREGATIONIS,

Quotannis haberi solitæ Feria tertia post Dominicam, qua cantatur in Ecclesia; MISERICORDIA DOMINI. *Hoc autem anno 1663. ob varia impedimenta dilatæ, ac primam habitæ die decima Maji, quæ erat Feria V. ante Pentecosten.*

Præsidente Illmo & Rmo Domino FRANCISCO, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Tornacensi, assistentibus sibi RR. Admodum DD. *Eustachio de Froïmont* S.T.L. Cathedralis Ecclesiæ Decano, *Gregorio Ignatio de Coxie* J.U.L. Thesaurario, *Petro Masureel* J.U.L. *Joanne Gennaro* J.U.L. Officiali, *Nicasio le Febve* J.U.L.

(*) Dignissimi hujus Præsulis elogium vide *Tom. præc. pag.* 682.

J. U. L. respective Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis Canonicis. RR. Admodum DD. *Petro Cazier* Monasterii S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Joanne Warigny* S. Medardi, vulgo Sancti Marci, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, respective Abbatibus, *Joanne de Lis* Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ oppidi Cortracensis Decano, *Cornelio du Ranel* Pastore S. Margarethæ, S. T. B. F., Decano Christianitatis Tornacensis, *Leonardo Schaerts* S. T. B. F. Pastore S. Martini, & Decano Christianitatis Cortracensis, *Joanne d'Haveloose* S. T. B. F. Pastore & Decano Christianitatis Menenensis, *Jacobo de la Rue* Pastore S. Genesii, S. T. B., Decano Christianitatis Helch. Flandrorum, *Jacobo Roussel* S. T. L. Pastore in Esquermes, Decano Christianitatis Ulmensis, *Judoco Ignatio Ranst* J. U. L. Secretario, *Petro de la Rue* J. U. L. Advocato Fiscali, *Petro Villers* Curiæ Spiritualis Scriba, *Joachimo de Beuckelaere*, & *Petro Bertrant* Districtus respective Flandriæ & Walloniæ Promotoribus seu Procuratoribus Fiscalibus.

Circa horam octavam celebrato Sacro de Spiritu Sancto in Capella Episcopali seu S. Vincentii pro felici Congregationis hujus successu, ibidemque proponendorum salutari resolutione: idem Illustrissimus & Reverendissimus Dominus comitantibus sibi præfatis Assistentibus ad Aulam Palatii Episcopalis, se se recepit, ibidemque præfatos Assistentes de more oratiuncula ad serio amplectendam curam animarum, earundemque salutem procurandam in Domino est adhortatus.

Postea mandavit per R. Admodum D. *Coxie* Thesaurarium, loco Archi-Diaconi Flandriæ absentis (qui hoc facere solet) legi Statutum *de onere Resid. Sess.* 23. *Concilii Tridentini Capite* 1.

R. Admodum Dominus D. *Joannes Gennaro*, Officialis, prælegit Statuta præcedentis Synodi, ad videndum, si debite fuerint executioni mandata.

ARTICULUS I.

Quia contenta I. Articulo præcedentis Synodi non fuerunt plene mandata executioni, eorundem executio committitur & commendatur RR. Admodum DD. *Andreæ Catulle* Vicario Generali, & *Joanni Gennaro* Officiali, juxta instructionem desuper conceptam, illis datam, & ulterius dandam.

II.

Omnino mandetur executioni Constitutio præcedentis Synodi, quantum ad arrieragia debita mensæ Ecclesiarum Parochialium: sed ante omnia Pastores cujusque Parochiæ mittant specificationem arrieragiorum, si quæ sunt notabilia, & eorum, quæ debentur mensis pauperum, ad Secretarium nostrum, cum specificatione etiam abusuum, qui circa administrationem ejusmodi bonorum, hisce belli tempestatibus, commissi sunt, ut postea desuper majori cum fundamento, libellus Concilio privato præsentetur.

III.

Quia nonnulli Pastores excusant se super ordinatione de duplicando Registro Baptizatorum, Matrimonio junctorum, & mortuorum, sub prætextu, quod expensæ ad id necessariæ illis non subministrentur, ideo authorisamus Pastores, Æditos cujusque Parochiæ, ad desumendum hujusmodi expensas ex bonis mensæ Parochialis, dictis Pastoribus mandando, ut quot annis in Congregatione Pastorum circa festum Lucæ, in quolibet Districtu haberi solita, Decano Christianitatis exhibeant, sub recepisse, seu testimonio ab eo accipiendo ejusmodi duplicatum, per ipsos subsignatum, idque sub emenda sex florenorum, ipso defectu incurrenda, quæ arbitrarie multiplicabitur, si infra natalitia subsequentia ejusmodi mora & negligentia non fuerit purgata: ordinando similiter Decanis Christianitatis, ut immediate post dictam Congregationem autumnalem defectuosos in hac parte, Curiæ nostræ Promotori denuncient ad ejusmodi mulctam exigendam.

IV.

Cum nihil magis penetret & inficiat corda & animos fidelium, quam lectio librorum prohibitorum, ideo ut facilius mandentur executioni Statuta, quæ circa hoc facta sunt in præcedentibus Congregationibus, mandamus iterum Decanis Christianitatis, ut

ut diligentiam majorem adhibeant in visitandis Officinis Bibliopolarum, & Typographorum, an non vendant ejusmodi libros prohibitos, & singulis ipsorum circa hoc juramentum in manibus suis renovari curent, & ne circa eorundem notitiam, quævis prætexatur ignorantia, in Officinis ejusmodi librorum prohibitorum Catalogum, publice appendi curent.

V.

Insuperque diligentius invigilent Decani, ut Ludimagistri renovent singulis annis Professionem Fidei, & præsertim in oppidis: ubi vero adest Scholasticus (cui hoc onus incumbit) hujusmodi officio suo exacte fungatur.

VI.

Statutum factum in præcedenti Synodo de accendendis duabus candelis tempore celebrationis Missæ majoris in Choro, & summo Altari, rationabiliter extendimus etiam ad Missas in privatis Capellis, & Altaribus.

VII.

Omnino & exacte observetur Statutum præcedenti Congregatione editum, quo prohibetur, ne fungentes officio Diaconi vel Subdiaconi statim ab Epistola, vel Evangelio decantatis, vestibus muneri suo convenientibus se exuant, & ab Altari se subtrahant, relicto solo Sacerdote, sub pœna amissionis distributionum, talibus officiis destinatarum, maxime cum illud sit contra rubricas a Summis Pontificibus emanatas: & quia in aliquibus Ecclesiis Parochialibus non sunt ad hoc assignatæ distributiones, ideo mandamus, ut in posterum & mensa vel massa communi distributionum assignetur, Diaconis & Subdiaconis ad decantandum Evangelium, vel Epistolam destinatis, ut munus honorarium trium albium, quo carebunt, si fuerint defectuosi, ut supra & super hujusmodi defectu tenebitur nota per Pastorem, Plumbetarium, seu Punctatorem, pro more cujusque Ecclesiæ.

VIII.

Caveant Pastores, & omnes Presbyteri ad assistendum Matrimonio deputati, ne contrahentibus in gradu prohibito, qui literas dispensationis desuper a Sede Apostolica impetrarunt, adsistant, nisi visis literis executionis, seu dispensationis desuper a dictarum literarum Commissario, seu Executore (qui ordinarie est Officialis) emanatis, idque sub pœna viginti quinque florenorum, ultra pœnas nullitatis, damnorum & interesse, ac alia arbitraria.

IX.

Denique ordinamus, ut quilibet Pastores & Capellaniarum Rectores seu Beneficiati per totam Diœcesim nostram, conficiant infra tres menses ab hujus Synodi publicatione, inventarium, seu indicem declaratorium omnium bonorum, jurium, fructuum, & omnium emolumentorum suorum beneficiorum cum specificatione onerum incumbentium, sub pœna, quod contra defectuosos per arrestum ejusmodi bonorum cum mulcta viginti florenorum irremissibiliter exigenda per Procuratores nostros, procedetur. Utque impotterum, tanto exactius, ejusmodi bona dignoscantur & conserventur, mandamus Decano Christianitatis, cui ordinarie competit missio in possessionem, ut priusquam inducat in possessionem exigat a noviter installando, seu ejus Procuratore, promissionem in scriptis, quod Beneficiatus in manus ejus dictum indicem declaratorium bonorum omnium, intra prædictum trimestre transmittet, ulterius ad Secretarium nostrum remittendum: & quo casu, quo dicti Pastores aut alii Beneficiati, ejusmodi rapportum, reipsa non transmiserint infra tres alios menses, licebit Decanis, ut Beneficiorum Rectoribus, seu eorum Procuratoribus, in proximo festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quo comparere tenentur in loco suorum respective Beneficiorum, præsens nostrum Statutum intiment, atque significent.

X.

Ut obvietur abusibus, qui irrepere possunt, circa invalidas possessiones Beneficiorum Ecclesiasticorum, maxime simplicium, quorum proprietarii, nonnunquam ignorantur, eo quod secreto & clanculum, aliquando etiam per-

perperam, & nulliter, propria authoritate vel absque authorizatione, aut ſine licentia noſtra, poſſeſſionem apprehendant, etiam per manum virorum Laicorum, immo ſubinde conjugatorum, contra juris diſpoſitionem, & praxim immemorialem ab antiquo obſervatam, cum ſimilis poſſeſſio, non niſi per Decanos Chriſtianitatis, Presbyteros, vel per Notarios Apoſtolicos debite authorizatos ſub pœna nullitatis tradi poſſit: Ordinamus ut Decani Chriſtianitatis invigilent deinceps, ne quisquam inter Beneficiatos, ſic in poſſeſſionem mittatur, ſeu potius intrudatur & vitioſum faciendo ingreſſum, fructus ſuos faciat, qui quidem fructus, cum, donec canonice apta fuerit poſſeſſio, ad menſam noſtram Epiſcopalem pertineant; Hinc eoſdem per dictos noſtros Decanos ad hunc effectum arreſtari mandamus: Ordinantes, ut quicunque, & quocumque modo proviſi, ſuos titulos, tam collationis, quam inſtitutionis ſuæ Canonicæ & poſſeſſionis, intra menſem a poſſeſſione, etiam quovis modo capta, Decanis Chriſtianitatis exhibeant, qui annum, menſem, & diem cum ſummario ejuſmodi titulorum in regiſtro ſui officii annotare tenebuntur ſub pœna, ut ſupra, arreſtationis fructuum menſæ noſtræ Epiſcopali applicandorum, pro eo anno, & quamdiu in hoc manſerint defectuoſi.

XI.

Ad Nos relatum (quod ægre admodum ferimus) tanquam maximum involvens peccatum, quod aliqui Sacerdotes, Capellani ſeu habituati, in nonnullis Eccleſiis Parochialibus, impediunt, & animant alios, aut etiam ſe invicem, ne Paſtores in Sacramentorum adminiſtratione, & aliis functionibus adjuvent; cum tamen quilibet Sacerdos Eccleſiæ alicui Parochiali adſcriptus, quantum in ſe eſt, omnino ſtudere debeat, ad Paſtores ſublevandum: quare mandamus dictis Paſtoribus, ut ſimiles diſcolos, & malevolos Sacerdotes, ſi qui impoſterum reperiantur, ab Officiali noſtro puniendos, denuncient.

XII.

Quia plures Paſtores conqueruntur, quod Capellani, Cantuariſtæ, Horiſtæ, ac alii obligati ad cantandas horas canonicas in Eccleſiis ſuis Parochialibus ſæpius abſint pro libitu ſine ulla licentia ſuorum Superiorum: Inhibemus diſtricte eiſdem, ne a choro ſe ſe abſentare præſumant ſine licentia eorum, qui per noſtra aut Prædeceſſorum noſtrorum Statuta ad eam concedendam ſunt deputati, quæ exactiſſime obſervari ordinamus, & ut Paſtores circa hac defectuoſos Curiæ noſtræ Promotori denuncient.

XIII.

Demum quia intelligimus etiam aliquos Capellanos, aut alios habituatos Eccleſiarum Parochialium eſſe tam temerarios, ut audeant exprobare Paſtoribus, quod illis nullam ſubjectionem, aut obedientiam præſtare teneantur, ſed jactitent ſe ſe eſſe exemptos ab omni eorum cura, ſeu regimine ſpirituali, quod tamen eſt contra ordinem in Eccleſia conſtitutum, a multis ſæculis, & contra plures antiquas Synodos ab Eccleſia celebratas, quas inſequendo, & ut ordo ejuſmodi Hierarchicus, in omnibus ſervetur; omnes Capellanos, Horiſtas, & alio quocunque nomine Eccleſiis Parochialibus adſcriptos Presbyteros, & Officiarios, ſicut omnes Parochianos; Parochis debere reverentiam & honorem, eorumque paternæ monitioni, & directioni juxta cujusque Eccleſiæ Statuta ſubjacere declaramus; Ita ut etiam in Paſchalibus ibidem communicare, vel ad eum finem, ſi Presbyteri ſunt, celebrare teneantur: de quorum etiam vita, moribus, officio, & converſatione, Parochi Nos, Vicarium noſtrum Generalem aut Officialem certiorem ſæpe reddere teneantur.

XIV.

Inſequendo Decreta Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *Cap.* 8. pro examine Paſtorum nominamus eoſdem, qui in præcedenti Synodo, ſeu Congregatione annua, hactenus fuerunt nominati, & adhuc in vivis exiſtunt, quibus adjungimus RR. Admodum DD. *Euſtachium*

de

de Fromondt S. T. L. Ecclesiæ nostræ Cathedralis Decanum, *Eugenium Philippum de Berghes* in Jure L. *Joannem Gennaro* Officialem, & *Ægidium Plefferea* S. T. L. Ecclesiæ antedictæ Canonicos.

XV.

Deputati fuerunt Judices Synodales præter nominatos in præsenti Synodo, RR. Admodum DD. *Eustachius de Fromondt* Decanus, *Eugenius Philippus de Berghes*, *Joannes Gennaro* Officialis, & *Jacobus Brabant* Cathedralis nostræ Canonici.

De Mandato Illmi & Revmi Domini mei Episcopi præfati.

J. RANST Secret.

Ex Summa Statutorum Synod. Diœces. Tornac. edita Insulis a. 1726.

EPISTOLA Pastoralis (*)

CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, (**) *LVII. Monasteriensis Episcopi,*

Ob belli Turcici metum Germaniæ impendentem,

DATA

Eodem anno Christi MDCLXIII.

Die 6. Octobris.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS, &c. &c.

AD promovendam commissi Nobis Dominici gregis seu temporalem seu spiritualem pacem & prosperitatem ab exordio regiminis nostri solicite invigilavimus, ut vitia ea, quorum gravitate benignissimus Deus ad iracundiam justam provocatus, nationes & terras variis calamitatibus affligere consuevit, inter quæ execrandum blasphemiæ crimen, inordinatam Divini Nominis usurpationem, liberam illam male imprecandi, jurandique consuetudinem, superstitiones, & vanam observantiam, eaque passim quæ prohibitione primi ac secundi Præcepti in Decalogo continentur, non ultimo loco agnoscimus collocanda, e subditorum nostrorum animis omnino extirparentur. Et quanquam diversa eum in finem Edicta tum ex hoc loco, tum alias a Nobis publicata, innovata, & confirmata sint: quia tamen criminum hujusmodi impietatem & impudentiam sive ex hominum malitia, sive Curatorum incuria eo prolapsam dolenter intelligimus, ut in iis coercendis vix satis diligentiæ adhiberi posse videatur, maxime apud simpliciorem populum præ inveterata consuetudine & libertate existimantem, delicta hæc vix adeo gravia haberi, quam malitia in iis contenta ex ratione objecti, quod læditur, alias importet.

Ne igitur Divina Bonitas hac præsertim tempestate, dum Ottomannicum Tyrannum inexpleta dominandi libidine Germanorum Imperio & cervicibus nostris tot multorum millium armata manu imminentem videmus, hominum noxiis ulterius lacessita ab ipsius tyrannide nos opprimi, & in dirissimam servitutem pertrahi patiatur; Hinc Nos priora nostra Mandata præsentium authoritate innovantes, de consensu Rdi Capituli nostri Cathedralis serio mandamus omnibus Curatis, Concionatoribus & Confessariis, ut in concionibus, confessionibus, & lectionibus catecheticis, ac alias opportune & importune in enarrata jam vitia zelose invehantur, & propositis non solum pœnis æternis ac temporalibus a Deo non raro intentatis, sed etiam comminatione severissimæ animadversionis & mulctæ contra blasphemantes, male imprecantes, & temere jurantes in Canonibus & Legibus Imperii

(*) Synodi a. 1663. ab hoc Episcopo celebratæ solam hic, cum peculiare nihil aut ab aliis Statutis segregatum contineat, mentionem facimus: quod & faciemus deinceps, si ita res tulerint.

(**) Elogium exhibet *Tom. præc. pag.* 792.

perii ſtatutæ ſerio & certo infligendæ, deteſtandam adeo conſuetudinem tollere ſatagant & extirpare.

Eundemque zelum, curam & diligentiam tam in Religione, veraque pietate hominum mentibus inſtillanda, quam ſuperſtitione radicitus evellenda adhiberi volumus, & eo fine a Curatis locorum ſtudioſe advigilari, ut ſi qui forſan adhuc arioli in Parochiis latitent, infra menſis ſpatium ad Nos, aut Vicarium noſtrum per Paſtores, aut Archi-Diaconos noſtros deferantur, & induſtrie in eos inquiratur, qui hujusmodi homines in vicinia commorantes conſulere, & remedia valetudini aut vulneribus ſeu hominum, ſeu pecorum curandis adhibere præſumpſerint, quæ non a medica arte aut cognitione, ſed a ſuperſtitione proficiſcantur.

Imperita vero plebecula, quam (etiam in judicio ad favorem aliorum) ſine veri falſive diſcrimine facile & temere jurare, ac pejerare ſolitam illubenter audimus, a Curatis & Concionatoribus de gravitate juramenti & enormitate perjurii diligenter informetur.

Quod uti in Catecheticis exhortationibus percommode fieri poteſt, ita Mandata noſtra de earum obſervatione toties iterata innovamus, diſtricte præcipiendo ſub interminatione Divini judicii, ut ubique in ſingulis Dominicis hora alias a Nobis præſcripta habeantur, populusque ad earum frequentationem ſedulo compellatur.

Et ut cum minori Curatorum onere opus adeo utile ac neceſſarium promoveatur, Paſtoribus, præſertim iis, qui Parochias populoſiores & lautiora Beneficia poſſident, Sacellani, ſeu Cooperatores adjungantur, & de eorum alimentatione adhibito noſtro, aut Vicarii noſtri conſilio tranſigatur.

Conſiderantes etiam, quantum ex inſtructione juventutis in pietate, moribus, & literis Chriſtianæ Reipublicæ utilitatis accedat, Scholas ubique foveri volumus, & ne pauperiores neglectum ſui juſte conqueri poſſint, ordinamus, ut, ubi reditus Scholarum tenuiores ſunt, debitum pro inſtructione egentiorum puerorum minerval ex proventibus in uſus pauperum cujusque loci fundatis exſolvatur.

Ne vero frequenti extraneorum & vagorum mendicantium importunitate ſubditi noſtri graventur, & eleemoſynæ veris pauperibus præripiantur, ſed ut potius eorum, qui in hac Diœceſi noſtra fortunis deſtituti, aut ætatis, corporumque defectibus obnoxii piorum liberalitatem merentur, alimentationi & victui neceſſario ſuccurratur, mandamus, ut ſinguli pauperes ſuis tantummodo in Parochiis oſtiatim ſtipem colligant, eorumque neceſſitati cæteri fideles pro charitatis ſubſidio liberaliter ſubveniant, nec ulli extranei aut vagi admittantur; quod ſi vero intra Parochiarum diſtrictus ſufficientem vitæ alimoniam, vel ob egentium multitudinem, vel limitum anguſtiam conquirere nequeant, impetrato a Paſtoribus locorum & Officiatis noſtris in qualibet Satrapia veræ paupertatis & impotentiæ alimentandi teſtimonio, nec aliter in ejusdem Satrapiæ Parochiis in colligenda ſtipe, & neceſſitati ſuæ ſuccurrendo non impediantur: Juvenes autem & puellæ, prout ſpeciali Edicto publicabitur aut publicatum eſt, ſuis ſinguli laboribus mancipentur.

Inſuper inhibemus, ne Sacerdotes ulli, ſeu ſæculares ſeu Religioſi, extra Eccleſiam vel Oratorium, authoritate Epiſcopali ad hoc deputatum & benedictum, in domibus privatis aut arcibus Nobilium ſub quocunque facultatum aut privilegiorum prætextu Sacrum Miſſæ Officium celebrare præſumant, niſi obtenta a Nobis legitima poteſtate, contra quoscunque prævaricatores actionem tam ex ordinaria, quam ab Apoſtolica Sede delegata jurisdictione Nobis competentem reſervantes.

Edicta & Decreta noſtra contra non Reſidentes toties publicata, iterantes mandamus contra contumaces ad privationem procedi realiter & cum effectu, ſtatumque in Eccleſiis hujus Diœceſis noſtræ communicato Vicarii noſtri Generalis & Archi-Diaconorum conſilio ordinari illum, qui Eccleſiis utilior, plebi commodior, & fundatorum intentioni congruentior judicetur.

Et quo tempore Divina, Conciones, Catecheticæ lectiones habentur, ceſſent mercatus maxime clamoroſi, nec pateant tabernæ, neque cereviſiæ, aut vina, niſi peregrinis forte tranſeuntibus divendantur.

Quæ de contributione in uſum Alumnorum Seminarii noſtri Epiſcopalis juxta cujusque quotam olim taxatam perſolvenda ex hoc loco & alias rite publicari, intimari, & exigi fecimus, tametſi dubitare non potuimus, quin pro ea, qua Nobis obligati ſunt, obedientia, ut par erat, Mandatis noſtris omnes & ſinguli paruiſſent, quia tamen non ſine indignatione intelligimus a nonnullis debitam quotarum ſolutionem in vilipendium quaſi jurisdictionis & authoritatis noſtræ hucusque frivole & punibiliter retractari, hinc Vicario noſtro clementiſſime committimus & demandamus, ut poſt præſentium publicationem contra contumaces hujusmodi & immorigeros tam ad quotarum reſtantiam, quæ pœnæ alias comminatæ exactionem ſine reſpectu perſonarum

via

via paratæ executionis procedat, adhibito, si opus fuerit, Officiatorum nostrorum cujuscunque loci brachio sæculari.

Inhærentes etiam Decreto nostro in Synodo majore publicato nullius posthac Clerici testamentum acceptatum iri, nisi aliquid Seminario legatum sit, salva tamen cujusvis libertate, quid quantumve legare velit.

Cæterum omnia & singula in superioribus Synodis decreta, statuta, & ordinata omni meliori modo confirmamus, & præsentissima impendentium Religioni & Imperio malorum pericula considerantes, dum infensissimus Christianorum hostis Turcarum Imperator immanem multorum millium barbarorum colluviem in excidium nostri, & universæ Reipublicæ Christianæ armatam adversus Hungariæ Regnum, & citeriores Provincias confidentissime provehit, funestissimam sese omnibus cladem sacrilege minatus allaturum, hortamur omnes & singulos, ut tam ad Religionem Christianam conservandam, quam retundendam impii hujus Tyranni ferociam vota & vires conferre, & juxta emanatum a Nobis 28. Julii anni currentis Edictum, effusis pie precibus subsidiariam e Cœlis opem cumprimis implorare non prætermittant, volentes etiam Edictum hoc nostrum elapso præfixorum trium mensium spatio quoad institutas decem Horarum, aliasque preces & pulsandi modum ad secuturos proxime duos menses prorogari, & singuli vocationis & officii sui memores ad augendum Dei honorem, promovendam proximorum salutem, communiendam Ecclesiasticæ disciplinæ rationem, & vere exequendas præscriptas Clero & populo leges conjunctissimis animis, pari studio, æquali zelo ac solicitudine, verbo & exemplo collaborent. Quem in finem Benedictionem Episcopalem vobis impertimur. Dabamus in Residentia nostra Corbejensi anno 1663. die sexta mensis Octobris.

Christophorus Bernardus mpp.

(L. S.)

Lect. in Domo Capit. 16. 8bris 1663.

Cum in Feriam 3tiam post Dominicam Lætare *anni sequentis incidat Festum Annunciationis B. M. Virginis, Sacra Synodus Quadragesimalis celebrabitur Feria 5ta tunc immediate secutura.*

EPISTOLA Pastoralis

Ejusdem CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monasteriensis Episcopi,

Anno Christi MDCLXIV. Alexandri VII. PP. X. Leopoldi I. Imp. VI.

SCRIPTA RATISBONÆ
DIE 10. MARTII.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS &c. &c.

INter hostes, quos humanum genus nec paucos nec parvos habet, haud postremum esse dœmonem luculenter probat Apostolus Ephes. 6. dum ait: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates, adversus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; qui quidem iis nos machinis oppugnat, ut nullæ quasi sint, & dicantur molestiæ, quæ ab aliis, licet continuo nos infestantibus afferuntur.

Et quanquam variis id modis, nunc per se, nunc per socios, quos habet fidissimos & promptissimos efficiat, abunde contentus, dummodo humanæ possit obesse conditioni, in uno tamen mortalium generi præ cæteris incommodat, dum sperata propemodum alterius opera hominem ipsus ingreditur, obsidet, obsessumque usu membrorum privat, destituit sensibus, corpus deformat, affligit morbis, diversisque in eum cruciatibus concessam usurpat facultatem, ut sane nemo, nisi sensibus, quos habet,

habet, fidem non esse habendam, & omnem præteritorum sæculorum historiam, quæque in sacris continentur literis, in dubium revocanda existimarit, homines vere obsessos dari, & a malignis spiritibus pro dolor! misere torqueri negare possit, nec quidquam magis optari debeat, quam ut hujusmodi malo afflicti, Deo aspirante, hominumque fidelium pietate & industria succurrente quanto citius eximantur.

Quod vero singulis, testante Apostolo, discretio spirituum data non sit, nec raro adnitente ita solertissimo hoc veteratore, peritiores etiam ac pii viri in errorem inducantur, dum naturales animi corporisque defectus aut morbos, obsidentis spiritus signa judicant, aut nonnullos etiam sive ad occultandam enormem malitiam, sive ut ad sui commiserationem pro consequenda liberaliori stipe & vitæ alimonia facilius animos fidelium commoveant, sacrilege se se obsessos simulantes, instar verorum Energumenorum creduli nimis tractant, prout diversa præteritorum temporum, & recentia adhuc in vicinioribus Diœcesis nostræ locis exempla satis docuerunt; & nunc etiam malevolos hujusmodi homines virgis alibi cæsos, stigmate notatos, ac ex locis istis publice relegatos, ad hanc Diœcesin nostram velut asylum confugere, & a nonnullis recipi non sine offensione intelligamus.

Hinc ne malum adeo grave & periculosum ultra serpat, sed mox sub initium pessundetur, de consilio & assensu Rdi Capituli nostri Cathedralis statuimus & mandamus Curatis locorum, ut si qui præsumpti tales Energumeni in Parochiis deprehendantur, Nobis aut Vicario nostro notificent, nec quosvis Sacerdotes aut Religiosos ad exorcismos admittant, sed eorum opera, quos per Nos seu Vicarium nostrum eum in finem certos designabimus, si opus fuerit, utantur. In domibus interea personæ tales fideliter asservatæ omni ad publicas plateas egressu, a parentibus, agnatis aliisve, ad quos eorum cura pertinet, ita arceantur; ne consuetis vociferationibus suis apud imperitam plebem, quæ facile credit, quod vult, aliorum & passim innocentum existimationi, & illæsæ famæ maculam inurant.

Quod si vero aliter fieri, aut etiam e locis vicinis ad hanc Diœcesin nostram, & loca miraculis celebriora, personas hujusmodi sub specie obtinendæ liberationis adventare contigerit, nisi utriusque Ecclesiastici & secularis Magistratus eorum locorum, ubi nati, educati & commorati fuerint testimoniis vere obsessos se comprobaverint, actutum ejiciantur, & in eventum non subsecutæ paritionis ab Officiatis nostris etiam ergastulis inclusæ contumaciæ pœnas luant, & a Nobis ulteriorem deinde ubi informati fuerimus, super his dispositionem exspectabunt.

Cum etiam defunctorum corpora omissis campanarum pulsu aliisque Ecclesiæ ritibus, neglectisque haud dubie piorum suffragiis, ferme ad morem hæreticorum, & nocturno tempore frequenter efferri ac sepeliri illubenter audiamus, ut vetus Ecclesiæ institutum & laudabilem semperque accurate observatam Christianorum Catholicorum consuetudinem, mortuorum funus piis precibus & officiis solenni more prosequendi ad pristinam pietatis rationem revocemus; quemadmodum, ne posthac sine relevanti causa a Nobis aut Vicario nostro cognita post Solis occasum mortui funus efferatur, & ad sepulturam recipiatur, districte inhibemus, ita etiam ne Curati aut alii Clerici exequiarum & sepulturæ causa quidquam paciscantur, aut exigant, quod simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem afferre possit, serio mandamus, non intendentes tamen piis & probatis certorum locorum consuetudinibus per hoc quidquam derogare.

Porro in festo S. Marci & tribus feriis Rogationum pia consuetudine introducta, tot annis continuata, & diversis alias edictis præcepta, in hac Diœcesi abstinentia servetur, quod cum per errorem Typographi in Calendario notatum non sit, Concionatorum erit suo tempore ex ambone populo denunciare.

Denique omnia & singula authoritate Prædecessorum nostrorum & nostra cum Rdi Capituli nostri Cathedralis consilio & assensu ex hoc loco & alias emanata & publicata Edicta ac Decreta præsentibus innovamus, omnium & singulorum Sacrificiis & Precibus publicam Imperii & privatam Patriæ necessitatem impense commendantes; eum in finem Episcopalem nostram benedictionem vobis paterne impertimur.

In quorum fidem præsentes Pastorales literas manu nostra subscriptas, sigillo etiam nostro jussimus communiri. Ratisbonæ 10ma Martii 1664.

Christophorus Bernardus mpp.

(L. S.)

Lect. in Domo Capitulari 1664.
27. Martii.

Sacra Synodus Episcopalis Autumnalis celebrabitur Feria tertia post Festum Sr. Gereonis & Victoris.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Eodem anno Christi MDLXIV.

HABITA

Sub eod. Revmo Domino FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, Tornac. Episcopo,

FERIA TERTIA POST DOMINICAM: *MISERICORDIA DOMINI,* DIE 29. APRILIS.

ACTA CONGREGATIONIS SYNODALIS,

Quæ ab antiquo vocari SYNODUS, & haberi solet quotannis Feria tertia post Dominicam, quâ cantatur in Ecclesia: MISERICORDIA DOMINI, *& hoc anno* 1664. *habita fuit dicta Feria 3. quæ erat dies Aprilis XXIX.*

Præsidente Illmo & Revmo Domino, D. FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Tornac. Assistentibus sibi RR. Adm. DD. *Eustachio Froimondt* S. T. L. Ecclesiæ Cathedralis Decano & Canonico, *Andrea Catulle* J. U. L. Insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Hermetis Rothnacensis Præposito, & Canonico, nec non ejusdem Illmi & Revmi Domini Vicario Generali in Spiritualibus & Temporalibus: *Ignatio Augustino de Grobbendoncq* J. U. L. Archi-Diacono primario seu majori, *Gregorio Ignatio de Coxie* J. U. L. Thesaurario, *Petro Marzureel* J. U. L. *Joanne Catulle* J. U. L. *Joanne Gennaro* J. U. L. Officiali, *Nicasio le Febve* J. U. L. *Ægidio Brabant* S. T. L. *Ægidio Plesseria* S. T. L. respective Eccl. Cathedralis Canonicis: & RR. Admodum DD. *Petro Cazier*, Monasterii S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Joanne Waregny*, S. Medardi, vulgo S. Nicolai de Pratis, Ordinis Can. Regularium S. Augustini, respective in hac Civitate Abbatibus: RR. DD. *Cornelio du Ranel* S. T. B. F. Pastore S. Margaretæ hujus Civitatis, Decano Christianitatis Tornacensis, *Leonardo Schaerts* S. T. B. F. Pastore S. Martini oppidi Cortracensis & Decano Christianitatis ibidem, *Joanne Everardo Lessio* S. T. L. Pastore in Celles, Decano Christianitatis S. Amandi, *Joanne Prus* S. T. L. Pastore Robercensi, Decano Christianitatis Helchiniensis Gallorum, *Francisco Martin* Pastore d'Ennevelin, Decano Christianitatis Seclinienfis, *Jacobo del Raë* Pastore S. Genesii, Decano Christianitatis Helchiniensis Flandrorum, *Jacobo Roussel* S. T. L. Pastore in Esquemes, Decano Christianitatis Ulmensis, *Judoco Ign. Ranst* J. U. L. Secretario. DD. *Petro del Raë* J. U. L. Advocato Fiscali, *Petro Villers* Curiæ Spiritualis Scriba, & MM. *Joachimo Beuckelaere*, & *Petro Bertrand* Districtus respective Flandriæ & Walloniæ Promotoribus, seu Procuratoribus Fiscalibus.

Circa horam octavam celebrato Sacro de Spiritu Sancto pro felici Congregationis hujus successu, ibidemque proponendorum salutari resolutione, Illustrissimus & Reverendissimus D. comitantibus dictis DD. Assistentibus ad Aulam Palatii sui Episcopalis se recepit: ibidemque paucis, ut moris est, DD. Assistentes ad serio amplectendam curam animarum, earundemque salutem sedulo procurandum in Domino est adhortatus.

Postea mandavit per Reverendum Admodum D. *Ægidium Brabant* (loco Domini Archi-Diaconi absentis, qui id facere solet) legi Statutum *De onere residendi, Sess.* 23. *Conc. Trid. Cap.* 1. *de Reform.*

Reverendus Admodum D. *Joannes Gennaro*, Officialis, prælegit Statuta præcedentis Synodi, ad videndum, si debite executioni fuerint mandata.

ARTICULUS I.

Audita relatione RR. Admodum DD. *Andreæ Catulle* Vicarii Generalis, & *Joannis Gennaro* Officialis, per præcedentem Congregationem Deputatorum ad agendum & tractandum cum DD. de Magistratu hujus Civitatis super regulamento concernente observationem Festorum, omnibusque mature consideratis, & præsertim, quod negotium amicabiliter & facile componi possit, eadem omissio dictis Dominis Deputatis ad ulterius tentandum ac alias agendum fuit demandata & specialiter commendata.

II.

Pro faciliori Art. 2. præcedentis Congregationis executione, decretum fuit, ut RR. Admodum DD. Archi-Diaconi, quisque in suo districtu (dum visitat) specialiter examinent computus tam mensæ pauperum, quam fabricæ Ecclesiarum Parochialium: & quia certo constat variis Ecclesiis & mensis pauperum notabilia deberi arrieragia, quæ tamen, respectus humani intuitu, ac alias ob causas frivolas & minime sufficientes, ea, qua par est, diligentia, non recuperantur, ideoque committimus & mandamus dictis DD. Archid. ut tam officii sui ratione, quam etiam nostro nomine super ejusmodi arrieragiorum recuperatione cum DD. Temporalibus, eorumve locum tenentibus serio agant, debitoresque sine dissimulatione aut mora, via juris ad id faciliori & opportuniori, ad solutionem & clausurarum hujusmodi exonerationem cogi curent.

III.

Quia quorundam intolerabilis est negligentia circa exhibitionem duplicati registrorum continentium nomina & cognomina Baptizatorum, Matrimonio junctorum & defunctorum, non obstante Regio Edicto, nostrisque variis Statutis Synodalibus desuper factis, volumus omnino & mandamus Decanis Christianitatis, ut defectuosos, & qui ejusmodi Statutis adæquate infra mensem a publicatione hujus non satisfecerit, Curiæ nostræ Promotoribus per R. D. Officialem pœna seu mulcta quoad hoc per Synodum præcedentem præscriptis, ac alias arbitrarie puniendos & mulctandos denuntient.

IV.

Articuli novi præcedentis Synodi executionem in grave Beneficiorum tam Curatorum, quam simplicium hujus Diœcesis præjudicium, diutius differri nolentes, ne eorum bona, reditus & proventus (maxime quando in censibus annuis & decimis consistunt) deperdi, aut etiam ab aliis usurpari contingat, ordinamus Secretario nostro, ut defectuosorum nomina infra duos menses ab hujus publicatione Promotoribus tradat, ut juxta præscripta & ordinata dicto articulo contra eosdem sine dissimulatione agant & procedant.

V.

Statutum de accipienda imposterum possessione Beneficiorum proprie Ecclesiasticorum per Decanos Christianitatis, Presbyteros, Clericos, vel ut minus Notarios Apostolicos ad id ab ordinario Collatore authorizatos, renovamus & observari omnino volumus sub pœnis alias contra transgressores comminatis, & ut Ecclesiæ utilitas (quam inde speramus) quantocius sequatur, & Beneficiorum nomina & onera semper sciantur, omnibusque, quorum interest, innotescant, præcipimus Decanis Christianitatis, prout alias fuit ordinatum, ut collationis seu provisionis cujuslibet Beneficii, ejusdemque in possessionem missionis summarium juxta morem ab immemoriali tempore observari solitum referant, & officii sui computibus fideliter & exacte inserant.

VI.

Ad quem etiam effectum ordinamus, ut Decani Christianitatis, qui ratione bellorum præteritorum, computus suos pertinenter & exacte compilare non potuerunt, imposterum quot annis duos similes computus sine ulteriori mora & consueto tempore R. Domino Officiali, cæterisque Curiæ practicis exhibeant & reddant.

VII.

VII.

Quia reperimus laudabilem, cæremoniisque Romanæ Ecclesiæ conformem consuetudinem, celebrandi festum Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, quod incidit in nonam Maji, in aliquibus Ecclesiis Parochialibus ac aliis, paulatim cum splendoris ejusdem Ecclesiæ diminutione negligi: volumus omnino, ut ejusmodi consuetudo juxta nostra & Prædecessorum nostrorum Statuta & Ordinationes uniformiter & inviolabiliter per totam Diœcesim resumatur & observetur.

VIII.

Ex eo, quod contra Sacrorum Canonum dispositiones, ac præsertim Clementinæ *Dudum, de Sepult.* l. 6. moribundos molestari ac interdum induci contingat, ut sepulturam præter cohæredum mentem aut etiam extra Ecclesiam Parochialem eligant, ut abusibus, qui circa hoc sæpius commissi fuere, & in dies fieri possent, occurratur; Ordinamus Pastoribus, ut serio circa præmissa invigilent, neque defunctorum corporum abductioni per Regulares vel quosvis alios faciendæ consentiant, nisi de electione ejusmodi, ut minus per extractum testamenti, aut duos legitimos & minime suspectos testes præter defuncti Confessarium, ipsis constiterit.

IX.

Quia plurimi DD. Pastorum conqueruntur, Statutum Synodi 1643. *De proclamandis bannis ante nuptialibus*, eo in loco seu Parochia, in qua quis potissimum seu diutius a tempore perfectæ pubertatis habuit domicilium, nonnisi difficulter & cum gravi incommodo, præsertim eorum, qui famulantur, posset observari: Declaramus dictum Statutum non habere locum respectu servorum & ancillarum, quos sæpius ex uno loco & Parochia in aliam migrare contigit, & ideo proprie domicilium contrahere non dicuntur; ordinantes insuper, ut eorum banna proclamentur in Parochia, in qua de facto famulari deprehenduntur, dummodo ad tres menses aut circiter ibidem morati fuerint, & Paschalia celebraverint, nisi ob gravem impedimenti suspicionem aut aliam legitimam caussam, & pro futuri Matrimonii securitate, banna similiter in loco penultimi domicilii eorum Parochus judicaverit.

X.

Insequendo Decreta Sacrosancti Concil. Trident. *Sess.* 24. *Cap.* 8. pro examine Pastorum ac alias nominati sunt RR. Admodum DD *Eustachius de Froidmondt* S.T.L. Ecclesiæ Cathedralis Decanus & Canonicus, *Andreas Catulle* J. U. L. insignis Ecclesiæ Collegiatæ Rothnacensis Præpositus & Canonicus, *Ignatius Augustinus de Grobbendoncq* J. U. L. Archi-Diaconus Major seu Primarius, *Patrus Mazureel* J. U. L. *Joannes Gennaro* J. U. L. Officialis, *Franciscus du Chasteau* S. T. L. *Nicasius le Febve* J. U. L. *Ægidius Brabant* S. T. L. *Ægidius Plesseria* S. T. L. *Libertus Froidmondt* J. U. D. Pœnitentiarius, Presbyteri respective & Cathedralis Ecclesiæ Canonici, & R. Adm. D. *Philippus Albertus de Berghes* Diaconus, in Jure & S. T. L. antedictæ Ecclesiæ etiam Canonicus.

XI.

Judices Synodales deputati sunt RR. Admodum DD. *Eustachius de Froidmondt*, *Andreas Catulle*, *Ignatius Augustinus de Grobbendoncq*, qui supra, & insuper RR. Admodum DD. *Gregorius Ignatius de Coxie* Thesaurarius, *Philippus de Boulogne* Archi-Diaconus Flandriæ, *Petrus Mazureel*, *Joannes Catulle*, *Joannes Gennaro* Officialis, *Nicasius le Febve*, *Ægidius Brabant*, *Theodorus Brias*, omnes Presbyteri & Ecclesiæ Cathedralis Canonici, & R. Admodum D. *Philippus Albertus de Berghes* Diaconus & ejusdem Ecclesiæ similiter Canonicus: uti etiam RR. Admodum DD. *Petrus Cazier*, & *Joannes de Warigny*, respective Monasteriorum Sancti Martini Ordinis S. Benedicti, & S. Medardi vulgo S. Nicolai de Pratis, Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini, Civitatis & Diœcesis Tornacensis Abbates.

De Mandato Illmi & Revmi Domini mei Episcopi præfati.

J. RANST Secret.

EPISTOLA Paſtoralis
Ejusdem CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monaſt. Epiſcopi,
SCRIPTA
Eodem anno Chriſti MDCLXIV.
DIE 28. SEPTEMBRIS.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS &c. &c. VENERABILI CLERO CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ MONASTERIENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

AD publicam Romani Imperii, & totius propemodum Orbis Chriſtiani ſalutem adverſus infenſiſſimum Chriſtianorum hoſtem Ottomannicum Tyrannum pro viribus tuendam, communibus Germaniæ Procerum votis, & ab ipſo Auguſtiſſimo Imperatore inter cæteros evocati, ſuſcipiendis ſumptuoſa ac laborioſa ſolicitudine difficillimis itineribus, graviſſimisque negotiis modo deſtinemur, quo minus Synodicam hanc Seſſionem præſentia noſtra cohoneſtare & dirigere poſſimus. Ne tamen in iis, quæ ad promovendam Dei gloriam, ſubditorum curæ noſtræ commiſſorum ſalutem, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervationem conducere cenſemus, Epiſcopali noſtro muneri defuiſſe videamur. De conſilio & aſſenſu Rdi noſtri Capituli Cathedralis omnia & ſingula fidem, vitam, & mores concernentia, quæ ſuperioribus Synodis Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra authoritate celebratis, ex & in hoc loco ſucceſſive intimata, innovata & mandata ſunt, vobis omnibus & ſingulis tam præſentibus, quam abſentibus denuo intimamus & innovamus, mandantes ſerio & per meritum ſalutaris obedientiæ omnia & ſingula ab iis, ad quos pertinet, accurate obſervari, ac negligentes ad eorum obſervationem opportune conſtringi.

Præcipimus item, ut Beneficiati obligationum ſuarum memores in Eccleſiis Beneficiorum ſuorum frequentes compareant, decantandis Miſſarum ſolenniis, horisque canonicis ſtatuto tempore juſte perſolvendis mature adſint, ne inexcuſabili quorundam abſentia aut Sacrorum celebrationem, aut debitam in Eccleſiis Officii Divini recitationem cum populi ſcandalo, & manifeſta ultimarum voluntatum imminutione contingat intermitti, mandantes Superioribus Collegiatarum & Parochialium ſolerti ad hoc vigilantia attendant, curentque inſuper eam in Eccleſiis Altarium, Sacerdotalium indumentorum, & ſacræ ſupellectilis munditiem, ut Myſteriis illis, quæ in his celebrantur, omnino digna reperiatur.

Et ut piæ Majorum fundationes, præſertim quoad Miſſarum onera, tanto certius impleantur, publicamus & intimamus per præſentes, ſalvis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis juribus, privilegiis, & conſuetudinibus, omnibus & ſingulis Eccleſiæ Diœceſis noſtræ Prælatis, Rectoribus, & beneficiatis Sacerdotibus Decretum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, anno 1663. die 10. Decembris Romæ publicatum, & in partibus publicari & obſervari mandatum, quod eſt tenoris ſubſequentis:

" CUm Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, non infrequentibus Chriſti fidelium querimoniis edocta intelligat, quam plura onera Miſſarum ab illis, ſive ab eorum Majoribus titulo Beneficii fundata, aut piis donationibus, aut conventionibus conſtituta, aut ultima voluntate relicta, à Rectoribus Beneficiorum, locorumve piorum Adminiſtris, vel etiam a privatis Sacerdotibus negligi, ita ut earundem Miſſarum celebrationi nullatenus, aut diminute, vel ſero ſatisfiat. Eminentiſſimi Patres animadvertentes ad hujusmodi incuriam, ſive potius fraudem eliminandam, qua piæ teſtantium voluntates depereunt, obſtricta benefactoribus fides violatur, & Divinus cultus diminuitur, alias ſub die 21. Junii 1625. Decreta generalia de celebratione Miſſarum, juſſu Ssmæ mem. URBANI Octavi a ſe

" a se edita, ac typis impressa fuisse, eorundem observantiam atque custodiam in præsens magis magisque urgendam atque inculcandam censuerunt: utque quod in ipsis Decretis huic deterrimo abusui eradicando, qui plerumque ex damnabilis lucri cupiditate, aut ex faciliorum onerum acceptatione suboritur, provide consultum est. Quapropter Sacra Congregatio, quamvis persuadeat sibi Ordinarios locorum pro sua providentia & zelo partes suas circa onerum Missarum adimplementum studiose procurandum graviter obire, nihilominus quia tanti momenti res novum quotidie atque exuberans studium & solicitudinem exposcit. Eadem Sacra Congregatio speciali authoritate per Sanctissimum sibi attributa, Ordinariis locorum injungit, ut ipsorum Decretorum custodiam, atque observantiam in suis singuli Diœcesibus accurate & serio procurent, atque adversus eorundem violatores animadvertant. Et quo facilius illorum negligentia, & fraus detegatur, sedulo perspectis testamentis, conventionibus, aliisque scripturarum documentis, quibus onera Missarum unicuique Ecclesiæ, sive loco pio, aut privatis Sacerdotibus incumbentia continentur, vocatis etiam omnibus illis, quorum interfit, tabella conficiatur, in qua prædicta onera dilucide & distincte annotata sint, & publice in Sacristia ejusdem Ecclesiæ exponatur, atque ibidem liber quotidiano usui sit paratus, in quo singuli Sacerdotes, qui in ea Ecclesia Sacrificium obtulerint, Missam a se tali die celebratam adnotent, & cujus oneris ratione celebraverint, propriæ manus subscriptione testentur."

Quæ omnia ita diligenter a vobis perficienda speramus, ut quod hujusmodi ministerio tepide perfungamini, reddituri Nobis, & olim Christo supremo Judici rationem minime redargui possitis.

Cæterum vos omnes, qui e sæculo ad sacri Ministerii Divina sorte in Ecclesiastica Hierarchia collocati sublimiorem perfectionem conscendistis, in Domino adhortamur, ut in omni vita & actione vestra imaginem Christi vivam repræsentetis, ne indigna Cleri conversatio plebis Dominicæ sit miserabilis occasio subversionis, & quemadmodum olim propter peccata Heli, ejusque filiorum victoriam cessisse Philistæis, Israëlitas profligatos esse, Arcam in hostium potestatem devenisse, gravissimasque variorum temporum clades & calamitates populo inflictas, Clericorum vitiis attributas esse, ex sacris historiis exploratum habemus, ita nec nunc impietate nostra benignissimi Numinis iram provocemus, ut Turcicas ac barbaras gentes, odii inexpiabilis hostes, suæ in nos, eheu! ultionis concedat Ministros, sed animum sic interius, mores sic exterius componatis, ut nemo non revereatur vos tanquam veros Ministros & Dispensatores Mysteriorum Dei. Quem in finem Episcopalem vobis Benedictionem impertimur, & præsentis Sigilli nostri majoris subimpressione fecimus communiri. 28. Septembris anno 1664.

(L.S.) JOANNES ALPEN, Vicarius in Spiritualibus Generalis mpp.

Lecta in Capitulo 14. Octob. 1664.

Feria tertia post Dominicam LÆTARE *anni* 1665, *proxime sequentis celebrabitur S. Synodus Episcopalis Quadragesimalis.*

ORDINATA

AB

Illustrissimo Domino D. GASPARE NEMIO, (*) *Dei gratia Archi-Episcopo LXXXIX. & Duce Cameracensi, &c. &c.*

IN CONGREGATIONE DECANORUM CHRISTIANITATIS

HABITA CAMERACI

Eodem anno Christi MDCLXIV.

KALEND. OCTOBRIS.

CUm pleraque, quæ a Nobis in ultima Congregatione Decanorum Christianitatis Cameraci habita Kalendis Octobris anni M. DC. LXI. statuta & ordinata fuerunt, quorumdam incuria negligi, nec ut optaveramus, adhuc

(*) De hoc Antistite vid. *Tom. præc. pag.* 651.

huc ad viridem observantiam revocata esse intelleximus: Nos DEI misericordia saluti animarum providere cupientes, illa omnia denuo confirmare, nec non quædam etiam alia nova addere, statuere & ordinare decrevimus, prout confirmamus, decernimus, statuimus & ordinamus.

I.

INprimis, quia illiterati & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores, Sacris minus apti sunt Officiis, & alii propter eorum vitæ turpitudinem potius destruunt, quam ædificant: Nos contra eos rigorose procedere volentes, & juxta Concilii Tridentini Decretum, *Sess. 21. Capite 6. de Reformatione*, tanto malo providere omnibus Decanis Christianitatis hujusce nostræ Diœcesis strictissime mandamus, ut omni favore vel dissimulatione postpositis, sincere Nobis deferant, quinam ut tales habeantur, vel suspecti sint, ut illos de novo examini subdentes, si minus habere comperiamus, ab Officio suspendamus, donec habiles & idonei reperiantur: hos vero si incorrigibiles sint, tanquam sal infatuatum ipsis etiam Beneficiis privatos, foras penitus rejiciamus.

II.

Statuimus etiam & ordinamus, ut omnes Pastores concionentur, & catechizent singulis diebus Dominicis, ut minus, in suis Ecclesiis Parochialibus, qui autem habent duas Parochias, sive ut vocant, Parochiam cum succursu, si ob temporis inopiam vel alia justa de causa impediti, nequeant in utraque Parochia uno eodemque die catechizare, id saltem alternis vicibus, semel videlicet in Ecclesia primitiva, altera vero in succursu, catechizare tempore, quo id opportunius fieri posse judicaverint, dictis diebus non omittant, sub pœna arbitraria, eaque gravi. Ut autem Decretum hoc saluti animarum ita necessarium, plenum robur obtineat; omnibus itidem Decanis Christianitatis injungimus, & serio mandamus, ut si quos negligentes repererint, quantocius eos Nobis denuntient puniendos.

III.

Et quia multi eorum, qui sunt admissi a Nobis ad Confessiones audiendas absque temporis limitatione, vel usque ad revocationem, talibus facultatibus confisi, ulterius studiis incumbere negligunt, vel etiam detrectant, quo fit, ut minus capaces postmodum reperiantur, quam eo tempore, quo ab Examinatoribus nostris fuerunt capaces judicati; Volumus & ordinamus, ut Decani Christianitatis, statim atque hæc nostra Ordinatio ad illos pervenerit, conficiant, & Nobis mittant catalogum omnium Confessariorum, quos sic admissos singuli in suis districtibus compererint, cum designatione vitæ, morum atque capacitatis eorumdem; ut incapaces iterum examini subjiciamus.

IV.

Facultates quoque binandi a Nobis similiter concessæ absque temporis limitatione, vel etiam ad revocationem usque, infra medium annum a die publicationis hujus Decreti nullum robur obtineant, nisi a Nobis de novo fuerint prorogatæ. Si qui autem sive Sæculares sive Regulares, quovis etiam privilegii prætextu, absque nostra approbatione facultatem binandi sibi arrogare præsumpserint, sciant se a Nobis graviter puniendos.

V.

Tempore Concionis vel Catechismi nullus audeat Missas etiam privatas, seu quodvis aliud Divinum officium celebrare, sub pœna trium florenorum, pro quaque transgressione, irremissibiliter exigenda.

VI.

Statutum etiam tum a Prædecessoribus nostris, cum etiam a Nobis in ultima Congregatione Cameraci habita, Kal. Octob. anni M. DC. LXI. Cap. XXXV. quo expresse inhibetur non solum Pastoribus, sed etiam quibusvis aliis Sacerdotibus, aut in Sacris constitutis, ne tabernas ingrediantur edendi vel bibendi causa (nisi profectionis necessitate fuerint compulsi) sub pœna pro prima vice sex florenorum, secunda

da dupli, tertia vero pœna carceris; & sæpius recidivis, incorrigibilitatis rigidissime volumus observari. Ideoque mandamus tam Decanis Christianitatis, quam etiam Pastoribus, ut eos statim Nobis denuntient.

VII.

Noverint omnes tam Ecclesiarum Parochialium Rectores, quam alii, Statutum Capitis XII. Congregationis supradictæ, anni videlicet M. DC. LXI. quo expresse inhibetur, ut nemo exorcizare præsumat sine licentia nostra in scriptis præobtenta, & cætera in eo contenta, etiam ad omnes Religiosos cujusvis Ordinis & Monasterii extendi, ita ut si qui illorum imposterum, absque supradicta facultate nostra, quam Parochis ostendere tenebuntur, ausu temerario publice vel privatim in domibus Parochianorum suorum exorcizare præsumpserint, quovis etiam Ordinis vel Monasterii sui facultatis vel privilegii prætextu, statim atque denuntiati fuerint, sciant se pro gravitate temeritatis, graviter quoque a Nobis fore puniendos.

VIII.

Cum autem non obstantibus Ordinationibus nostris præcedentibus, & toties repetitis, computus Ecclesiarum Parochialium, mensæ pauperum, Hospitalium atque aliorum piorum locorum, adhuc neglectos esse, non sine magno præjudicio & detrimento eorumdem in plerisque locis audiamus: Statuimus & ordinamus, ut Decani Christianitatis singuli in suis districtibus moneant Receptores, & alios ad id muneris obligatos & negligentes, ut intra annum a die celebrationis hujus Synodi computandum, Nobis vel Officiali nostro computus suos redditos esse debite testentur. Quod si neglexerint, Nobis denuntient, ut contra eos bonorum Ecclesiasticorum usurpatores vel detentores via juris procedamus.

IX.

Statuimus & ordinamus, ut Pastores, ac cæterarum hujusce nostræ Diœcesis Ecclesiarum Rectores, qui bellorum injuria, seu alia quacumque ex causa, a triginta annis aut infra, pecunias ad redditum annuum, super bonis tam Ecclesiarum, tam fabricæ, aut etiam Beneficiorum suorum, accipere coacti sunt; ut instrumenta seu Decreta, vel eorum copias authenticas Nobis vel Officiali nostro mittant, quibus auctorizati fuerunt dictas pecunias ad onus dictorum locorum accipere, idque intra annum a die Congregationis hujus Synodi computandum: quibus Decretis aut etiam copiis authenticis eorumdem, adjunctæ sint fideles & sinceræ declarationes, ac tales, quæ juramento, tempore debito, verificari queant, summarum quas vi ejusdem vel cujuscunque alterius Decreti aut sine Decreto, super bonis Ecclesiarum aut Beneficiorum supradictorum, a se vel a Prædecessoribus suis acceptæ fuerunt, ut iis perspectis & debite examinatis, statuere possimus, quidquid bono cujusque Ecclesiæ expedire judicaverimus.

X.

Qui ad Ordinem Subdiaconatus imposterum admitti desiderabunt, sciant se non admittendos ad examen, nisi testimonia vitæ, & probitatis morum, quæ adferri debent a singulis ordinandis, omnino signata sint a Decanis ruralibus, ac deinceps ab eisdem Decanis clausa & obsignata mittantur, cum attestatione Confessionis generalis & proclamationum, per mensem ante Ordinationem factarum juxta Concilii Tridentini præscriptum, *Sess.* 23. *Cap.* 5.

XI.

Cum etiam Decani Christianitatis nondum satisfecerint Dec • to Capitis XXXVIII. Congregationis factæ, Kalendis Octobris M. DC. LXI. ut videlicet primo quoque tempore conficerent, Nobisque remitterent debitum registrum omnium Pastoratuum & quorumcumque aliorum Beneficiorum sui districtus, cum specificatione præcisa omnium & singulorum bonorum ad ea spectantium, nec non Missarum, censuum & reddituum, ac quorumcumque aliorum onerum, tam ipsis Beneficiis, quam bonis eorum incumbentium: Volumus & ordinamus, ut illud quantocius secundum ipsius formam & tenorem mandent executioni.

XII.

XII.

In Capitulis autem Pastorum, quæ bis quot annis celebrari debent, tempore & ordine, quem præscripsimus, Kal. Octobris anni M. DC. LXI. initium rerum agendarum sumetur ab invocatione Spiritus Sancti, conclusiones vero a pluralitate vocum. Volumus autem, ut omnes Pastores in iis compareant, sub pœna viginti stupherorum pro quaque absentia, ultra symbolum, quod etiam absentes a prandio a Decanis Christianitatis in loco apto præparato solvere tenebuntur.

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXV. Alexandri VII. PP. XI. Leopoldi I. Imp. VII.

HABITA

Sub eodem Revmo Domino CHRISTOPHORO BERN. a GALEN, Monasteriensi Episcopo,

DIE 17. MARTII.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S. R. I. PRINCEPS, &c. &c.

PRo Ecclesiarum Nobis commissarum incolumitate solicite laborantes inter primas Pastoralis Officii partes recensemus, si earum singulæ Rectoribus gubernentur idoneis, fidisque Cooperatoribus disponantur, quorum provida dispensatione, circumspecta providentia & auxiliari ope (succurrente illo, qui verus Pastor ac Rector & Evangelicus in vineam suam operarios conducens Paterfamilias agnoscitur) spiritualium ac temporalium proficiant incrementis, & si quæ non absque dispendio Ministrorum, & sacri Officii detrimento irrepere cognoscamus, adhibito congruentiori moderamine ac remedio in melius reformentur.

Sane cum Beneficia ad Divinum cultum, muniaque Ecclesiarum obeunda, laudatissimi Antecessores ac Fundatores constituerint, quorum intentio, ne qua in parte minuatur, sed debitum omnibus in rebus præstetur obsequium, diversa a Nobis Beneficiorum pluralitatem, Beneficiatorum residentiam, aliasque eorum obligationes concernentia Mandata, ac Decreta lata in & ex hoc loco vobis publicata & intimata sunt, quæ omnia & singula tenore præsentium innovantes & confirmantes, ab iis, ad quos pertinet, firmissime observari serio demandamus. Quod vero Canonicos æque ac Vicarios multis locis residentes haberi, sed in choro, Missarum solenniis, horisque decantandis seu legendis infrequentes esse, inviti intelligamus, volentes malo huic occurrere, & intentioni Fundatorum satisfieri, de consilio & assensu Rdi nostri Capituli Cathedralis præcipimus & respective monemus Ecclesiarum Prælatos ac Superiores, ut diligentem absentium rationem habeant, aut si ipsi legitime impediti fuerint, ab aliis haberi faciant, & notatos ad crebriorem Ecclesiarum frequentationem, & in Divinis Officiis assistentiam compellant, alioquin immorigeris & contumacibus non solum distributiones quotidianæ, sed etiam corporum, aliorumque fixorum redituum portiones pro rata subtrahantur.

Missarum numerus is servetur, qui ex fundationis tenore & Fundatorum mente præfixus est, quem in finem Decretum Eminentissimorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, S. Conc. Tridentini Interpretum, in postrema Synodo publicatum, denuo intimamus, præscriptoque modo, forma & ordine observari mandamus. Cum vero ob temporum injuriam, ac secutam a primæva fundatione notoriam valoris pecuniæ decrescentiam plurium Beneficiorum obventiones, ac reditus adeo imminuti & tenues existant, ut honestæ Clericorum sustentationi longe impares ad implenda præfixa in fundationibus, præsertim Missarum onera provisos nequeant obligare, ne tamen exinde piæ testantium voluntates omnino depereant, neque eorum conscientias, ad quos

pr-

prædicta spectant, ultra modum onerandi detur occasio, hisce præcipimus, ut nemo proprio arbitrio præsumat hujusmodi onera reducere, ne vel sui commoditate excœcatus pauciora, vel Religionis anxietate seductus, sibi, suisque Successoribus majora imponat, quam æquitatis aut necessitatis ratio postularit, sed juxta S. Canones ad Nos, aut Vicarium nostrum deferant, qui in Beneficiis, quibus provisione hac indigere videbitur, perspecta eorum qualitate & redituum quantitate statuemus, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem judicatum fuerit expedire, ita quoque ut ex fundatis ferialibus Sacris, unum ad Dominicos, ac Festos dies, sicubi in Parochiis primum iis diebus haberi non consuevit, nec Sacerdotis copia adfuerit, pro majore fidelis populi ædificatione transferri cupiamus.

Ne vero posthac Beneficiati, quando jam pridem canonice instituti, imo & sacris Ordinibus initiati, inspecta tum prius Beneficiorum & redituum tenuitate, Clericali statui & honestati congruentis vitæ impossibilitatem conqueruntur ob competentis alimoniæ defectum, magno cum Divini cultus detrimento, & majore cum aliorum Ecclesiis ibidem deservientium onere in locis Beneficiorum residere, & personalia onera per se subire tergiversentur, præcipimus sub pœnis in jure statutis, omnibus & singulis de jure vel privilegio jus investiendi habentibus, ne quem impos terum sive ab Ecclesiastico, sive laico Patrono præsentatum, sive ab ipsomet investiente provisum instituere & investire præsumant, nisi ætate, morum honestate & scientia ad obligationem Beneficio annexam debite exequendam, aliisque qualitatibus de jure requisitis commendatus existat, extradatque specificam & authenticam redituum designationem; quibus visis & mature consideratis, tametsi appareat præsentatum ex iis decenter vivere, adeoque residere non posse, nihilominus propria se manu obliget, etiam quando Beneficium tenuius est, non attenta obventionum illius exilitate in loco Beneficii sub pœna privationis ipso facto incurrendæ intra tempus a jure & fundatione præfixum residentiam sese facturum. Quod si in eo difficiles fuerint, ab investitura & possessione capienda arceantur, & de Beneficiis hujusmodi cum nostro, aut Vicarii nostri consilio disponatur id, quod Fundatorum intentioni, Ecclesiarum utilitati, Divino honori augendo, & spirituali fidelium profectui magis visum fuerit expedire.

Ut autem necessarios & probatos moribus ac doctrina Operarios, præsertim qui curæ animarum administrandæ se mancipare desiderant, Parochiis & populo Nobis commisso præficiamus, eorumque facilior sit copia & delectus, S. Conc. Tridentini, & nostris Decretis inhærentes, Seminarium nostrum Episcopale modo & forma jam alias præscriptis, volumus continuari.

Demum cum non exigua ex juventutis in pietate, moribus & literis instructione Religioni & Reipublicæ Christianæ utilitas accedat, Scholas Ludimagistros, ac Ludimagistras, quibus habentur locis, confoveri, & quibus adhuc desiderantur, studiose institui, indultaque jam alias immunitate gaudere, catecheticas vero exhortationes, sub interminatione Divini judicii toties tam solicite, quam severe præceptas, unde potissimum salus simpliciorum pendere dignoscitur, singulis per annum Dominicis, & hora præfixa ita stricte servari præcipimus, ut si in eo Pastores aut Curatores negligentes, & tribus continue Dominicis easdem intermisisse deprehensi fuerint, quarta parte fructuum Beneficii mulctentur.

Cæterum vos omnes, qui in sortem Domini, societatem & adoptionem filiorum Dei præ aliis vocati & electi, ultro vos, & vitam vestram Dei ministerio mancipastis, in Domino requirimus, monemus, & præcipiendo mandamus, quatenus vocationi vestræ respondentes a carnalibus desideriis & terrenis concupiscentiis assumpti, ab omni carnis illecebra & suspecta conversatione alieni, mundi, casti, puri, sancti & immaculati in conspectu Dei & hominum ambuletis, ut finistri nihil de vobis in suspicionem possit trahi. A crapula & ebrietate diligenter abstineatis. Tabernas publicas, nisi forsan in itinere constituti, nullatenus visitetis. Officia & commercia sæcularia, aliosque actus illicitos non exerceatis. Omnem in vestitu levitatem & curiositatem majora sæculi, quam Cleri indicia deponatis, sed tonsuram, eumque habitum gestetis, qui per extrinsecam decentiam intrinsecam præ se ferat morum honestatem.

Si quem in præmissis excedere, aut excessisse constiterit, contra eundem non solum per pœnas in jure præfixas, sed & alias arbitrio nostro infligendas procedemus & procedi faciemus.

Denique omnia & singula Mandata, Decreta & Statuta a Nobis, & Prædecessoribus nostris lata, publicata, intimata, & executa, quatenus iis per Conc. Tridentinum, & hasce, aliasque nostras Constitutiones derogatum non est, denuo intimamus, innovamus & confirmamus, mandantes sub pœnis alias expressis omnia & singula ab iis, ad quos pertinet, inviolabiliter observari

ſalvis Statutis & Privilegiis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis.

In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillo noſtro majore fecimus communiri. In Civitate noſtra Monaſterienſi 14ta Martii, anno 1665. Epiſcopatus noſtri 15to.

Chriſtophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Publicata in Synodo Quadrageſimali anno 1665. 17. Martii.

Sacra Synodus Autumnalis celebrabitur Feria 3tia poſt Feſtum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum, quæ erit 13tia Octobris.

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCLXV.

Sub Revmo Domino FRANCISCO VILLANI a GANDAVO, Tornacenſium Epiſcopo,

CELEBRATA

DIE 21. APRILIS.

ACTA CONGREGATIONIS SYNODALIS,

Quæ ab antiquo vocari SYNODUS, & haberi ſolet quotannis Feria tertia poſt Dominicam, qua cantatur in Eccleſia MISERICORDIA DOMINI, *& hoc anno* 1665. *habita fuit dicta Feria* 3. *quæ erat dies Aprilis XXI.*

Præſidente Illmo & Revmo Domino, D. FRANCISCO VILLANI A GANDAVO, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Tornacenſi. Aſſiſtentibus ſibi RR. Admodum DD. *Euſtachio Froidmondt* S.T.L. Eccleſiæ Cathedralis Decano, *Ignatio Auguſtino de Grobbendoncq* J.U.L. Archi-Diacono primario ſeu majori, *Philippo de Boulogne* J.U.L. Archi-Diacono Flandriæ, *Petro Mazureel* J.U.L. *Joanne Gennaro* J.U.L. *Ægidio Pleſſerea* S.T.L. *Philippo Alberto de Berghes* Diacono, in Jure & S.T.L. reſpective Eccleſiæ Cathedralis Canonicis: & R. Admodum Dom. *Joanne Waregny*, S. Medardi, vulgo S. Nicolai de Pratis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini in hac Civitate Abbate: RR. DD. *Cornelio du Ranel* S.T.B.F., Paſtore S. Margarethæ hujus Civitatis, Decano Chriſtianitatis Tornacenſis, *Nicolao Lamberti* S.T.L. Paſtore S. Mauritii Inſulenſis, & Decano Chriſtianitatis ibidem, *Leonardo Schærts* S.T.B.F. Paſtore S. Martini oppidi Cortracenſis, & Decano Chriſtianitatis ibidem, *Joanne d'Haveloofe* S.T.B.F. Paſtore Menenenſi & Decano Chriſtianitatis Viroviacenſis, *Jacobo de la Ruë* Paſtore S. Geneſii, Decano Chriſtianitatis Helchinienſis Flandrorum, *Jacobo Rouſſel* S.T.L. Paſtore in Eſquermes, Decano Chriſtianitatis Ulmenſis, *Judoco Ignatio Ranſt* J.U.L. Secretario, MM. *Petro Villers* Curiæ Spiritualis Scriba, *Joachimo Beuckelaere*, & *Petro Bertrand*, Diſtrictus reſpective Flandriæ & Walloniæ Promotoribus ſeu Procuratoribus Fiſcalibus.

R. D. *Franciſcus Martin*, Paſtor d'Ennevelin, Decanus Chriſtianitatis Seclinienſis abfuerunt ob infirmitatem.

D. *Petrus del Ruë* J.U.L. Advocatus Fiſcalis, abfuit.

Circa horam octavam celebrato Sacro de Spiritu Sancto pro felici hujus Congregationis ſucceſſu, ibidemque proponendorum ſalutari reſolutione, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus, comitantibus dictis DD. Aſſiſtentibus, ad Aulam Palatii ſui Epiſcopalis ſe recepit: ibidemque paucis, ut moris eſt, DD. Aſſiſtentes ad ſerio amplectendam curam animarum, earundemque ſalutem ſedulo procurandam in Domino eſt adhortatus.

Non

Non fuit lectum hac vice Statutum *de onere residendi, Concil. Trident. Sess. 23. Cap. 1.* quod fieri solet per Archi-Diaconum Flandriæ.

Rdus Admodum D. *Joannes Gennaro*, Officialis, prælegit Statuta præcedentis Synodi, ad videndum, si debite executioni fuerint mandata.

ARTICULUS I.

Referente Admodum R. D. *Joanne Gennaro* Cathedralis Canonico & Officiali per præcedentem Synodum deputato ad amicabiliter cum DD. de Magistratu hujus Civitatis super contentis in primo Articulo præcedentis Synodi componendum: dictos DD. Admodum esse propensos ad ejusmodi difficultates pro bono publico & Festorum religiosiori observatione componendum: fuit cum dicto D. Officiali, in locum R. Admodum D. *Andreæ Catulle*, Præpositi Rothnacensis, ibidemque fixe ad præsens residentis, deputatus R. Admodum D. *Ignatius Augustinus Grobbendoncq* Archi Diaconus primarius sive Tornacensis & Cathedralis Canonicus, ad una & conjunctim negotium hoc, si fieri posset, sub beneplacito Illmi D. pertractandum atque terminandum.

II.

Attento quod plurimarum Ecclesiarum Parochialium, præsertim districtus Tornacensis, computus uti & mensæ pauperum, & instructione Art. 2. præcedentis Synodi redditi sint, & in dies reddantur, ordinatum & commendatum fuit RR. Admodum DD. Archi-Diaconis, ut eandem operam & diligentiam sedulo continuare, & ejusmodi computuum redditionem, liquidationem & clausurarum exonerationem in suo respective districtu omnino, & quantum possunt, procurare & promovere conentur.

III.

Ordinamus Curiæ nostræ Promotoribus, ut quam primum ex Secretariatu nostro levent copiam specificationis in præsenti Congregatione per Secretarium nostrum exhibitæ, eorum qui rapportum seu declarationem redditüum, proventuum, & bonorum Beneficiorum suorum, non obstantibus mulctæ comminationibus hactenus transmittere neglexerunt, injungendo dictis Promotoribus, ut defectuosorum nomina una cum expressione Beneficii, quod possident, tradant respective Dominis Decanis Christianitatis, sub cujus districtu sita sunt, ut ab eisdem ultimo & peremptorie moneantur, ad præcedentibus nostris quoad præmissa Ordinationibus & Mandatis satisfaciendum infra mensem a festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ proximo, sub pœna quoad onus eorum, per arrestationem fructuum suorum Beneficiorum, aut alias via juris tam ad exactionem mulctæ ante hac ideo comminatæ, quam ad revocationem ejusmodi rapportus seu declarationis sine dissimulatione ulla (prout expresse mandamus) procedetur.

IV.

Ex eo, quod quidam Decani Christianitatis, non obstante Ordinatione præcedentis Synodi computus suos reddere vel neglexerint, vel sine excusatione distulerint, ordinamus Curiæ nostræ Sigillifero, ut si infra trimestre ab hujus publicatione, dictæ Ordinationi non satisfecerint, defectuosos desuper litteratorie moneat, eisque diem redditionis ejusmodi computuum a D. Officiali determinatum, significet cum intimatione, quod si statuto die non satisfecerint, & ulterius moram protraxerint, ad effectum, qui supra coram dicto D. Officiali per Promotorem citabuntur, & via juris cogentur.

V.

Quia ob metum ligaturarum & maleficiorum aliasque legitimas causas sæpius super bannorum denunciatione contingit dispensari, ut securius & sine cujusvis præjudicio, ac etiam sine Matrimonii nullitatis periculo ejusmodi gratia, dum expedit, concedi possit, volumus, ut præter examen consuetum, quod DD. Pastores prius quam scedulam seu testimoniales ad effectum ejusmodi dispensationis impetrandæ

trandæ tradunt, præmittere ſoleant: de parentum quoque (vel ſi ſponſi parentes non habeant) de tutorum, ac aliorum, ad quos de jure ſpectat, minorum Matrimoniis conſentire aſſenſu & approbatione inquirant, & expreſſe teſtentur.

VI.

Ut variis difficultatibus circa Art. ult. præcedentis Synodi motis, præſertim intuitu ſervorum, ancillarum, occurratur, declaramus mentis noſtræ eſſe, ut Statutum anni 1643. *De proclamationibus antenuptialibus*, omnino obſervetur: reſpectu tamen earum perſonarum, quæ ſpatio completi trimeſtris de facto & actualiter famulatas eſſe conſtat, Heri vel Dominæ ſuæ Parochiam ſortiri declaramus. Specialius tamen & rigoroſius DD. Paſtores circa famulantium Matrimonia inquirant, & vel minima impedimenti ſuſpicione occurrente, diſpenſationis gratiam ſuſpendi, vel omnino denegari procurent.

VII.

Et ne Matrimonii ſolemnizatio in regiſtris Parochiarum tranſcribi negligatur, vel etiam apud poſteritatem cum gravi interdum liberorum damno, ejusdem memoria deperdatur, prohibemus ſtricte Paſtoribus, ne impoſterum vices ſuas & facultatem Parochianorum ſuorum Matrimonio aſſiſtendi delegent, & ſi ob gravem & legitimam cauſam interdum id fieri neceſſarium, aut omnino conſultum foret, id fiat quam rariſſime, & non niſi prævia diligenti inquiſitione omnium requiſitorum, & hujusmodi delegationem in libro ſeu regiſtro Matrimonio junctorum annotare non omittant, & nunquam delegent perſonam indeterminatam, vel etiam Regulares, quod omnino prohibemus, ſed certam & determinatam, qui ejusmodi commiſſionem ſeu delegationem rite & juxta Paſtoralis Diœceſani Rubricas exequi poſſit, obligando hujuſmodi delegatum ad referendum delegationis ſibi concreditæ præciſam cum diei & teſtium ſpecificatione factam executionem, quam Paſtor delegans in præfato regiſtro annotare tenebitur.

VIII.

Quia quorumdam veſtium capillorumque uſus & geſtatio, necdum ad eam modeſtiam reperitur redacta, quæ ſtatui Eccleſiaſtico & Ordini congruit, Statutisque Synodorum noſtrarum præcedentium, ac etiam Sacroſancti Concilii Tridentini Diſpoſitionibus conformis ſit, inhærendo antedictis noſtris Statutis, mandamus Curiæ Promotoribus, ut ſerio ad hoc invigilent, & ſine ulla diſſimulatione defectuoſos per Officialem noſtrum rigoroſe & pro exceſſus gravitate puniendos denuncient, authorizandi dictum D. Officialem, ad eoſdem Curiæ Promotores, caſu quo diſſimulationis tam circa præmiſſa, quamque alia officii ſui onera impoſterum arguantur, & convincantur, eoſdem ab officio ſuſpendendum ad tempus, vel ſi opus eſt (prævie nobiſcum habita communicatione) omnino deportandum & amovendum.

IX.

Inſequendo Decreta Synodi Provincialis Cameracenſis anni 1586. Edictum Regium deſuper ſubſecutum 1. Junii anno 1587. præcipimus Diœceſis noſtræ Paſtoribus, aliisque quibuscumque Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, ut obſtetrices in ſuis reſpective Parochiis coram ſe evocatas, admiſſionis ſuæ fidem exhibere faciant, & ad cautelam eaſdem iterato examinent, & non niſi bene inſtructis ſuper forma & materia Baptiſmi, novas literas idoneitatis ſuæ elargiantur, ad reſpectivos inſuper DD. Magiſtratus noſtro nomine requirant & rogent, quatenus omnes & ſingulas territorii ſeu diſtrictus ſui obſtetrices evocent ad renovandum (vel ſi non præſtiterint) faciendum juramentum, quod ante diem tertium pueros baptizandos Paſtoribus omnino denunciabunt, ac alias quod opus ejuſmodi obſtetricum fideliter & ſine fraude cujuspiam exercebunt.

X.

Inſequendo Decreta Sacroſancti Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. pro examine Paſtorum, ac alias nominati ſunt RR. Admodum DD. *Euſtachius de Froidmondt*

mondt S. T. L. Ecclesiæ Catheralis Decanus & Canonicus, *Ignatius Augustinus de Grobbendoncq* J. U. L. Archi Diaconus Major seu Primarius, *Petrus Mazureel* J. U. L. *Joannes Gennaro* J. U. L. Officialis, *Franciscus du Chasteau* S. T. L. *Ægidius Brabant* S. T. L. *Ægidius Plesseria* S. T. L. *Libertus Froidmondt* J. U. D. Pœnitentiarius, Presbyteri respective & Cathedralis Ecclesiæ Canonici, & RR. Admodum DD. *Philippus Albertus de Berghes* Diaconus in Jure & S. T. L. antedictæ Ecclesiæ etiam Canonicus, RR. DD. *Cornelius du Ranel* S. T. B. F. S. Margaretæ Pastor, *Nicolaus Lamberti* S. T. L. Pastor Sancti Mauritii, & *Leonardus Schaerts* S. T. B. F. Pastor S. Martini respective districtuum Tornacen-Insulensis, & Cortracensis Decani Christianitatis.

XI.

Judices Synodales deputati sunt RR. Admodum DD. *Eustachius de Froidmondt*, *Ignatius Augustinus de Grobbendoncq*, qui supra, & insuper RR. Admodum DD. *Gregorius Ignatius de Coxie* Thesaurarius, *Philippus de Boulogne* Archi-Diaconus Flandriæ, *Petrus Mazureel*, *Joannes Catulle*, *Joannes Gennaro* Officialis, *Ægidius Brabant*, *Theodorus Brias*, omnes Presbyteri & Ecclesiæ Cathedralis Canonici, & RR. Admodum DD. *Philippus Albertus de Berghes* Diaconus & ejusdem Ecclesiæ similiter Canonicus, uti etiam RR. Admodum DD. *Petrus Cazier*, & *Joannes de Warigny*, respective Monasteriorum Sancti Martini, Ordinis S. Benedicti, & S. Medardi, vulgo S. Nicolai de Pratis, Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini Civitatis & Diœcesis Tornacensis Abbates.

De Mandato Illmi & Revmi Domini mei Episcopi præfati.

J. Ranst Secret.

Ex cit. Summa Statutorum Synod. Diœcesis Tornacensis.

EPISTOLA Pastoralis

Revmi Domini CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monasteriensis Episcopi,

Anno Christi MDCLXVI. Alexandri VII. PP. XII. Leopoldi I. Imp. VIII.

Data in Urbe Monasteriensi Die 3. Aprilis.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS &c. &c.

Salutari lege Summi Pontifices ac Concilia tam Oecumenica, quam Provincialia sanxerunt, ipsiusque Ecclesiæ continuata tot sæculis nec unquam interrupta consuetudo utiliter roboravit, ut bis in annos singulos Diœcesana Synodus Episcopali authoritate haberetur, non solum ad tradendam, verum etiam ad perpetuo colendam, perpetuisque progressionibus augendam omnem Ecclesiasticæ disciplinæ rationem. Ea enim est mortalis hominis constitutio, ut quamvis Divinis, humanisque legibus veluti sepimento quodam abunde vallatus sit, naturæ tamen refragantis imbecillitate fractus, ab iis, & optime licet instituti officii semita persæpe deflectat, ac proinde eam exposcat Præsidum vigilantiam, ac legum vigorem, quo veluti sanctissimo vinculo adstrictus a recto cursu non declinet, aut aliquando digressus, eorum opera in veram ac rectam salutis viam reducatur.

Eo collimarunt omnes ab initio Regiminis nostri habitæ Synodicæ Sessiones, & in iis salutariter ordinata, promulgata & intimata Decreta, Statuta, & Mandata, quæ omnia & singula de consilio & assensu Rdi Capituli nostri Cathedralis denuo innovamus, confirmamus, & vobis per præsentes intimamus.

Imprimis vero ad compescendos seu abo-

abolendos abusus & indecentia quæcunque, in quantum possumus, S. Concilii Decreta tam doctrinam fidei, quam reformationem vitæ, ac morum respicientia, alias ab Antecessoribus nostris, vobis insinuata, de consilio & assensu Ven. Capituli nostri Cathedralis præsentibus vobis omnibus, & singulis supraſcriptis iterum ac serio insinuamus, monemus & requirimus, vobisque & vestrum cuilibet in virtute S. obedientiæ districte præcipiendo mandamus:

Quatenus omnes & quascunque suspectas mulieres non solum domibus vestris, sed etiam civitatibus, oppidis & pagis ita a vobis excludatis, ut verisimiliter nihil sinistri possit ac valeat de iisdem, aut vobis in suspicionem trahi.

Item a crapula & ebrietate diligenter abstineatis.

Insuper tabernas publicas, nisi forsan in itinere constituti, nullatenus visitetis.

Ludos taxillorum, & alios actus illicitos non frequentetis.

Conspirationes contra vos invicem, & maxime contra Prælatos ac Superiores vestros non faciatis.

Tonsuram & vestes Clericales ultra genua propendentes, gestetis.

De Beneficiis Ecclesiasticis provisi ad sacros Ordines promoveantur, & onera ipsis incumbentia impleant, sicut exigit tenor fundationis & ratio Beneficiorum.

Novelli Sacerdotes sæculares Primitias suas celebrare ne præsumant, nisi prius coram Vicario nostro, vel aliis ad hoc nominandis specimen dederint, quod in cæremoniis Missæ juxta Rubricas novi Missalis sint bene & sufficienter instructi & exercitati.

Requirimus omnes & singulos, etiam Testamentarios & Executores testamentorum, Beneficiatorum, defunctorum, & quarumcunque personarum Ecclesiasticarum Civitatis & Diœcesis Monasteriensis, quatenus Sigilliferum Curiæ nostræ prædictæ de bonis testatorum inventis infra mensem, de dispositione eorundem bonorum inventorum infra annum post obitum testatoris immediate sequentem certificent & informent, eique rationem reddant, ut tenentur, alioquin contra eosdem, prout de jure poterimus, censura Ecclesiastica mediante, aliisque opportunis remediis procedemus.

Monemus interim, & sub contestatione Divini judicii inculcamus omnibus & singulis Clericis, ut in testamentis condendis meminerint Deo, Ecclesiæ, & pauperibus gratam vicem esse reddendam, ut si eorum gratia & beneficio bona conquisita sint, testatorum liberalitate ad eosdem ex majori saltem parte recurrant.

Inhibemus etiam universis & singulis Ecclesiarum Parochialium, & Capellarum Rectoribus, ne aliquis Monachos, cujuscunque status & ordinis fuerint, ac Presbyteros extraneos ignotos in suis Ecclesiis & Capellis admittat ad Divina, neque etiam notos ad cooperandum in cura animarum, nisi primitus per Nos, sive Vicarium nostrum in Spiritualibus fuerint approbati & admissi, & de eorum admissione per patentes literas, Sigillo Curiæ nostræ Monasteriensis antedictæ sigillatas, legitime constiterit.

In Missis publicis & privatis post ultimam Collectam in fine Missæ, excepta Missa pro Defunctis, ante conclusionem addantur verba illa: *ALEXANDRUM Pontificem, LEOPOLDUM Imperatorem, CHRISTOPHORUM BERNARDUM Antistitem nostrum, & omnes sibi commissos ab omni adversitate custodi, & pacem tuam nostris concede temporibus.*

Nemo Sacerdotum sive sæcularium, seu Regularium, extra Ecclesiam, aut Oratorium ad hoc deputatum, aut benedictum in domibus privatis sub quocunque aliarum facultatum aut privilegiorum prætextu sacrum Missæ Officium celebrare præsumat.

Optamus & hortamur omnes Superiores, Pastores, & Concionatores, ut præter supremum Dei cultum, & ea, quæ ad Christianam perfectionem pro status & vocationis ratione pertinent, devotionem erga Beatissimam Virginem MARIAM, S. Angelum Custodem, S. Josephum Nutritium Christi, S. Ludgerum Proto-Episcopum Monasteriensem, & omnes Sanctos in animis subditorum plantare, conservare, & promovere studeant.

Pastorum est, male habentibus non in vita tantum, & bona valetudine, virtutes & vitia, gloriam & pœnam, præparato & zeloso animo proponere, sed vel maxime in mortis articulo assistere. Hinc & sponte, magis autem invitati, & requisiti nihil circa sacri Viatici & Extremæ Unctionis administrationem, aliaque, quæ moribundos pro æternitate certantes, adjuvare possunt, culpabiliter & negligenter intermittant.

In casibus, in quibus pœnitentes ad superiores remitti debeant, eos studeatis diligenter informare, agentesque pœnitentiam solennem in die Jovis sancto ad Ecclesiam nostram Monasteriensem reconciliandos remittatis.

In casibus autem occultis Nobis, ceu Episcopo reservatis, renovamus & per præsentes confirmamus privilegium & gratiam a glo-

a gloriosiss. mem. Prædecessoribus nostris ERNESTO, & FERDINANDO, Pastoribus & Curatis concessam, ut omnibus liceat pœnitentes subditos absolvere.

In publicis autem & notoriis, vel qui ad forum externum jam deducti sunt, nemo se immisceat, nisi qui licentia speciali, aut privilegio munitus extiterit.

Catechismum Doctoris Petri Canisii diebus Dominicis ac Festivis juxta & formam præscriptam juventuti & rudi populo publice proponatis.

Concionatores etiam memores officii sui, si quando contra vitia dicendum judicarint, nullas omnino personas seu tacite, seu nominatim designent, neque in civiles & Ecclesiasticos Magistratus, eorum vitam & actiones sugillando cum offensione, & scandalo plurimorum invehantur, commodiora excitandis seditionibus, quam imbuendis vera Religione animis instrumenta, sed pie potius admoneant, doceantque populum, ex Apostoli sententia, Præpositis obedire, facereque obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in sublimitate constituti sunt, præcipue vero iis, qui pervigilant, quasi rationem pro animabus eorum reddituri, atque ita commissos sibi fideles sermone auditoribus accommodato pro cujusque status exigentia diligenter erudiant, ut hinc absterreantur a vitiis, & inde ad virtutes impellantur.

Cæterum vos omnes in Domino hortamur, ut qui in sortem Dei per sanctæ & Ecclesiasticæ vocationis gratiam vocati estis, inter sæcularium conversationem, sicut luminaria vitæ & actionum lucere, ac Dei timorem in cordibus, in Divinis Officiis pietatem, erga proximos charitatem, erga vosmetipsos sanctitatem servare studeatis, Nos interea & intentiones nostras Ecclesiæ, Imperii & Patriæ bonum spectantes, ac dilectos subditos nostros Sacrificiis & Precibus vestris impense commendamus. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo nostro majore fecimus communiri. Datas in Civitate nostra Episcopali Monasteriensi 3tia mensis Aprilis, anno Christi 1666. Regiminis nostri decimo sexto.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Tertia Feria post Festum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum celebrabitur Synodus Autumnalis, Præsidibus ab Episcopo deputatis Joanne Heidenrico a Vörden, Engelberto a Beverförde, Christiano a Plettenberg, Henrico Modersohn *J. U. L., Cathedralis & Parochialis Ecclesiarum nostrarum Monasteriensis & B. M. Virginis Transaquensis respective Scholastico, Decano, & Consiliario nostro.*

I. *Synodo illi non interfuit Episcopus, aliis distentiis negotiis; nec diversa a prioribus Edicta publicata sunt.* II. *Eædem pariter, quibus absentiam suam Episcopus significabat, fuerunt literæ.* III. *Subsecuta Synodus Quadragesimalis a.* 1667. *Feria tertia post Dominicam:* LÆTARE, *celebrata est, absente rursum Episcopo.*

SYNODUS DIŒCESANA *Quadragesimalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXVII. Alexandri VII. PP. XII. Leopoldi I. Imp. IX.

JUSSU

Revmi Domini D. CHRISTOPHORI BERNARDI *a* GALEN, *Monasteriensis Episcopi,*

HABITA

A deputatis speciali cum facultate Commissariis ac Præsidibus Jodoco Edmundo a Brabeck, Engelberto a Beverförde, Christiano a Plettenberg, Goswino a Droste, & Joanne Alpen, *Generali in Spiritualibus Vicario,*

DIE 21. MARTII.

In

In hac Synodo jussu absentis Revmi publicatæ sunt sequentes Constitutiones:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

CUm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, & quem regendum susceperunt Dominicum gregem, non ex obscuris tantum notis, aut tenuibus vestigiis, sed ex vultu velut animi speculo diligenter considerare, & in id cumprimis incumbere, ut stabiles solidentur, nutantes confirmentur, tepediores ad teneriorem ferventioremque Divini numinis cultum incitentur, errantes & ab orthodoxa fide alieni ad ovile & Pastorem genuinum postliminio reducantur. Sane a Nobis, qui pondus impositi muneris vigilem, adeo pro commissis ovibus curam deposcentis arduum agnoscimus, Pastoralis hæc solicitudo tanto studiosius exigitur, quanto Diœcesis & Principatus noster dominante heterodoxa Religione undique incinctus, præsentioribus quaquaversum periculis arctatur. Volentes igitur subditorum curæ nostræ commissorum statum & conditionem continuo exploratam habere, Edictum nostrum 21ma Novembris anni 1661. emanatum intimatum & publicatum de proscitu & consilio & assensu Rdi nostri Capituli Cathedralis tenore præsentium innovamus, intimamus, & publicamus mandantes omnibus & singulis Civitatis & Diœcesis nostræ Curatis, & Vice-Curatis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub arbitraria pœna, ut infra sex septimanarum spatium suis singuli in Parochiis tam intra quam extra Civitatem nostram Monasteriensem specifice notent, designent, describant, & nostro in Spiritualibus Vicario extradant, numerum, ætatem & conditionem.

Primo Familiarum, Patris ac Matrisfamilias, liberorum, famulorum, ancillarum, nec non incolarum, viduorum, viduarum, juvenum, & virginum.

2do. Numerum in Paschate communicantium.

3tio. Qui & quot in specie anno proxime elapso 1666. baptizati, Matrimonio copulati, ac defuncti sint.

4to. Qui & quot in Parochiis Acatholici degant, cujus sectæ, status, sexus, conditionis ac ætatis sint.

5to. An aliqui eorum ad Fidem Catholicam conversi, aut quæ conversionis spes aut medium

6to. Qui & quales extra Parochias sedem fixerint, ubi locorum, & an perversi sint, sive Catholici permanserint.

7mo. An exteri ad Parochiam adveniant, qui locum isthic figant, unde ii, quot, & an Catholici.

8vo. Et cum potissimum perversionis periculo exponantur, qui non solum per æstatem aut hyemem ad loca hæretica mercatum aut laboratum migrare assueverunt, sed vel maximi ii, qui ex hac Diœcesi nostra oriundi Acatholicis in vicinioribus Civitatibus & alibi cohabitant, serviunt, & famulantur, districte inhibemus sub pœna arbitraria, ne a parentibus & tutoribus illud porro concedatur, sed a periculoso hujusmodi, & cum dispendio salutis conjuncto famulatu quantocyus revocentur, mandantes Pastoribus, & Curatis locorum, ut ad eos studiosius attendant, deferantque ad Nos seu Vicarium nostrum descripta eorum & parentum nomina, & loca habitationis.

Volumus autem clementissime, & tenore præsentium sub comminatione prædictarum pœnarum mandamus, ut accurata, & nitide descripta horum series non solum hac vice, sed vigore hujus & nullius alterius monitionis præviæ, eodem præfixo modo singulis annis ante Synodum autumnalem nostro in Spiritualibus Vicario extradatur.

Porro Executores seu Testamentarii, ne longa eorum procrastinatione piæ testantium voluntates defraudentur, tam ad edenda ultimæ dispositionis elogia, quam ad reddendas ac justificandas rationes a Vicario ex nostra ceu Episcopi & Generalis omnium ultimarum inprimis piarum voluntatum Executoris speciali commissione opportunis quibuscunque mediis compellantur.

Cæterum omnia & singula Mandata, Decreta & Statuta a Nobis & Prædecessoribus lata, publicata, intimata & executa, quatenus iis per Conc. Tridentinum, aliasque nostras Constitutiones derogatum non est, denuo innovamus, confirmamus & intimamus, vos omnes & singulos serio adhortantes, ut qui in sortem Domini e sæculo vocati estis, in omni vita & actione vestra probati vivam Christi imaginem repræsentetis, ne quemadmodum gravitates variorum temporum calamitates populo inflictas non raro Clericorum vitiis attributas esse historiæ contestantur, ita nunc, quando elapso proxime autumno, invalescente per aliquot loca nostræ Diœcesis contagione vindicem irati numinis manum sensimus, indigna Cleri conversatio istius aut majoris mali,

mali, ac plebis Dominicæ miserabilis sit occasio subversionis, sed potius studeatis a peccatis abstinentes velut populi luminaria statui, & vocationi vestræ congruenter, sobrie, juste & pie vivere, eique per omnia placere, quo indignante hujusmodi flagella proveniunt, quoque miserante cessant, quem in finem Episcopalem vobis benedictionem impertimur. Dabamus sub manu & sigillo nostro in arce nostra Wolbeck 21ma Martii anno 1667. Regiminis nostri 17.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Synodus Autumnalis celebrabitur Feria tertia post Festum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS, Eodem anno Christi MDCLXVII. CELEBRATA,

Præsidibus a Revmo Principe Episcopo deputatis MATTHIA KORFF *condicto* SCHMISINCK, JOANNE RUTGERO A TORCK, JOANNE ALPEN, *Ecclesiarum nostræ Monasteriensis, Hildesiensis, Mindensis, & Collegiatæ ad S. Martinum respective Præposito, Decano, Thesaurario & Canonicis nostris, & Vicario Generali,*

DIE 18. OCTOBRIS.

Publicata est in hac Synodo Pastoralis hæc Epistola:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS, &c. &c.

ETsi nihil minus sperandum videbatur, quam fore ut Decretis nostris de statu animarum singulis in Parochiis formando, & a Curatis locorum Nobis transmittendo, in ultima Synodo Diœcesana & alias publicatis ac intimatis, tam exigua paritio deferretur, ut vix quisquam pro obligatione sibi incumbente desideratam adeo animarum designationem ad Nos, seu Vicarium nostrum destinarit. Interea tamen consideremus, quam severe mandatum sit iis, quibus animarum cura commissa est, vultum pecoris sui agnoscere, ac statum commissi curæ suæ populi certum exploratumque habere, ut quibus in rebus Pastorale officium desideretur, perfectius advertant, & ad hoc prompte benigneque præstandum magis incitentur, illud autem debite curare queant, nisi de subditorum suorum ætate, conditione, numero, moribus & vita speciatim informentur, & Nos quoque ea cura tanto propius tangat, quanto intensius salutem dilecti gregis nostri promovere, & periculis, quibus circumdamur, præsentiore remedio obviare desideramus.

Hinc de præscitu & consensu Rdi nostri Capituli Cathedralis omnia & singula Mandata & Decreta desuper & alias lata & publicata, tenore præsentium innovantes serio & discrete sub pœna arbitraria mandamus, ut Curati locorum non modo omnium & singulorum curæ suæ subjectorum nomina, ætatem, conditionem & numerum juxta ordinem domorum & familiarum infra mensis spatium a præsenti publicatione computandum Nobis, aut Vicario nostro Generali extradant, sed etiam præter libros, quibus baptizati, Matrimonio copulati, ac defunctorum nomina annotantur, designationem quoque status animarum continuo habere, eamque tam in visitationibus nostris & Archi-Diaconorum nostrorum habere, quam prænarrato modo una cum specificatione confessorum & communicantium in Paschate, eorumque qui vel vitiis publicis maculati, aut recens a Fide Catholica defecerunt, vel ab hæresi reducti, & quinam e finibus Parochiæ decesserint, aut vita defuncti sint, & singulos quidem in singulas classes distincte digestos quot annis ante Synodum autumnalem extradere obligentur, ut hinc & de Ecclesiarum statu, & inde de Curatorum vigilantia constare possit, fiatque manifestum, magisne ad profectum,

an ad defectum Ecclesia, cui præsunt, incliner.

Nec inutile futurum existimamus, si & ipsi Curati librum hunc quot septimanis diligenter percurrentes, & consideratione hac quodammodo accensi, quam cuique curam aut solicitudinem debent, quosque visitandos, vocandos, aut alio pastorali officio juvandos esse judicarent, eam cuilibet, præsertim infirmis operam impendere omnibus viribus conaiterentur, ne quod multis locis fieri dolenter inaudimus, officio suo abunde satisfactum esse existiment, si administratis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & quandoque Extremæ Unctionis Sacramentis agonizantes deserant, prorsus immemores, quanto in suprema illa lucta præsidio ac spirituali solatio sæpius necesse sit Christi fideles roborari.

Cumque præterea inviti experiamur, quoties ferme sacri Ordines a Nobis conferuntur, ordinandos tales præsentari, qui de Beneficiis provisi, ob evidentem redituum tenuitatem statui Clericali congruenter nec vivere, nec in locis Beneficiorum hujusmodi residere possint, & tamen contra Edicta ac Decreta nostra ad investituram admissi, & in possessionem inducti connotentur: unde defectu sufficientis tituli non solum a sacrorum Ordinum susceptione repelluntur, sed Beneficia hoc modo cum magno Divini cultus detrimento quasi habentur deserta, ac piæ Fundatorum voluntates defraudantur. Cui malo pro officio Episcopali occurrere volentes, mandamus iterum & serio, ne quis posthac vel Patronorum ad Beneficia hujusmodi aliquem præsentare, vel jus investiendi habentes præsentatum investire, aut instituere præsumant, declarantes tenore præsentium non solum præsentatos hujusmodi ad sacrorum Ordinum susceptionem non admittendos, sed de fundationibus istis authoritate ordinaria dispositum iri, quod salutari Fundatorum intentioni, Ecclesiarum utilitati, Divino honori augendo, & spirituali fidelium profectui visum fuerit magis expedire.

Demum omnia & singula Decreta & Statuta, antehac publicata, confirmantes, vos omnes in Domino hortamur, ut Deum in puritate & continentia venerari, singulari cordis & carnis castimonia famulari, pietatem, sanamque doctrinam cum vitæ, morumque honestate conjunctam amplecti studeatis.

Sit in vobis sedula quædam, seriaque Ecclesiasticarum functionum rite, decenterque administratarum solicitudo, ac cura pervigil. Quisque in id incumbat, ut sacra officii sui munera statis vicibus diligenter obeat, horarias preces non minus privatim devote recitet, quam juxta Ss. Canonum præscriptum, & Ecclesiæ ritum ad aliorum ædificationem publice decantet, omniaque ea ad amussim præstet, quæ muneris dignitas, quæ propria vocationis ratio, quod status perfectio, quod commissarum ovium necessitas, quod præstitum ultronea sponsione jusjurandum videntur postulare. Quem in finem Benedictionem vobis Episcopalem paterne impertimur. Dabamus sub manu & sigillo nostris in castro nostro S. Ludgeri anno 1667. 16ta Octobris.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

Synodus Quadragesimalis solenniter celebrabitur Feria tertia post Dominicam Lætare.

SYNODUS DIŒCESANA *Quadragesimalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXVIII. Clementis IX. PP. I. Leopoldi I. Imp. XII.

HABITA

A

Designatis iisdem, qui supra, *Commissariis Præsidibus*, MATTHIA KORFF, JOANNE RUTGERO A TORCK, &c. &c.

DIE 13. MARTII.

Jussu absentis Episcopi promulgatæ hæ Literæ:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

TAmetsi superioribus hucusque Synodis sat multa, quæ tam Cleri, ac populi curæ nostræ commissi morum reformationem, quam Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem pro-

promovere possent, a Nobis statuta, & ex hoc loco debite publicata ac intimata esse arbitremur, quod tamen ea mortalium sit constitutio, ut vel naturæ recalcitrantis, imbecillitate fracti, vel sensibus objectorum diversitate distractis priorum obliti, a Divinis humanisque legibus & optime licet instituti officii semita persæpe deflectant, nisi multoties legum memoria refricetur, cureturque per earum vigorem & Superiorum vigilantiam, ut recta earum observatione veluti regula ad veram salutis viam deducantur; Hinc Nos omnia & singula antehac a Nobis, aut Antecessoribus nostris in Synodis Episcopalibus, aut alias decreta, statuta, & mandata, de assensu Rdi Capituli nostri Cathedralis tenore præsentium innovanda, confirmanda, & præcipue sequentia, quæ non ita, ut oporteret, intelligimus observari, denuo intimanda & inculcanda duximus.

Inprimis vero, ut nemo ad cujuscunque Beneficii Parochialis, seu curati investituram seu possessionem admittatur, nisi ad curam animarum administrandam, uti habilem & idoneum, per legitimum instrumentum a Nobis, aut Vicario nostro obtentum, prius docuerit authoritate ordinaria admissum & approbatum esse.

Ad Beneficia vero simplicia præsentati, seu alias de iis provisi nullatenus investiantur, nisi ætate, morum honestate, & scientia ad obligationem Beneficiis annexam debite exequendam necessaria, aliisque qualitatibus de jure vel mente Fundatorum requisitis commendati existant, & considerata redituum quantitate propria manu in antea se se obligent, quod intra terminum a jure vel fundatione præfixum in loco Beneficii residere, & onera personaliter subire velint, idque in duplo, ita ut unum exemplar investienti, alterum Vicario nostro extradatur. Quod si secus factum fuerit, declaramus per præsentes, non solum hujusmodi prætense provisos Beneficiorum fructus nullatenus facere suos, sed & jure quocunque indebite acquisito privandos esse.

Beneficiati seu Vicarii in Collegiatis aut Parochialibus Ecclesiis provisi statutis horis choro & decantando officio personaliter intersint, quod si in eo negligentes deprehensi fuerint, ad pœnarum alias comminatarum executionem absque ulla alia monitione procedi faciemus; ii vero, qui cum dispensatione in pluribus Ecclesiis præbendati fuerint, ne propter eorum absentiam vel legitimam in una earum Ecclesiarum occupationem Divinus cultus detrimentum patiatur, Vicarius noster adhibito Prælatorum consilio statuet, quod Fundatorum intentioni, Ecclesiarum utilitati, & Divino honori augendo magis visum fuerit expedire.

Monemus item, & compellimus omnes & singulos Testamentarios, seu testamentorum Executores, ut qui post lapsum anni a die obitus disponentis de peracta executione necdum rationes & reliqua reddiderunt, sub pœnis Synodalibus Statutis insertis, infra bimestre spatium coram Vicario & Sigillifero nostro easdem reddant & justificent, alioqui contra eos nulla monitione alia mediante procedetur.

Quemadmodum alias statuimus & demandavimus, ut nulli posthac Matrimonio copularentur, nisi de necessariis scitu & creditu ad salutem tam necessitate præcepti quam medii sufficienter instructos esse ex præv, so examine appareret, ita eidem quoque Decreto adhuc inhæremus, declarantes nihilominus & mandantes Parochis & Curatis, ne Matrimonium contracturi tempore futuræ copulationis cum magna sui confusione & pusillorum scandalo rejiciantur, ut examen hujusmodi ante proclamationes consuetas præmittatur.

Volumus insuper, ut singuli Parochiani circa tempus Paschæ in Parochialibus suis Ecclesiis communicent, eorumque rationem Curati habeant, Confessio autem cuilibet libera relinquatur, ad quod Concionatores de Clero, tam Regulari, quam sæculari Auditores suos serio cohortabuntur.

Cæterum cum videamus ex Catholicorum Regum discordiis magnam Orthodoxæ Europæ partem bellorum motibus agitari, quibus paulatim in summum Catholicæ Religionis detrimentum totus posset Christianus orbis involvi tanto majore cum periculo, quanto certius est pace adhuc remota heterodoxos Catholicorum discordiis confidentiores, periculosisque fœderibus potentiores vires & animos sumere, & malum hoc dilectam patriam, & gregem nostrum eo propius tangat, quo formidabiliores sint ii, quibus circumquaque cincti sumus, hinc vos omnes & singulos in Domino adhortamur, ardentissimis Deum precibus exorare non intermittatis, ut fidem Catholicam protegere, ab hostium conatibus & insidiis defendere, Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare, & maxime præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire clementissime dignetur, quod a vobis præcipue fieri vehementer optamus, eumque in finem Episcopalem benedictionem impertimur. Dabamus sub manu & sigillo nostris in Civitate nostra Monasteriensi anno 1668. 12ma Martii.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

HABITA

Eodem anno Christi MDCLXVIII.

Deputatis Commissariis Præsidibus JOANNE RUTGERO A TORCK, JOANNE ADOLPHO KORFF *condicto* SCHMISINK, JOANNE ALPEN *Vicario Generali in Spiritualibus.*

DIE 16. OCTOBRIS.

Publicatæ in ea sunt sequentes Declarationes jussu Episcopi absentis.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

MUlta satis pro obligatione nostra & instituto vestro superioribus hucusque Synodis Decreta, Mandata, & vitæ quasi regulas ex hoc loco dedisse, nec tam ea, quam accuratam eorum observantiam pro nunc inculcandam esse clementissime judicamus; Considerantes autem, quam laudabile sit uniformitatem Ecclesiæ Romanæ imitari, ut sicut unum Pastorem, Rectorem & Caput ac Christi in terris Vicarium agnoscimus, & veneramur, ita unanimi quoque concordia & consensu, quæ ab eadem Sancta Sede salubriter ordinata & sancita sunt, prompte amplectamur.

Hinc Nobis de præscitu Reverendi Capituli nostri Cathedralis visum fuit, iisdem verbis, quæ in Pontificali Romano, & methodo Synodorum ibidem præscripta, velut compendium eorum, quæ propius ad vitam & disciplinam Ecclesiasticam, proximique ædificationem pertinent, succincte continentur, vos de Clero nostro in Synodica hac Sessione congregatos alloqui, admoneri & adhortari:

FRATRES DILECTISSIMI, ET SACERDOTES DOMINI, COOPERATORES ORDINIS NOSTRI ESTIS.

" NOs quamvis indigni locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari & Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum Discipulorum estis. Nos Pastores vestri sumus, vos autem Pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus Summo Pastori nostro Dno JESU CHRISTO, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, Fratres Dilectissimi! videte periculum vestrum. Admonemus itaque, obsecramus Fraternitatem vestram, ut, quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere studeatis.

" Inprimis admonemus, ut vita & conversatio vestra sit irreprehensibilis.

" In domibus vestris mulieres non cohabitent.

" Omni nocte ad nocturnas horas surgite.

" Officium vestrum horis certis decantate.

" Nullus, nisi jejunus, Missam celebret, & non in vestibus communibus, sed sacris & nitidis, amictu, cingulo, manipula, stola & casula, quæ ad alios usus non serviant.

" Missas religiose celebrate.

" Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI cum omni reverentia & tremore sumite.

" Corporalia mundissima sint.

" Vasa sacra propriis manibus abluite, & extergite diligenter.

" Nulla fœmina ad Altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat.

" Altare sit coopertum mundis linteis, saltem tribus diversis, & desuper nihil ponatur, nisi reliquiæ ac res sacræ & pro Sacrificio opportunæ.

" Missale, Breviarium, & Martyrologium unusquisque habeat.

" Ecclesiæ vestræ bene sint copertæ & mundæ.

" In Sacristiis sive Secretariis, aut juxta Altare majus sit locus præparatus ad infundendam aquam ablutionis corporalium & vasorum sacrorum, ac manuum, postquam Sacrum Chrisma, aut Oleum Catechumenorum, vel Infirmorum tractaveritis, ibique pendeat vas cum aqua munda

" da pro lavandis manibus Sacerdotum, & " aliorum, qui rem ſanctam & officium Divinum ſunt peracturi, & prope linteum " mundum ad illas abſtergendum.

" Atria Eccleſiæ ſint bene munita.

" Nullus ſine ſcitu & conſenſu noſtro " per poteſtatem ſæcularem Eccleſiam obtineat.

" Nullus Eccleſiam, ad quam intitulatus eſt, dimittat, & ad aliam quæſtus gratia ſe transferat.

" Nullus plures Eccleſias ſine titulo, & " contra ſacrorum Canonum diſpoſitiones " nanciſci præſumat.

" Nullatenus etiam una Eccleſia inter " plures dividatur.

" Nullus extra Eccleſiam in locis non " conſecratis celebret.

" Nullus alterius Parochianum, niſi itinerantem, & tunc de Rectoris ſui licentia " ad Communionem recipiat.

" Nullus in alterius Parochia abſque " proprii Sacerdotis licentia Miſſam celebret.

" In celebratione quiſque calicem, & " oblata non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, ſed junctis & " extenſis digitis Cruce ſignet, ſicque benedicat.

" Calix & patena ſint aurei vel argentei, non ærei aut aurichalcei, vitrei vel " lignei.

" Quiſque Presbyter Clericum habeat " vel Scholarem, qui cum eo Pſalmos cantet, Epiſtolam & Lectionem legat, & in " Miſſa reſpondeat.

" Ipſe quoque Presbyter infirmos viſitet, & reconciliet, & juxta Apoſtolum " propria manu communicet, Oleo Sancto " inungat.

" Nullus præſumat tradere Communionem Laico, aut fœminæ ad deferendum infirmo.

" Nullus pro baptizandis infantibus, " ſive adultis, aut infirmis reconciliandis, " aut mortuis ſepeliendis, præmium vel munus exigat.

" Per negligentiam veſtram nullus infans ſine Baptiſmo, aut adultus ſine Communione pereat.

" Nullus veſtrum ſit ebrioſus, aut litigioſus.

" Nullus arma ferat.

" Nullus canum aut avium jocis inſerviat, nullus in tabernis bibat.

" Quiſque veſtrum, quantum ſapit, de " Evangelio, Dominico & cæteris Feſtivis " diebus ſuæ plebi annuntiet.

" Verbum Domini prædicate.

" Curam pauperum, peregrinorum, " viduarum & orphanorum habete, ipſosque peregrinos ad prandium veſtrum vocate.

" Eſtote hoſpitales, aliis exinde bonum " exemplum præbentes.

" Singulis diebus Dominicis ante Miſſam aquam, qua populus aſpergatur, benedicite, ad quod proprium vas habete.

" Sacra vaſa & veſtimenta Sacerdotalia " nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare.

" Minus digne pœnitentem, cujuscunque rei gratia ad reconciliationem non adducite, neque ei reconciliationis teſtimonium perhibete.

" Uſuras non exigite.

" Nec facultates veſtras poſt ordinationem veſtram aquiſitas alienatæ, quoniam Eccleſiæ ſunt.

" Nullus etiam res, poſſeſſiones, aut " mancipium Eccleſiæ vendere, commutare, aut quocunque ingenio præſumat alienare.

" Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat.

" Nullus pœnitentem carnem manducare, aut vinum bibere invitet, niſi pro eo tunc eleemoſynam fecerit.

" Quiſque fontes baptiſmales lapideos " habeat bene mundos, quos ſi habere non " poterit, vas aliud ad hoc opus ſolum deputatum teneat.

" Omnibus Parochianis veſtris Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam inſinuate.

" Jejunia Quadrageſimæ, quatuor Temporum, & alia Eccleſiæ Mandata ſignificate obſervanda.

" Ante Quadrageſimam quarta feria " populum ad peccatorum Confeſſionem invitate, & confeſſis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite.

" Tribus temporibus in anno, id eſt, " Nativitate Domini, Paſcha & Pentecoſte " omnes fideles accedere ad Communionem " Corporis Domini noſtri JESU CHRISTI " admonete, & ne deſit ullus, quin ſaltem " in Paſcha communicet.

" Certis temporibus conjugatos abſtinere ab uxoribus exhortamini.

" Nullus veſtrum rubeis, aut viridibus, " vel laicalibus veſtibus utatur.

" Diem Dominicam & cæteras feſtivitates abſque opere ſervili a veſpera in " veſperam celebrari docete.

" Cantus & choreas mulierum in atrio " Eccleſiæ prohibete.

" Incantationes ſuper mortuos nocturnis horis a vulgo fieri conſuetas conteſtatione Dei Omnipotentis vetate.

" Cum excommunicatis nolite communicare.

" Ne quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat, quod etiam plebi nuntiate.

" Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis publice fuerint celebratæ.

" Quod nullus ad raptam, vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnimodis prohibete.

" Porcarios & alios pastores saltem Dominica die faciatis venire ad Missam.

" Patrinos, ut filios Symbolum, & Orationem Dominicam doceant, aut doceri faciant, exhortamini.

" Sacramentum Eucharistiæ, Sanctum Chrisma, & Oleum Catechumenorum ac Sanctum, seu infirmorum in Ecclesia in loco mundo, concedenti & securo sub sera & fida custodia diligenter servate.

" Quisque vestrum expositionem Symboli, & Orationis Dominicæ juxta orthodoxorum Patrum traditiones penes se habeat, easque, atque Orationes Missarum, & Epistolas, Evangelia & Canonem bene intelligat, ex quibus prædicando populum sibi commissum sedulo instruat, & maxime non bene credentem.

" Introitum Missæ, Orationes, Epistolam, Graduale, Evangelium, Symbolum, & cætera non Secreta alta & intelligibili voce proferat.

" Secreta vero & Canonem morose & distincte submissa voce legat.

" Psalmorum verba & distinctiones regulariter cum canticis consuetis intelligibiliter pronuntiet.

" Symbolum S. Athanasii de Trinitate & Fide Catholica memoriter teneat.

" Exorcismos & Orationes ad Catechumenos faciendos, ac reliquas preces super masculum & fœminam, pluraliter & singulariter respective, distincte proferat.

" Ordinem baptizandi & ad succurrendum infirmis, reconciliationis, & commendationis animæ, & in agendis exequiis defunctorum juxta modum canonicum observet.

" Exorcismos & benedictiones salis & aquæ pertinenter legat.

" Canticum diurnum & nocturnum sciat.

" Computum etiam minorem ad inveniendum literam Dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ & majorum mobilium Festorum non ignoret.

" Volumus autem, Fratres Dilectissimi! quatenus quæ nostra præcepistis traditione, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro JESU CHRISTO, cui cum Patre & Spiritu Sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum."

Quæ sicut ab Apostolica Sede Spiritus Sancti directione salubriter ordinata sunt, ita vos obedientissimo animo parituros confidimus.

Demum omnia & singula Decreta, Processus, Mandata, & Edicta nostra, vel Prædecessorum nostrorum authoritate in & ex hoc loco publicata & intin..ta, de præscitu Rdi Capituli nostri Cathedralis denuo innovamus & confirmamus, nostrasque intentiones bonum Religionis & Imperii spectantes, Precibus & Sacrificiis vestris enixe commendantes, Benedictionem vobis Episcopalem paterne impertimur. Ita dabamus ex arce nostra Saffenberg die 14ta Octobris anno 1668.

Christophorus Bernardus mpp.

(L. S.)



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXIX. Clementis IX. PP. II. Leopoldi I. Imp. XIII.

HABITA

DIE 2. APRILIS.

Commissarii Præsides Deputati: CHRISTIANUS A PLETTENBERG, JOANNES RUTGERUS A TORCK, JOANNES ADOLPHUS KORFF *condictus* SCHMISINCK, JOANNES ALPEN, *Vicarius Generalis in Spiritualibus.*

In loco solitæ Congregationis Synodalis jussu Episcopi absentis publicata sunt sequentia:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, S. R. I. PRINCEPS, &c. &c.

QUæ humani corporis, adeoque rerum sublunarium omnium perpetua vicissitudo est (cœlestibus orbibus quasi ære fusis, ubi stellæ dant lumen in custodiis a corruptibilitate exemptis) nihil est, ut tam solido stet gradu vel pede, nihil adeo firmis compactum sit nervis, inconcussis illigatum principiis, quin ad sui conservationem, in quotidiani defectus reformationem fomento, insuper exteriori custodia, basis laterumque observatione indigeat, qua mille propulsentur pericula, & contrariorum amotione ab interitu vindicentur vel lapsu. Parem omnino corpori mystico, quantumcunque illud optimis, sanctissimisque legibus, uti propulsandæ dissolutionis repagulis fuerit coagmentatum, naturam ac rationem inesse nemo inficiabitur, quisquis in illud animi oculos deflexerit, ejusque conditionem intima consideratione sibi præsentarit; ut proinde quælibet communitas æque ac mortale corpus, quod calor nativus depascit, tempus edax debilitat, senium in morbos & mortem præcipitat, multiplici præsidio foveri, & congruis adminiculis, cohortationibusque animi debeant subinde excitari, quo defectibus tandem emendatis, qui ceu torpor quidam bene cœptis obrepunt, ad primordia vocationis, institutionisque suæ se erigant, & ab imo in altum corde & cogitatione assurgant.

Quare ad compescendos seu abolendos, in quantum possumus, abusus seu indecentia quæcunque, si quæ in Clero vel populo nostro irrepserunt, imprimis S. Conc. Tridentini Decreta tam doctrinam fidei, quam reformationem vitæ ac morum respicientia, alias a Nobis, & Antecessoribus nostris ex hoc loco sæpius intimata, de consilio & assensu Ven. Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis omnibus & singulis iterum & serio intimamus, mandantes districte, quatenus omnes & quæcunque suspectæ mulieres non solum domibus, sed etiam civitatibus, oppidis & pagis ita a Clericorum conversatione excludantur, ut nihil possit de iis sinistræ suspicionis moveri.

Item a crapula & ebrietate diligenter abstineant.

Tabernas publicas, nisi forsan in itinere constituti, nullatenus visitent.

Ludos, aliosque actus illicitos non frequentent.

Usuras, Simoniam, officia & commercia sæcularia non exerceant.

Tonsuram & vestes Clericales ultra genua propendentes gestent.

Beneficia vero Ecclesiastica habentes, ad sacros Ordines juxta eorum fundationem requisitos, se promoveri faciant & procurent.

Omnes & singuli testamentorum seu ultimarum voluntatum quarumcunque personarum Ecclesiasticarum Executores infra annum & sex septimanas tum pœnarum tam a sacris Canonibus, quam Nobis & Prædecessoribus nostris facta comminatione de concredito sibi executorio munere rationes & reliqua reddant. Quod si autem huic nostræ monitioni seu nunc, seu alias non paruerint, contra eosdem non solum ad comminatam punitionem, sed & executionem ejus, quod eo casu Ordinario competit, citra aliam monitionem Episcopali authoritate procedemus.

Insu-

Insuper monemus quoscunque de jure vel consuetudine jurisdictionem habentes primo & secundo, conjunctim ac divisim, ut infra mensis spatium a dato præsentium proxime & immediate sequens excessus culpabiles in subjectis corrigant.

Beneficiati item absque legitima causa a Nobis præcognita, aut sine speciali nostra licentia absentes, intra mensem Nobis, aut Vicario nostro se se relevanter purgent, quare nec faciant, nec fecerint in loco Beneficiorum suorum Residentiam personalem.

Et quia præcipua cura adhibenda est, ut in Parochialibus Ecclesiis, quæ Sacramentorum administrationem & prædicationem cœlestis eloquii concernunt, omnia rite, decenterque fiant, hinc nemo de Beneficio Pastorali seu qualitercunque Curato investiri debet, nisi ante legitime per examen ad hoc idoneus judicatus, seu approbatus fuerit, & inantea investienti exhibuerit obtentæ hujusmodi approbationis instrumentum. Declarantes, si quos eo neglecto ad investituram admitti contingat, nihil eam prætense investito juris tributuram, sed insuper, cum postmodum idonei fuerint reperti, contra hujusmodi transgressores severe procedendum esse.

Deinde cum juxta Decretum S. D. N. S. recordationis ALEXANDRI VII. Feria quinta die 30. Januarii anno 1659. publicatum, Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, non habeantur approbati in aliis Diœcesibus, sed nova Episcoporum indigeant approbatione, nec habeant potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, nisi hæc ipsis ab Episcopo indulta fuerit; Hinc inhibemus universis & singulis Ecclesiarum quarumcunque Rectoribus, & Curatis, ne Regulares hujusmodi in suis Ecclesiis, Oratoriis, vel Capellis ad confessiones Christi fidelium audiendas, aut verbum Dei prædicandum admittant, nisi primitus per Nos, sive nostrum in Spiritualibus Vicarium fuerint approbati & admissi, & hujusmodi admissionem ac licentiam legitime docuerint.

Nemo autem sive sæcularis, sive Regularis fuerit, Sanctimonialium Confessiones excipere, easdemque in foro conscientiæ absolvere præsumat, nisi prius a Nobis, aut Vicario nostro specialem ad hoc obtinuerit approbationem. Qui vero id docere non possunt, iis præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut a Confessionibus audiendis, & verbi DEI prædicatione omnino abstineant.

Cæterum superiora Edicta, Mandata & Decreta nostra innovantes, omnes & singulos de Clero nostro paterne exhortamur, ut, cum nihil ad pietatem & DEI cultum alios assidue magis instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt, quique a rebus sæculi in altiorem sublati locum ab omnibus conspiciuntur, ita vitam moresque suos componant, ut nil nisi grave, moderatum ac Religione dignum præ se ferant, ex eorumque actionibus sumant alii, non minus quod cunctis afferat venerationem, quam quod singuli studiose imitentur. Quo fine Episcopalem vobis benedictionem ex animo impertimur. In fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigilloque nostro roboratas dedimus in Monasterio nostro Bentlagen 30ma Martii anno 1669. Regiminis nostro 19no.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

HABITA

Eodem anno Christi MDLXIX.

DIE 15. OCTOBRIS.

Deputati ab Episcopo Commissarii Præsides: MATTHIAS KORFF *condictus* SCHMISINCK, JOANNES RUTGERUS A TORCK, JOANNES ALPEN *Vicarius Generalis in Spiritualibus.*

In ea jussu Episcopi absentis publicata sunt sequentia:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c.&c.

HUmano vix judicio ita bene quidquam & providenter sanciri potest, quin usus sæpe aperiat, doceatque id, quod salubriter statutum est, non ea semper, qua opor-

oporteret, promptitudine ad amussim observari, sed econtra salutares Legislatorum intentiones, sive vano privilegiorum quorundam prætextu, sive irrita aliarum exceptionum obmotione, non raro etiam cum salutis animarum periculo interverti. Quod in iis, quæ circa Regulares, & Confessarios tam ordinarios, quam extraordinarios Religiosarum, nec non Administratores temporalium bonorum apud easdem a Pontifice GREGORIO XV. in Bulla, quæ incipit: *Inscrutabili Dei providentia*, &c. salubriter ordinata sunt, cognoscimus evenire. Quæ tametsi superioribus Synodis a Nobis de consensu Rdi Capituli nostri Cathedralis ex hoc loco & alias debite publicata & intimata sit, ad eliminandam nihilominus affectatam quorundam ignorantiam, & tanto securius animarum saluti consulendum expedire judicavimus eandem denuo omnibus & singulis, ad quos quomodolibet pertinere poterit, de verbo ad verbum publicare. Estque tenoris subsequentis:

GREGORIUS EPISCOPUS, &c.

" Inscrutabili Dei providentia universalis " Ecclesiæ regimini &c."

Quare Decretis nostris, & Bullæ huic GREGORIANÆ insistentes omnibus & singulis, quos prædictæ Ordinationes quomodolibet concernunt, serio demandamus, ut quæ de exemptorum privilegiis, Regularium vita & moribus, animarum cura, Confessariorum approbatione, Sacramentorum administratione, Sanctimonialium Monasteriis, earumque clausura & gubernio, nec non prædicatione verbi Dei, tam in præinserta GREGORIANA, quam occasione quorundam super eadem dubiorum a Summis Pontificibus & sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum editis Constitutionibus ac declarationibus salubriter ordinata, decisa, vel declarata, & mandata sunt, firmiter & inviolabiliter observent, cæteroqui contra inobedientes per censuras & pœnas virtute hujusmodi Constitutionum, & prout alias de jure possumus, procedemus, & procedi faciemus.

Demum Processus, Mandata, Decreta & Statuta tam fidem, quam vitam & mores concernentia in præcedentibus Synodis nostra vel Prædecessorum nostrorum authoritate publicata & insinuata, per præsentium tenorem innovamus, & confirmamus, vos omnes & singulos ipsis S. Conc. Tridentini verbis in Domino hortantes, quod *Sess. 22. C. 1. de Reformat.* sic inquit:

" Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, " quam eorum vita & exemplum, qui se " Divino ministerio dedicarunt. Cum enim " a rebus sæculi in altiorem sublati locum " conspiciantur, in eos tanquam speculum " reliqui oculos injiciunt, ex iisque sumunt, " quod imitentur. Quapropter sic decet " omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, " moderatum, ac Religione plenum præ se " ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis " maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum " igitur, quo majore in Ecclesia Dei & utilitate & ornamento hæc sunt, ita etiam " diligentius sint observanda, statuit Sancta " Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de Clericorum " vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem inposterum iisdem " pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii " imponendis observentur. "

Quæ ut vos tanto promptius observare & exequi studeatis, Nos vobis benedictionem Episcopalem impertimur. In quorum omnium fidem præsentes literas manu propria subscriptas, sigilli quoque nostri subimpressione jussimus communiri. Datas in arce nostra Sassenberg 12ma Octobris anno 1669.

I. *In Synodo Quadragesimali habita 18va Martii anno 1670, sancita rursum ea, quæ habentur in Epistola Pastorali* h. Tom. pag. 21., *& pro more Deputati Commissarii Præsides:* Christianus a Plettenberg, Rotgerus a Torck, Goswinus a Droste, Joannes Alpen *Vicarius Generalis.*

II. *In Synodo Episcopali Autumnali* 14. *Octobris ejusd. anni publicata est Constitutio Sanctissimi D. N. CLEMENTIS Papæ X. Qua Regularium privilegia quoad prædicationem verbi Dei & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur tenoris sequentis:* Superna magni Patrisfamilias præordinatione *&c. &c. Deputati etiam Commissarii Præsides ab Episcopo Principe:* Joannes Rutgerus a Torck, Matthias Korff *condictus* Schmisinck, *ac* Joannes Alpen *Vicarius Generalis.*

SYNODUS DIOECESANA *Quadragesimalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXXI. Clementis X. PP. II. Leopoldi I. Imp. XIII. (*)

CELEBRATA

Jussu ejusdem ***CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN,*** *Monasteriensium Episcopi,*

DIE 10. MARTII.

Commissarii Episcopales deputati JOANNES RUTGERUS A TORCK, CHRISTIANUS A PLETTENBERG, JOANNES ADOLPHUS KORFF *condictus* SCHMISINCK, BERNARDUS MODERSOHN J.U.L., JOANNES ALPEN *Vicarius Generalis.*

Publicatæ sunt, Episcopo absente, sequentes Literæ Pastorales:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS &c. &c.

MUlta satis pro obligatione nostra & instituto vestro, superioribus hucusque Synodis Decreta veluti quasdam Ecclesiasticæ vitæ regulas ex hoc loco dedimus, nec repetitionem eorum adeo necessariam, quam accuratam singulorum observantiam, & qualem ex animo desideramus, majorem in plerisque vivendi perfectionem pro nunc commendandam esse clementissime judicavimus. Vos enim, qui præeunte cœlesti vocatione, relictis mundi illecebris, in Dei sortem, ejusque sanctuarium assumpti estis, nec immerito ab Apostolorum Principe genus electum, regale Sacerdotium, genus sancta, populus acquisitionis vocamini, inprimis decet, ut sicut dignitate supra vulgus eminetis, ita sanctitate vitæ, & morum perfectione excellere studeatis.

Sane prudenter ac sancte Trid. Synodi Patres, sacrique Canones statuerunt, non solum oportere Ecclesiasticos omnes tonsuram Clericalem & proprio congruentes Ordini semper vestes ferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam demonstrarent, & ab omni suspecta mulierum conversatione, tabernarum publicarum frequentatione, ludis, aliisque actibus illicitis diligenter abstinerent, sed etiam vitam, moresque suos ita componerent, ut habitu, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, & Religione plenum præ se ferrent, & caverent studiose, quidquid esse posset a tam sancto instituto alienum, quicunque per sacrorum Ordinum susceptionem Divinis Ministeriis & Ecclesiæ perpetuo essent dicati, ne quod olim Hebræorum Sacerdotio minatus est Deus, eveniat: O Sacerdotes, quia recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, & irritum fecistis pactum Levi, propter hoc ego dedi vos contemptibiles & humiles in omnibus populis. Quod, ne fiat, hortamur vos cum gentium Doctore Patrono nostro, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium vestrum, sed in omnibus exhibeatis vos ipsos sicut Dei Ministros, & fideles Dispensatores Mysteriorum ejus. Et quia a vobis populi beatitudo plurimum dependet, vitam in timore Dei ab omni crimine & criminis suspicione liberam instituentes eam, quæ in vobis est per impositionem manuum Episcopalium, & Presbyterii gratiam, in Divinis Officiis devotionem, erga proximos charitatem, erga vos ipsos vero sanctitatem servare, omnibusque prælucere pertinaci diligentia studeatis. Quem in finem Episcopalem vobis Benedictionem impertimur, Nos & intentiones nostras, quæ ad solius Religionis ac dilectæ Patriæ bonum collimant, Sacrificiis & Precibus vestris enixe commendantes. In fidem præsentes Pastorales literas manu & sigillo nostris roboratas, dedimus in nostro Castro S. Ludgeri 6ta Martii anno 1671. Regiminis nostri 21mo.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

SYNO-

(*) Pag. 26. h. Tom. legendum: *Anno Leopoldi I. Imp. X.*

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,
Eodem anno Christi MDCLXXI.

CELEBRATA

Jussu ejusdem CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monast. Episcopi,

DIE 13. OCTOBRIS.

Commissarii Episcopales deputati JOANNES RUTGERUS A TORCK, MATTHIAS A KORFF *condictus* SCHMISINCK, GERHARDUS KEMPER J. U. D. JOANNES ALPEN *Vicarius Generalis.*

In hac Synodo publicatæ sunt sequentes Constitutiones, Episcopi absentis:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

INter immensas Pastoralis curæ solicitudines non minima sane censenda est illa, qua summo semper studio Ecclesiarum Prælati, & animarum Curatores obligantur vigilare, ut vitia ea, quorum gravitate benignissimus Deus potissimum ad iracundiam justam provocatus, varias nationibus ac terris calamitates immittere consuevit, ex animis subditorum prorsus extirpentur. Inter ea execrandum blasphemiæ crimen, inordinatam Divini Nominis usurpationem, liberam illam male imprecandi, jurandique consuetudinem, vanam observantiam, & quascunque superstitiones non ultimo loco collocanda judicamus.

Et quanquam eo fine diversa alias Decreta, Edictaque a Nobis publicata & innovata sint, quia tamen criminum hujusmodi impietatem & impudentiam eo prolapsam dolenter intelligimus, ut in iis coercendis vix satis diligentiæ adhiberi posse videatur, maxime apud simpliciorem populum præ inveterata consuetudine existimantem delicta hæc vix adeo gravia haberi, quam malitia in iis contenta ea ratione objecti quod læditur, alias importat.

Volentes igitur, non solum hujusmodi mala evelli, sed etiam Religionem, veramque pietatem omni zelo ac diligentia subjectorum mentibus instillari, ne Divina Bonitas tanta noxarum immanitate lacessita, majoribus nos malis involvi patiatur. Hinc priora nostra Mandata præsentium authoritate innovantes, de consensu Ven. Capituli nostri Cathedralis serio mandamus, ut Curati, Concionatores, & Confessarii in jam enarrata & alia id genus vitia zelose invehantur, ac propositis non solum pœnis æternis ac temporalibus propterea non raro a Deo intentatis, sed etiam comminatione severissimæ animadversionis sacris æque ac profanis constitutionibus statutæ, certoque infligendæ, pravam hujusmodi consuetudinem tollere satagant, & extirpare.

Moneant etiam parentes, ut singularem prolium suarum rationem habeant, easque non solum in Scholis & Templis recta orandi methodo instrui curent, sed & a plateis & suspecta aliorum conversatione arceant, compellantque, ut cumprimis vespери & mane contra quascunque insidiosi hostis technas fusis domi pie ad Deum precibus se se muniant, ne quod admirari magis, quam perscrutari licet, parvulos vix in aliqua ætate constitutos, vel ipsiusmet Dœmonis vel satellitum suorum opera misere seductos, serius deplorent.

Quod ut tanto certius observari possit, volumus ariolos e Parochiis & tota Diœcesi eliminari, in eosque studiosius inquiri, qui hujusmodi impostores etiam in vicinis locis commorantes seu consulere, seu remedia defectibus morbisve curandis adhibere præsumpserint, quæ non a medica arte, sed superstitione proficiscuntur.

Ut autem concreditas oves ea mali enormitas latere non possit, in concionibus & utilissime in Catecheticis exhortationibus, tanto quidem potiore studio & affectu docendi sunt, quanto uberiores ex eo ut plurimum fructus, animarumque proventus colligi possunt, ne quod, pro dolor! alias sæpius, plures animæ etiam his temporibus defectu instructionis a salutis via aberrent, &

& tandem in perditionis abyſſum devolvantur; eumque in finem Mandata noſtra de Catechiſmorum obſervatione toties iterata innovamus diſtricte præcipientes, ut in omnibus Parochialibus, & ubi Parochiæ ampliores, & Parochiani ab Eccleſia remotiores, Sacerdotumque ſeu Clericorum copia adfuerit, in aliqua parte Parochiæ pro majore catechizandorum commoditate ſingulis Dominicis per annum Catechiſmi habeantur; populusque ad eorum frequentationem ſedulo compellatur.

Et quia Religioni, ac Reipublicæ Chriſtianæ ex bona juventutis in pietate & moribus inſtructione plurimum utilitatis accedit, mandamus, ut ad erudiendam recte teneram ætatem ſcholæ ubique conſerventur, & pro amplitudine vel diſtantia Parochiarum etiam plures exigantur. Sicubi vero pueri & puellæ unam tantummodo ſcholam frequentare debent, ne quid indecens committatur, hæ ab illis ſejungantur. Sed ubicunque ſpeciales Ludimagiſtræ haberi poterunt, ſoli earum curæ puellarum inſtructio concedatur, eæque omni immunitate ac privilegio, prout Ludimagiſtri, aliive ſcholarum Rectores pariter gaudeant, & fruantur.

Cæterum vos omnes & ſingulos, quos præ aliis in ſortem ſuam Dominus aſſumpſit, cum Patrono noſtro adhortamur, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, & per bona opera certam faciatis vocationem ac electionem veſtram*, quem in finem Epiſcopalem vobis benedictionem impertimur. In cujus rei fidem præſentes dedimus manu ac ſigillo noſtris roboratas in Civitate noſtra Monaſterienſi die 11ma Octobris anno 1671. Regiminis noſtri 21.

Chriſtophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

SYNODUS DIOECESANA *Quadrageſimalis* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCLXXII. Clementis X. PP. III. Leopoldi I. Imp. XIV.

CELEBRATA

Juſſu ejusdem CHRISTOPHORI BERN. a GALEN, Monaſterienſium Epiſcopi,

DIE 29. MARTII.

Commiſſarii Epiſcopales deputati Joannes Rutgerus a Torck, Matthias a Korff *conditus* Schmiſinck, Gerhardus Kemper J. U. D., Joannes Alpen *Vicarius Generalis.*

In hac Synodo ſequentia publicari juſſit Epiſcopus abſens:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

INter aſſiduas Dominici gregis vigilantiæ noſtræ commiſſi non ſolum a Spiritualibus, ſed etiam corporalibus noxis, periculisque imminentibus, quantum ex alto permittitur, præſervandi curas, monet nos officii noſtri ratio, illi potiſſimum Paſtorali ſolicitudine incumbendum eſſe, ut tam ea, quæ a Sacris Oecumenicisque Conciliis pro communi totius populi Chriſtiani ſalute pie prudenterque ſtatuta, quam in Provincialibus, æque ac Diœceſanis noſtris Synodis ad conſervandam inprimis diſciplinam Eccleſiaſticam, promovendamque in Clero noſtro vitæ ac morum integritatem ſalubriter ordinata ſunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deſerantur. Hoc ut efficacius fiat, exigit humanæ mentis conditio, ut tametſi idem ſæpius ob oculos poſitum ſit, nonnunquam tamen innovetur, denuo repetatur, & ſerio obſervandum inculcetur. Quare Statuta & Decreta a Nobis & Anteceſſoribus noſtris de conſilio & aſſenſu Venerabilis Capituli noſtri Cathedralis alias lata & publicata tenore præſentium innovantes, vobis omnibus & ſingulis diſtricte præcipimus, ut Sacroſancti & univerſalis Concilii

cilii Tridentini Decreta, quæ fidei doctrinam, quæ morum reformationem respiciunt, sedulo observetis. Tonsuram & habitum Ordini ac statui Clericali congruentem gestetis, non sicut in quibusdam inviti licet observavimus, qui vestibus varii coloris, limbis auro argentove, vel serico intertextis, indusio e manicis in longum ac latum propendente, capillis in cervicem ac scapulas prolixe defluentibus militarem potius, quam exemplaris Clerici personam repræsentant, & quod caput est, qui Sacerdotes sunt, crinibus adeo prolixis sacrosanctum ac tremendum Missæ Sacrificium ad aram peragentes manifestam populo scandali occasionem præbent, sed qui in susceptione non modo sacrorum Ordinum, verum ipsius etiam primæ Clericalis Tonsuræ, repudiatis sæculi vanitatibus comas pro amore Dei deposuistis, rejectaque sæcularium vestimentorum servitute, ac ignominia habitu Religioso induti, Divino vos servitio in Ecclesia Dei mancipastis, habitum nigrum, talarem, modestum, & a studiosius exquisita cultus elegantia, vel ornamenti novitate, multo magis levitate alienum, in quo tamen nimis abjecta negligentia, vel affectatæ sordes cum Clericalis status dedecore non appareant, capillos item paulum infra aures detonsos, & coronam in vertice pro dignitatis & Ordinis, quo quisque initiatus est, exigentia, conspicue feratis, eosque in incessu, statu, gestu, vultu mores profiteamini, ut per externam conversationem interna Religiosi animi forma exprimatur & elucescat.

Qui vero huic nostræ monitioni non paruerint, ab Archi-Diaconis, Decanis, vel Vicario nostro per suspensiones ab Ordinibus, ac Officio & Beneficio, aliasque pœnas contra tonsuram & habitum congruentem non deferentes, in sacro jure expressas coerceantur.

Severe pariter ac sub earundem pœnarum comminatione prohibemus, ne Clerici Beneficiis affecti, vel in sacris Ordinibus constituti ad commessandum vel potitandum cauponas, seu tabernas potorias, nisi itineris ratio, vel necessitatis causa excuset, ullatenus frequentent, ut, cum oculi omnium in Cleri conjiciantur, ex publico excedentium delicto majus in populo scandalum non generetur.

Cæterum quæ de concubinatu, & vitanda suspectarum mulierum conversatione, de suscipiendis Ordinibus Beneficiorum obligationi annexis, de residentia, de excessuum correctione, de exequendis ultimis voluntatibus, ac testamentis Clericorum, de Catechesi & juventutis instructione, de legitima Sacramentorum, & curæ animarum administratione, aliaque id genus plura alias a Nobis decreta & intimata sunt, tenore præsentium denuo inculcantes, vos omnes & singulos in Domino adhortamur, ut inter sæcularium conversationem, sicut luminaria vitæ & actionum luce fulgere studeatis, Dei timorem in cordibus, in vita honestatem, in moribus gravitatem, in Divinis Officiis pietatem, erga vosmetipsos sanctitatem & continentiam servantes, Dei honorem, vestram proximique salutem & æternitatis memoriam nunquam ex animo deponatis. Nos interim, ac dilectos subditos nostros inter temporum horum calamitates Sacrificiis & Precibus vestris impense commendamus. Datum in Civitate nostra Monast. 27. Martii 1672.

Christophorus Bernardus mpp.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS, Eodem anno Christi MDCLXXII.

CELEBRATA

Jussu ejusdem CHRISTOPHORI BERNARDI a GALEN, Monasteriensium Episcopi,

DIE II. OCTOBRIS.

Commissarii Episcopales deputati Matthias Korff *condictus* Schmisinck, Joannes Rutgerus a Torck, Joannes Adolphus Korff *condictus* Schmisinck, Joannes Alpen, *Vicarius Generalis.*

REVERENDISSIMI, ADMODUM REVERENDI, VENERABILES DOMINI!

CElsissimus Princeps Episcopus & Dominus noster Clementissimus novas in præsenti Synodo Constitutiones publicare supervacaneum judicavit clementissime existimans,

ſtimans, multa ſatis ſuperioribus Synodis ſtatuta, intimata & publicata eſſe, ſi modo exacte obſervarentur. Unde Nobis, quibus vice ſuà præſidendi poteſtatem fecit, inter alia clementiſſime injunxit, ut eorum obſervantiam vobis ſerio inculcaremus.

Obſervabitis vero, ſi in Eccleſia & Choro aſſiduitatem, in executione onerum vobis incumbentium zeloſam juſtitiam, in habitu decentiam, in tonſura congruitatem, in geſtu & inceſſu, nil niſi grave & moderatum, in vita continentiam, in moribus honeſtatem exhibentes, verbo, vitam vocatione veſtra & Clericali ſtatu dignam peragentes in omni actione veſtra vivam Chriſti imaginem repræſentetis, ut per exemplum, & opera veſtra bona, glorificetur Pater, qui in Cœlis eſt.

Et quemadmodum graviſſimas variorum temporum inflictas Chriſtiano populo calamitates vitioſæ Clericorum vitæ attributas eſſe ex ſacris Hiſtoriis exploratum habemus, ita nunc contra ſperare liceat emendata in melius converſatione, devota Cleri pietate clades hujusmodi a cervicibus noſtris longe avertendas.

Sane ante menſes aliquot ſcintillantes bellorum motus, publicæque hoſtium, & privatæ inſidiantium machinationes Religioni ac Patriæ non aliud, quam funera, incendia atque ipſam vaſtitatem minabantur. At vero Benigniſſimus DEUS effuſis ſupplicantium precibus, pia quaſi animorum conſpiratione exoratus Dexteram ſuam exerens in comminantes ipſos mala hæc fere omnia convertit, quippe ſuam ex alto benedictionem profuſe largitus, juſtiſſima Celſiſſimi arma adverſus hoſtem totius Europæ facile potentiſſimum, tot tantisque victoriis decoravit, quales in ſuperiorum ætatum hiſtoriis vix leguntur, & certo conſtat a némine Principum Epiſcoporum Monaſterienſium reportatas eſſe, incredibili profecto Religionis, Eccleſiæ & Patriæ hujus emolumento.

Tanta beneficiorum pondera Celſiſſimus ad ſtateram animi examinans, Divinæ bonitati, qua par eſt, animi ſubmiſſione gratias acturus clementiſſime mandavit, ut quando poſt tot triumphata loca primum redux, volente DEO, Sabbato proxime futuro Civitatem hanc ſolenniore pompa inter feſtivam campanarum compulſationem, & tormentorum exploſiones ingreſſus fuerit, poſtridie, id eſt, Dominica ſequente Proceſſio per campum Dominicum cum deportatione Sanctiſſimi habeatur, & poſt celebratam in gratiarum actionem Pontificali ritu Miſſam hymnus Ambroſianus ſolenniter decantetur.

Cui devotioni uti Venerab. Clerum Civitatis hujus pro obligatione ſua, & ſolita obedientia inter alios congratulantes intereſſe oportebit, ita porro conabuntur intentiones Celſiſſimi ſuæ Eccleſiæ, Imperii, ac dilectæ Patriæ bonum ſpectantes devotiſſimis animis, Sacrificiis & Precibus ſuis adjuvare.

Et cum tantæ animarum ſegetes undequaque exuberent albeſcentes ad meſſem, obnixe rogetur Deus, ut mittat operarios in vineam ſuam, quodque feliciter jam inchoatum, errorum labruſcæ, quæ ſæculum & ultra ſuccreverunt, radicitus ex ea convellantur, & ager Monaſterienſis, id eſt, vera & Apoſtolica Fides longius dilatetur, ut tandem ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris. Quod ut majore cum fructu fiat, Celſiſſimus Epiſcopalem vobis Benedictionem paterne impertitur. Ergo.

Benedicat vos Omnipotens Deus &c.

In Synodo Vernali publicata ſunt die 14*ta Martii, quæ* (h. Tom. pag. 21.) *allata ſunt:* Salutari lege *&c.*



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Anno Chriſti MDCLXXIII. Clementis X. PP. IV. Leopoldi I. Imp. XV.

SUB REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,
***D. GILBERTO de CHOYSEUL du PLESSY-PRASLAIN,* (*)**
Tornacenſium LXXXV. Epiſcopo,

HABITA
DIE 13. JUNII.

Mandatum pro Convocatione Synodi Diœceſanæ anno 1673.

GILBERTUS de CHOYSEUL du PLESSY-PRASLAIN,
Divina providentia Epiſcopus Tornacenſis, univerſo Civitatis & Diœceſis Tornacenſis Clero, cæteriſque, quorum intererit, Salutem & Benedictionem in CHRISTO JESU.

SYnodorum utilitatem, imo neceſſitatem probat & Divina ſacrarum Scripturarum authoritas, & Apoſtolica Traditio perpetua Eccleſiaſticæ conſuetudinis præſcriptione firmata, illarumque celebrationem prætermittere nefas arbitramur. Quare cum & Venerabilium Confratrum noſtrorum Decani, Canonicorum & Capituli noſtræ Cathedralis Eccleſiæ conſilio, Diœceſanæ noſtræ Synodi Generalis Congregationem non diutius duxerimus eſſe differendam, mandamus ex ſacri Concilii Tridentini Conſtitutione, omnibus tam ſæcularium, quam regularium Eccleſiarum Prælatis, earumque Capitulis, Prioribus, Decanis Chriſtianitatis & Paſtoribus, Capellanis, cæteriſque, qui de jure aut conſuetudine debent Synodo adeſſe, ut ad illam Nobiſcum habendam in noſtra Cathedrali Eccleſia, die decima tertia Junii proxima, hora octava matutina, perſonaliter compareant, niſi juſto impedimento detineantur, quod per legitimos Procuratores, qui huic Synodo eorum loco intererunt, probare tenebuntur. Univerſi autem & ſinguli diligenter ac ſtudioſe proſpicient, quid ſit in ſuis quibuſque Eccleſiis reformandum, quid ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſartam tectam conſervandum aut reſtituendum, quid ad animarum ſalutem procurandum, augendum Eccleſiæ & Religionis ſplendorem, Deique cultum promovendum expediat, ac de iis omnibus certiores Nos faciant, ut cum totius Cleri conſilio & aſſenſu, ea poſſimus canonice decernere, quæ neceſſaria videbuntur. Datum Tornaci die 7. Aprilis 1673.

Signatum erat:

GILBERTUS Epiſc. Tornac.

Et inferius:

De Mandato Illmi & Rmi Domini mei Epiſcopi

DECHAMPS Secret.

Cujus Mandati exemplaria excuſa, miſſi fuerunt ſufficienti numero ad omnes Decanos Chriſtianitatis Diœceſis, nempe diſtictuum Tornacenſis, Inſulenſis, Cortracenſis, S. Amandi, Seclinienſis, Ulmenſis, Helchinienſis Gallorum, Helchinienſis Flandrorum & Viroviacenſis.

ACTA IN SYNODO GENERALI.

CUm igitur adveniſſet prædicta dies 13. Junii, hora fere 8. matutina, Illmus Dominus e Palatio Epiſcopali ad Eccleſiæ ſuæ Cathedralis veſtiarium perrexit, comitanti-

(*) Vide ſub finem Synodi.

tantibus DD. duobus Archi-Diaconis, aliquot e DD. Canonicis & aliis Ecclesiasticis personis, ibique Pontificalibus ornamentis indutus, ad magnum Altare ivit solito Ministrorum numero stipatus, præcedentibus inter Ministros Altaris & Ceroferarios Decanis Christianitatis albas cum stolis gerentibus, qui deinde ad loca sibi præparata ab utroque latere throni inferius describendi recesserunt, Dominus vero Decanus & Domini Deputati Capituli Cathedralis ad latus dextrum Chori in aliis formis a Sede Episcopali, & infra: at ex opposito ad latus lævum in prima Cathedra erant Dominus Coadjutor Abbatiæ S. Martini, & post cum Dominus Prior de Fivia.

His ita dispositis, Illmus Dominus Missam celebravit de Spiritu Sancto, in cujus fine Benedictionem solemnem dedit, eaque peracta, dum casulam deponeret, pluvialeque assumeret, Choristæ intonuerunt ℟. *Omnia quæcunque facitis* &c. ut in Processionali, prosequentibus Cantoribus: eo vero finito, Illmus Dominus genuflexus cum cæteris Ministris ad pedes Altaris intonuit Hymnum: *Veni Creator*, qui per totum Clerum ibi præsentem decantatus fuit, dictoque per Chorales ℣. *Emitte Spiritum* &c. & per Illmum Dominum oratione: *Deus qui corda* &c.

Idem Illmus surgens, ivit ordine processionali ad Thronum sibi præparatum in fundo chori ex adverso portæ ipsius. Thronus autem ille erat ejusmodi, ut post tres gradus, quibus eo ascendebatur, esset quasi theatrum, in cujus medio assurgebat uno gradu locus, in quo erat posita Cathedra Illmi Domini, dependente supra caput umbella e panno violacei coloris: totus vero thronus a summo usque ad infimum opertus erat tapete Turcico. Igitur Illmus Dominus in dicta cathedra locum cepit facie ad Altare obversa, ab ipsius lateribus DD. duo Archi-Diaconi itidem facie ad Altare versa, post ipsos vero DD. Officialis a dextro, Sigillifer autem a sinistro latere cappas gerebant se se mutuo spectantes. Ad pedes throni D. Capellanus ab honoribus in cappa tenens pedum Pastorale Illmi D., sedebat super pulvinari in ultimis gradibus throni posito, facie ad Altare conversa, sedentibus super dictis gradibus ab utroque ipsius latere Scriba & Promotore Curiæ spiritualis. Ego vero Secretarius in plano throni eram facie fere obversa ad Illmum D. sedebamque in cathedra habens ante me mensam ad scribendi commoditatem. Massifer autem Illmi Domini sedebat in scamno, tenens massam erectam ex adverso Illmi Domini facie ad ipsum versa. Cunctis dicto ordine sedentibus, Illmus Dominus orationem suam latinam fecit, ut sequitur:

CUm me tam frequenti Consacerdotum corona stipatum video, Fratres amantissimi, hæreo sane, & variis affectuum æstibus abreptus, dubito, an majori lætitia efferatur animus, quam timore concutiatur. Cum enim tot viros intueor virtute conspicuos, certe mihi jure lætandum esse existimo. Sed cum aliunde me vobis Præpositum esse intelligo, mens titubat ac pene deficit; quid enim magis terreat, quam quod iis præsim, quibus me sentio pietate, sapientiaque inferiorem. Sed & hæc ipsa timendi ratio me levat, & quodammodo consolatur. Nam cum sim vobis necessariis charitatis vinculis conjunctissimus, quid non sperem auxilii a vestrarum precum officiis. Quid non a Christo, qui me vobis junxit, quique se Ecclesiæ ad consummationem sæculi affuturum esse promisit, nec suis unquam potest deesse promissis. Atque ut paucis omnia cum magno Leone complectar, ne sub ponderis magnitudine succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Abeat ergo metus ille, nec Sacerdotalem, ut verbis utar Cypriani, vigorem debilitet & enervet. Erigatur animus, & collecta Fratrum nostrorum in hoc celeberrimo concessu virtute ad Christi fidem conservandam, simul & ad augendam accendamur, depravatos mores reformemus, collapsam disciplinam instauremus. Hæc sunt Synodorum officia. Hoc esto orationis nostræ propositum, hæ sint nostrorum omnium institutorum rationes.

Quod Christus in Evangelio per adumbratæ vineæ parabolam proposuit, nemo est, quid ad Ecclesiam referendum esse jure non existimet. Cum autem eam sæpe circumdatam, hoc est securissimam esse dixerit, eamque Paterfamilias, qui Christus est, locaverit agricolis, id est, Pastoribus crediderit, Pastorum sane officium est eam ita custodire, ut ab ea nemo palmites auferat alienæ vineæ inserendos, & ut apertius & sine parabolis loquamur, ea doctrina & fides, quæ a Christo per Apostolos ad Nos usque perpetua traditione transmissa est, ita casta, integraque conservetur, ut ne unum quidem jota aut unus apex prætereat, aut accrescat. Hoc quippe unius Ecclesiæ est privilegium: Hæc prærogativa, ut inconcussa maneat ejus fides, eademque perseveret. Hanc obscurare quidem potest aliquando ambitiosus novitatis amor & fidelium mentibus tenebras obducere, sed eas continuo depellit Ecclesia, si ejus tribunal adeatur, & oracula consulantur. Est enim columna & firmamentum veritatis.

Jam

Jam vero cum Ecclesia, teste Cypriano, nihil sit aliud, quam plebs Pastori suo adunata: nulla Parochia est, quæ singularem Ecclesiam non efficiat; cum in ea Rectori suo grex adhæret, nulla Diœcesis, cum Episcopi vox auditur, sed consociata omnium fidelium multitudo sub Christo Capite, ac Supremo Pontifice, ejus Vicario Petri Successore, tota quota est, Ecclesia Catholica constituitur, quam qui non audiet; sicut Ethnicus & Publicanus censendus est. Attendite ergo vobis & doctrinæ Fratres, ac Fidei depositum conservate. Super muros Jerusalem Deus vos Custodes constituit, ne alienos patiamini ingredi Pastores, Magistrosque deceptores, qui dum prophanis vocum novitatibus auribus pruriunt, misere animas enecant.

Gratum equidem & grande spectaculum, cum Apostoli illi primarii & primigeni Pastores sincera & simplici veritatis expositione ad Christum adducebant tot hominum millia, & per sapientissimam prædicationis stultitiam salvos faciebant credentes. Hos imitemini, Fratres, prædicare omni creaturæ, hoc Apostolico munere defungamini. Ministerium vestrum implete, ne quis vestrum, cum tremendo Christi judicio se sistere compellatur, seipsum accusando tardius clamet: Væ mihi! quia tacui.

Nemo vestrum est, Fratres, cujus probata doctrina non fuerit: sed & si quis jure posset dicere, sicut olim Moyses Deo loquebatur, se ab heri & nudius tertius non esse eloquentem, ne loqui propterea detrectet, cum Deus se in ore vestro futurum esse promiserit, nec vobis defuturum esse magis timendum sit, quam rudibus & indoctis illis alioquin Sanctissimis Episcopis olim defuerit, qui in magno apud Nicæam habito Concilio advocatos undequaque ad veritatem oppugnandam Philosophos recitato unico Apostolorum Symbolo confutarunt, & adorandum Ss. Trinitatis Sacramentum adversus Arianos ita persuaserunt, ut per eos Deus perdiderit sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobarit.

Cœleste donum est Fides, & licet ex auditu habeatur, non est tamen humanæ eloquentiæ foris insonanti, sed gratiæ intus persuadenti tribuenda; nec sunt a Catechistis minores fructus, quam a disertissimis Oratoribus expectandi. Sed ne existimemus, Frates, unicum hoc nobis munus incumbere, ut speculativam (si ita fas loqui) theorematice fidem sartam tectam conservemus: est & morum hæresis non minus timenda, quam Mysteriorum. Ea autem a nobis eo studiosius propulsanda est, quo suaviori & magis ad naturam accommodato veneno animas inficit, hanc totis viribus oppugnemus, Fratres amantissimi! & collatis copiis perniciem istam a nostris gregibus amoliamur.

Et si superba semper & insolens ratio nostra adversus veritatem perduellis revelanti Deo se se plerumque submittere recuset, facilius tamen in servitutem redigitur, quam effrænis illa cupiditas, quæ cæco quodam furore abrumpit omnia honestatis repagula, ita ut æstuantes illius impetus velle retardare, sæpe sit conari, ut sapiens loquitur, contra ictum fluvii.

Clamare tamen ne cessetis, ait Propheta, & adversus illam Dei salutisque nostræ inimicam exaltata voce, quasi tuba, Martem accendite, & credatis haud dubie vobis omne crimen imputandum, quod non fueritis aggressi.

Jam dudum Propheta conquestus est & maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundasse. Istud omnium portentorum diluvium Sacerdotum est cum gemitibus, orationibusque, tum adhortationibus exhauriendum.

Cum enim inter vestibulum & altare plorare debeant Sacerdotes, & Dominum, ut parcat, deprecari, nisi nos inter Deum & Christianorum multitudinem quasi constituerimus Mediatores, & Dei minitantis vindictæ intercesserimus, Judex hisce a nobis Fratrum nostrorum ruinæ deposcet rationem, nos de libro vitæ, ni misericordia justitiam vincat, deleturus.

Sed ne preces tantum ad Deum fundendas esse putemus, Fratres charissimi! peccantibus ipsis adhibendæ sunt adhortationes, objurgationes, correptiones, ipsis instandum opportune, importune, eosque obsecrandos, increpandos, arguendos, in omni patientia & doctrina, monet Apostolus.

Audite, Fratres, Deum ipsum unumquemque nostrum apud Ezechielem alloquentem: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia & vivat, ipse in impietate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram: si autem annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua & via sua, impius ipse quidem in iniquitate sua morietur; tu autem animam tuam liberasti.

Facile quidem, Fratres, aperta crimina incusare, & ad omnem flagitiorum turpitudinem projectos arguere, sed difficillimum est eos utiliter corripere, quorum, ut ait Propheta, declinat cor in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

Sane, Fratres amantiſſimi! ſicut non facile ſcrupulis anxii reddendi ſunt, quorum ſalus nobis credita eſt, ita nec eorum criminibus indulgendum.

His autem noviſſimis temporibus, in hac, ut ita loquar ſæculorum fœce ad eam devenimus doctrinæ ac Theologiæ corruptionem, ut qua ratione hominibus illudimus, eadem & Dei judicium nos evadere poſſe arbitremur.

Hoc ergo præcipue cavendum eſt, Fratres, ne perverſæ morum doctrinæ virus animos invadat, neque dicatur bonum malum, & malum bonum.

Non negamus equidem in diverſas plerumque ſententias animos diſtrahi, & aliquando merito dubitari, num certior ſit & ſecurior alia. Solus Deus ſine erroris periculo novit. In hac ancipiti ratiocinorum axietate, quis conſilium non debere non judicet? ſed quis ſanæ mentis ad æternæ veritatis normam, quantum fieri poſſet, non exigat. Quis grande piaculum non exiſtimet, ſi relicta ſecuriori ſententia ad incertum deflectamus? Quis Paſtorem non damnet, qui cum tanto pingui & ſalubri prato, oves adducat ad ignoras & forte venenatas herbas, mortisque periculo evidenter exponat? Quorſum, amabo, Fratres, certam ſententiam, quis deſerat, ut conſulat incertam, niſi ut cupiditati blandiatur? Deus bone! itane ad te acceditur cupiditatum damnatorem? Etenim forte probabilis eſt: ſed quid ſi falſa ſit? Nam, qui falſam opinionem ſequitur, cœcus eſt, niſi enim cœcus eſſet, lucem, hoc eſt, veritatem detegeret. Si ergo cœcus eſt, & alteri cœco conſilium det, nonne cœcus cœco ducatum præſtat. Et quid reſtat, niſi ut ambo in foveam cadant.

Horreo ſane tam perverſum humanæ & corruptæ rationis commentum, Fratres, & cum apud Sapientis proverbia timendam hanc & nunquam oblivioni tradendam ſententiam lego: eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem. Neſcio, qua mente ea via incedatur, quæ videtur minus recta, cum ea, quæ recta animo creditur, plerumque ſit periculo proxima.

Si non maneret apud Deum inconcuſſa & immota veritas, ſi Deus ad hominum arbitrium flecteretur, & mentem mutaret, forte liceret & temerariis opinionum fluctibus Fratrum noſtrorum ſalutem committere. Sed cum omnia, ut Tertullianus loquitur, penes veritatem fixa ſint, ſi legem naturalem & Divinam ſpectes, nuſquam & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet.

Si oculus tuus, ait æterna Veritas, hoc eſt, intentio tua, ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, id eſt, omnes rectæ erunt tuæ agendi rationes. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Et ut cum Auguſtino loquar, tota tua vita plena nigredine peccatorum. Agite nunc, Fratres, an oculus & intentio noſtra ſimplex cenſebitur, ſi periculum ſecuritati præferatur? Sane ut interior oculus vere ſit ſimplex, inquit Bernardus, duo illi arbitror eſſe neceſſaria, charitatem in intentione, in electione veritatem.

Reſtat, Fratres amantiſſimi, ut de diſciplina Eccleſiaſtica paucis diſputemus. Brevibus ſane legibus ad eam inſtaurandam opus eſt. Sat multas tulerunt Majores noſtri, has inſpiciamus, revolvamus, exequamur.

Verum enim vero immanis illa Conſtitutionum Eccleſiaſticarum vel ſpontanea relaxatio, vel diſpenſationum libido totam deſtruit ac peſſumdat diſciplinam. Utrique malo, Fratres chariſſimi, proſpiciemus venerandis ſacrorum Canonum regulis religioſe hæreamus.

At qua tandem ratione ab iis nobis recedere licitum eſſe cenſebimus? Ergone fidelium arbitrio legum Eccleſiaſticarum obſervatio relinquetur? Ergone ſe quisque Eccleſiæ omnium Chriſtianorum Matris ſuperiorem arbitrabitur? Ergone prævaricatores longa prævaricationum cônſuetudine liberos ſe tandem efficient, & ſubducent ſe ſuavi obedientiæ jugo? Ergone cupiditate, non Canone regetur Eccleſia? Ergone diſcoli evadent intentatas a Deo immortali pœnas per Prophetam populi perfidiam his verbis exprobrante: A ſæculo confregiſti jugum, & dixiſti, non ſerviam.

Sed numquid Leo magnus juris ignarus cenſendus eſt, qui Nicænos Canones manſuras uſque in finem mundi leges nominavit, & quæ ad perpetuam utilitatem generaliter conſtituta ſunt, nulla commutatione variari, neque ad bonum .... commune præfixa ad privatum commodum trahi oportere pronuntiavit.

Numquid erravit Hormisda Pontifex cum Canones ſolvere, eſſe in Religionem committere, aſſeruit. Num Agapeto nulla fides adhibenda, qui neceſſe ſibi ait Divini conſideratione judicii, quicquid Synodalis decrevit authoritas, inviolabiliter cuſtodire? Scio equidem diſciplinam Eccleſiaſticam pro varietate & temporum & morum identidem mutari. Scio & ipſa priora Concilia ſæpe poſterioribus, ut ait Auguſtinus, emendari. Scio & plures Canones in deſuetudinem abire, cum vidente nec reclamante Eccle-

Ecclesia non observantur: sed eos dumtaxat, qui ad cæremonias pertinent. At apud nos, Fratres, sedere debet immota veritatis sententia, eos Canones, qui ad ambitionis, avaritiæ, cæterarumque cupiditatum refrænandam audaciam, aut ad æquitatis jura conservanda, vel ad observanda Religionis officia constituti sunt, nulla unquam censeri prævaricatione abrogatos. Hæc tamen prima origo deperditæ disciplinæ, quod licitum existimetur, & justa præscriptione firmatum, quidquid mollis libertatis cupido facere vel præsumpserit, vel neglexerit. Nihil ergo vobis aptius proponendum arbitror, Fratres charissimi, ut disciplina renovetur, nisi ut Generalium Conciliorum Canones, & Decreta Pontificum, & priorum Synodorum tum Provincialium, tum Diœcesanarum Constitutiones recolamus, iisque nos imposterum obedituros sincere profiteamur. Etenim manet penes Ecclesiam, ejusque Pastores dispensandi authoritas. Ita est, sed videndum Fratres, ut inter dispensatores fideles inveniamur.

Dispensatio sane, quæ a Græcis οἰκονομία nominatur, penes domestici & familiaris Procuratoris officium attendenda. Quæ autem in reddenda villicationis ratione pœna maneat œconomum, qui Domini bona dissipavit, ipsomet Evangelio declaratur. Nihil sane deflendum magis arbitror, Fratres charissimi, quam quod Ecclesia leges tulisse videatur tantum, ut solvantur. His autem tam frequentibus dispensationibus Christianorum contumacia viam aperuit.

Nec sane Pastoribus Ecclesiasticis tam facilis Canonum remissionis culpa tribuenda est. Ad crudelem istam & periculosam indulgentiam coacti sunt. Ubi enim est tantus Canonum contemptus, quantum hodie videmus in hac Ecclesia, ob reorum multitudinem, ait Gofridus Vidocinensis, a vindicta aliquatenus temperari oportere, pia & misericordi intentione existimatum est. Sed Sacerdotum est, monere subditos, & ad saniorem mentem revocare, ut paulatim a petendis tanta animorum pervicacia dispensationibus abstineant. Ut enim cum B. Bernardo concludamus: Ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas provocat, laudabilis. Utilitas, dico communis, non propria, nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

Hæc sunt, Fratres charissimi, quæ paucis pro temporis angustia quasi Pastoralis & Sacerdotalis officia compendio delibanda esse censuimus. Fidem ergo plebis Christianæ assidua catechisandi & concionandi ad vulgi captum accommodata ratione ac methodo astruite. Mores fidelium precibus, verbo & exemplo componite, disciplinam renovato Canonum vigore instaurate.

Hac Oratione finita, Illmus Dominus jussit alta voce per me Secretarium recitari nomina eorum, qui debent interesse Synodo, & ut præsentes respondeant: *Adsum*, ii vero, qui Procuratoria habent pro absentibus, ea Promotori tradant tum, cum nomina principalium evocabuntur. Fuit igitur facta hæc vocatio & annotatio præsentium & absentium, ut in fine hujus processus verbalis reperies. Post factam evocationem surrexit Promotor, requisivitque ab Illmo Domino, ut eos, qui citati non comparuissent, declaret contumaces, eosque censuris vel aliis arbitrariis puniret, ad quam requisitionem Illmus Dominus jussit per D. Officialem pronuntiari suo nomine sententiam, tenoris sequentis:

Illmus Dominus Episcopus Tornacensis omnes illos, qui in hac Synodo comparere tenentur tam de jure, quam de antiqua consuetudine debite citati, & non comparuerunt, nisi hac die sufficienter se excusent, reputat contumaces, ac in his scriptis requirit 1. 2. *ac* 3. *& peremptorie, & una vice pro omnibus, ut infra* 15. *dies, quos eis pro canonica monitione & termino peremptorio assignamus, suam contumaciam hujusmodi debite purgent: qui, si in hoc defectuosi fuerint, & monitioni hujusmodi parere non curaverint, ne ad formidabiles pœnas censurarum more Prædecessorum nostrorum procedere cogatur, ipsos ex nunc, prout ex tunc in emendam pecuniariam sex florenorum ad opus Ecclesiarum, in quibus sunt Patroni vel Pastores, condemnat: qui, si indurato animo in contumacia per mensem perstiterint, idem Illmus Dominus ad manus suas ponit, quidquid spiritualitatis habent in sua Diœcesi, donec contumaciam purgaverint.*

Postea indicta in 4. horam pomeridianam Congregatione in Aula Comitiorum Tornaci & Tornacesii, Illmus Dominus Benedictionem solemnem dedit, ac deinde se Pontificalibus ornamentis in vestiario exuit, domumque reversus, DD. Deputatos Capitulorum & Abbatiarum secum ad prandendum retinuit. Interea aliquos Pastores fere 15. veniam petentes ob aliquas urgentes causas, dimisit ad suas Parochias.

Sub horam 4. pomeridianam monitus omnes in supra dicta Aula esse congregatos, illuc ivit, extortisque de præsedentia aliquibus contentionibus, Illmus Dominus cum DD. Deputatis sui Capituli Cathedralis ha-

bito consilio, auditis partibus, & de ipsarum consensu ita provisionaliter, & absque præjudicio juris partium decrevit, nempe inter D. Præpositum Harlebecensem prætendentem debere præcedere Abbates S. Amandi & S. Martini, seu eorum Deputatos, Deputatis econtra: inter eundem & personas deputatas Capituli Seclinienfis, inter D. Coadjutorem S. Martini Procuratorem Abbatis, & Deputatum S. Amandi, nempe dictum D. Præpositum Harlebecensem sessurum immediate post Deputatos Capituli Cathedralis a latere dextro; inter Coadjutorem vero S. Martini & Deputatum S. Amandi, utroque primum locum lateris sinistri præcedente, cumque allegatum fuerit olim fuisse inter Abbates dicatarum Abbatiarum factum Concordatum de præsedentia alternis vicibus inter ipsos in Synodis Generalibus occupanda, ignoreturque quis ultimus eam habuerit, decretum fuit etiam provisionaliter & absque præjudicio partium, hac vice rem esse sorte decidendam, quæ cecidit in Deputatum S. Amandi; Deputatos vero Præpositi, Decani & Capituli, & Cantoris Seclinienfis sessuros immediate post Abbates vel Deputatos Abbatum a dicto latere sinistro.

His ita dispositis, invocatoque Spiritus Sancti auxilio, recitata per Illmum Dominum Antiph. *S. Spiritus*, & Oratione: *Deus qui corda fidelium* &c. sederunt a parte dextra DD. *de Boulogne* Decanus, *de Ribeyram* Archi-Diaconus major, *de Brabant* Archi-Diaconus Flandriæ, *Gennaro* Cantor & Officialis Illmi Domini, & *Ragot* Canonicus & Sigillifer ejusdem Illmi Domini, omnes tam pro se, quam veluti Deputati Cathedralis: post ipsos immediate D. Præpositus Harlebecensis & ejusdem Capituli Deputatus, ac deinde D. Decanus Capituli Cortracensis & Deputatus dicti Capituli, & sinistra vero parte sederunt 1. Deputatus Abbatis & Coadjutoris ad Administratoris perpetui Abbatiæ S. Amandi; post tunc D. Coadjutor S. Martini tanquam Procurator Abbatis, deinde Prior Fiviensis: consequenter Deputati Abbatis S. Theodorici Remensis in Francia: sequebantur iidem tum Præpositi sigillatim, tum Decani & Capituli, tum Cantoris Seclinienfis, ac denique ultimus D. Decanus Capituli Comminienfis: ab utraque parte juxta suum ordinem Decani Christianitatis, passim vero in scamnis ad id dispositis Pastores consedere.

Indicto silentio, Illustrissimus Dominus jussit Decretum Concilii Tridentini *de Residentia* recitari alta voce per D. *de Brabant* Archi-Diaconum Flandriæ (cui in ea qualitate illud muneris in Synodis Diœcesanis ex antiqua consuetudine incumbit)

Post hæc Illustrissimus Dominus paucis præfatus dixit, cum tot excellentia Decreta & Statuta in hac tum Provincia tum Diœcesi facta fuerint tempore Prædecessorum, sibi non tam in animo esse novas leges condere, quam antiquas in pristinum vigorem restituere: Quapropter melius sibi esse visum, ut tam ex Decretis Provincialium Conciliorum, quam ex Statutis omnium Synodorum Diœcesanarum seligerentur ea, maxime quæ præsentibus Diœcesis necessitatibus opportuna forent, eaque in unum corpus redigerentur, iisque tanquam immotis cardinibus tota Diœcesis disciplina inposterum verteretur: se quidem optare, ut illud examen plena Synodo fieri posset, ut de communi totius Diœcesis consilio res agitarentur, id vero nullatenus posse tum ob multitudinem personarum, quæ fere confusioni obnoxia est, tum ob rei ipsius prolixitatem, quæ nimium injectura esset moram, plurimis ad sua ovilia redire festinantibus; consultius itaque fore, ut a singulis Decanatibus aliqui deputarentur, cum quibus præter Decanos tota illa relectio & examen conficeretur: secederent itaque singuli nunc jam Decanatus Deputatosque eligerent, ac statim eorum nomina referrent. Deputati itaque fuerunt, pro Pastoribus Patronatus Cathedralis Pastores Sancti Jacobi, & Sancti Piati Urbis Tornacensis; e Decanatu Tornacensi Pastores de Cysoing, d'Ere & d'Eplechin, ex Insulensi Pastores Sancti Salvatoris, Sancti Petri & Pagi de Bonduës; e Cortracensi Pastor Harlebecensis; ex Ulmensi Pastores de Waurin & du Quesnoy; ex Seclinienfi Pastores montis en Pabula, de Houplin & de Seclin; ex Helchinienfi Wallonum Pastores de Sainct Leger, Templeuve, & Balloeul; e Viroviacensi Pastores de Halluwin & Comminienfis; ex Helchinienfi Flandrorum Pastor in Moen; ex Sancti Amandi Pastor Sancti Amandi.

Quo facto, Illustrissimus Dominus indixit Sessionem Decanorum Christianitatis & dictorum Deputatorum ad diem sequentem in eadem Aula, hora 8. matutina, declaravitque reliquos Pastores posse ad suas Parochias, ubi libuerit, reverti, ac omnibus genuflexis Benedictionem solemnem dedit.

Die sequenti hora octava matutina congregatis in supradicta Comitiorum Tornacensium Aula tum Deputatis Capitulorum & Abbatum, iisdem & eodem ordine, quo hesterna die; tum Decanis Christianitatis Decanatuum Illustrissimus dixit ad relectionem & compilationem, ad quam faciendam deputati fuerant hesterna die hic præsentes, longioris esse temporis opus, quam ut ad eam hic & nunc procederetur. Multos præ-

præterea e præſentibus ſibi inſtitiſſe, ut ad ſuas Parochias dimitterentur, ſe ſe, cum hoc animadverteret, & ipſorum commoditati ſervire vellet, malle cum tempore totam materiam præparare & quaſi digerere cum aliquibus e præſentibus ſibi per ipſos nominandis, quos ex urbe eligere commodius foret, quippe qui magis ad manum ſint, & poſtea re tota digeſta, ſe omnes Deputatos huc revocaturum, ut ipſis omnia communicarentur: interea cum ſint aliqua in Diœceſi, quæ illam moram non patiantur, præſentique remedio egeant, ſe quosdam Articulos collegiſſe, & in ſcripta redegiſſe, ſuper quibus de ipſorum conſilio nunc deliberare vellet, ut ſuper hic Statuta quamprimum publicarentur, qui quidem Articuli per me Secretarium lecti fuerunt, & ſunt tales:

UT præteritarum Synodorum Conſtitutiones & Decreta ab iſtius Synodi Deputatis & Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo revolvantur, publicentur & ab omnibus hujus Eccleſiæ Chriſti fidelibus religioſe cuſtodiantur, maxime quæ ad præſentis Eccleſiæ mores & diſciplinam appoſitæ videbuntur, & ſint inpoſterum totius noſtræ Diœceſis regulæ. Quia vero res erit operoſa, nec ita brevi perficienda & hujus Eccleſiæ neceſſitas poſtulat, ut quædam decernenda non differantur, interea peculialiter ſtatuendum videri.

Ut ſingulis ſaltem Dominicis diebus Paſtores Catechiſmum authoritate Illuſtriſſimi Domini nuper editum edoceant; compellantque Patres & Matresfamilias, ut liberos ſuos, familiares & domeſticos ad Eccleſias mittant, horis ad hoc munus conſtitutis vel aliis, quæ ex Decani Chriſtianitatis conſilio magis commodæ videbuntur. Cumque ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, fidesque ſit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, ac proinde nemo poſſit ſalvari, niſi doctrina Chriſtiana imbutus, in quacumque tandem ætate fuerit aut conditione conſtitutus, qui eam ignoraverit, edoceri non erubeſcat: qui ſupra alios authoritate præditus fuerit, ſubditos ſuos ad excipiendum verbi Divini ſemen mittat; qui docendi munere fungi tenebitur, ſuos inſtruat: ſciantque omnes reſpective non poſſe utiliter, & citra ſacrilegium ad ullum Sacramentum recipiendum, aut adminiſtrandum admitti, atque adeo nec a peccatis abſolvi, niſi ea, qua ſinguli in hac re tenentur, obligatione exolvantur. Cum autem ille Catechiſmus noſter ſit Gallica dumtaxat lingua editus, eum in Flandricam quamprimum vertendum fore: ſi vero in quorum Parochiis utraque lingua uſum obtinuit, ipſum etiam tum Flandrice, tum Gallice edoceant.

Ut non modo non admittantur ad ſuſcipienda Sacramenta, qui Fidei principia non calleant, ſed nec ad Patrinorum aut Matrinarum munus obeundum: qui enim parvulorum fidem ſpondeant, ſi ipſi fide careant?

Ut caveant diligenter Paſtores, ne ullæ obſtetrices in ſuis Parochiis ad ſuum munus obeundum ſuſcipiantur, quæ a Medicis (ſi fieri poſſit) non probentur, & ab ipſis Paſtoribus formam, materiam & intentionem ad Baptiſmum conferendum neceſſariam diligenter non fuerint edoctæ; cum ex earum miniſterio parvulorum ſæpe non modo temporalis vita, ſed & æterna pendeat.

Ut ubi indulta fuerit Ss. Euchariſtiæ Sacramenti expoſitio, nullatenus exponatur, niſi decenter paratum fuerit altare cum ſufficienti cereorum numero, & niſi coram eo continue oret Presbyter, aut aliquis, qui ſit Eccleſiaſticis Ordinibus initiatus; aut certe quædam devotæ perſonæ, quæ ad hoc a Parochis ſpecialiter deputantur. Alioquin, ubi ejusmodi Cuſtodum copia defecerit, recondatur. Diſtricte vero prohibendum (quod in hac Synodo cum maximo animi mœrore in hac Diœceſi alicubi uſurpari ſignificatum) ne cum in ſolemni ſupplicatione proceditur, deferturque adorandum Sacramentum, mulieres aut puellæ vinum aut cereviſiam viris adoleſcentibusque propinent, & viciſſim viri puellis aut fœminis. Diligenter vero a Paſtoribus moneantur hoc a Nobis eſſe prohibitum, & niſi poſt trinam monitionem abſtineant, ab ingreſſu Eccleſiæ arcebuntur; ſi autem in contumacia perſeverent, publice interdicti denunciabuntur.

Ut autem hoc ſcandalum omnino propulſetur, imploretur etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilium.

Ut nullus Sacerdos ad ægrotos deferat adorandum Euchariſtiæ Sacramentum, niſi (citra neceſſitatem) ſuperpelliceo indutus ſit, & cereum vel lucernam deferat, ac tintinabulo, omnes ad adhibendam Chriſto Domino reverentiam admoneat. Ubi vero in Urbibus id commode fieri poterit, Euchariſtia deferatur ſub baldachino, illud ſuſtentantibus nobilioribus, dignioribusque Parochiæ viris, & frequentiſſimo quo poterit populi concurſu, 40. autem dierum indulgentiam concedendam iis, qui adorandum Sacramentum comitati fuerint.

Ut Eccleſiis & Altaribus debitus honor exhibeatur; maximeque, ne ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, aliaque officia Eccleſiaſtica & conciones perturbentur, nullus Laicus ad altare proprius accedat; imprimiſque ne fœminæ intra Sanctuarii cancellos orare præſumant, etiam in Eccleſiis Regularium & Monialium, multoque minus ſupra gradus Altaris collocentur: præcipiendo Eccleſiarum Rectoribus, ut eas moneant, & ni pareant, cenſuras minitentur: ſi vero correptæ non deſiſtant, poſtquam Illmus Dominus de earum pervicacia certior factus fuerit, ab Eccleſia canonice ejiciendas.

Ut dies Dominicos & feſtivos ſtudioſe univerſi colant, prohibeanturque ſub pœnis a Canonibus intentatis omnia opera ſervilia, mercaturæ, vecturæ, propinaram, ludorumve turpe commercium, maxime Divinorum officiorum tempore, aliaque id genus, quibus ſacrorum dierum Religio violatur.

Atque enixe Magiſtratus rogentur, ut authoritate ſua, Eccleſiam adjuvent, & concurrente Sacerdotio, ac imperio ubique Chriſtus regnet. Ut etiam prorſus tollatur abuſus, quem præſertim circa dies Eccleſiarum Dedicationibus, aut Patronorum venerationi conſecratos, in hac Diœceſi univerſa Synodus invaluiſſe conqueſta eſt. Tantum enim abeſt, ut inde fidelium pietas augeatur, ut potius committendis omnibus flagitiis ejusmodi feſta inſervire videantur, cum luſibus, choreis, potationibus, ſupra modum indulgeatur, & ſic dehoneſtetur, violeturque omnino Eccleſiæ devotio. Præcipiendum itaque erit, omnibus hujus Diœceſis Paſtoribus, Eccleſiarumque Rectoribus, ut diligenter populum moneant, hæc ſcandala impoſterum vitanda eſſe, Magiſtratuum etiam & brachii ſæcularis, ſi neceſſe ſit, ad hoc invocent auxilium, & niſi ab iis criminibus abſtineatur, ſciant ejusmodi Evangelii & Eccleſiæ mandatorum conculcatores, ob eorum prævaricationem interdictum iri Eccleſiæ, & ea feſta abolenda eſſe, ne officia Eccleſiaſtica, quæ ad Dei cultum, Sanctorumque honorem inſtituta ſunt, vertantur in Religionis opprobrium, animarumque perniciem & ruinam.

Ut ſinguli Paſtores in ſuis Parochiis diſtricte prohibeant, ne puellas ducantur ad popinas a viris vel adoleſcentibus. Quod ſi viri eas compellant, vel ipſæ puellæ ſe abduci patiantur, aut ſponte iverint, poſtquam Paſtores eas monuerint; ſi poſt trinam monitionem non obediverint, ipſis ingreſſu Eccleſiæ nominatim & publice interdicatur; ſi autem interdictum violaverint, Paſtores Curiam ſpiritualem certiorem facient, ut, niſi reſipuerint, excommunicentur. Si vero fuerint vere pœnitentes Paſtoribus, eas ab interdicto abſolvendi facultas erit impertienda.

Ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & univerſi Clerici tabernas fugiant, nec eas ingrediantur potandi cauſa (niſi forte fuerint in itinere) ſub mulcta trium floren. 1ma vice, 2da vice ſex floren., 3tia vice ſuſpenſionis. Si autem popinas adeant, in quibus potatur aqua vinaria, vel tabacum ſpiratur, 1ma vice ſolvent ſex florenos, 2da duodecim, 3tia ſuſpenſionem incurrent, idem prohibendum Cuſtodibus, & quibuscunque aliis, qui miniſteriis Eccleſiaſticis inſerviunt, & ad forum Eccleſiaſticum pertinent, atque omnes omnino fideles ad ſobrietatem adhortandi.

Ut omnes Clerici tonſuram ſuo Ordini convenientem conſpicuam habeant,

beant, & Clericalem habitum gerant, ſcilicet in reſidentiæ loco talarem veſtem, præſertim in Urbibus & oppidis; Cum vero ruſticabuntur, & viam carpent, poterunt ad vitandum lutum uti breviori habitu, qui vocatur ſutanella, modo ultra genua protendatur.

Nunquam vero ſine talari veſte Miſſa celebretur; aut ullum adminiſtretur Sacramentum etiam pœnitentiæ, ſine ſuperpelliceo, quadratoque pileo, niſi premente neceſſitate.

Approbantibus itaque omnibus reſolutum fuit, ut conformiter ad hos Articulos, Statuta quamprimum fierent & publicarentur.

Poſtea congregatis inter ſe omnibus Deputatis in circulum, deputati fuerunt ad finem, qui ſupra Venerandus D. *Pleſſerea* Canonicus Theol. Eccleſiæ Cathedralis Dominus Paſtor Parochiæ B. M. Virginis hujus urbis Tornacenſis ac Decanus Chriſtianitatis, Paſtor S. Jacobi ejusdem urbis.

Denique inſequendo Decreta Sacroſancti Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. Illmus & Revmus Dominus nominavit approbante & conſentiente Synodo Examinatores Synodales pro examine Paſtorum Venerabiles DD. *Philippum de Boulogne* J. U. L. Eccleſiæ Cathedralis Torn. Decanum, *Simonem de Rybeiram* S. T. Doctorem, Archi Diaconum Majorem, *Ægidium de Brabant* S. T. L. Archid. Flandriæ; *Petrum Mazureel* J. U. L. *Joannem Gennaro* J. U. L. Officialem, *Ægidium Pleſſeria* S. T. L. Theologalem, *Libertum Froidmondt* S. T. L. omnes dictæ Eccleſiæ Cathedralis Canonicos. Rdum Adm. D. *Remigium Dulaury* S. T. D. & J. U L. inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Inſulis Præpoſitum, Decanum, *Philippum van Campenhout* S. T. L. ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ Decanum, & Canonicum, *Ludovicum de Mersmans* & *Joannem Boudart* S. T. Licentiatos, ejuſdem quoque Eccleſiæ Canonicos, R. D. *Ludovicum de Berſacques* S. T. L. Eccleſiæ Colleg. Cortrac. Decanum. Magiſtros *Leonardum Schaerts* & *Joannem Wermeulen* Cortrac. reſpective Paſtores. Deputati vero fuerunt Judices Synodales Venerabiles DD. *Philippus de Boulogne*, *Simon de Rybeiram*, *Ægidius de Brabant* nominatos, & præterea R. D. *Petrus Lazier* Abbas Monaſterii S. Martini hujus urbis; quo facto, Illmus Dominus Synodum dimiſit, & unumquemque ad propria redire permiſit. Actum Tornaci diebus, menſe, & anno, quibus ſupra.

De Mandato Illmi & Rdiſſimi Domini mei Epiſcopi.

DESCHAMPS Secret.

Collat. cum Exemplari authentico Secretariatus Epiſcopatus Tornacenſis.

GILBERTUS CHOYSEULIUS, ſummæ eruditionis, ac meriti ampliſſimi Vir, Convenarum t. t. Epiſcopus, á Ludovico XIV. Franciæ Rege, Tornacenſem ad Infulam promotus, & anno 1671. die 21. Aprilis ornatus ea in Sede ſua Cathedrali vixdum fuit; cum rectum in urbe & pagis ordinem qua privatis colloquiis, qua concionibus publicis ſtabilire adlaborabat. Nihil optimo Antiſtiti erat ſanctius, nihil potius, quam gregem ſibi commiſſum in Fide orthodoxa confirmare, & avulſos odiis ac ſimultatibus animos ad priſtinæ amicitiæ jura reducere. Juventuti, ſolidis doctrinæ Chriſtianæ principiis & vera pietate imbuendæ, communem pro Diœceſi ſua Catechiſmum dedit. Anno 1672., qui & antiquiſſimi Monaſterii (*vid. Mabillon. Annal. Bened. Tom. I. Lib. XII. n. LIX.*) a S. Amando ad a. 639. conditi Jubilæus erat, novum ejusdem Templum, convocatis undequaque Abbatibus, quorum viginti aderant, & primæ nobilitatis hominibus plusquam 400, mirifico adparatu conſecravit. Anno 1673. Breve Apoſtolicum, quod incipit: *Clemens* &c. *Venerabilibus Fratribus noſtris Atrebatenſi, Laudunenſi, & Ambianenſi Epiſcopis* &c. ſuæ confirmans in idem Elnonenſe Monaſterium jurisdictionis poſſeſſionem obtinuit, ex ejusque poteſtate in viſitatione, quam inſtituit, ſapientiſſima edidit, præſcripſitque Conſtituta. Suppreſſit eod. anno Parochiam S. Margaretæ Tornaci, & novam S. Mar. Magdalenæ Inſulis anno 1676. erectam, probavit.

Seminarium pariter formandis e Tridentini Norma Eccleſiaſticis, utraque in urbe erexit, Ss. Carolo Borromæo & Franciſco Saleſio conſecratum. Ut Clero prælu-ebat

cebat ſcientiarum, virtutumque radiis: ita fidos ſibi in Apoſtolico munere ac gnavos Paſtores magni faciebat ſemper &, ubi ferebat occaſio, multum commendabat. Quam fuerit ab ementito Janſeniſmi rigore alienus, declaravit datis a. 1678. die 24. Apr. ad Summum Pontificem INNOCENTIUM XI. literis, quibus nimiæ, de qua nonnulli eum Theologi poſtularant, ſeveritatis labem propulſabat, *hoc poſſum*, ſcribens Pontifici, *coram Deo profiteri, Beatiſſime Pater, me nunquam Janſenii patrocinium ſuſcepiſſe, & quinque propoſitiones damnatas damnaviſſe ſemper ex animo* &c.; neque tamen, a doctrinis laxioribus, quas cenſebat Chriſtianis eſſe offendiculo, quantopere abhorreret, eadem occaſione palam teſtari ſuperſedebat. Ad tuendum Eccleſiæ ſuæ honorem, in cœtu Provinciali die 3. Sept. anno 1681. Cameraci habito, primum ſibi a Metropolitano locum ante alios ejusdem Provinciæ Suffraganeos vendicavit. Ad quæſtiones a doctiſſimis Theologiæ Magiſtris ſibi propoſitas tam reſpondebat ſuaviter ſimul & erudite, ut quam cumulatiſſime ſatis faceret. Obiit Lutetiæ Pariſiorum, novi animo meditans Ritualis Diœceſani typum, pridie Cal. Januarias anno Chriſti 1690, ætatis 76. Pontificatus 19. inter Doctores Sorbonicos jam ab anno Chriſti 1640. conſpicuus.

Vide Joan. Bapt. Lud. Caſtillionii Sacr. Belg. Chronolog. Part. II. pag. 424. *& Synopſin vitæ Epiſcoporum Tornac. Summæ Statut. Synod. cit. præmiſſam pag. CLXIII. Item Dictionnaire hiſt. portatif &c. Tom. I. pag.* 301.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCLXXIV. Clementis IX. PP. V. Leopoldi I. Imp. XVI.

CELEBRATA

Ab eodem Revmo D. CHRISTOPHORO BERN. a GALEN, Monaſter. Epiſcopo,

DIE 16. OCTOBRIS.

In hac Synodo publicabantur ſequentia:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

SUprema magni Patrisfamilias diſpoſitione creditum Nobis Eccleſiæ Monaſterienſis myſticum agrum circumſpecta providentia cuſtodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) ſatagentes animum in eas ſemper curas intendimus, quibus idoneos cumprimis fidosque pro eo operarios conduceremus, ut dum una cum iiſdem plantamus & rigamus, Domino benedicente, & incrementum dante, meſſis multa, fructu centeſimo cœleſte in horreum congregaretur.

Sane cum ſacræ paginæ teſtentur a cura vel incuria Paſtorum ſalutem, vel damnationem commiſſi gregis ſæpius pendere, merito in delectu hujuſmodi perſonarum adhibenda eſt omnis ratio, ut in hac Diœceſi noſtra evulſis nunc opportune zizaniis excolendo huic agro, id eſt, Eccleſiis ii præficiantur, quos præter ſcientiam vitæ morumque integritas commendet, ac tales ſint, quibus cura ſalutis animarum tuto credi, quique ipſi forma facti gregis non ad ſolam ſpeciem externam, ſed ex animo eundem non minus honeſtæ probæque vitæ exemplo, quam oblatione Sacrificiorum, pabuloque ſacræ doctrinæ, & Sacramentorum paſcere, & in viam ſalutis æternæ dirigere valeant.

Quod cum melius nunquam dignoſci queat, quam ſi vocantibus Parochialibus Eccleſiis per concurſum provideatur, quamvis examini tunc faciendo certi alias Examinatores deſtinati ſint, non tamen minus viſum eſt nunc eoſdem denuo confirmare, quam alios etiam ex Venerabili Capitulo noſtro Cathedrali, & quidem Reverendos ac Nobiles Nobis ſincere Dilectos, *Joannem Rutge-*

Rutgerum a Torck, & *Joannem Adolphum Korff* condictum *Schmifinck*, Cathedralis Ecclesiæ nostræ Decanum, & Canonicos in præsenti Synodo deputare.

Cumque ex delectu idonearum hujusmodi personarum fructum indies incredibili animi voluptate sentiremus, agri amplitudo & messis ubertas insuper stimulavit solicitudinem nostram, ut iis locis, quibus numerosior invenitur populus, & Pastoratuum obventiones permittunt, habiles Pastoribus Sacellani, ceu fidi Cooperatores, sicut hactenus utiliter, ita inposterum quoque adjungantur, quo partis inter se oneribus & Christi fideles per conciones, ac Catecheticas lectiones in fide commodius possint instrui, & Sacramentorum administratio, curaque animarum facilius securiusque exerceri.

At vero, cum sine fide impossibile sit placere Deo, nec ulla nobis spes æternæ beatitudinis certa possit affulgere, neque aliter adultis illa, quam per auditum donetur, hortamur eos, qui ad id legitime vocati sunt & destinati, Sanctum Dei verbum, quanta potest fieri diligentia & sedulitate, prædicent, conciones autem ita aptari disponique volumus, ut apud imperitam plebem Catechismum potius, quam concionem redoleant, nec minus res fidei, quam morales in iisdem clare & distincte tractentur, atque ita commissis iis, quæ ad doctrinam Christianam non pertinent, ea præcipue, quæ unicuique ad salutem scitu factuque sunt necessaria, quæque vitia declinare, quasque virtutes sectari debeat, universus populus doceatur.

Eum in finem Decreta nostra de habenda Catechesi, antehac sæpius emanata & inculcata, de consilio & assensu Venerabilis Capituli nostri Cathedralis denuo innovamus, omnibus & singulis Parochis, aliisve animarum Curatoribus, ad quos hæc populi erudiendi obligatio spectat, serio & severe mandantes, ut necessario huic & saluberrimo, munerique Pastorali congruentissimo operi diligentissime satisfaciant. Et quia in hac Diœcesi nostra Parochiæ ampliores sunt, ut multi ob locorum distantiam aliasque distractiones ad Ecclesiam Parochialem accedere impediantur, ne tamen propterea ex defectu instructionis animas rudiores æternæ damnationis periculo exponi contingat, volumus, ut sicut Dominicis in Parochiali, ita Festis, & ubi Sacellani sunt, Dominicis etiam diebus extra eam in Burschappiis, convocato isthic ad certum locum & horam populo, Catecheticæ exhortationes habeantur, idque tot diebus ibidem, & post successive alibi continuetur, donec in iis, quæ necessitate medii ac præcepti scire omnes obligantur, sufficienter instructos esse certitudine morali constet.

Quoniam vero nec tunc comparere omnes, nec explicata a singulis satis intelligi experientia testatur, nihil hodie æque necessarium est, quam si pueri, puellæque in Scholis recte erudiantur, tanti enim momenti est juventutis instructio, ut ab ea totius propemodum Christianæ Reipublicæ tum salus, tum pernicies dependeat.

Quapropter emanata alias de Scholis Decreta nostra per præsentium tenorem denuo innovantes, de consilio & assensu ejusdem Ven. Capituli nostri Cathedralis serio mandamus, ut in omnibus Civitatibus, oppidis, pagis, aliisque opportunioribus locis erectæ alias authoritate nostra Scholæ germanicæ pro pueris utriusque sexus omnino colantur & augeantur, ubi vero hactenus vel collapsæ sunt, sine mora restituantur; vel nunquam fuerunt institutæ, omni studio & diligentia quantocius erigantur, in quibus pueri, puellæque juxta methodum a Nobis præscribendam faciliore quam hactenus modo lingua vernacula Christianam Fidem veluti lac maternum a teneris annis imbibant, & ad morum honestatem, pietatemque instruantur.

Sed cum graves abusus oriantur, dum pueri, puellæque sub eodem Ludimagistro & eodem simul loco docentur, volumus, ubi juventus & communitas numerosior est, speciales pro puellis Ludimagistras institui. Ubi vero id obtineri necdum potuerit, loco saltem & pariete interposito pueris a puellis in Scholis seorsim sedere & doceri. Pueri ad Scholas a parentibus mittantur, & ne qua pauperibus conquerendi, vel filios a Scholis abstrahendi detur occasio, decernimus salaria Ludimagistris constituta, vel iis deficientibus, ex communibus pauperum reditibus certam portionem pro minervali eorum assignari debere.

Qua in re, ut eo certius, fidelius, & efficacius procedatur, mandamus Archi-Diaconis & Parochis nostris, ut in Regiunculis & Parochiis sibi commissis præinsertam nostram Ordinationem omni cura & studio exequantur, Satrapis vero, Quæstoribus, Prætoribus, Magistratibus locorum, & aliis Officiatis nostris, ut quisque eorum quovis districtus sui loco tam in erectione Scholarum, quam assignatione salariorum pro Ludimagistris solicite & studiose assistant, juvent ac curent, quo enixa hæc voluntas nostra debitum suum effectum sortiatur.

Denique omnia & singula Edicta, Decreta, & Mandata nostra superioribus Synodis lata, publicata & intimata, denuo innovamus,

vamus, confirmamus & intimamus, vos omnes & singulos de Clero nostro paterne exhortantes, vocatione, qua in sortem Domini vocati estis, digne ambuletis, obligationi vobis ex fundatione Ecclesiarum vestrarum, vel Beneficiis, seu sacrorum Canonum Decretis incumbenti satisfaciatis, & vita moresque vestri ita compositi sint, ut ex actionibus vestris sumant, quod studiose imitentur. Quo fine Benedictionem vobis Episcopalem impertimur. In fidem præsentes Pastorales literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro roboratas dedimus in arce nostra Saffenberg, 14ta Octobris anno 1674. Regiminis nostri 24to.

Christophorus Bernardus mpp.
(L.S.)

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXXV. Clementis IX. PP. VI. Leopoldi I. Imp. XVII.

HABITA

ab eodem Revmo & Illmo D. CHRIST. BERN. a GALEN, Monast. Episcopo,

DIE 26. MARTII.

DECRETA IN HAC SYNODO PUBLICATA:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

UT in Ecclesiis solicitudini nostræ commissis Divina Officia ordinate peragantur, & fidelis populus per administrationem Sacramentorum, verbique Divini prædicationem in fide, pietate, & justitia certius proficiat, assentiente Venerabili Capitulo nostro Cathedrali sequentia in Parochiis hujus Diœcesis nostræ exacte observanda decrevimus, ac mandavimus, prout decernimus ac mandamus per præsentes.

I.

IN omnibus Ecclesiis Parochialibus sacrum Missæ Officium Dominicis & Festis diebus celebrabitur hora nona antepomeridiana, & ubi Sacellani vel Vicarii sunt, primum Sacrum inchoabitur circa septimam matutinam per æstatem, per hyemem vero paulo serius: sicubi vero tres, aut plures Sacerdotes fuerint, tertium vel ultimum Sacrum post habitam concionem legetur.

II. Quicunque primum Sacrum celebraverit, prælegет Evangelium, jejunia, & dies Festos publicabit, ac præterea ad quadrantem horæ habebit Catecheticam aliquam exhortationem.

III. Sub Missæ Sacrificio, præsertim tempore Gradualis, Offertorii, Canonis, Communionis &c. canentur semper piæ cantiones germanicæ tempori per annum accommodatæ.

IV. Parochi per septimanam minimum bis Sacrificium Missæ celebrabunt, ita ut semel pro defunctis, semel pro vivis Parochianis ac Patriæ necessitatibus illud offerre obligentur.

V. Ubi vero plures Sacerdotes fuerint, is ab omnibus ordo servetur, ut in Parochialibus Ecclesiis, & stata quidem hora, videlicet, septima per æstatem, octava vero per hyemem una saltem Missa legatur, & populus dato semper campanæ signo ad hoc invitetur. Quod si vero Parochi vel Sacellani in Capellis, quæ forsan in districtu Parochiarum exstiterint, pro habitantis isthic populi commoditate subinde celebrarint, ii tunc ad celebrandum in Parochiali non obligabuntur.

VI.

VI. Curent Parochi, aliique Sacerdotes, ut tam ornamenta Altarium, quam paramenta Sacrificantium, aliaque sacra supellex cumprimis integra, munda, ac nitida conservetur.

VII. In omnibus Missis tam solennibus, quam privatis post ultimam Collectam in Postcommunione recitandam ante conclusionem semper addatur: *Et famulum tuum CHRISTOPHORUM BERNARDUM, Antistitem nostrum, una cum grege sibi commisso ab omni adversitate custodi, & pacem tuam nostris concede temporibus, per Dominum* &c. Exceptis Missis pro Defunctis, & ubi concluditur per verba: *Qui tecum vivit* &c.

VIII. Cum sine fide impossibile sit placere Deo, nec aliter adultis illa, quam per auditum donetur, monentur Parochi & Concionatores, sanctum Dei verbum, quanta potest fieri diligentia, & sedulitate, prædicent: Conciones autem ita disponantur, aptenturque, ut apud imperitam plebem Catechismum potius redoleant, quam infructuosam orationem, nec minus res fidei, quam morales in iisdem clare & distincte tractentur, atque ita omissis omnibus, quæ ad doctrinam Christianam non pertinent, illa præcipue, quæ unicuique ad salutem scitu, factuque sunt necessaria, quæque vitia declinare, quasque virtutes quilibet sectari debeat, zelose doceatur.

IX. Dominicis ac festis diebus in Civitatibus, ubi Religiosorum Monasteria vel Collegia extant, quando in Parochialibus Ecclesiis concio habetur, Religiosi nunquam eodem tempore concionabuntur, sed quo Christi fideles opportunius ad sanctificandos dies illos incitentur, post prandium certa hora, quæ tamen Catechesin non impediat, aut alia opportuniore ad populum dicant.

X. Et quia monet Apostolus, bonum Deoque acceptum esse, si pro Regibus ac Principibus obsecrationes & orationes a subditis fiant, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate &c. Concionatores omnes, posthac semper finita concione precatiunculam illam, quæ præsentibus adjuncta est, una cum auditoribus suis publice recitabunt, monebuntque subditos obligationis suæ, ut Deum, qui orationibus humilium sæpe præstat salutem sublimium, pro Principis sui & Patriæ incolumitate serio ac ferventer exorent.

XI. Cumque Catechesis adeo necessaria sit, ut ex ea potissimum fidelium salus præsertim simpliciorum pendere dignoscatur, Pastores in omnibus Ecclesiis Parochialibus per totum annum non solum Dominicis, sed etiam singulis festis diebus per semetipsos catechizabunt, curabuntque juventutem ac populum ad id certa hora & dato signo convocari.

XII. Et quia in hac Diœcesi Parochiæ ampliores sunt, ut multi ob locorum distantiam, aliasque distractiones ad Ecclesiam Parochialem accedere impediantur, ne tamen propterea ex defectu instructionis rudiores animas æternæ damnationis periculo exponi contingat, Parochi diebus festivis, omisso tunc in Parochiali Catechismo, ad remotiores Burschappias excurrent, ibidemque convocato ad certum locum & horam populo catechizabunt, idque tot diebus ibidem, & post successive alibi continuabitur, donec in iis, quæ necessitate medii ac præcepti scire omnes obligantur, sufficienter instructos esse certitudine morali constet.

XIII. Ubi vero Sacellani sunt, obligabuntur ii tam Dominicis, quam Festis diebus ad Burschappias excurrere, & prædicto modo catechizare, relicta Pastoribus in Parochiali catechizandorum cura.

XIV. Religiosi autem, qui Curatis subsidio esse debent, quo cum iisdem proximorum salutem certius procurent, pariter ad Burschappias excurrant, ibidemque præscripto modo catechizent.

XV. Mandatur omnibus subditis & Parochianis, ut Dominicis & Festis quilibet, & singuli eorum Sacrosanctæ Missæ Sacrificio & concioni vel Catechismo intersint, ita quidem, ut qui mane Sacro & concioni interesse impediuntur, post prandium in Catechismo infallibiliter comparere teneantur.

XVI. Et ne per hoc, quod pecus paſci debeat, abſentiam ſuam palliare queant, mandatur, ut pecudes tantisper vel domi detineantur, vel cæteroquin hæc cura iis, qui tempore antepomeridiano Divinis interfuerunt, etiam Patri- vel Matrifamilias per id tempus relinquatur.

XVII. Ludimagiſtri tam in Eccleſiis Parochialibus, quam Burſchappiis (ſiquidem iſthic aliquis conſtitutus fuerit) cum juventute ſua Catechiſmo præſentes interſint, & ſemper ante & poſt Catechiſmum cantiones habeantur.

XVIII. Quominus etiam ab exercitio rei adeo ſalutaris fideles abſtrahantur, nemo præſumet Dominicis vel Feſtis diebus tempore Divini Officii, concionis vel Catechiſmi in cauponis ſeu tabernis vinum aut cereviſiam vendere vel bibere, cæteroqui venditor vel caupo in quinque florenorum, bibens vero in duorum pœnam toties quoties declaretur.

XIX. Utque magis abſentandi occaſio præſcindatur, nuptialia & baptiſmalia convivia iiſdem diebus haberi omnino prohibentur. Contrarium facientes omnes & ſinguli capitatim mulctabuntur.

XX. Quicunque vero nec mane Sacro & concioni, nec poſt prandium Catechiſmo interfuerint, pariter toties quoties mulctentur.

XXI. Ut autem tanto accuratius abſentium ratio habeatur, Catechiſtæ per ſe, vel Cuſtodes, aut Ludimagiſtros nomina ſingulorum ſpeciali catalogo deſcripta recitabunt, aut alio modo curam gerent, qua abſentes notari poſſint.

XXII. Cumque juventutis inſtructio tanti momenti ſit, ut ab ea totius propemodum Chriſtianæ Reipub. tum ſalus, tum pernicies dependeat, hinc in omnibus civitatibus, oppidis, pagis, aliisque opportunioribus locis pro pueris utriusque ſexus Scholæ germanicæ alias erectæ colantur & augeantur, vel ſi nunquam fuerint, præſertim etiam in remotioribus Burſchappiis, loco habitantibus opportuniore omni ſtudio & diligentia quantocyus erigantur.

XXIII. Sed cum graves ſubinde abuſus oriantur, dum pueri puellæque ſub eodem Ludimagiſtro, & eodem ſimul loco docentur, volumus, ubi juventus & communitas numeroſior eſt, ſpeciales pro puellis Ludimagiſtras inſtitui, ubi vero id obtineri necdum poterit, loco ſaltem & pariete interpoſito pueros a puellis in Scholis ſeorſim ſedere & doceri.

XXIV. Pueri omnes a parentibus ad Scholas mittentur, & ne qua pauperibus ob inopiam conquerendi, vel liberos a Scholis abſtrahendi detur occaſio, decernimus egentiores gratis inſtrui, & ne quid Ludimagiſtris decedat pro minervali eorum ſalaria Ludimagiſtris alias conſtituta, vel, iis deficientibus, ex communibus pauperum reditibus certam portionem aſſignari debere.

XXV. Parentes ii, qui proles ſuas ad Scholas mittere neglexerint, ſi egentiores fuerint, puniantur; ſi vero poſſint, duplum præterea minerval Ludimagiſtris perſolvant.

XXVI. Ut autem Scholarum & Scholarium cura tanto ſit major, ac prænarrata eo certiorem effectum conſequantur, Paſtores & Sacellani Scholas quot ſeptimanis minimum ſemel viſitabunt, & de earum ſtatu, progreſſu, conſervatione, Scholarium numero, &c. aliquoties per annum referent accurate.

XXVII. Ludimagiſtri, ac Ludimagiſtræ omni omnino immunitate gaudeant, nec ullis ab Officiatis noſtris, vel Magiſtratibus locorum oneribus publicis quocunque ſub prætextu graventur.

XXVIII. Et quo majore contentione res fidei neceſſarias juventus addiſcat, Parochi, vel alii Sacerdotes de eorundem licentia deſponſatorum Matrimoniis nullatenus aſſiſtere præſumant, niſi præmiſſo examine de rebus ſcitu factuque ad ſalutem neceſſariis, ſufficienter inſtructi deprehendantur.

XXIX. Nemo Parochorum Vicariæ

riæ alicujus onera vel officiationem in se recipiet, sed Vicarii seu Beneficiati ipsa onera, quo ad residentiam personalem, Missarum celebrationem, assistentiam in choro & cura animarum, juxta Fundatorum intentionem & Edicta ac Mandata alias publicata, ipsimet realiter præstabunt, nec ullatenus præsument bona, vel sortes capitales ad Beneficia quomodolibet spectantia, vel spectantes hypothecare, alienare, seu alio quovis modo deteriorare sub pœna sacris Canonibus inserta.

In quibus omnibus, ut eo certius & efficacius procedatur, mandamus Archi-Diaconis & Parochis nostris, ut in Regiunculis & Parochiis sibi commissis præinsertam nostram Ordinationem omni cura & studio exequantur; Satrapis vero, Quæstoribus, Prætoribus, Magistratibus locorum, & aliis Officiatis nostris, ut quisque eorum quovis districtus sui loco in prædictis solicite & studiose assistant, juvent, ac curent, quo enixa hæc nostra voluntas debitum suum effectum sortiatur. In quorum fidem præsentes dedimus manu & sigillo nostris roboratas. In Civitate nostra Monasteriensi die 23tia Martii, 1675.

Christophorus Bernardus mpp.

(L. S.)

SYNODUS DIŒCESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,
Eodem anno Christi MDCLXXV.
HABITA
ab eodem Revmo D. CHRISTOPHORO BERN. a GALEN, Monast. Episcopo.

REVERENDISSIMI, ADMODUM REVERENDI,
VENERABILES DOMINI, DOMINI!

AUdistis ex Literis Commissionis Celsissimum Principem Episcopum, Dominum nostrum Clementissimum nobis, quibus vice sua hoc in loco præsidendi potestatem fecit, inter cætera injunxisse, ut, cum novas in præsenti Synodo Constitutiones publicare supervacaneum duxerit, illarum, quæ alias emanarunt, observantiam serio inculcaremus.

Arbitramur nos verbo, vos autem re ipsa hoc facturos, si vestras illis actiones conformetis, si, quod latinus Orator diserte jam deduxit, tales simus, quales existimari velimus, fideles Ministri Dei & Dispensatores Mysteriorum ejus.

Et quia continuatæ tot menses pluviæ, murium, aliorumque sementem absumentium animalium multitudo rei frumentariæ inopiam, & secuturam inde annonæ caritatem nobis comminantur. Cumque etiam belli æstus Septentrionem versus fervere primum incipiant, &, licet successus armorum Celsitudinis suæ usque huc felicissimi spes nostras impleverint, quia tamen bellorum exitus incerti esse, & plurima post se mala trahere consueverunt, exigit præcipue a nobis obligationis nostræ ratio, ut, qui in sortem Domini vocati, & medii quasi inter Deum & populum constituti sumus, ante thronum Divinæ misericordiæ provoluti, Sacrificiis & Precibus immensam illius Bonitatem exoremus, ut non solum prosperos illos armorum progressus porro secundare, sed & universa nobis adversantia benignissime excludere dignetur, ut mente & corpore pariter expediti, quæ illius sunt, liberis mentibus exequamur. Quem in finem Celsitudo Sua Episcopalem vobis Benedictionem impertitur.

I. *In Synodo Verna a.* 1676. *jussit Episcopus denuo inculcari sancita de Juventutis sedula instructione, & continuari decem Horarum, aliasque publicas & privatas Preces pro obtinenda pace.*

 II. *Nec*

II. *Nec in Synodo Autumnali a.* 1676. *nec in Verna a.* 1677. *quidquam publicatum est a Statutis prioribus diversum. In hac Præsides fuere viri mox citati; in illa* Joannes Rutgerus a Torck, Goswinus Droste, Joannes Adolphus Korff, *condictus* Schmisinck, & Joannes Alpen.



SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Anno Christi MDCLXXVII. Innocentii XI. PP. II. Leopoldi I. Imp. XIX.

CELEBRATA

ab Illmo & Revmo Domino GILBERTO de CHOYSEUL, Tornacensi Episcopo,

DIE I. JUNII.

ACTA SYNODI TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Episcopali die 1. *Junii anno Domini* 1677.

Feria nempe tertia post Dominicam: MISERICORDIA DOMINI.

PRæsidente Illustrissimo & Revmo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN Episcopo Tornacensi: Assistentibus RR. Admodum DD. *Joanne Gennaro* J.U.L. Ecclesiæ Cathedralis Decano, & præfati Illustrissimi Domini Vicario Generali; *Ægidio de Brabant* S.T.L. Archi-Diacono Tornacensi, *Petro Masureel* J.U.L. Archi-Diacono Flandriæ in dicta Ecclesia Cathedrali, *Vincentio Ragot*, Sacrorum Decretorum Doctore, ejusdem Ecclesiæ Præcentore & Officiali, *Ludovico Mersmans* S.T.L. *Joanne Waterloop* S.T.D. præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicis; RR. Admodum DD. *Francisco Legrand*, S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Noë Portois*, S. Nicolai, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Tornacensis Civitatis respective Monasteriorum Abbatibus; D. *Ignatio Baclan*, Canonico Seclinensi, Capituli Seclinensis Procuratore; Fratribus (*) *Juliano Bonnier* & *Paulo Griffart*, DD. Abbatum Cysoniensis & Phanopinensis respective Deputatis; DD. & MM. *Nicasio Heunet* Pastore Parochiæ D. Virginis Civitatis Tornacensis ac Decano Christianitatis; *Martino Doulieт*, Pastore S. Petri & Decano Christianitatis Insulensis; *Jacobo Gillebert*, Pastore S. Martini & Decano Christianitatis Cortracensis; *Petro Hergo*, Pastore in Rongis & Decano Christianitatis S. Amandi; *Maximiliano Tromont*, Pastore in Fretin, Seclinensis, *Balduino van Houtten*, Pastore in Dartignies, Helchiniensis Flandrorum; *Ferdinando Malfait*, Pastore in Nechin, Helchiniensis Gallorum, districtuum Christianitatis Decanis: M. *Petro Juvet*, Pastore in Verwick, pro M. *Joanne Baptista d'Havelosto* Menenensi, districtus Viroviacensis Decano, tum ob ægritudinem absente; MM. *Petro Villers*, & *Michaële Simon*, respective Scriba & Promotore Curiæ Episcopalis Tornacensis, & M. *Huberto Clauteau*, Acolyto Diœcesis Mechliniensis, pro Illustrissimi Domini Secretario, absente.

Synodus in Palatio Episcopali circa horam octavam matutinam aperta est. Celebrato autem Missæ Sacrificio ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo ad invocandum Spiritum Sanctum pro felici Synodi successu, Ipse cum Assistentibus ad Aulam Palatii se recepit. Ubi exorta contentione inter Reverendos Abbates S. Martini & S. Nicolai de Pratis quis eorum videretur esse Major, & quis prior deberet in Synodo sedere, auditis eorum summarie rationibus, & attento ultimo Sessionis statu statutum est sine ullo præjudicio, ut pro hac vice D. Abbas S. Martini priorem locum obtineret. Ut autem imposterum eorum controversiæ finiantur, utrique injunctum est, ut quamprimum coram Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo in suo Vicariatu eorum respective Acta producantur ad litem jam intentatam omnino terminandam. Mota est etiam difficultas super loco, quo

(*) Impressi, quo utebar, exemplaris lacunam ex alia Synodo explevi.

quo sedere deberent Abbatum Cysoniensis & Phanopinensis Deputati, statutum est autem, ut immediate ante Decanos Christianitatis pro hac vice sederent. Tum Illmus Dominus Episcopus in concessu paucis de bellorum calamitatibus, ob quas coactus est paululum Synodorum celebrationem intermittere, deque earum nihilominus necessitate præfatus, omnesque ad Dei & Ecclesiæ gloriam, atque animarum salutem procurandam adhortatus, dixit sibi videri necessarium, ut pauca sed utilia & tenaciter observanda recenter sancirentur. Cumque in Generali Synodo decretum fuisset, ut præteritarum Synodorum Acta evolverentur; ex iisque seligerentur ea, quæ hujus Ecclesiæ moribus hoc tempore congruerent, & uno codice comprehenderentur. Eorum collectionem omnium oculis subjecit. Lecta postmodum de more a Reverendo Domino *Petro Masureel*, Archi-Diacono Flandriæ, Decreto *de Residentia*, a Concil. Tridentino edito, lectisque a Rev. D. *Vincentio Ragot*, Officiali, Statutis superioris Synodi Generalis; tum singulis suo ordine quidquid ad morum & disciplinæ reformationem conducere existimarent, proponendi facta licentia, hæc tandem, quæ sequuntur, sancita sunt:

ARTICULUS I.

Ut exhibita Decretorum Synodalium collectio quamprimum a Deputatis cum Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo iterum legatur & examinetur, deinde ad Decanos Christianitatis mittatur sui cujusque Decanatus Pastoribus communicanda, tum Prælo mandetur. Ad hoc autem Deputati sunt Domini de Vicariatu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Episcopi.

II.

Ne quis imposterum Pastor ullam super bannis dispensationem petere præsumat, nisi in libello supplici facta de parentum consensu mentione.

III.

Cum multi in fraudem Matrimonii, aliorumque Sacramentorum, ut suorum Parochorum & Pastorum oculos & conscientiam fugiant, migrent in alienam Diœcesim statim in hanc ipsam reversuri, statutum est non solum illos graviter peccare, & monendos esse, sed etiam recepta ab iis Sacramenta, quorum valor a propriorum Pastorum præsentia seu jurisdictione pendet, nulla esse, cum nullus Diœcesanus aut Parochianos censeatur, nisi habeat in Diœcesi aut Parochia commorandi animum. Non tamen hoc intelligendum esse de viatoribus, qui sine ulla fraude adeunt Parochos, aut alios approbatos Sacerdotes eorum locorum, per quæ transeunt, sua peccata confessuri. Tales enim confessiones approbat Ecclesia.

IV.

Cum omnibus retroactis temporibus conquesti sint Majores nostri de Festorum violatione, in omnibusque Synodis inutili cautione super ea re provisum fit, & populi de nimia Festorum frequentia passim conqueratur, Magistratusque tum Civitatis Episcopalis, tum aliarum hujus Diœcesis urbium & oppidorum enixe rogaverint, ut plura ex iis supprimerentur, aut saltem in dies Dominicas transferrentur, habita super ea re matura deliberatione, pensisque hinc inde difficultatibus, tandem Antecessorum Episcoporum vestigiis inhærendo, ac præcipue GILBERTI D'ONGNIES & MICHAELIS D'ESNE, qui in Synodis multa Festa, populorum precibus inclinati, abrogarunt, visum est novum Kalendarium ad hujus Diœceseos usum componere, quod deinceps per omnes Parochias promulgabitur.

V.

Cum expositum sit a pluribus libros Rituales deficere, & necesse esse, ut iterum Typis mandentur, tota Synodus rogavit Illustrissimum ac Reverendissimum Episcopum, ut tam necessario operi invigilet, quod se facturum promisit, assumptis ad hoc sibi adjutoribus DD. *Mersmans*, *Waterloop* & *Donne* Canonicis.

VI.

Pluribus conquerentibus de puellarum & adolescentium virorum protervia, qui simul popinas adeunt, ibique lascivientes & intemperantiæ, gulæque indulgentes maxima pariunt scandala, quibus per Statuta Synodalia

lia necdum ſatis efficax remedium adhibitum eſt, tum etiam de publicis luſibus, aleis, choreis, tripudiis, aliisque ejusmodi, quibus cum magno Eccleſiæ ludibrio & pietatis detrimento operam dant, populi diebus Dominicis & Feſtivis, & maxime diebus Dedicationum atque Patronorum, etiam tempore Divinorum officiorum, decretum eſt, ut præter iteratas monitiones, adhortationes, obſecrationes, increpationes, quibus in omni patientia inſtandum eſt, opportune, importune, adeantur ſæculares Magiſtratus, ipſaque etiam ſupremi hujuſce Civitatis Conſilii cura, atque etiam, ſi opus eſt, Regis in ſuo conſilio exiſtentis authoritas, ut tantum ſcandalum tandem compeſcatur.

VII.

Decani Chriſtianitatis & ſuo & ſuorum Compaſtorum nomine, retulerunt parentes liberorum ſalutis minus ſtudioſos, eos ad Catechiſmum non mittere: quin & ipſos grandiores & provectæ ætatis homines vix tenere, & callere Fidei rudimenta: quare ſancitum eſt, ut ad Regia Edicta recurrant, & negligentes Promotori denuntient. Cæterum quoad grandiores attinet, hujuſce Diœceſeos jam promulgata ſuper ea re Statuta diligenter & ſedulo executioni mandentur.

VIII.

Cum relatum ſit plures Presbyteros non ſolum ſpecie pietatis teſtamenta Laicorum obire, & exequi; ſed etiam, ut hæ ſibi Provinciæ demandentur, plerumque ambire, ex quo oritur, ut ſe Laicorum Tribunalibus ſiſtere cogantur, quod in Eccleſiæ dedecus vertitur & opprobrium, ſtatutum eſt, ut a Paſtoribus, & maxime a Chriſtianitatis in ſuo cujusque tractu Decanis, moneantur Sacerdotes, & omnes Clerici, ne impoſterum militantes Deo, implicent ſe hiſce ſæcularibus negotiis: Contumaces autem citentur coram Officiali, juxta Provincialis Concilii mentem.

IX.

Inſequendo Decreta Sacroſancti Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Paſtorum, ac aliorum RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro* J. U. L. Decanus Eccleſiæ Cathedralis, Vicarius Generalis Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi: *Ægidius de Brabant* S. T. L. Archi-Diaconus Tornacenſis: *Petrus Mazureel* S. T. L. Archi Diaconus Flandriæ in Eccleſia Tornacenſi: *Vincentius Ragot* Sacrorum Decretorum Doctor, Officialis, *Libertus de Froimondt* J. U. L. Pœnitentiarius, *Ludovicus Mersmans* S. T. L. *Joannes Watterloop* S. T. D. Theologalis, *Antonius Donne* Scholaſticus, S. T. L. præfatæ Eccleſiæ Cathedralis Canonici, & præterea RR. DD. *Remigius du Laury* S. T. & J. U. L. Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Inſulis Præpoſitus; *Philippus de Camperbout* S. T. L. Decanus, & *Jacobus Boudart* etiam S. T. L. Theologalis, Canonici ejuſdem Eccleſiæ & Magiſter, *Martinus Doulcet* Paſtor S. Petri & Decanus Chriſtianitatis Inſulenſis; RR. DD. *Petrus van Cauteren* J. U. L. Præpoſitus Halebecenſis, & *Ludovicus de Berſacques* S. T. L. Decanus Eccleſiæ Collegiatæ D. Virginis Cortraci; Magiſter *Jacobus Gillebert* S. T. L. Paſtor portionis Septentrionalis, & Decanus Chriſtianitatis Cortracenſis, & *Joannes Vermeulen* Paſtor portionis Meridionalis ejuſdem oppidi Cortracenſis.

X.

Deputati vero Judices Synodales RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Petrus Mazureel*, *Vincentius Ragot*, *Ludovicus Mersmans*, & *Antonius Donne*, qui ſupra, nec non *Albertus Mauritius de la Hamayde* J. U. L. ejusdem Eccleſiæ Canonicus, Hoſpitalarius: & præterea RR. Adm. DD. *Franciſcus Legrand* S. Martini, & *Noë Portionis* S. Nicolai de Pratis, Tornacenſis Civitatis reſpective Abbates.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini mei Epiſcopi præfati.

DECHAMPS Secret.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Chrifti MDCLXXVII.

JUSSU

ejusd. Revmi Domini CHRISTOPH. BERNARDI a GALEN, Monafterienfium Epifcopi,

CELEBRATA

CIRCA DIEM 8. OCTOBRIS.

Deputati Præfides ab Epifcopo JOANNES RUTGERUS A TORCK, MATTHIAS KORFF, *condictus* SCHMISINCK, GOSWINUS DROSTE, JOANNES ALPEN *Vic. Gen.*

ACTA in Synodo a. 1677. Autumnali.

IN præfente Synodo authoritate Epifcopali, & de affenfu Revmi Capituli Cathedralis innovantur Decreta & Statuta alias ex hoc loco publicata & intimata, moneanturque omnes de Clero vocationis, officii, & obligationis fuæ, ut quæ de vitæ, morumque fanitate, habitu & tonfura, frequentatione chori & Ecclefiæ, Divini verbi prædicatione, Sacramentorum adminiftratione, & cumprimis de Catechefi, Juventutis inftructione, & Scholis antehac ferio mandata & inculcata funt, exacte obferventur.

Deinde ut benigniffimus Deus in negotio pacis & belli, quod de præfenti tractatur, id tandem concedere dignetur, quod Religioni, Imperio, & Patriæ magis videbitur falutare, reaffumendæ eæ funt Preces decem horarum, aliaque pietatis & devotionis officia per inftantem hanc hyemem continuanda, ut communibus omnium votis exoretur Divina Bonitas, quatenus omnem a cervicibus adverfitatem benigniffime avertat, & profufam nobis Benedictionem clementifsime largiatur.

STATUTA SYNODALIA

ARCHI-EPISCOPATUS TREVIRENSIS,

Anno Chrifti MDCLXXVIII. Innocentii XI. PP. III. Leopoldi I. Imp. XX.

LATA

A REVERENDISSIMO & EMINENTISSIMO DOMINO,

D. JOANNE HUGONE, (*) Trevirenfi LXXXIII. Archi-Epifcopo, S. R. I. Electore,

ET DATA

DIE 12. FEBRUARII.

JOANNES HUGO, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS TREVIRENSIS, S. R. Imp. per Galliam, & Regnum Arelatenfe Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Epifcopus ac Princeps Spirenfis, Adminiftrator Prumienfis perpetuus, Præpofitus Weiffenburgenfis &c. Ad Clerum Archi-Diœcefis noftræ Trevirenfis per Ducatum Luxemburgenfem.

AD Ecclefiæ Trevirenfis a Principe Apoftolorum & fummo in terris Domini noftri Salvatoris JESU CHRISTI Vicario D. Petro fub ipfis nafcentis Religionis Chriftianæ primor-

(*) Vide ad calcem Statutorum.

primordiis per suos Discipulos Beatos EUCHARIUM, VALERIUM, *&* MATERNUM *fundatæ, & ad hæc usque nostra tempora continua successionis serie in vera fidei puritate singulari Dei beneficio conservata regimen, meritis licet imparibus, disponente Domino, nuper vocati, inter varias curasque multiplices, & solicitudines, quæ ex ipso statim Pastoralis officii incboato ministerio Nobis incumbebant, illam totis affectibus, & desideriis amplecti cœpimus, per quam Clerum, maxime illum, (qui Parochialibus ex sorte sua subeundis muneribus mancipatus ad Altaris tribunal holocausta & populorum offerre vota, ac pro pace eorum Altissimum quotidie interpellare, verbique Divini prædicatione, ac Sacramentorum administratione eos pascere tenetur) Deo devotum, atque moribus vita & doctrina sanctum per Archi-Diœcesim nostram, hisce potissimum temporibus, quibus illa plurimis huc usque lacessita ærumnis, justo Dei judicio, peccatis nostris ita exigentibus, adhucdum indies gravioribus exponitur calamitatibus, atque dispendiorum periculis, juxta regulas Ss. Canonum ita formaremus, ut in eum tanquam in speculum Dominicæ veritatis reliquus grex fidelium oculos suos conjiciens semper sumat, quod imitetur, seque ex ejus vivendi & docendi exemplo ad omnem pietatis ac virtutum normam, Deique cultum assidue componat, atque ita demum fiat, ut S. Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ splendor in veris filiis suis ubique per Archi-Diœcesim nostram elucescat, & si quid in ea devium, & dissonum hostis antiqui operante versutia irrepsisse inveniatur, radicitus, & procul, Deo adjuvante, abjiciatur, palmitesque novi plantentur, per quorum suavitatis odorem Religio ipsa Christiana utrobique in morum, & doctrinæ sanctitate refloreſcat, & in domo Domini cum spiritualibus & temporalibus incrementis dignos parturiat fructus: Hinc est, ut horum votorum nostrorum simulque Pastoralis vigilantiæ nostræ salutares effectus a miseratione illius, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, per merita Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI eo certius obtineremus, cur sub initium nostri Regiminis anno proxime evoluto Archi-Diœcesim nostram per Ducatum imprimis Luxemburgensem utpote a Nobis remotiorem, per nostrum in Pontif. & Spiritualibus Vicarium Generalem R. in Christo Patrem Dominum* Joannem Henricum Anethanum, *Episcopum Hieropolitanum, visitari fecerimus, ejusque audita postea super singulis & probe examinata relatione, insistendo piis Prædecessorum nostrorum vestigiis (quorum Decreta tanquam hisce inserta, rata, confirmata, & innovata esse volumus) ad majorem DEI gloriam, & animarum salutem sequentem in modum Archi-Episcopali nostra, qua fungimur, & ordinaria, nec non etiam a Sede Apostolica delegata potestate statuere, & sancire decrevimus.*

STATUTA SYNODALIA
ARCHI-EPISCOPATUS TREVIRENSIS.
CAPUT I.
DE SACERDOTALI & PASTORALI OFFICIO.

Qualis est Rector Civitatis, tales & sunt inhabitantes in ea, testatur Sapiens *Eccles.* 10. sic quales sunt Parochi, tales sunt & Parochiani, quorum curam gerunt: Et Salvator noster ait *Lucæ* 11. Si oculus tuus fuerit lucidus, totum corpus tuum lucidum erit, sin autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: unde juxta S. Gregorium M. Rectores Ecclesiarum oportet esse in operatione semper præcipuos, ut vitæ viam subditis vivendo denuncient, & grex, qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba graditur: qui enim loci sui necessitate compellitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa, & monstrare, & facere; Illa vox namque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, ostendendo, & faciendo adjuvat, ut fiat: Hoc autem ut eo, quem optamus, & speramus, cum fructu deinceps a Parochis & Sacerdotibus nostræ jurisdictioni subjectis præstetur, & impleatur; hinc statuimus primo.

§.I.

§. I.

Residentia, habitus, & contubernium seu famulitium Sacerdotum, & Parochorum.

PRimo præcipimus, ut Curatores animarum Divinorum præceptorum memores, ea semper exacte custodiant, quæ de Residentia personali apud suas Ecclesias & gregem ipsis commissum injungunt Ss. Canones, nominatim Trid. Synodus *Sess.* 23. *de Reform. Cap.* 1. sub pœnis inibi expressis, & aliis nostro arbitrio pro qualitate excessuum infligendis. Ideoque secundum eorumdem Ss. Canonum præscripta, quibus nemo militans Deo, sese negotiis implicare potest sæcularibus, revocamus omnibus Parochis, Vicariis, & Sacellanis in memoriam Mandata olim hac super re per nostros Prædecessores edita, ne ullis deinceps sæcularium negotiis maxime forensibus se se quovis sub colore commisceant, aut implicari se sinant, nisi forte pietas, servata tamen ea, quam jura præscribunt, moderatione, aliud exigeret.

II.

Ne Pastores a commissa sibi gregis cura distrahantur, cum etiam ne hac occasione amittendæ vel minuendæ Ecclesiæ immunitatis periculo se se exponant (prout, prô dolor, factum quorundam nimia acquirendi cupiditate experientia didicimus ac lugemus) aut avaritiæ labem incurrant, rixarumque ansam ob onera publica præbeant, præter illa incommoda hortamur omnes in Domino, ut bonis suis patrimonialibus, & vidualibus, si quæ habeant, contenti, nulla Laicorum bona intra Parochiæ suæ terminos aut emant, aut hypothecæ titulo possideant.

III.

Multo magis etiam conformiter Ss. Canonibus promiscuum medicinæ exercitium interdictum iis esse volumus, injungimusque, ne ullatenus maxime potionibus vel incisionibus mulierculas curandas suscipiant. Circa mares vero, si quando ex charitate iis subveniendum foret, id prævia a Superioribus obtenta licentia ita moderate & discrete agant, ut in Ss. Canones non impingant: Caveant autem, ne remediis superstitionem redolentibus utantur, aut maleficii suspicionem hominibus moveant, cum gravissimo charitatis ac pacis domesticæ, sæpe etiam justitiæ dispendio.

IV.

Et quia gravis eaque justissima multorum non modo Laicorum, sed etiam Ecclesiasticorum querela est, plurimos Pastores ac Sacellanos cauponariam mercaturam exercere, ad nundinas circumquaque excurrere, pecora, frumenta palam, & personaliter in publico foro venum facere, vinum adustum distillare cum gravissimo scandalo, & status Clericalis dedecore, ac vilipendio: Nos omnia ista & similia omnibus, & singulis Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ interdicta esse volumus, & interdicimus sub mulcta unius floreni aurei, quoties secus fecisse deprehensi fuerint, & si bis terve moniti, & mulctati, non se emendent, ad Nos, vel nostros Vicarios, seu Officiales generales pro severiori correctione deferri volumus.

V.

Est & alia quævis non levis querela Ecclesiasticorum & sæcularium contra quosdam Pastores, & Sacellanos, quos Dominicis, Festivisque diebus gradus, officiique sui parum memores, cum Laicis publice ad metam jaculari non pudet, etiam cum dispendio functionum suarum Pastoralium, & hunc abusum sublatum severe volumus: Hinc quoties quis Ecclesiasticus contravenerit, toties eum aureo floreno mulctatum volumus, & si bis terve a Decano, vel ex ejus mandato ab uno ex Definitoribus monitus non resipuerit, ad Nos pariter pro severiori correctione deferri eum mandamus.

VI.

Bombardas & Sclopeta, dum itinerantur, non portent, aut Ephippiis appendant; non solum a clamosa venatione, quam severe Clericis interdicunt Ss. Canones, abstineant, nec ullis precibus quorumvis Laicorum ad

eam adduci ſeſe patiantur, ſed etiam modeſtia ita moderate ac prudenter utantur, ut nec honeſtæ recreationis modum excedant, nec occaſionem cum temporalibus Dominis, & Toparchis litigandi præbeant.

VII.

Canes venaticos duos tresve non habeant, ſed pro iis membra Chriſti, imo Chriſtum ipſum in ſuis pauperibus refocillent, vel in ſubſidium alimentationis bene idonei Sacellani, aut Ludimagiſtri, ſi aliunde honeſtum ſtipendium habere non poſſint, aut in ornatum templi, aut in munuſcula Catechetica, ſi quid abundat, impendant, memores verborum S. URBANI Papæ de bonis Eccleſiæ attributis, ipſæ res fidelium, quæ in Domino offeruntur, non debent in alios uſus, quam Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum fratrum, vel indegentium converti, quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac Patrimonia pauperum, proinde & arma jaculatoria ab eorum ædibus exulent.

VIII.

Canes ne ſecum unquam ad templum adducant, aut ſequi patiantur, ne dum chorum ingredi, aut in altari ſtare, aut jacere.

IX.

Capillitium, veſtitumque Sacerdote dignum ſemper geſtent, quare coma ſit brevis, & decens tonſura, perucham vero, ſine legitima diſpenſatione, geſtare nemo præſumat, myſtaces non ad levitatem, vanitatemque laicalem, aut aulicam, ſed ad gravitatem, decentiamque Clericalem aptatas habeant. Tibialia non alio quam nigro colore tincta, veſtes prolixæ ſint, ſi tamen peregre proficiſcendum foret, id in brevioribus fieri poterit, quæ tamen non ad modum, quem ſtulta filiorum hujus ſæculi vanitas quotidie parturit, ſed quem exemplaris modeſtia, & gravitas honeſtorum, & timoratorum Sacerdotum Nobis præſcribit, factæ ſint.

X.

Mandamus quoque, ut Diaconi, & Subdiaconi coronam & veſtem ſuo gradui convenientem portent; alioquin ad ſuperiorem gradum non admittendi; meminerint etiam ſuo gradui convenienter vivere, ſeque gerere.

XI.

Cum nullum vitium adeo Statum Eccleſiaſt. dedeceat, ac infamet, nec tam hæreticos, quam Catholicos ſcandaliſet, quam vita luxurioſa Sacerdotum, non modo ipſum vitium ac peccatum, verum iſtius etiam vitii umbram, ac famam, anſamque omnem ab eis amotam eſſe vehementer optamus: Quare mandamus ſevere, ne ullus Eccleſiaſticus perſonas ſuſpectas penes ſe habeat, aut accedat, aut ad ædes ſuas accedere permittat.

XII.

Ancillas, quoad fieri poteſt, habeant conſanguineas, vel affines propinquas, easque vitæ ac morum honeſtate, & gravitate commendatas; quas, ſi tales habere non poſſint, alias honeſtas, de quibus nulla ſuſpicio eſſe poſſit, aſſumant.

XIII.

Ancillas ſuas nunquam ſecum ad convivia, nundinas, peregrinationes deducant, multo minus ſolas in itinere comites habeant, aut in equo retro ſe devehant ſub pœna unius floreni aurei in auro pro qualibet vice.

XIV.

Ne ſoli cum ſola habitent, quantumvis probatæ vitæ ſint, ac ætatis, nec eadem utantur menſa, niſi forte mater ſit aut ſoror, nec ita familiariter cum iis agant, aut obloquendi libertatem, aut dominandi audaciam maxime coram aliis eis permittant, ut ſuſpicionem vel offenſionem merito creare poſſint.

XV.

Nullos conjugatos in domeſticos admittant quovis ſub prætextu, nequidem conſanguineos, niſi omnino propinquos, eosque ætate jam provectos.

XVI.

Nec famulas, nec famulos nequidem conſanguineos Matrimonium in ædibus Paſtoralibus, multo minus convivium

vivium nuptiale celebrare patiantur, ſed nubere volentes ab ædibus ſuis prius dimittant.

XVII.

Nec patiantur in die Dedicationis aut alias tibicines ludere, aut choreas duci.

XVIII.

Ancillis, cæterisque domeſticis ſuis quovis ſub prætextu nocturna conventicula tam in ſuis, quam in alienis ædibus interdicant.

XIX.

Ad nulla nuptialia, baptiſmalia, funebria, encænialia, aliaque rusticorum convivia, maxime, ſi mulierculæ interveniant, unquam accedant, niſi eæ ſint loci, temporis ac perſonarum circumſtantiæ, ut honeſtæ execuſationi locus eſſe non poſſit: in his enim, & ſimilibus plerumque modeſtia, gravitas, & æſtimatio Sacerdotis, ipſaque conſcientia naufragium facere ſolet.

XX.

Quod, ſi ex legitima notoriaque cauſa contingat illos ſubinde honeſtis conviviis intereſſe, ita ſe habeant, ut præſentia ſua moderentur exceſſus, & exemplo ſuo doceant temperantiam; ſi quis autem cum ſcandalo ebrius deprehendatur, unius floreni aurei mulcta puniatur.

XXI.

A choreis autem omnino abſtineant: indignum enim eſt, Sacerdotem a Laicis habitu diſtinctum in levitate morum eſſe parem: Qui ſecus feciſſe convictus fuerit a Decano, ad unum florenum aureum mulctetur pro prima vice, pro 2da ad duos. Si nec ſic corrigatur, ſit ſuſpenſus ab officio, donec ſeriam emendationem in manus Decani coram definitoribus promiſerit.

§. II.

Officium Divinum, doctrina Chriſtiana, & adminiſtratio Sacramentorum.

I.

CErtam fixamque horam Sacrificio Miſſæ aſſignent. Spectata populi commoditate, ſerventque inviolabiliter, v. g. æſtate primus pulſus detur ad medium octavæ, hyeme ad medium nonæ, ultimus æſtate hora octava, hyeme hora nona.

II.

Nullus Clericus, maxime Sacerdos ad Ss. Altare, aut functiones Sacras accedere præſumat ſine veſtibus, paramentis, ac ornamentis neceſſariis, & præſcripto rubricarum, decentibus nitidis; Sacrificium vero Miſſæ, non niſi in materia nitida ac certa, peragat.

III.

Proinde omnem induſtriam ac zelum Sacerdotes impendant, ut Eccleſiæ talibus veſtibus ac inſtrumentis Sacris ſufficienter inſtruantur, ſive ab iis, qui de jure aut conſuetudine ad ea adminiſtranda ſunt obſtricti, ſive ex fabrica, ſive ex collecta ſpeciatim in eum finem facta, ſive ex pia liberalitate fidelium, ſive ex mulctis: Nec enim Fundatores, aut Decimatores, aut Præſentatores eo præciſe titulo ad iſta obligandos cenſemus, niſi ſpeciale jus in documentis, aut legitima probataque conſuetudine fundatum contra eos militet.

IV.

Dum cantant Sacrum, aut ad tumulum pro defunctis orant, non mutilent ſequentias, nec Gloria, nec Credo, nec Pater, ſed ad longum omnia orent, & cantent, & orari, ac cantari faciant.

V.

Corporalia ac purificatoria habere nitida ſemper ſtudeant: Quare ſingulis quatuor temporibus ipſi ea primo lavent, tum ea porro purganda honeſtis perſonis committant.

VI.

Scandaloſa prorſus, & Sacroſanctis Myſteriis ignominioſa aſſuefactio inolevit apud multos Sacerdotes tabacum in ore circumferendi, & maſticandi & etiam ſub ipſo auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio: Hanc omni plane modo abrogatam volumus, quare ſub virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub mulcta unius floreni aurei toties, quoties

contravenerint, incurrenda prohibemus omnibus, ne tabacum unquam ad ſacrum Altare deferant, & quo facilius abſtinere pro tunc poſſint, hortamur in Domino omnes, & ſingulos Eccleſiaſticos, ut aliis quoque temporibus a fœtida iſta, & Sacerdotali ore indigna herba ſibi temperent.

VII.

Sub ſimili pœna prohibemus etiam, ne quis Clericus ſub Divinis officiis, Veſperis, & Catechiſmo tabacum pulveriſatum ſumat.

VIII.

Nunquam celebrent in Templo, vel Altaribus dirutis aut prophanatis, nequidem cum portatili ſine expreſſa licentia noſtra, vel noſtrorum Vicariorum Generalium.

IX.

Nullus Paſtorum pro ſe, aut Sacellano binandi facultatem petat, niſi graviſſima, eaque bene allegata, ac probata de cauſa oraliter, impetratam tanquam ſubreptitiam ſciant, nullatenus ſibi in conſcientia ſuffragaturam, nec in alio loco, aut Templo, aut Sacello, aut Altari, quam pro quo nominatim poſtulata, & indulta fuerit licentia, ea uti præſumant, ubi noſtros quoque Vicarios Generales pro tempore exiſtentes ſerio admonemus, ut & ipſi potiſſimum illam, ad quam ex officio ſub propriæ conſcientiæ gravamine tenentur exactiſſimam in ſimilibus non promiſcue concedendis impendant curam, & vigilantiam.

X.

Quibus autem binare conceditur, noverit ſibi id minime licere ceſſante cauſa, ob quam binatio conceſſa, ne præſente alio Sacerdote, qui celebrare poſſit, & velit, nec in die Nativitatis Domini plus, quam tria Sacra celebrare, & ad ablutionem primi Sacri diligenter reflectant.

XI.

Singulis Dominicis & Feſtis non tantum per Adventum, & Quadrageſimam, ſed per totum annum Paſtores, & Paſtorum vices gerentes per ſe, in caſu autem infirmitatis, vel alterius magnæ neceſſitatis tantum (ſuper quo oneratur ipſorum conſcientia coram diſtricto Judice ſanguinem ovium ſuarum ab ipſis requirente expurganda) per alios ad id munus præſtandum idoneos, Catecheticam lectionem integræ circiter horæ ſpatio, nec longiori accuratiſſime ornato conſequenter, non autem per ſaltum hinc indeque per diſparatas materias evagando, accommodato ad captum ac neceſſitatem uniuscunque dicendi genere explicent, idque non tantum in Eccleſia Parochiali, ſed etiam in Sacellis, in quibus præfatis diebus, vel ſola concio, vel ſola Miſſa habetur juxta Conſtitutiones Archi-Epiſcopales a noſtris Prædeceſſoribus præparatas anno 627.; vel ſaltem, ſi id fieri legitimis de cauſis non poſſit, alternis concionentur, & catechiſent hora populo commoda, ne alias emanendi anſam arripiant ſub mulcta unius floreni aurei pro qualibet omiſſione.

XII.

Quia ſubinde incolæ a Templo ita remoti ſunt, ut ad Eccleſiam pro Catechiſmo venire non poſſint. Nec tamen aut Eccleſiam habeant, aut officium Divinum diebus Feſtivis. Ideo ne & hi ingnorent neceſſaria ad ſalutem, illis quoque tradendam ſciant Parochi doctrinam Chriſtianam iis diebus tametſi feriatis, quibus Miſſam in iſto loco, vel in vicinia celebrabit ipſe Paſtor, vel Sacellanus, ideo certum diem, quo in ſeptimana ibidem celebraturi ſunt, deſtinabunt, ut populus, & frequentior tum ad Sacrum, tum ad Catecheſim conveniat, ſi impedimentum prævideatur, præmoneantur incolæ Dominica præcedente.

XIII.

Cum vero ſcire debeant animarum Paſtores, ſe ſub diſtricto Dei judicio teneri proſpicere inſtructioni populorum ſibi ſuæque curæ commiſſorum, nec ullam hic in contrarium admitti excuſationem: Quare, ſi id ipſi præſtare non poſſint, obligari de idoneo Subſtituto proſpicere.

XIV.

XIV.

Cum vero frequens eaque non minus justa est Pastorum querela, Parochianos sæpe supine negligentes esse in frequentanda explicatione doctrinæ Christianæ; Hinc renovandam esse duximus, sicut si de facto tenore præsentium renovamus Ordinationem olim in hac Diœcesi factam, ut nimirum nullus deinceps ad Sacramentum Matrimonii admittatur, imo ne quidem ulla Matrimonii proclamatio fiat, nisi constet, aut ratione honestæ ac honoratæ educationis domesticæ prudenter præsumi possit, ac debeat, eos, easve sufficienter in doctrina Christiana esse instructos, quæ certe de plæbeis præsumi non potest, nec debet, nisi observati fuerint explicationem doctrinæ Christianæ diligenter frequentasse; Quare tales omnino examinandi erunt coram duobus Synodalibus, non autem publice ante valvas Templi, aut immediate ante Matrimonii celebrationem (uti a quibusdam Pastoribus indiscrete factum intelleximus, & deinceps fieri prohibemus sub pœna arbitraria) sed antequam ulla fiat proclamatio, idque privatim, &, si minus subsistant, remittendi sunt, donec melius fuerint instructi, sive fuerint ex propria Parochia, sive aliena, nisi a proprio Parocho habeant sufficientis doctrinæ testimonium.

XV.

Idem etiam in admittendis patrinis infantum baptizandorum servari severe præcipimus, &, ut nemo possit ignorantiæ causam allegare, volumus hos duos Articulos singulis Dominicis quatuor Angariarum publice e Cathedra de verbo ad verbum vernacula lingua populo prælegi, & districte exponi.

XVI.

Experientia autem constat mulctis pecuniariis potius tricas, & contentiones ac lites in Parochiis excitari, animosque exacerbari, quam Catechismum cæterumque cultum Divinum promoveri; idcirco hortamur Parochos, ut studeant in funiculis Adami, id est, seriis admonitionibus, quæ paternum animum præferant, ut munusculorum & honoris incitamentis propositisque Indulgentiarum thesauris, & in primis bona ac commoda docendi methodo tam adultos, quam juniores ad doctrinam Catecheticam & alia pietatis exercitia adtrahere, in eumque finem, vel suis Parochiis confraternitatem doctrinæ Christianæ, quæ propria Parochorum est, & adeo serio a Superioribus commendatur, erigi procurent, vel saltem eidem confraternitati in vicinio re aliquo loco erectæ nomen cum suis Parochianis dent, ad ejusque Conventus semestres, & publicum Catecheticum certamen, ac publicam diligentiæ ac doctrinæ remunerationem, vel ipsi deducant, vel saltem mittant; Hoc esse suavissimum simulque efficacissimum, & tricis & jurgiis minime obnoxium medium doctrinam Christianam promovendi, testantur omnes, quotquot eo hactenus serio usi sunt: Munuscula vero ista ex mulctis, vel si desint, ex reditibus fabricæ Hospitalium, Confraternitatum, si quidem abundent, comparentur.

XVII.

Quia multi in tradenda doctrina Christiana idoneam methodum non norunt, vel saltem non servant, ideo parùm aut nihil proficiunt, quin potius sibi, & auditoribus saluberrimum maximeque necessarium hoc Pastoris curæ exercitium tædiosum, quin etiam contemptibile reddunt.

XVIII.

Quare volumus omnes tam Pastores, quam Sacellanos tales sibi libros comparare, qui tum methodum, tum materiam doctrinæ Christianæ pro cujusque statu, & ætate commodissimam tradunt: quales sunt præter Catechismum Romanum & Trevirensem Prædagogus Christianus; Schola Christi P. Cusani, Instructiones Abelli, ac Tractatus Catecheticus P. Philippi Scouville S. J. & ejusdem de Confraternitate doctrinæ Christianæ Tractatus, in quibus materiam omni hominum conditioni proportionatam reperient, dummodo ipsi diligentiam in proponendis pro ratione Auditorum quæstionibus adhibeant.

XIX.

XIX.

Curent insuper necessariam librorum supellectilem, nimirum Biblia Latino, & Patrio idiomate, Agendam Trevirensem, Concionatores aliquos, quorum materia, & stylus Auditoribus suis idoneus sit, probatum item Casuistam unum vel alterum; non dicant exiguas se habere Parochias, adeoque non admodum egere libris; nam præterquam quod pauci Parochiani non minus, quam multi sedulo sint excolendi, ac plerumque, qui exiguas habent Parochias, a circumjacentibus Pastoribus pro excipiendis confessionibus suorum Parochianorum evocari soleant, si non egeant libris pro aliis, at egent libris pro se, ut his legendis tempus preciosum impendant utiliter, & decenter convenienterque suæ vocationi, otium vitent, tentationes præoccupent, occasionibusque peccandi sese subripiant. *Ama sacrarum literarum studia & vitia carnis non amabis*, ait S. Hyeron. Epist. ad Rusticum.

XX.

Eandem ob causam, tum ut sibi concilient majorem eamque necessariam apud Parochianos, cæterosque Laicos authoritatem & benevolentiam, tametsi expediat, & omnino consultum sit, ut externorum opera pro concionibus, multo etiam magis pro confessionibus suorum Parochianorum excipiendis subinde utantur, nihilominus plane expedit, & ita sub pœna floreni aurei toties, quoties postquam a Decano, vel ejus de mandato ab uno ex Definitoribus bis terve moniti, negligentiores esse reperti fuerint, serio præcipimus, ut per se ipsos impostetum potissimum concionentur, & catechisent. Hinc ad cætera, & hoc emolumentum accedet, quod dum pro aliis docendis studebunt, se ipsos etiam bonos libros legendo instruant, materiamque bonis ac honestis cogitationibus, considerationibus, & sermonibus Sacerdotali conversatione dignis collecturi sint; Qua in re, ut Decani & Definitores singularem habeant inspectionem, paterne admonemus, eorumdemque desuper gravamus conscientiam: quod si illi nec sic similes otiosos Christi operarios, vel potius servos a bono opere torpentes compescere potuerint, ad Nos vel nostros Vicarios Generales tales sine mora deferant pro gravioribus Juris remediis applicandis.

XXI.

Severe etiam interdicimus Pastoribus, ne Sacerdotes ignotos, extraneos, vagos unquam Sacrum facere, multo minus concionari aut confessiones excipere in suis Ecclesiis patiantur, nisi literis testimonialibus, aut alias de suo Presbyteratu & approbatione sufficienter fidem fecerint.

XXII.

Sint omnium Sacramentorum fideles ac diligentes dispensatores, Baptismi inprimis, ne infantes etiam illi, quorum parens ignoratur, eo destituti salutis dispendium faciant; proinde nulli hominum Baptismum diu differant. Pari diligentia ad administranda infirmis ac moribundis Sacramenta lumbos suos accingant, ad tam grandis pensi solutionem diu noctuque parati: Si quis in alterutro segnem ac morosum sese præbuisse convictus fuerit, uno aureo mulctetur, si quis autem neglectus perierit culpa, & negligentia Pastoris, hic ad Nos pro severiori correctione deferendus erit.

XXIII.

Cum Sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ad infirmos deferendum erit, Vicinos ad venerandum comitandumque Sacramentum signo campanæ evocandos curent: Cum vero Venerabile Sacramentum defertur etiam lumine præeunte, & nolæ signo admonendi obvii de adorando Sacramento.

XXIV.

Semper Sacrosancta Hostia consecrata in Sacrario relinquatur, etiam dum ad ægrotos defertur Venerabile Sacramentum.

XXV.

Sacræ species ad minimum singulis mensibus consumantur, & ubi loca humida, etiam sæpius: corporalia autem, quibus Ss. Species in Ciboreis invol-

involvuntur, aut continentur, sæpe mutentur.

XXVI.

Allaborent, ut honesta, commoda, & solide obserata tabernacula ad asservandum Venerabile Sacramentum in Altari majori erigantur; in istis tabernaculis autem præter Ss. species nihil ponatur, aut asservetur, sed nec in Altaribus quidquam, quod ad usum ornatumque ejus non requiratur, aut faciat, deponi sinant.

XXVII.

Ne adigant Parochianos tribus quatuorve, aut etiam pluribus diebus ante Dominicam Palmarum confiteri, sed ad summum die Veneris ante incipiat audire confessiones, & ipsa Dominica Palmarum distribuant S. Communionem iis, qui fuerint confessi, idem, & aliis diebus infra septimanam sanctam servari omnino præcipimus, nec quovis die citra prohibitionem Ecclesiæ, aut confessionem, aut Ss. Communionem eis negent.

XXVIII.

Quamvis autem in amplis Parochiis in certos dies pro majori tam Parochorum, quam Parochianorum commoditate pagos distribui expediat, quibus ad confessionem evocentur Parochiani, non ideo tamen, si qui negligant venire die assignato, removendi sunt a confessione, quod ne fiat, serio mandamus sub floreno aureo.

XXIX.

Dominica Passionis promulgentur e Cathedra duo præcepta Ecclesiæ de annua confessione, & Ss. Communione facienda, & intelligant licere sibi quidem confiteri Regularibus, sed teneri testimonium factæ confessionis exhibere: Sacram autem Communionem in Ecclesia Parochiali omnino fieri debere, nisi de licentia Pastoris, vel ex legitimo privilegio, coram Ordinario tamen prius producto, & approbato alio in loco fieret. Et si quis his præceptis satisfacere neglexerit, moneantur tales sepultura Ecclesiastica juxta Ss. Canones esse privandos.

XXX.

Monemus tamen Parochos, ne occasione confessionis Paschalis sint indiscrete molesti Parochianis, exigendo ab eis testimonia confessionis, nisi ei sint, de quibus merito ob notam negligentiam in frequentandis Divinis dubitari potest; sed ne tum quidem illos, dum ad Ss. Mensam accedunt, confundant, verum potius præveniant, si quos observaverint non præsentasse se in Ecclesia Parochiali pro confessione annua.

XXXI.

In ædibus non nisi gravi de causa confessiones excipiantur, quia surdi, infirmi, aut si pœnitentis dignitas aliud suadeat, & si in pagis, ubi non est Ecclesia, audiendæ essent confessiones, non eant de domo in domum, sed in uno eoque decenti loco proposita aliqua pia imagine audiantur.

XXXII.

Non cogant Parochianos suos ad Offertorium, quoties communicant per annum, sed sit illis liberum.

XXXIII.

Post sumptam Ss. Eucharistiam ne detur populo, nec particulari cuivis quocunque sub prætextu vinum ablutionis in Calice consecrato, ablutio autem sit talis, ut nemini nauseam, aut stomachum moveat, quæque commode sumi possit.

XXXIV.

Non sinantur sumpta Ss. Communione immediate egredi portam lateralem, & reingredi per aliam ob periculum prophanationis Ss. Hostiæ, ob eandem causam non facile sinantur circuire Altare post sumptum Sacramentum, nisi quis e Synodalibus adstet; quod si nimia sit communicantium multitudo, distribuatur potius S. Communio per interstitia.

XXXV.

Neminem, quem non sciant a Superioribus suis legitime approbatum, ad audiendas Parochianorum confessiones admittant.

XXXVI.

Vicarios, aut Sacellanos suos concionari, catechisare, Sacramenta nominatim Pœnitentiæ administrare, in suis Parochiis non patiantur, priusquam a Nobis, aut Deputatis nostris approbationis, & sufficientiæ testimonium habeant, quod statim Decanis, ac deinde iterum in proxima capitulari Congregatione exhibere teneantur, nec liceat illis limites, aut præscriptum in literis approbationis tempus ullo modo excedere.

XXXVII.

Si morbus contagiosus instet, moneat Pastor omnes in illo pago, ut ab anno septimo, & supra statim confiteantur, & adulti etiam communicent, & si malum diutius duret, singulis mensibus repetatur; si tamen quispiam ægrotus velit Pastorem suum se præterea adire, non deneget illi solatium, & subsidium, quoad locus, & tempus exigit, aut patitur.

XXXVIII.

Nullam stipendii faciant mentionem, ubi administranda erunt quovis tempore Sacramenta, maxime apud infirmos, ne timidiores, tardioresve reddantur ad expetenda sumendaque Sacramenta cum periculo animarum: qui contra fecerit, uno aureo mulctetur.

XXXIX.

Dominica prima Novembris ac Dominica Septuagesimæ promulgentur e Cathedra populo sequentia. 1. Ne parentes invitas proles ad Matrimonium cogant, tum quia id grave peccatum est, tum quia multorum malorum causa. 2. Prohibitum esse sponsis, licet alteruter sit viduus, in eadem domo post Sponsalia cohabitare, multo minus prima, aut alia nocte ante copulationem condormire, sive sint soli, sive cum aliis. 3. Ut Sponsus, & Sponsa tempestive confiteantur, & communicent: caveant autem Pastores, ne eos adigant ad sibi immediate ante copulationem confitendum, sed ad alios potius remittant. 4. Ut idem Sponsus, & Sponsa ante Missam inchoatam cum invitatis die nuptiarum tempestive in Templo compareant. 5. Ne ulli immediate ante Adventum aut Quadragesimæ die celebrandi solemne convivium, multo minus choreas ducendi ansa detur.

XL.

Proclamationes ad Matrimonium requisitas non ad ulterius intervallum, quam trium dierum Dominicarum, aut Festivorum contiguorum protrahant, nisi Sponsi aliud postularent. Pro iis autem, aut aliqua ex causa non facta pecunias a suis non extorqueant, salvis juribus Dispensationis impetratæ.

XLI.

Nullos in domibus privatis citra gravem causam, aut omissis proclamationibus sine spirituali facultate, aut in casibus in jure expressis matrimonialiter copulent.

XLII.

Invitis Parentibus, aut insciis nullos conjungant, nisi gravissimis, probatisque de causis, quas tamen post factum Decano indicabunt, nisi tales fuerint, quæ revelationem non patiantur.

XLIII.

Nullos pueros, quos ipsi baptizant, e sacro Fonte suscipiant.

XLIV.

In administratione Sacramentorum ac functionibus aliis Pastoralibus servent uniformiter Rubricas Agendæ Trevirensis. Et si quis notetur singularibus, & heterocliticis uti ritibus, volumus eum suspendi per Decanum ab Officio, donec ritus suæ Diœcesis didicerit. In celebratione tamen Missæ, & lectione horarum Ritum communem Romanum servare eis licet.

§. III.

Festa & Processiones.

I.

Festa universalis Ecclesiæ uniformiter serventur pro more in ista Patria hactenus usitato, nec ulli Pastorum sit licitum pro libitu, vel ex propria devotione hoc vel illud Festum in sua Parochia vel rejicere, vel promul-

mulgare, quod antehac non ſine gravi populi offenſione a multis factum didicimus, idque ſub pœna unius floreni aurei.

II.

Tonitrualia, aliaque ſimilia Feſta, quæ Ruſticorum indiſcreta religio, vel potius ſuperſtitio inconſultis Superioribus, contra Eccleſiaſticas ſanctiones ſibi ſuiſque paſſim invenit, tamque pertinaciter ſervant, ut malint quamvis diem Dominicum, aut ab Eccleſia ſtatutum diem Feſtum violare, abrogata omnino, & omnia volumus, niſi fecerint a Nobis, vel Nobis impeditis, a noſtris Vicariis Generalibus appobata; Quare mandamus, ut infra duos menſes ab inſinuatione hujus Decano ſuo reſpective a Parochis transmittatur Catalogus ſimilium Feſtorum, quæ in ſua Parochia ſervantur præter Feſta univerſalis Eccleſiæ, ab eodem Decano infra octiduum ſequens ad Nos, vel noſtros Vicarios Generales mittendus, ut a Nobis poſt maturum examen vel approbentur, vel abrogentur, prout ad majus Dei obſequium, & populi ſpirituale bonum fuerit in Domino viſum: Interim tamen ad vitandum ſcandalum Paſtores pergant ea publicare, & ſervare prout hactenus uſitatum. Et hos quidem duos articulos eo magis obſervari volumus, quod per ſimilia Feſta temere, & indiſcrete introducta conſtet pauperes non mediocriter gravari, timoratas conſcientias angi, plurimos otio & ignaviæ aſſuefieri, luſui, & compotationi vacare, ad Dominicos, & legitime ab Eccleſia inſtitutos Feſtos dies ſervandos ſegniores reddi, jurgii anſam præberi, ſcandala, & ſchiſmata in Parochiis & communitatibus oriri, dum alii feriantur, alii laborant.

III.

Nemo cogatur Sabbatum celebrare, quin potius ab hac Sabbati obſervatione tanquam ſuperſtitioſa, & jam alias a Prædeceſſoribus noſtris prohibita ſuos dehortentur Parochi; Econtra ad ſervandos Dominicos, aliosque ab Eccleſia præſcriptos Feſtos dies ſerio ac ſæpe adhortentur; excitentur tamen audiendum potius diebus Sabbatinis Sacrum mane; Veſperi autem ſolito maturius labores abrumpendos, ut Templum viſitent, ſeque ad diem Dominicum accuratius ſervandum præparent.

IV.

Serio, & crebro populus moneatur de audiendo devote Sacrificio Miſſæ, maxime diebus Dominicis, & Feſtis, nec diſcedant niſi eo plane finito; Et ſi qui notantur iſtis diebus, vel Sacrum non audire, vel laborare, vel vecturas facere ſine licentia Paſtoris, volumus eos pro prima vice mulctari media libra ceræ, gravius etiam, ſi reincidant juxta arbitrium Paſtoris, & ſi ſolvere detrectent a communione Paſchali arceri, donec pareant.

V.

Doceantur etiam aquam luſtralem, quæ in quatuor temporibus benedicitur, non eſſe efficaciorem ea, quæ aliis Dominicis per annum benedicitur, & ſi notent Paſtores eos pergere ſuperſtitioſum hoc diſcrimen facere, abſtineant potius aliquandiu a benedicenda aqua iſtis Dominicis quatuor temporum.

VI.

Et quidem quod ad Proceſſiones ex univerſalis Eccleſiæ Inſtituto introductas nullum prætendent ſpeciale ſalarium: Quod vero ad eas attinet, quæ vel ex antiqua conſuetudine in ſingulis locis ſervari ſolent, vel quas Parochiani ex ſpeciali aliqua cauſa approbante Paſtore ſuſcipiendas judicarunt, habeant Parochi in ſingulos dies duos ſchilingos.

VII.

Nocturnos conventus, nocturnasque choreas innuptis maxime eſſe periculoſiſſimas ſæpe ac ſerio pro concione, & in Catechiſmo a Paſtoribus inculcetur: choreas autem in ſupplicationibus publicis, piisque peregrinationibus, ſive ſub Officium Divinum, ſive ante, ſive poſt, in quibuſdam locis ab antiquo fieri conſuetas, ſi non omnino aboleri, ſaltem uſque ad ulteriorem cognitionem ita moderari volumus, ut per hoc ſimiles in Eccleſia Catholica a tot retro ſæculis tanto cum fervore, & ædificatione, & pari cum

fructu usitatæ Christianæ pietatis exercitationes in meritum potius, quam demeritum seu peccatum transeant.

VIII.

Unde omnes scandalosi abusus, & excessus, qui in similibus peregrinationibus hoc depravato sæculo committi possunt, ut opportune evitentur, mandamus 1. Ut Pastores, vel eorum Sacellani Parochianos ad similes Processiones semper comitentur, linteati sub pœna unius floreni aurei quoties defuerint. 2. Omnem populum in Ecclesia Parochiali congregari faciant, & simul omnes egrediantur, non vero diversis turmis, & laborent, ut uniformis cantus in Parochia introducatur, & servetur. 3. Curent, ut sub Processione omnes pie orent, vel cantent. 4. Caveant, ne finita Processione sese inebrient, vel ipsi vel Parochiani. 5. Ne mares, & fœminæ in uno loco dormiant. 6. Ne absoluta Processione unquam adolescentes, & adolescentulæ simul domum revertantur. 7. Ne labara, & Cruces irreverenter tractentur, aut in indecenti loco collocentur, multo minus e fenestra exponantur, sed, quoad fieri potest, ordine ipso Pastore comitante revertantur domum; atque ita ex præcepto Apostoli omnia honeste, & ordine fiant. Et hi duo Articuli in egressu e Templo ad loca pia semper promulgentur.

§. IV.

Synodus Decanalis.

I.

AD Synodum Decanalem diebus in quolibet rurali Capitulo designatis omnes etiam Religiosos curam animarum gerentes convenire volumus; Sacrosancto Missæ Sacrificio & exhortationi honeste, & religiose interesse, suas difficultates, si quas habent modeste proponere, Decani monita, & mandata reverenter excipere, ab omni denique contentione, altercatione, & clamore omnino abstinere serio mandamus.

II.

Si quis legitima ex causa abesse debeat, eam in scriptis ad Capitulum mittere tenebitur, quæ si non probetur, a Decano mulctetur absens uno floreno aureo; si autem legitima videatur, mittat absens nihilominus symbolam suam in commune convivium Synodale, & Sacra Olea non per Laicum quempiam, sed per Sacellanum, aut alium Ecclesiasticum petat sub mulcta unius aurei.

III.

Commune autem sive Synodale illud convivium communibus Capitularium tam absentium, quam præsentium sumptibus celebrandum in loco Capituli conciliandam Capitularium inter se honestam notitiam, fraternam benevolentiam, & Sacerdotalem familiaritatem, sicut non improbamus, ita moderatis adeo sumptibus, tamque frugale, ac modestum esse mandamus, ut nec Capitulares graventur, aut comparere propterea abhorreant, nec Laici ullo modo scandalizari possint, nullave Ss Mysteriis injuria fiat: Quare in eodem omnes conclavi conveniant cum Decano, & Definitoribus; sin id loci angustia non patiatur, dividantur quidem, sed in iisdem ædibus, ita ut utrobique intersint aliqui Definitores.

IV.

Si quis vero tunc aut potu excedere, aut verbis castas aures offendere, aut litigando, convitiando, detrahendo fraternitatem, id est, fraternam charitatem lædere præsumpserit, aut in itinere contra status sui decentiam, aut Sacrorum Oleorum reverentiam, dixisse aut egisse quidpiam convictus fuerit, uno aureo a Decano mulctari volumus, aut etiam gravius, si delicti gravitas id exigat.

V.

Hoc convivium initio & fine brevi lectione spirituali ex Thoma a Kempis condiatur, nec ultra sesqui horam protrahatur.

VI.

Non discedant nisi plene persoluta symbola in manus Procuratoris Capituli, ut sic bonum sui odorem relinquant apud Laicos.

VII.

VII.

Decanus autem, & Definitores ſubſiſtant ultimi, donec omnes diſceſſerint, ac invigilent, ut honeſte, & cum ædificatione omnia ſicut inchoata, ita & concludantur.

§. V.

Miſcellanea ad officium Paſtorum ſpectantia.

I.

NEminem patiantur Parochi, aut proponant ordinari ſuper Altaria aut Beneficia ſuæ Parochiæ, quorum ipſi non ſint legitimi Collatores, multo minus ſuper actu non vacantia.

II.

Neminem curent, aut juvent directe vel indirecte ordinari ſuper patrimonio, aliove titulo falſo aut dubio, & ſi deprehenſus fuerit, quis tale teſtimonium dediſſe, ſciat ſe graviter plectendum, & noſtris pro tempore Officiali ac Sigillifero, quibus ſimiles & alios quoſcunque ordinationum titulos examinandi cura incumbit, ut officio, ac obligationi in iis ſuæ ſatisfaciant, ſub indignatione Dei Omnipotentis præcipimus.

III.

Cum Eccleſiaſticorum inſcitia præter alia graviſſima mala, & incommoda, quæ tam in univerſam Eccleſiam Dei, quam in particulares Chriſti fideles redundant, etiam otium Eccleſiaſticorum naſcatur, qui dum ex defectu ſtudii nullam ex libris delectationem hauriunt, eamque in luſu, compotatione, aliiſque occupationibus, quæ Sacerdotalem ſtatum dedecent, quærere conentur: Quare monemus omnes ad Beneficium curâtum neminem deinceps admittendum, niſi biennium ad minimum ſtudii Theologici, vel Moralis legitime probaverit, & examen rigidum per concurſum, prout a Ss. Concil. Trid. præſcribitur, ſuſtinuerit.

IV.

Nulli ſedes in Templo vendant, ſed ſint omnes omnibus communes, cum Eccleſia ſit communis fidelium domus, ad cujus ſuſtentationem pauperes cum divitibus æquali ſumptu concurrunt, ita tamen, ut iis, quibus jura, & ratio eam concedunt, ſua præcedentia ſalva maneant, dummodo ſedes eorum Chriſtianæ modeſtiæ non adverſentur, nec communi populi pietati, & ædificationi obſint. In Sanctuario autem ſive choro nemini ſedem habere permittant, niſi cui antiqua, & immemorialis conſuetudo, ſuffragante titulo fundationis aut collationis, alicubi modeſtum aliquem locum, nullo Miniſtrorum Eccleſiæ aut Divini Officii impedimento aut ſcandalo, jam olim citra omnem controverſiam conceſſit; de novo autem aut ubi dubium, vel contradictio aliqua interceſſit, niſi Nobis conſultis, aut noſtris Vicariis Generalibus nemini concedant ſub pœna arbitraria.

V.

Nulla pecora in Templo, nullos conjugatos ſuos ibidem habere lectos aut cibos coquere patiantur; ſi tamen gravis cogat neceſſitas, locus aliquis in turri eligatur, & debita loco ſacro reverentia illis ſerio inculcetur, ſi ciſtis refugium aliquod concedendum foret, & loco, & ordine fiat, ut Divinum officium, & communis pietas quam minime impediatur.

VI.

Cœmeteria muris cingi, & cratibus aut portis ita muniri curent, ut pecoribus nullus pateat acceſſus.

VII.

Scholas omni etiam conatu in ſuis Parochiis introducere nitantur, & introductas foveant, ac promoveant, & probatæ vitæ ac doctrinæ viros eis præficiendos curent; ad quorum alimentationem omnes Parochiani, ſive proles habeant, ſive non, concurrere teneantur, exceptis iis, quas jus eximit; eſt enim opus publicum ad commune Reipubl. bonum ſpectans: puellas autem cum pueris promiſcue frequentare vix tolerandum, niſi ubi emendari nullatenus poteſt.

 VIII.

VIII.

Severe, & ſæpe prohibeantur quæcumque ſuperſtitioſæ benedictiones ac Divinationes, & quidem Eccleſiaſticis ſub mulcta unius aurei, Laicis vero, ſi bis terve moniti, non ſe emendarint, Paſchali communione interdictum volumus.

IX.

Similiter blaſphemiæ per Sacramenta, vulnera, paſſionem, ſanguinem, membra Chriſti aut Sanctorum Chriſma Laicis quidem ſub mulcta unius libræ ceræ in ſingulas vices, Sacerdotibus autem ſub floreno aureo pro prima vice, ſi ſic non corrigantur, ſint ac maneant ſuſpenſi a Divinis per quindenam tanquam indigni, qui tam impia lingua Sacroſancta Myſteria aut conficiant, aut excipiant, aut diſtribuant. Si ſalutaris hæc medicina non proſit, ad Nos per Decanos, aut alios deferantur pro gravitate delicti puniendi.

X.

Omnem adhibeant diligentiam, & induſtriam communicato cum Synodalibus, & iis, quorum intereſt, aut qui cooperari poſſunt conſilio, ut in ſuis Eccleſiis ſacriſtiam, unam, alteramve ſedem confeſſionalem, menſam item ſive ſcamnum Communicantium habeant, prout loci cujusque commoditas aut neceſſitas exigere videbitur.

XI.

Soli Paſtores habeant penes ſe claves ſacrarii & baptiſterii, non autem matricularii vel æditui, nec relinquantur in Eccleſia aut in Altari; claves autem Templi, ſi penes matricularium relinquere viſum fuerit, nihilominus etiam habeat ipſe Paſtor.

XII.

Proderit plurimum ad cohibendum in officio Parochianos, & ad efficacem harum Ordinationum noſtrarum cæterorumque Statutorum Eccleſiaſticorum executionem, ſi morum gravitate, vitæ probitate, agendi urbanitate, verborum diſcretione, animarum, Divinique cultus zelo, quem proprii commodi avida nimis cura non enervet, Dominorum Officiatorumque laicorum animum, benevolentiam, adeoque, & auxiliatricem manum, & authoritatem ſibi conciliare ſatagant Parochi; quare videant, ne quem temere offendant, ſintque ſoliciti, ut quemadmodum ordinis dignitate, ita, & prudentia, & humilitate Laicos, ſeu ſubditos, ſeu Superiores præcellant, ita tamen, ut nullam gradui, quem tenent in domo Dei, injuriam fieri patiantur.

XIII.

Extremum addimus ſummi momenti Articulum, qui vel unus, ſi bene ſervetur, ad optatam Cleri noſtri reformationem ſatis erit. Pernicies Eccleſiaſticorum oritur, fovetur, & augetur, & irremediabilis redditur, ob rariſſimas, easque ſæpiſſime, uti timendum, ſi non omnino nullas, certe quidem valde dubias, &, pro dolor! parum efficaces, teſte experientia, confeſſiones, cum eas plerumque faciant, vel apud ejuſdem farinæ homines, vel apud minime idoneos, vel etiam apud eos, qui abſolvendi facultatem non habent, quos ſubinde vel invitos cogunt, ſi juniores vel pauperiores ſint ad ſe audiendum, & abſolvendum, & interim in eadem ſemper, licet facile amovibili, occaſione perſeverant. Quare viſum Nobis eſt in Domino ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, & privatione vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrendæ, elapſo termino præſcribere, ut ſinguli Paſtores, Vicarii, & Sacellani, ſingulis ut minimum menſibus idoneis & jurisdictionem indubitatam habentibus Sacerdotibus confiteantur, ſeque huic noſtræ Ordinationi paruiſſe legitimo teſtimonio docere tenebuntur, quoties vel Nos, vel ex noſtro, & Vicariorum noſtrorum Generalium Mandato Decani Chriſtianitatum id ab eis exigendum in Domino judicabunt, ſuper quo ut aſſidue invigilent, ipſorum Decanorum conſcientiam oneramus.

XIV.

Denique omnia complectimur, dum a Paſtoribus, Vicariis, ac Sacellanis noſtræ jurisdictioni ſubjectis exigimus, ut cordi ſemper impreſſum habeant

habeant quadruplicem nitorem. 1. Conſcientiæ. 2. Famæ, 3. Eccleſiæ. 4. Familiæ. Sic fiet, ut cumulatum ſit ubique miniſterium noſtrum, & bonus ſemper odor Chriſti in & per Sacerdotes ejus per univerſam Archi-Diœceſim noſtram cum immenſa animarum fruge diffundatur.

CAPUT II.

De officio Æditui, ſeu Matricularii, ac Ludimagiſtri.

I.

Æditui munus nullus Paſtor per ſe ſuosve domeſticos exerceat, niſi extrema neceſſitas ſeu paupertas Eccleſiæ ad id adigeret.

II.

Æditui ii ſint, qui cæteris Parochianis præeant probitate vitæ morumque honeſtate: quare nullus tametſi præclaris aliunde talentis præditus ad id munus aſſumatur; niſi eum etiam (uti & uxorem, & proles, ſi ſit uxoratus) vita famaque commendet.

III.

Nullus Æditiuus, aut Ludimagiſter admitti poterit, niſi idoneum eum eſſe judicaverit Paſtor, qui, ſi præſentatio ſpectet ad Parochianos aut alios privatos, hique idoneum præſentent, rejicere eum non poterit.

IV.

Paſtori omnem uterque exhibebit obedientiam, ac reverentiam, eique ſemper ſit ad manum, nec liceat illi maxime Æditiuo a Parochia abeſſe, potiſſimum de nocte, aut ſi infirmi ſint in Parochia, ſine licentia Paſtoris.

V.

Tabernas, luſum, choreas, & ædes, perſonasque ſuſpectas vitent; ſi contra fecerint, & bis terve moniti non ſe emendaverint, Paſtor eos amovere poterit non obſtante quacunque oppoſitione.

VI.

Templum ſingulis octo diebus everrat Æditiuus, vel everrendum curet, ciſtas autem, & armaria aliaque repoſitoria ſingulis menſibus nec ſordes hinc inde in angulis, vel ſub ſcamnis accumulet.

VII.

Telas aranearum ſingulis ſemeſtribus a parietibus, & feneſtris, ab Altaribus autem, & imaginibus toties quoties opus fuerit, tollet.

VIII.

Statuas honeſte ornet, ornamenta, paramenta, veſtes, cæteramque ſacram ſupellectilem, decenter, quoties uſurpata fuerint, complicet, ac ſuis loculamentis ſeponat, nihil iſtorum in Altari relinquat, multo minus aliis rebus ad cultum Divinum non ſpectantibus Ss. Altaria oneret aut prophanet.

IX.

Canes ne patiatur eſſe in Templo, maxime in choro.

X.

Ad Altare caveat, ne materiam aut dubiam, aut minus decentem ſuppeditet.

XI.

Aquam luſtralem eo loco collocet, ut ſit ingredienti, & egredienti populo ad manum, nullo tamen modo a canibus ebibi poſſit.

XII.

Aqua luſtrali nullatenus ad everrendam Eccleſiam ſacrilege abutantur, uti quoſdam facere accepimus, ſed nec aquam prophanam ſive non benedictam ei promiſcue affundat, prout etiam quibusdam in locis non ſine ſcandalo ſpectante populo fieri aſſolet.

XIII.

Singulis 4. temporibus lavet albas, amictum, mappas Altarium aliaque lintea, quæ uſurpata fuerint.

XIV.

Nec ipſe Æditiuus, nec alius quispiam, niſi honeſte indutus & calceatus ad miniſtrandum Sacerdoti, aut Altari accedat.

XV.

Nunquam extinguat unam vel ambas candelas, niſi finito plane Sacro.

XVI.

XVI.

Aquam luſtralem ſemper poſt Sacrum Paſtori offerat ad aſpergendum populum.

XVII.

Marceſcentes ramos, flores, herbas, ab Altari, & Templo tempeſtive amoveat.

XVIII.

Æditᴜus talis ſit, qui idem Ludimagiſter eſſe poſſit, niſi fundatio vel reditus ad duorum ſuſtentationem ſufficientes ſint.

XIX.

Salutatio Angelica ter de die quovis anni tempore ſtatis horis pulſetur.

XX.

Ad ſingula Sacra ſemper pulſet, ad ſummum autem Sacrum ternis vicibus, tametſi non niſi unicus isque parvus pagus ſit, iis etiam interſtitiis, ut populus commode pro ultimo adeſſe poſſit, habita ratione diſtantiæ eorum, quos adeſſe convenit; Certum etiam modum campanam poſt ultimum ſignum pulſandi habeat, & ſervet; nimirum, ut poſt ultimum pulſum unica campana continuo tractu ad ſpatium unius Pater noſter pulſetur; Ad Sanctus autem ter intercifis vicibus pulſet, ut abſentes ſe poſſint facere participes illius Sacrificii, hoc ſignum audientes intentionem ſuam aliqua oratiuncula ad Sacrificium dirigendo.

XXI.

Dum Venerabile Sacramentum a ſacrario ad Altare vel ab Altari ad ſacrarium defertur, præeat ſemper Æditᴜus cum lumine, & campanula, niſi alicubi mos ſit, ut Synodales id obſequii præſtent Venerabili Sacramento, quod valde eos decet.

XXII.

Si forte Ludimagiſtro, qui ſimul etiam Æditᴜus ſit, aliunde ſufficiens ſtipendium ad ſuſtentationem commodam non ſuppetat, detur ei ex fabrica, ex Conventibus Confraternitatum, Xenodochiorum, aut ex aliis bonis communibus, vel contribuant pro ſe quisque aliquid, etiam ipſe Paſtor.

XXIII.

Æditᴜus non ſolum Sacerdoti celebranti, inſervire, ſed etiam reſpondere norit, niſi habeat idoneum alium, qui ſemper ſit ad manum: quód, ſi fieri non poſſit, Paſtores hos vel alios honeſtos pueros, aut etiam adultos modum in Miſſa reſpondendi doceant.

XXIV.

Admiſſo Æditᴜo Eccleſiæ ornamenta ſtatim omnia ac ſupellex ſacra tradantur cum inventario, quod ipſe ſubſcribet, & in fine cujusque anni omnia iterum exhibebit Paſtori, & Mamburnis, & Synodalibus, ſi quid deperditum aut fractum, ſatisfaciet Eccleſiæ, vel docebit nulla ſua culpa id factum.

CAPUT III.

De Officio Synodalium, & Quæſtorum, ſeu Mamburnorum.

I.

INvigilent, ut in Parochia ſit liber, in quo exacte ſcribantur nomina tum Baptizatorum, tum eorum, qui Matrimonium in Parochia contrahunt.

II.

Item codices neceſſarii, in quibus contineantur dilucide, & diſtincte ſeorſim annotati proventus, & emolumenta Paſtorum, fabricarum, Æditui, & Ludimagiſtri.

III.

Singulæ etiam Confraternitates ſuos habeant proventus in ſeparatis codicibus fideliter annotatos.

IV.

Ne reditus ac emolumenta Paſtorum & Æditᴜorum confundantur, ac (quod ſæpe vidimus) pereant, aut certe dubia ac litigioſa reddantur, volumus utriusque, id eſt, Paſtoris & Æditui proventus ac jura ſeparatis codicibus, vel ſaltem titulis ſpecificari, etiam ubi ipſe Paſtor (quod tamen niſi in extrema neceſſitate & inopia fieri iterum vetamus) ſimul Æditui munus adminiſtraret.

V.

V.

Curent candelas ita, & tam tempeſtive fieri, ut non defluant cum notabili fabricæ damno, & mapparum, Miſſalium, aliorumve paramentorum detrimento, minutiores autem candelas majoribus imponi omnino prohibemus, tum ob præfatas cauſas, tum ob permoleſtas ac indecentes Æditui, ac Miniſtrorum circum curſationes etiam ſub Sacratiſſimis Myſteriis, cum notabili celebrantis ac populi aſſiſtentis perturbatione & offenſione.

VI.

Sumptus autem occaſione confectionis iſtarum candelarum à Synodalibus & Mamburnis fieri in quibusdam locis ſolitos omnino abrogatos volumus, nec in redditione computuum admitti præter ſalarium bajuli, qui excurrat ad locum, ubi iſtæ candelæ faciendæ, ſi in ipſo loco fieri non poſſint, ad eas conſtituendas & referendas, de quo cum eo convenient pro ratione itineris & laboris.

VII.

Computus autem reddantur ſingulis annis die aſſignato coram Paſtore loci, & duobus Synodalibus ita modico ſumptu ac ſalario, ut nec Eccleſiæ aut Confraternitates exhauriantur, nec conſcientiæ graventur, nec populus ſcandalizetur: Nec enim ſine ſacrilegio tanti, quanti hactenus apud quosdam fieri ſumptus poſſunt in adminiſtratione, & ſupputatione bonorum Eccleſiæ: quod, ſi alii præterea, ut moris eſt in quibusdam locis, his rationibus intereſſe velint, poterunt, ſcilicet ſuis ſumptibus: ſi autem alicubi omnino e re Eccleſiæ aut Confraternitatum eſſe videretur, alios item nominatim alicujus authoritatis admitti ad audiendos computus, hosce monitos ſerio volumus, ne bonis Eccleſiæ & piis fidelium oblatis ad ſuum quæſtum abutantur, nec rapinam in holocauſto committant, atque ita iram Omnipotentis DEI in ſe, & ſuos irritent.

VIII.

Si debitores ita pauperes eſſe legitime probetur, ut ſolvendo minime ſint, condonetur ipſis debitum, nec in hoc caſu Mamburnos ulterius obligari volumus. Hic autem tam ipſorum Mamburnorum, ac debitorum, quam eorum, qui rationibus excipiendis præſunt, conſcientiam coram diſtricto Dei judicio oneramus, nolentes eis hanc noſtram indulgentiam prodeſſe, ſi unus vel alter fraudulenter procedat.

IX.

Si inſufficientia ad ſolvendum non ſit, niſi ad tempus, ob tranſitorium aliquod impedimentum, de quo legitime docuerint Mamburni, deque diligentia boni Patrisfamilias in exigendo debito, nolumus eos ad aliud teneri, ſed recidat iſtud debitum in curam Mamburni anni ſequentis.

X.

Quod, ſi ſolutio penſionum per aliquot annos vel negligenter vel etiam ob cauſam dilata fuerit, prohibemus ſevere, ne penſiones ita accumulatæ in unam ſummam capitalem conflentur cum novo onere annuæ penſionis.

XI.

Pecunia Eccleſiæ vel Confraternitatum non exponatur deinceps ad cenſum annum, niſi pro rata nummi vigeſimi.

XII.

Prohibemus etiam, ne pecunia Eccleſiæ vel Confraternitatum exponatur, ſive ad annuum cenſum, ſive in coemendis bonis immobilibus in commodum Eccleſiæ, niſi prius Eccleſia & Altaria ſufficienter inſtructa ſint omnibus, iisque decentibus inſtrumentis, ornamentis ac veſtibus, ita, ut juxta præſcriptum Rubricarum, & cum debita decentia, & populi ædificatione ſacra Myſteria peragi poſſint, Eccleſiarum, vel Altarium, aut Confraternitatum Adminiſtratoribus in virtute S. Obedientiæ mandantes, ut ſinguli reſpective huic noſtræ Ordinationi ſeſe conforment: quam etiam locum habere volumus, tametſi quis alius ad ornamentorum, aut paramentorum ſubminiſtrationem teneri videretur, isque in mora eſſet: nam & hoc caſu

casu volumus interim ex mediis Ecclesiæ, si adsint, ista comparari, salvo suo jure & regressu contra quosvis, quibus etiam istam obligationem incumbere arbitrabuntur.

XIII.

Convivia Synodalium omnino sublata esse volumus, sed nec etiam ultro oblata admitti, ne vel sic fraus fiat huic nostræ Ordinationi, & accessus ad hoc Synodalium Officium plurimis probis, & optimi exempli, ac zeli, sed non ita locupletibus hominibus intercludatur, cum notabili Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento, & gravi scandalo, dum ad hanc in Ecclesia dignitatem non nisi divites assumuntur, iique sæpe pessimi exempli, qui plus destruunt, quam ædificant, nec præter præeminentiam, ac nomen aliud quidpiam quærunt, & sæpe sub titulo Synodalis impunitatem in criminibus, & immunitatem quandam tantum sectantur, de bono spirituali Parochiæ nihil soliciti.

XIV.

Quam Synodalium immunitatem tanquam nullo titulo fundatam, & in evidens cæterorum Parochianorum pauperum imprimis gravamen redundantem abrogandam in Domino judicavimus, & hac nostra Ordinatione perpetuis futuris temporibus valitura abrogamus: Quod si honore, & præeminantia contenti esse nolint, si quid obsequii extraordinarii, quo graventur Ecclesiæ, præstare eos continget, assignetur eis suum stipendium communibus Parochiæ vel Ecclesiæ sumptibus, prout res exigit, & mos est in similibus in qualibet Parochia.

XV.

Quater in anno in angariis prælegantur Synodalibus ex Agenda Articuli concernentes officium suum, & moneantur serio de juramento suo, deque gravissima obligatione, quæ ipsis incumbit, invigilandi, ne quis abusus, ne quid bonis moribus, & his nostris, aliorumque Superiorum Ordinationibus contrarium, publicæ ædificationi noxium in Parochias irrepat, aut in iis foveatur, aut dissimuletur, alias si perfidi silentii convicti fuerint, a Sede Synodali amovendos.

XVI.

Præeant aliis bono exemplo, & nominatim frequentatione Sacramentorum, Divini verbi, & aliorum Divinorum Officiorum, maxime, quando sunt speciales solemnitates in Parochia.

XVII.

Mulctas in Synodalium cœtu impositas violatoribus festorum, & similibus delinquentibus (quas tamen non nisi spiritualiter modicas esse volumus, ut in cera aut oleo, nisi forte in graviore aliquo casu aliquid in ornatum Templi conferendum esse judicaretur) non liceat Pastori propria authoritate remittere, sed si justa de causa foret aliqua remissio facienda, audiantur primo Synodales, ne alioqui eorum pereat authoritas, & zelus domus Dei refrigescat.

XVIII.

Mulctas Laicis imponendas, sive in cera aut oleo, sive in pecunia (quas tamen raras esse volumus) omnes mandamus in usum Ecclesiæ, & ab his in codicem annuorum proventuum cum cæteris reditibus referri, & in annuas rationes deduci.

XIX.

Synodales non sedeant in Ecclesiis, nec incedant sub supplicationibus publicis omnes in capite populi, sed unus saltem, isque junior retro; unus item in tabulato, si quod sit in honestis sedilibus, ut totum populum in conspectu habeant, cæteri autem ita collocentur, ut, ne Sacerdotes Officianti dorsum vertant, aut in faciem inspiciant.

XX.

Tabulata autem ista luminosa, & nitida sint, vel omnino tollantur, cum alias magis fovendis adolescentium irreligiosis ineptiis, & seniorum acediæ, quam pietati inserviant.

XXI.

Invigilent Synodales, ne vel Pastor, vel Administratores fabricæ bona

na Ecclesiæ, vel vidualia elocent, nisi pro sexennio in sexennium, multo minus mutent, alienent, aut alio quovis modo præsumant distrahere, nisi cum emolumento Ecclesiæ, & Superiorum permissu. Quod, si secus a quopiam factum fuerit, non solum hos vel alios contractus tanquam ipso jure reprobatos nullos esse volumus, sed & ipsos transgressores pro condigna in eos statuenda animadversione ad Nos, vel nostros Vicarios Generales statim deferri injungimus.

XXII.

Nec ipsi Pastori aliqua prata, agros, aliaque bona Ecclesiæ assignent ad vitam, ut inde ipse suum salarium pro Anniversariis, aut Sacris conficiat, sed omnes reditus, fructus, & emolumenta Ecclesiæ recipiant ipsi Mamburni, & Pastori suum salarium persolvant, & in codicem omnia exacte referant.

XXIII.

Non admittant deinceps ullas rationes cæcas, ut vocant, scilicet. v. g. Hoc anno recepi tantum, & tantum, & expendi tantum, itaque sunt in residuo tot daleri, sed specifice exprimantur omnes partes receptæ, & expositæ, v. g. ex tali prato tantum, ex offertorio talis diei tantum ceræ, tot libras lanæ vel lini, tot asses, exposui pro candelis ista die tot asses, pro Anniversario tot asses, matriculario tot. Rationum autem similium sive Ecclesiæ sive Confraternitatum redditioni semper intersit ipse Pastor, imo præsit.

XXIV.

Nulla nova admittant Anniversaria, nisi cum certo Ecclesiæ emolumento, & solita assecuratione: vetera vero, ut fideliter serventur, sedulo curent.

XXV.

Denique meminerint se ad hunc gradum honoris esse in Ecclesia Dei evectos, tum ut Pastorem juvent in conservandis Ecclesiæ bonis, ferendoque onere Pastorali, tum ut ipsius Pastoris dignitatem ac nomen juraque propoße tueantur, ex quo præter temporalem, si bene suo fungantur officio, mereri possint in cœlis retributionem æternam.

CAPUT IV.

De Immunitatibus, & Juribus Parochialibus, quæ vocant Stolæ.

I.

Indignum prorsus majestate ac sanctitate nostrorum Mysteriorum est, pro eorum administratione seu dispensatione contentiose mercari, proque salario eorumdem administrationis perinde ac in rebus prophanis sordide stipulari, & res sacratissimas, quæ sub nullum cadere possunt pretium, in scandalosum commercium deducere. Quare semel pro semper quilibet Pastor in ingressu suæ Parochiæ stabilem taxam jurium stolæ, ut vocant, e Cathedra promulget, ab ipsomet, & ab omnibus constanter servandam, quam tamen pro pauperibus misericordia, pro cæteris discretio Pastoris (sine suo tamen ac Successorum præjudicio spectatis circumstantiis) moderatura sit. Unde hanc taxam circa ea, quæ hactenus majores ac frequentiores excitasse altercationes observavimus, huc duximus exprimendam; pro cæteris, si quid hinc inde dubii occurrat, ad Nos pro elucidatione recurrere poterunt, & interea servabunt in praxi, quæ antehac anno 1632. ordinata fuerunt.

II.

Pastor ab omnibus ædificiis tam Ecclesiæ, quam cœmeterii ipso jure, & usu liber est, chorumque tantummodo, si tamen sartus tectus ei traditus fuerit, ei in eodem statu, id est, sartum tectum conservare, & repræsentare tenetur.

III.

Vetustate autem collapsum, aut collabentem, aut incendio, aliove infortunio (nulla Pastoris suorumve culpa) consumptum aut dirutum restaurare non tenetur, nisi forte ob integras decimas ad plura obligatus fuisse hactenus legitime probetur, nec enim

ei hac in re novam obligationem imponere cogitamus.

IV.

Ad oſſarium, cœmeterium, & ad turrim a fundamentis licet choro innitatur, tenentur Parochiani, item ad eorum Eccleſiæ Parochialis ſupellectilem, eamque ſufficientem, & decentem, omnemque ejus ornatum, niſi de quamdiu cuipiam alteri alicubi hanc obligationem in toto, vel pro parte incumbere legitime probaverint.

V.

Quod ad domum dotis attinet, hanc ſtatui Sacerdotali convenientem cuilibet Paſtori Parochiani ſubminiſtrare, & a fundamentis exſtruere ſuis ſumptibus tenentur, quam ſi ſartam tectam acceperit Paſtor, ſartam tectam conſervare, & repræſentare ſimiliter tantum obligatur.

VI.

Et quia obſervatum fuit paſſim ob chori & ædium Parochialium reſtaurationem naſci lites, & contentiones cum gravi ſcandalo & cultus Divini detrimento. Mandamus, ut Neopaſtores antequam incipiant inhabitare domum Paſtoralem, vel ſaltem infra menſem ab accepta Parochiæ pacifica poſſeſſione curent chorum, & domum omneſque ejus appendicias, ſumptibus eorum, qui de jure, vel uſu ad id tenentur, a Decano, Synodalibus, & peritis viſitari, citatis Parochianis defuncti Paſtoris hæredibus, & aliis quorum intereſt, & judicari de debito, vel indebito ſtatu chori, & ædium Paſtoralium & inſtrumentum legitimum deſuper confici, quod niſi fecerint, perpetuum illis deinceps ſilentium indicimus.

VII.

Quandoquidem ſubinde contingat tam irreligioſos, tamque parum reverentes characteris Sacerdotalis, adeoque iniquos laboris, curæ ac periculi Paſtoralis æſtimatores reperiri Parochianos, ut pro jactura habeant, quidquid ad Paſtoris ſui honeſtam commodamque ſuſtentationem conferunt, aut conferre tenentur: Unde inter cæteras difficultates in Parochiis oriri ſolitas ex primariis una eſt occaſione paſcuorum, & cuſtodiæ pecorum, ſine quibus vix ullus in tota Archi-Diœceſi (ubi vineæ non ſunt) nominatim in patria Luxemburgenſi honeſte, & ſtatui ſuo convenienter vivere poteſt: Qua quidem in re adeo critici plerumque ſunt, ut ſi vel unico capite præſcriptum numerum excedat Paſtor, mox litigandi aut calumniandi anſam arripiant; ideo variis olim deſuper factis ordinationibus, & antiquiſſimæ, & paſſim receptiſſimæ conſuetudini inſiſtendo, ut utriusque partis commodis, quantum quidem fieri potuit, conſuleremus, ſequentia deinceps ſervanda ſtatuimus.

VIII.

Quilibet Paſtor habet jus, equum ſingularem ad functiones ſuas Parochiales promptius, & commodius obeundas habendi & ad paſcua pinguia gratis dimittendi.

IX.

Equos etiam ad colendos agros viduales, convehendas decimas, ligna, neceſſarios habere in communibus paſcuis poteſt.

X.

Ubi conſuetudo (quam ubique introduci decentia, & veneratio ordinis Sacerdotalis ſuadet, imo exigit) Parochos a ſtabulatione petulcorum animalium eximit, Parochiani ſuo Paſtori vaccas quatuor, pecora minora, puta oves, porcos, triginta duo gratis paſcere, & cuſtodire tenentur. Et præter hæc capita libera poteſt Parochus inſuper habere in paſcuis communibus, quot Parochianorum unus, ſolvendo tamen cuſtodiis pretium, vel aliter cum communitate conveniendo: hic tamen Clericis eam moderationem commendatam volumus, ne communitati nimis amplo pecorum grege graviores ſint, dentque juſtam murmurandi cauſam.

XI.

Pro cuſtodia autem non liberi pecoris taxam in loco, vel in vicinia, vel

in

in patria usitatam servare teneantur tam Parochiani, quam pecorum Custodes.

XII.

Ubi vero ad incommodam, & indecentem istam stabulationem ex consuetudine, vel potius abusu tenentur Pastores, maneat illis etiam salvum jus quodlibet pecora uti hactenus libera in communibus pascuis habendi.

XIII.

Ubi autem exigua agricultura, & vineæ nullæ sunt, ita ut primaria Pastorum sustentatio desumenda sit ex pecoribus, ibidem Pastor octo vaccas, 12. porcos, & 25. oves habere potest liberas.

XIV.

In sylvis, communibus glandibus, & aliis hujusmodi emolumentis Pastor tantum juris habet, quantum Parochianorum unus.

XV.

Fœnum, fruges, fructus arborum quarumcumque in cœmeterii ambitu crescentes spectant ad Pastorem: si tamen inibi arborum nuciferarum copia e contrario Ecclesiæ Parochialis tam exigui editus sint, ut oleum alendo coram Venerabili Sacramento lumini subministrare non valeant, eo casu ex istis nucibus Ecclesiæ, judicio Decani (si Pastor, & Mamburni inter se non satis convenirent) succurri poterit.

XVI.

Quando Ecclesia, chorus, aut domus Parochialis, aut pars aliqua occurrit ædificanda, aut restauranda, tum communitas, seu Parochia ad vecturas materialium, manualesque operas obligatur.

XVII.

Quemadmodum per Ecclesiasticas Constitutiones prohibetur, ne ulla Ecclesia, aut Capella, vel Oratorium de novo ædificari possit sine expressa licentia Diœcesani Episcopi: ita si contingat talem licentiam gravibus de causis concedi, semper ea sic intelligenda est, ut sine Matricis Ecclesiæ, Pastorisque præjudicio ac detrimento id fiat; quare ad omnia jura, & onera parochialia, ac pastoralia obligantur, ac obligatos sub pœna interdicti esse volumus incolas pagi, vel alterius cujuscumque loci, in quo similes Capellæ vel Oratoria qualiacumque de nostra, vel Prædecessorum nostrorum in scriptis obtenta licentia erecta fuerunt; etiam ad stipendium Æditui parochialis, tametsi proprium Ædituum habuerint, nisi aliud in instrumento fundationis, sive erectionis de Episcopi Diœcesani, aliorumque Superiorum consensu erecto exprimatur, vel nisi speciali contractu cum matrice Ecclesia cæterisque parochianis convenerint, quorum neutrum præsumendum, sed authenticis documentis clare probandum esse volumus.

XVIII.

Insigni populi Christiani liberalitate, ac devotione jam a sæculis introductum, & longa annorum serie invaluit jus quoddam (quod stolæ vocant) quo parochiani ad Pastoris, tanquam communis sui parentis honestam commodamque sustentationem, & in subsidium Hospitalitatis, quam vocationis pastoralis conditio, & Ss. Canones ab eo exigunt, filiali ac religioso affectu concurrunt, simulque reciprocam erga illum (qui suam pro ipsorum spirituali bono ac solatio vitam, quin & animam Domino Deo obstrinxit) observantiam, & gratitudinem testantur. At enim sive crescente Pastorum cupiditate, sive refrigescente fidelium charitate, illi præfata jura plus æquo augere, hi contra diminuere, & tantum non annullare, ac penitus abolere cœperunt, utrique præter fas, & jus, & cum gravissimo Christianæ pietatis, quam parentes, & filii spirituales sibi mutuo debent, dedecore.

XIX.

Ad hæc notavimus, ubi ea jura etiamnum vigent, eam esse in illis exigendis, ac præstandis diversitatem litium, contentionum, detractionum, contumeliarum matrem; ut inde Dei cultus, animarumque salus grave patiatur detrimentum: Cui malo, ut aliquo modo pro temporum injuria mode-

moderemur: Attenta antiquiſſima, & communiori conſuetudine, variisque ordinationibus hac ſuper re olim editis ad inſtantiam tam Parochorum, quam Parochianorum, eorum certe quibus magis connivenria, quam pecunia cordi eſt, & qui Superiorum voluntatem potius, quam ſuum quæſtum, propriumque judicium pro regula ſequi malunt, quædam quæ majorem pati videbantur difficultatem, & frequentius in contentionem deducebantur, hic declaranda, & decidenda judicavimus.

XX.

Præſtentur Paſtori deinceps:

Pro Baptiſmo infantium, vel tres aſſes, vel par gallinaceorum. - 3. ſ.

XXI.

Et pro puerperæ introductione - 2. ſ.

XXII.

Pro ſponſalibus - 10. ſ.

XXIII.

Pro nuptiis viginti quatuor aſſes, & par Chirothecarum ſive ſex aſſes - 24. ſ.
6. ſ.

XXIV.

Pro dimiſſorialibus, & bannorum proclamationibus, ſive fiant, ſive non fiant, Paſtori - 28. ſ.

XXV.

Synodalibus, ſi nuptiis interſint, in Templo conjunctim - 6. ſ.

XXVI.

Matriculario in Sponſalibus - 2. & in Nuptiis - 3. ſ.

XXVII.

Pro delatione alicujus Sacramenti nihil petatur neque directe, neque indirecte; cum conſtet multos hac de cauſa in urgenda Sacramentorum adminiſtratione fieri tardiores.

XXVIII.

Extra tempus paſchale non ſolum etiam nihil exigant Paſtores a pœnitentibus, ſed omnino præſtaret, ne quidem, quod ultro ab iis offertur, admitti ob eandem cauſam, quam certum eſt, ſubeſſe.

XXIX.

Præterea etiam extra tempora, quibus Chriſti fideles ad Offertorium tenentur, nunquam invitentur ad Offertorium communicaturi, ſed ſit cuique liberum.

XXX.

Pro ſolemni inhumatione, & deductione cadaveris - 7. aſſes.

XXXI.

Pro funeralibus, ſeu exequiis (quo nomine complectimur vigilias, commendationes ſolitas, Sacrum tum ipſo die inhumationis, tum etiam 1. 2. & 3. die) tres daleri Luxemburgenſes, & oblata omnia.

XXXII.

Si ob defectum cantorum non canantur vigiliæ, ſaltem diſtincte, & clara voce, dato campanæ ſigno in Templo legantur, quod ſi neutrum fiat, quinque aſſes toties, quoties detrahantur, quod fieri volumus, niſi grave aliquod impedimentum intercurrat.

XXXIII.

Si exequiarum ſolemnitas ad pauciores dies contrahatur, pro quolibet die omiſſo unus dalerus detrahatur.

XXXIV.

Candelæ funerales ſemper ad finem totius officii uſque ardere ſinantur, reſiduum autem æqualiter inter fabricam, & Paſtorem dividatur.

XXXV.

Pro commendatione per annum 12. aſſes.

XXXVI.

Si quis in Templo ſepeliri velit, dabit fabricæ duos daleros Luxemburgenſes, ſi in choro, dabit tres daleros, niſi fuerit Collator, aut Fundator, cujus liberalitati, & charitati eleemoſyna Paſtori tum facienda relinquitur.

XXXVII.

Tumbarum ſive lapidum ſepulchralium, qui vel nullius ſunt, vel cujus

cujus sint, ignoratur, dispositio ad Pastorem vel ad Ecclesiam, pro recepto locorum usu, spectat.

XXXVIII.

Pro toto triduano Officio defunctorum uti supra Ludimagistro chorali debentur octodecim asses, Æditu pro pulsu singulis diebus - 4. asses.

Si binæ fuerint Missæ, & bis pulsandum - 7. asses.

Si vigiliæ non fuerint habitæ, ei unus assis detrahatur pro quolibet die.

Ludimagistro autem cantori - 2. asses.

XXXIX.

Agentibus Diaconum vel Subdiaconum singulis - 4. asses.

XL.

Ubi receptum, ut Synodales toti officio intersint Exequiarum, sex asses conjunctim singulis diebus. - 6. asses.

XLI.

Pro Missa legenda Parochiali Pastori - 6. asses.

XLII.

Si in Ecclesia distante milliari ab ædibus suis legendum sit Sacrum 20. asses.

XLIII.

Si a medio milliari - 15. asses.

XLIV.

Si propius absit - 12. asses.

XLV.

Si cantandum sit Sacrum primo casu - 10. asses.

XLVI.

Secundo - 24. 3. - 20. 4. - 15. asses.

Pro toto Officio Dedicationum, id est primis, & secundis Vesperis, Sacro cantato, & concione - 48. asses.

Pastori præter vinum, seu potum, quem usus taxaverit.

XLVII.

Æditu tres asses. Ludimagistro cantanti sex asses. Si tamen idem Æditus, & utriusque munere fungatur, etiam utriusque stipendio fruatur.

XLVIII.

Pro Officio solemni Patronorum, id est, cum Sacro cantato, & concione Pastori quocunque in loco celebretur - 32. asses. Cæteris autem ad celebrandum invitatis pro portione distantiæ uti supra: Si tamen pro similibus est specialis aliqua Fundatio, ea servetur.

XLIX.

Quod ad Missas ab immemoriali tempore a Parochis, sive in ipsa Parochiali Ecclesia, sive in Capellis, singulis aut alternis septimanis, vel mensibus legi solitas spectat, pergant more antiquo eas celebrare, quemadmodum boni Pastores adhuc fecerunt, tametsi stipendium labori respondeat, cogitare enim debent Missas illas non tantum ob illud stipendium, sed etiam ob decimas, aliosque proventus olim a Majoribus introductas fuisse, ut pagorum istorum incolæ Missæ Sacrificium subinde per septimanam audire possent: Si autem de earum fundatione clare constet, & stipendium justo minus appareat, aut Anniversaria ita multiplicata sint, aut tam tenuiter fundata, ut ipsi Pastores nimis gravati censeri possint, & fabrica inde etiam detrimentum patiatur, propria authoritate nihil immutent, sed os Domini interrogent, id est, ad Ordinarios pro justa moderatione recurrant.

L.

Pro oblatione singuli adulti, seu qui ad Ss. Communionem accedunt, singulis 4. anni Festivitatibus, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. & Nativitatis Domini, tenentur in Altari Pastori offerre duplicem nummum, quorum quatuor assem faciunt, si quis tamen minus vel nihil offerat, non reprehendatur, nec confundatur publice, seu coram aliis, sub mulcta unius floreni aurei.

LI.

In Paschate præterea singuli pœnitentes debent Pastori duo ova.

LII.

LII.

Pro cæteris oblatis per annum difficile plane est statuere aliquid certi. Ratio est, quia durum est, ut, si omnia Pastori subtrahantur, cum ille Altari inserviat, & aliunde menti fidelium, ipsique praxi omnino adversatur, & fabricam fere ubique enervabit, & Divinum Officium pessumdabit, si omnia Pastori adjudicentur. Nam passim fabrica solis oblatis subsistit, maxime in Capellis foraneis, & si scirent fideles oblata non cedere fabricæ saltem pro parte, certum est plurimos nihil oblaturos: medium autem reperire, quod jurgiis, & litibus ansam non daret, hactenus vix unquam fuit. Expeditissimum videtur in Domino, si Pastores offertorio quatuor solemniorum Festorum, & oblatis hic supra ipsis assignatis ac stipendio eis taxato, pro Officio Dedicationis ac Patronorum quorumvis contenti, cætera omnia (exceptis etiam ovis, quæ per totum annum offeruntur & Pastori cedere debent) totius anni oblata fabricæ relinquant, cujuscumque demum naturæ illa sint, aut ubicumque ponantur: Fabrica autem, seu Mamburni faciant sumptus necessarios, si qui aut qualescumque sint faciendi: Et certe omnibus perpensis ac universim loquendo, hoc magis e re Pastorum futurum videtur, & ita quidam observant, vivuntque commode & pacifice.

LIII.

Quia tamen subinde reperire est Parochianos erga Deum, ejusque Vicarios, id est, animarum suarum Curatores, adeo ingratos, irreligiosos, & tenaces vel potius iniquos, ut tametsi possint, attamen nolint tantilla eleemosyna (oblatis inquam ante designatis in 4. majoribus Festivitatibus, quæ pia, universalis, & antiquissima fidelium devotio ad Pastoris alimentationem, tam sincero affectu introduxit) obligationi satisfacere seque conformare: Hinc volumus tam ingratos, degeneresque Ecclesiæ filios, si quos deinceps tales esse contingat, communibus pientissimæ Matris Ecclesiæ, fratrumque suorum, id est, cæterorum Parochianorum suffragiis tam diu carere, donec se eorum communione per publicum hocce Reipublicæ, pietatis & observantiæ testimonium dignos præbuerint.

LIV.

Supra positam autem jurium pastoralium specificationem seu taxam ita intelligi, & capi volumus, ut sicubi hactenus fuerit mos vel jus, ut certis diebus vel temporibus, vel pro certis officiis seu functionibus insuper panes Pastori, vel etiam Æedituo aut Ludimagistro præstarentur, hunc morem non obstante nostra taxa servari, panesque etiam deinceps præstari mandamus.

LV.

Ad hæc, si quæ præterea jura sive ex parte Pastorum, sive ex parte Parochianorum hic non expressa forte occurrant, poterunt ad Decanos respective referri, ab iisdem Nobis deinde transmittenda, ut post maturum examen his Ordinationibus, si ita in Domino visum fuerit, deinceps inserantur. Interim servent in praxi ea, quæ uti diximus anno 1662. ordinata fuerunt.

LVI.

Parochos porro iterum in Domino monemus, omnino dedecere, ita juris sui eos esse retinentes, ut modestiam, imo & misericordiam in exigendis rigide & sordide etiam a pauperibus stolæ juribus obliviscantur, perinde ac si omnem ab hominibus, nullam a Deo exspectarent laborum bonorumque operum suorum remunerationem: Quare taxam hic a Nobis designatam excedere eos nunquam volumus; moderari autem pro conditione personarum ipsorum sit discretionis ac charitatis juxta regulam Apostolicam: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie*, 1. Petri 5. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, ait S. Paulus. Proinde ita se gerant in exactione jurium, quemadmodum idem Doctor gentium præscribit 2. Cor. 6. 3. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibea-

hibeamus Nos, ſicut Dei Miniſtros, unde, ſi pauperes ſint, nihil exigant, nihil etiam admittant: Si tenuiores, meminerint miſericordiæ; ſi potentes licet hi aliquando etiam minus ſint prompti, non ideo tamen ab eis contentioſe aut putide extorqueantur, ne cuiquam ſint offendiculo, quod etiam cum ſuo temporali diſpendio cavere omnimode Eccleſiaſticos oportet; Nolumus tamen per hanc noſtram Ordinationem quorundam etiam locupletum duritiem, & immunitatem fovere, nec etiam eorum liberalitati, & in eos, qui pro iis pervigilant, quaſi rationem pro animabus ſuis reddituri, gratitudini, & charitati modum præſcribere, quin potius & illos omnesque Laicos, cujuscumque gradus, ac ſexus in Domino hortamur, proq; officii noſtri Paſtoralis conditione ſerio monemus, ut & ipſi Chriſtianæ pietatis, ac æquitatis memores, alacri animo contribuant ad decentem ſuorum Paſtorum ſuſtentationem, univerſalis Eccleſiæ regulam piorumque fidelium veſtigia ſequentes, idque eo liberalius, quo magis exigui ſunt Parochiarum reditus, ſuppleantque inopiam, & defectum pauperum, a quibus Paſtores nihil accipiunt, imo nec admittunt.

LVII.

Harum Ordinationum exemplar unum a Decano ſubſcriptum habeant omnes non ſolum Parochi, ſed etiam Sacellani; quoscumque autem ex Capitularibus contra aliquam illarum veniſſe, aut egiſſe Decanus compererit, huic mulctam ſuam in Synodo Capitulari Paſchali intimabit ſolvendam intra triduum ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrenda, & privatione vocis activæ & paſſivæ, donec illam in manus Procuratoris Capituli re ipſa perſolverit. Indignus enim eſt, qui Ss. Myſteria tractet, quisquis Divinorum Myſteriorum Authorem in ſuo Vicario ſpernit: Non enim te, ſed me abjecerunt, inquit Deus ad Samuelem. Indignus etiam eſt, qui in Fratrum Conventu audiatur, qui Apoſtolum audire pervicaciter recuſat clamantem, obedite Præpoſitis veſtris, ac ſubjacete eis. Mulctas autem vetamus in virtute S. Obedientiæ verti in compotationes aut convivales tractationes Capitularium, ac omnium, aut aliquorum, ſed in commune Capituli commodum volumus impendi, idque de communi Definitorum conſilio, & aſſenſu. Æque ſevere ac ſerio interdicimus Decanis, ne in exigendis hiſce mulctis cum quopiam diſſimulent. Atque hæc ſunt, quæ authoritate, qua fungimur ex muneris Nobis ab alto impoſiti Paſtoralis vigilantia faciendo, & ſtatuendo pro majore Dei gloria, diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformatione, & ſtatus gradusque Sacerdotalis honore, & tam Parochorum, quam Parochianorum ſpirituali æque ac temporali ſolatio ac commodo poſt abſolutam brevem quidem, ſed ſedulam per noſtrum in Pontificalibus, & Spiritualibus Vicarium Generalem de noſtro ſpeciali Mandato, quantum per haſce temporum injurias, & calamitates permiſſum fuit. Viſitationem Archi-Epiſcopalem in Domino potiſſimum convenire judicavimus. Et quæ ab omnibus quidem ſpirituali noſtræ Jurisdictioni ſubjectis, maxime tamen a vobis accurate ſervari volumus, & ſub interminatione Divinæ vindictæ mandamus, idque non obſtantibus iis, quæ forte ad inſtantiam quorundam particularium in nonnullis Parochiis per præfatum noſtrum Viſitatorem ſtatuta fuerunt, quibus proinde per has derogatum volumus, ac de facto præſentium tenore derogamus: ad eorum autem exactam obſervationem urget vos muneris veſtri ratio, ut per veſtram erga Superiores obſervantiam, & obedientiam fiatis norma gregis; diſcantque veſtro exemplo, quid Nobis, quid vobis debeant Parochiani veſtri; urget, quo vos Deo, Eccleſiæ, Patriæ; Parochiæ, ac ſingulis Parochianis obſtrinxiſtis Sacramento; Urget ira Dei, & ſalus gregis, cui vos Spiritus Sanctus præfecit; urget denique proprium animarum veſtrarum periculum. Si enim pereant culpa veſtra ſubditorum animæ, peribunt quidem illæ, ſed peribunt & veſtræ; peribit pro illis effuſus Sanguis Chriſti, quem de manibus veſtris requiret ille, qui dixit, cuſtodi mihi virum iſtum, qui,

ſi perierit, erit anima tua pro anima illius. Ego autem libero animam meam conteſtans vos hodierna die, qui mundus ſum a ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quominus annunciarem omne conſilium Dei vobis Actor. 20. 26. & 27. In quorum majus robur, ac evidens teſtimonium præſentes Ordinationis, ac Reformationis literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Archi-Epiſcopali munitas extradi juſſimus, & fecimus. Dabantur ex palatio, & arce noſtra Ehrenbreitſtein 12. Februarii 1678. Signatus erat JOANNES HUGO Archi-Epiſcopus Trevirenſis. Eratque dictum ſigillum Archi-Epiſcopale impreſſum in cera viridi ſub carta.

(L.S.)

Exemplar Synodi commodavit Bibliotheca Collegii Trevirenſis Soc. JESU.

JOANNES HUGO, perilluſtri ſatus *Orsbeckiorum* & Dominorum in *Vernich* Juliacæ ditionis proſapia, Idibus Januarii a. 1634., patre Wilhelmo, matre Catharina de *Petra*, Archi-Epiſcopi Electoris Trev. Caroli Caſpari ſorore, ampliſſimæ quam vel a primis adoleſcentiæ annis de ſe concitaverat, expectationi ita reſpondit, ut nemo melius, nemo felicius. Anno 1644. literas humaniores Coloniæ Agrippinæ inſtituit; Rhetoricam abſolvit Moguntiæ a. 1648.; tum præfixi in Metropolitano Trevirenſi Capitulo curſum temporis Reſident. emenſus, pro clementiſſimo Eminentiſſimi Dom. Archiep. avunculi ſui arbitrio, Romam ſe cum fratre ſuo natu majore *Damiano Emerico* ad Collegium Germanicum a. 1651. contulit: ubi quæ dederit cum virtutum, tum ſcientiarum ſpecimina, & quantos in utriſque progreſſus fecerit, teſtantur partim litteræ R. P. *Pauli Oliva*, Præpoſiti quondam Soc. JESU Generalis, in Provinciam Rheni Infer. ad P. *Guilielmum Euskirchen* miſſæ; partim meditationes ſacræ, quas própria illo in Collegio conſcriptas manu, indies ad canos uſque diligentiſſimo terere uſu Princeps optimus amabat. Excerpta illis ex litteris hæc pauca damus:

" In natu majore (*Damiano Emerico*) ſcribebat Vir integerrimus & humaniſſimus, " optima omnia: at in minore (*Joanne Hugone*) relucent ingenium, indoles, " modeſtia, pietas cum in modum, ut nihil ſit, quod in ipſo deſiderare majus " poſſim. Si adoleſcens ille, in provectiore ætate progreſſus ita continuaturus " eſt, paucos ipſi Germania pares habebit, & facile erit Eminentiæ ſuæ Succeſſo- " rem ſuum conjicere." *Hæc Oliva.* Accedit, quod ſuis à Moderatoribus *Angelus Germaniæ* paſſim diceretur. Redux ex Urbe, divina aſpirante gratia, Francofurti ad Mœnum a. 1657. ſacrum *Subdiaconatus* Ordinem ſuſcepit. Functus deinde a. 1659. ardua ad Sedem Apoſtolicam & graviſſimi momenti Legatione, Spirenſi Eccleſiæ altero mox anno 1660. Decânus dabatur: qui primus videri poterat gradus, unde ad altiora poſtmodum *Hugonis* virtus eveheretur. Ex Chorepiſcopo Trevirenſi factus die 7. Januarii a. 1672. Emin. Avunculi ſui Coadjutor; & die 16. Julii a. 1675. Spirenſis Epiſcopus, in regimen Sedis Archi-Epiſcopalis Trev. ſucceſſit a. 1676. die 9. Junii. Paucos habuit quinque & triginta, quibus cum imperio erat, annorum ſpatio candidos ac ſine nube ſoles: Patriam ſibi cariſſimam, ferro ignique a. 1688. vaſtari, acerbiſſimo licet doloris ſenſu videret; adduci tamen, a jurata Deo, Cæſari & Imperio fide vel tantillum ut recederet, nequaquam potuit. A. 1690. Comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis interfuit, in iisque ad diem 24. Januarii cum Electoribus reliquis Joſephum Magni Leopoldi filium, tunc duodennem, pronunciavit Romanorum Regem. Treviris aram Eccleſiæ Metropolitanæ principem, Confluentiæ perelegans PP. S. J. Gymnaſium, in valle Ehrenbreitſtein Templum S. Crucis erexit. Sedem Romanam tanto ſemper colebat obſervantiæ ac pietatis ſtudio, ut, quotquot inde Decreta & Reſcripta Apoſtolica emanabant, ceu normam regiminis ſui exciperet, uſurparetque. Apud PP. INNOCENTIUM XI. ALEXANDRUM VIII. INNOCENTIUM XII. & præprimis apud CLEMENTEM XI. erat gratioſiſſimus, a quo ſegmentum ligni ſalutiferi S. Crucis dono miſſum accepit. Faciles ad eundem aditus patebant ſubditis omnibus, maxime egentioribus. Mirum in eo orandi ſtudium, caſtimonia ſingularis, infracta animi inter res adverſas conſtantia, liberalitas in omnem Diœceſin diffuſa, clementia erga domeſticos perinde & exteros plane egregia, virtutesque aliæ promicabant. Obiit luſtrata per exhomologeſim accuratiſſimam conſcientia, & corde Spirenſi, cadavere Trevirenſi & inteſtinis Eccleſiæ S. Crucis in valle Ehrenbr. teſtamento relictis, die 6. Jan. anno Chriſti 1711. ætatis 77. Fidus DEO

DEO & Imperatori Princeps, Spirensis Episcopus, Præpositus Weissenburg, Missionis Trev. Fundator, Musarum decus & præsidium, verus Patriæ ac pauperum Pater.

Fragmentum Epistolæ a CLEMENTE XI. *Pont. Max. ad* JOANNEM HUGONEM *datæ.*

" FRaternitati tuæ, magnitudinem Pontificiæ benevolentiæ nostræ, ad quam in dies magis cumulandam mirifice faciunt ea, quæ ad Nos omni ex parte proferuntur, de singulari & constanti tuo zelo in Ecclesiam Dei, deque egregia tua in Nos & Apostolicam Sedem voluntate, eximiis argumentis, assidue comprobata &c. Cum benedictione itaque Apostolica, quam tibi tam pie recteque sentienti, ac de Ecclesia tam probe merito per hunc latorem deferri volumus & dono tibi mittimus segmentum aliquod salutiferi ligni illius, cujus pars, ut notum est, hic in Ecclesia S. Crucis in Jerusalem asservatur, &c. perpetuo tibi pignori Pontificii amoris futurum, ipsumque salutis nostræ autorem, qui ab ipso ligno pependit, precamur, ut vota, quæ pro te indesinenter fundimus, impleantur &c. ". *Ita Sanctissimus*, qui & morti *Joannis Hugonis* illacrymasse scribitur.

Hæc fere omnia ex Histor. Trevir. dipl. Illmi Hontbemii Tom. III. a pag. 857. *ad pag.* 874. Vide etiam Histor. Eccles. Germaniæ gallice scriptam Tom. I. pag. 221. & Collegii Germ. & Hung. Histor. *Julii Cordara* Soc. JESU edit. Rom. a. 1770. a pag. 183. ubi reperies, *Joannem Hugonem* Odæo Collegii istius reliquisse legatum mille quingentorum aureorum: quod beneficium quotannis alumni recolunt, solemne pro eo Sacrum facientes.

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Christi MDCLXXVIII.

JUSSU

ejusd. Revmi Domini CHRISTOPH. BERNARDI *a* GALEN, *Monasteriensium Episcopi,*

CELEBRATA

DIE 22. MARTII.

Commissarii Episcopales deputati JOANNES RUTGERUS A TORCK, MATTHIAS KORFF, *condictus* SCHMISINCK, GOSWINUS DROSTE, & JOANNES ALPEN *Vicarius Generalis.*

In hac Synodo publicatæ sunt, Episcopi absentis, sequentes Pastorales Literæ:

CHRISTOPHORUS BERNARDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

SAcrosanctum Eucharistiæ Sacramentum (quod non solum, ut Sacramenta reliqua, gratiam confert, sed ipsummet omnis gratiæ & sanctitatis fontem, auctoremque Christum Dominum admirabili modo totum reipsa vere & substantialiter continet) ut præ cæteris reverenter ac religiose a Sacerdotibus administrandum est, ita quoque majore cum præparatione, cultu, ac devotione pro tantæ Majestatis exigentia a fidelibus suscipi oportet. Quod etsi juxta Constitutiones nostras singulari curatorum Sacerdotum solertia in adultis sufficienter promoveri confidimus, necdum tamen in instruendis & ad Divinum hoc Epulum adducendis parvulis, quam sæpe desideravimus, satisfactionem experimur. Quo enim ii ad tanti frequentationem Sacramenti uberiore cum fructu disponantur, & ex ea præparatione & exemplo adultiores etiam ferventiore desiderio, religione ac pietate incitentur, innovamus Mandata nostra alias publicata, & vo-

lumus, ut parvuli postquam istius ætatis & judicii fuerint, ut possint spiritualem hanc alimoniam a corporali cibo discernere, ad ejus participationem prima vice privata quadam methodo, & particulari præparatione adducantur. Quem in finem Parochi & Curati locorum pueros illos, qui in concreditis sibi Parochiis annos discretionis attigisse deprehenduntur, aliquot septimanis, antequam ad primam Sacram Communionem admittendi sunt, ad Ecclesiam præsentibus etiam Ludimagistris speciatim convocabunt, ibidemque non tantum de scitu necessariis necessitate medii & præcepti, sed cumprimis de his, quæ ad rite decenterque suscipiendum hoc Sacramentum pertinent, diligenter informabunt, & postquam sufficienter instructos esse compererint, indicta pridie diei Communionis sacra Confessione ipso solennitatis tunc occurrentis festo ab aliis communicantibus separati, ad sacratissimam hanc mensam admittentur, & recitatis ex ambone nominibus publica pro iisdem exposcetur oratio, ut cœlesti hoc cibo pasti omnium bonorum operum & meritorum capiant incrementa.

Et quamvis Sanctissimum hoc Eucharistiæ Sacramentum pie & utiliter ad excitandam populi devotionem in publicis interdum Processionibus, seu indictis Supplicationibus deferatur, ne nimia tamen frequentia debitam tanto Mysterio reverentiam minuat, extra festum Corporis Christi & ejus Octavam, nec non quatuor majores per annum Solennitates rarissime id fieri per præsentes demandamus, sufficietque in precibus decem horarum, Missis precariis aut fundatis in Altari aliquando exponi, ut coram eo solitæ preces effundantur, & interim a circumgestatione per cœmeterium & interiorem Templi circuitum abstineatur.

Processiones autem, quæ ad inflammandam in operibus pœnitentiæ fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, vel ad auxilium Divinæ protectionis uberius implorandum, sacro cum ritu & cæremonia institutæ sunt, tanto religiosius ab Ecclesiasticis personis sive sæcularibus, sive Regularibus observari convenit, quanto reliquis Christianæ vitæ sanctioris professione altius eminent.

Grave enim offendiculi genus est, si quos omnino decebat pro culpis & offensionibus tam suis, quam aliorum præcellentiori quadam pietate sese irascenti Deo murum opponere, pravo ipsi exemplo commonstrent, quæ ad ædificationem ordinata sunt, ad destructionem cedere, dum peractis hujusmodi Processionibus prioris devotionis vix amplius memores sæpe comessationibus ita indulgent, ut earum protractione & rarum sobrietatis specimen præbere, & vespertinas preces horarias, quas in Ecclesia ad commonstrandam populo pietatis continuationem psallere oporteret, non sine scandalo prætermittere conspiciantur. Quamobrem omnibus & singulis Ecclesiasticis personis districte injungimus, ut post finitas hujusmodi Processiones cibum quidem cum gratiarum actione sumant, sed pomeridiano tempore hora magis opportuna Vesperas minimum in Ecclesia decantent, abruptisque comessationibus ac symposiis ostendant exemplo suo diem illum impetrandis, non amittendis Dei gratiis destinatum esse.

Quæ de vita & moribus Clericalem statum decentibus sacri Canones salutariter præscribunt, & toties ex hoc loco inculcata sunt, ea Sanctissimus Dnus noster INNOCENTIUS Undecimus non solum exacte a singulis observari pronuper serio demandavit, sed insuper adjecit pro conservanda disciplina Ecclesiastica singulis in habitu & tonsura non incedentibus, nec vitam statui Ecclesiastico conformem agentibus omnem ad gratias Apostolicas viam præclusam fore. Quam Sanctitatis Suæ intentionem uti omnino salutarem agnoscimus, ita eandem omnibus & singulis per præsentes intimamus, ac præterea Ecclesiarum quarumcunque Prælatis injungimus, ut cum subinde quidam e Clero nostro eidem nimis manifeste contravenire asserantur, ad hoc studiose attendant, & amputato ulterioris prævaricationis periculo emendationem serio procurent.

Interim preces pro publica salute jam ante indictas & porro indicendas enixe commendamus, & Benedictionem vobis Episcopalem impertimur. In quorum fidem præsentes dedimus manu & sigillo nostris roboratas, in arce nostra Sassenberg, die 16. mensis Martii, anno Salvatoris 1678. Regiminis nostri vigesimo octavo.

Christophorus Bernardus mpp.

(L.S.)

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Eodem anno Christi MDCLXXVIII.

AB

Illmo & Revmo GILBERTO CHOYSEULIO, Tornac. Episcopo,

CELEBRATA

DIE 26. APRILIS.

ACTA SYNODI TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Episcopali Tornacensi, die vigesima sexta mensis Aprilis, anno Domini 1678. *Feria nempe tertia post Dominicam* MISERICORDIA DOMINI.

Præsidente Illustrissimo ac Revmo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN Episcopo Tornacensi, qui primum hora circiter octava matutina celebravit Sacrum de Spiritu Sancto in Sacello S. Vincentii dicti Palatii Episcopalis præsentibus infra nominandis: Deinde in Aulam Synodali Congregationi habendæ destinatam vix est ingressus, cum antequam consederetur, orta inter DD. *Franciscum le Grand* & *Noë Portois*, respective S. Martini & S. Nicolai de Pratis hujus Civitatis Abbates, contentione de præsedentia sicut in ultima Synodo, iisque dum super hoc deliberaretur, parumper egredi jussis; Illmus Dominus de consilio Synodi & attento ultimo rei statu adjudicavit præsedentiam adhuc pro hac vice D. Abbati S. Martini sine tamen præjudicio partis adversæ, injungendo interim utrique, ut majori diligentia utantur in concludenda hujusmodi causa, cum non obstante ordinatione in ultima Synodo facta, nondum rem deduxerint in eum statum, ut possit ferri sententia. Ordo itaque Sessionum fuit talis: In capite mensæ erat Illmus Dominus, a dextra ipsius Venerabiles Adm. Domini *Joannes Gennaro*, J. U. L. Ecclesiæ Cathedralis Decanus, atque Illmi D. Episcopi Vicarius Generalis, *Ægidius de Brabant* S. T. L. Archi-Diaconus Major, *Petrus Masureel* Archi-Diaconus Flandriæ, *Vincentius Ragot* Sac. Decret. Doctor, Præcentor & Officialis, *Ludovicus Mersmans* S. Th. L. *Joannes Waterloop* S. T. D. Theologalis, *Antonius Donné* S. Th. L. Scholasticus, Canonici Ecclesiæ Cathedralis: Deinde in eodem latere mensæ R. Adm. D. *Petrus van Cauteren* J. U. L. Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris oppidi Harlebecensis; & sinistra autem Illmi Domini sedebant RR. Adm. DD. *Franciscus le Grand* Abbas S. Martini Tornaci, *Noë Portois* Abbas S. Nicolai ibidem, *Florentius de Bray* Abbas S. Christophori Phanopinensis: R. D. *Nicolaus Dechamps* Canonicus Ecclesiæ S. Piati Secliniensis, Deputatus Capituli ibidem, ac denique DD. Decani Christianitatis, nempe *Nicasius Hennet* Pastor B. Mariæ Virginis, Decanus Christianitatis Tornacensis, *Martinus Doulcet* Pastor S. Petri, Decanus Christianitatis Insulensis, idemque Deputatus R. Adm. Domini *Remigii du Laury* Præpositi Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis ad comparendum ipsius loco in hacce Synodo, cujus ad hoc Procuratorium exhibuit in forma, *Petrus Hergo* Pastor in Rongis, Decanus Christianitatis S. Amandi, *Maximilianus Tromont* Pastor in Fretin, Decanus Christianitatis Secliniensis, *Ferdinandus Malfait* Pastor in Nechin, Decanus Christianitatis Helchiniensis Gallorum; *Balduinus van Hatten* Pastor in Dottignies, Decanus Christianitatis Helchiniensis Flandrorum, & *Petrus Juvet* Pastor & Decanus Christianitatis Viroviacensis; sedente interea infra scripto Illmi Domini in extremitate mensæ ex adverso ipsius Illmi Domini, & juxta ipsum MM. *Petro de Villers* Scriba & *Michaële Simon* Promotore Curiæ spiritualis.

Qui omnibus, prout supra dispositis, Illmus Dominus præfatus est de zelo in hac Congregatione adhibendo ad promovendam, conservandam, & restaurandam disciplinam, hortatusque omnes, ut ad id secum omni conatu eniterentur.

Deinde Reverendus Admodum Dominus *Ægidius de Brabant*, Archi-Diaconus

Major, legit alta voce Decretum Concilii Tridentini *Seff.* 23. *Cap.* 1. *de Refidentia*; quo peracto, Rdus Adm. D. *Vincentius Ragot*, Officialis, legit alta etiam voce Statuta poftremæ Synodi.

ARTICULUS I.

DE Paftoribus, qui fuas parochias deferunt; ftatutum fuit, ne ulli Paftores ullo modo fuas Ecclefias ultra duos dies relinquere præfumant, nifi monitis prius fuis Decanis Chriftianitatis, defferviendis dictis Parochiis provideant, Illuftriffimumque Dominum, aut Vicarium ipfius Generalem, vel Officialem de longiori eorundem Paftorum abfentia certiores reddant: Si autem præfenti Decreto Paftores contravenerint, trium florenorum piis ufibus applicandorum mulctæ fubjaceant, feverius puniendi, fi ulterius contumaces exciterint.

II.

Ut inpofterum nullæ fcedulæ ad facilitandas difpenfationes fuper bannis tradantur præfentibus ab ullis Paftoribus, Vice-paftoribus, aut Defervitoribus, nifi habita per ipfos cognitione confenfus parentum, vel tutorum partium, moralique certitudine nullum ab utraque parte fubeffe Canonicum impedimentum. Et cum fæpe perfonæ ad Matrimonium afpirantes fint diverfarum parochiarum, Paftor alterutrius nunquam eas jungat, nifi vifa refcriptione Paftoris alterius partis, intellexerit factas fuiffe denuntiationes, nec ullum apparuiffe Canonicum impedimentum, vel faltem legitima difpenfatione fuper bannis obtenta.

III.

Diftricte quoque mandatur omnibus Paftoribus, Vice-paftoribus, aut Defervitoribus parochiarum, ne ulla Matrimonia celebrare præfumant, nifi fervato integro die intermedio a publicatione ultimi banni, prout per Statuta Synodalia Prædecefforum Epifcoporum fuit pluries ordinatum.

IV.

De iis, qui ad tantam Sacramenti Matrimonii profanationem deveniunt, ut quando fui Paftores propter aliquas rationabiles caufas eorum Matrimonii celebrationi affiftere recufant, ipfi eos incautos & inopinantes aggrediuntur, & coram eis fubito declarant fefe mutuo in maritum & conjugem accipere; ut tam nefando abufui jam in dies glifcenti occurratur, vifum fuit, antequam aliud definitive ftatuatur, accerfere mandatum, quod ab aliquibus retro annis fuper hoc emanavit in Diœcefi parifienfi, quo habito videbitur, an aliquid fimile in hac Diœcefi ftatui poffit.

V.

De iis, qui domicilium fixerunt a pauco tempore in aliqua parochia, ibidemque exiftentes ad Matrimonii celebrationem admitti petunt a fuis Paftoribus, ftatuitur, ut, fi nondum per annum integrum commorati fuerint in dicta parochia, publicatio bannorum fiat in parochia vel parochiis ultimi domicilii, quod habuerunt intra eundem annum.

VI.

De Paftoribus, in quorum Ecclefiis fit publicatio bannorum certarum perfonarum ratione ultimi domicilii, prout in Articulo præcedenti, prohibetur, ne pro jure publicationum hujusmodi plusquam fex affes omnino pro tribus publicationibus recipere poffint; Cuftodes vero ipforum tres affes.

VII.

Quantum ad Presbyteros, aliosve Clericos hujus Diœcefis, qui teftamentorum fuorum conftituunt Executores laicos cum expreffa prohibitione, ne ejusmodi teftamentorum cognitio ad Judicem Ecclefiafticum fpectet, ficque prorogant jurisdictionem fæcularem fuper ordinem Clericalem, diftricte prohibetur, ne inpofterum quisquam talem conditionem jurisdictioni Ecclefiafticæ, & ftatui Clericali injuriofam fuo teftamento apponere præfumat, idque fub pœnis a jure latis. Non tamen per hoc Statutum intenditur tales Teftatores impedire, ne quos voluerint fuorum teftamentorum Executores conftituant.

VIII.

VIII.

Cum non pauci hujus Diœcesis Pastores occasione certæ clausulæ contentæ in Articulo quarto Tit 12. *de Sepulturis*, Synodi Diœcesanæ anni 1643. & prætextu consuetudinis in suis Parochiis introductæ soleant exigere ultra taxam pro sepultura in eodem titulo determinatam. Declaratur illam clausulam sic quidem intelligendam esse, ut intentio statuentis fuerit non impedire per suam taxam, quominus in locis, ubi solebat plus recipi, etiamnum plus reciperetur sponte datum, sed nullatenus fuisse mentem tribuendi Pastoribus facultatem, & jus aliquid ultra hujusmodi taxam exigendi.

IX.

Circa abusum, in quem Pastores quosdam incidere auditum fuit, ut longe plus exigant ob publicationes bannorum & celebrationem Matrimonii, quam dari hactenus consultum erat, prohibetur, ne quidquam exigatur ultra viginti quatuor asses omnino pro Pastore, & duodecim pro Clerico seu Custode. Ubi vero consuetudo est aliquid minus recipiendi, nihil augeatur.

X.

De Presbyteris, aliisque Clericis conductive accipientibus villas, terras arabiles, easque non nunquam subconductive locantibus, unde non solum tanquam turpis lucri cupidi diffamantur, sed etiam plurimis sæcularibus negotiis implicantur, ita, ut etiam lites hujusmodi occupationum occasione vel moveant, vel sustineant, quo fit, ut, si sint Pastores, suis parochianis odiosi evadant: statuitur, ut inposterum ab hujusmodi conductionibus abstineant, sub pœnis Canonum. Mandaturque Decanis Christianitatis, ut eos, qui non paruerint, deferant ad Officialem debite puniendos; idem etiam de Clericis, qui Dominorum temporalium, aut aliorum sæcularium Receptores agunt.

XI.

Quoad violationem Festorum, accurate servetur Edictum Regium anni 1607.

XII.

Circa venditionem librorum prohibitorum, qui maxime per proxenetes, seu mercatores circumforaneos venduntur, agatur juxta dispositionem Edicti Regii.

XIII.

Ut Catechismus in Ecclesiis parochialibus fiat juxta Mandatum ad id specialiter emanatum & publicatum pro hac Diœcesi jam ab anno 1675.

XIV.

Mandatur Promotori, ut accurate invigilet, ut servetur uniformitas in hac Diœcesi circa receptionem Officiorum propriorum nuper emendatorum, & eos, qui non paruerint, citet coram Officiali.

XV.

Insequendo Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini *Seff.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Pastorum & aliorum RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro* J. U. L. Decanus Ecclesiæ Cathedralis & Vicarius Generalis Illustrissimi Domini Episcopi; *Ægidius de Brabant* S. T. L. Archi-Diaconus Major; *Petrus Mazureel* J. U. L. Archi Diaconus Flandriæ: *Vincentius Ragot* sacrorum Decretorum Doctor, Cantor & Officialis; *Libertus de Froidmont* J. U. L. Pœnitentiarius; *Ludovicus Mersmans* S. T. L., *Joannes Waterloop* S. T. D. Theologalis, *Antonius Donne* S. T. L. Scholasticus, præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Canonici, & præterea RR. DD. *Remigius du Laury* S. T. & J. U. L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulis Præpositus, *Philippus de Campenhout* S. T. L. Decanus, & *Jacobus Boudart* etiam S. T. L. Ecclesiæ Canonici, & Magister *Martinus Doulcet* Presbyter, Pastor S. Petri, & Decanus Christianitatis Insulensis: Nec non RR. DD. *Petrus Cauteren* J. U. L. Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris Harlebecensis, & *Ludovicus de Bersacques* S. T. L. Decanus Ecclesiæ Collegiatæ D. Virginis Cortraci, ac Mag. *Jacobus Gillebert* S. T. L. Pastor Portionis Septemtrionalis, & Decanus Christianitatis Cortracensis, & *Joannes Vermeulen* S. T. B. F. Pastor Portionis Meridionalis ibidem.

XVI.

XVI.

Deputati vero Judices Synodales RR. Adm. Domini *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Petrus Mœzureel*, *Vincentius Ragot*, *Ludovicus Mersmans*, & *Antonius Donne* ſupra nominati, nec non *Albertus Mauritius de la Hamayde* Presbyter J. U. L. ejusdem Cathedralis Eccleſiæ Canonicus Hoſpitalarius; ac præterea RR. Adm. *Franciſcus le Grand* S. Martini, & *Noë Portois* S. Nicolai hujus Civitatis Abbates.

De Mandato Illmi & Rdiſſimi Domini mei Epiſcopi

DESCHAMPS, Secret.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCLXXVIII.

JUSSU

REVERENDISSIMI & CELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

D. FERDINANDI de FURSTENBERG, (*)

S.R.I. Epiſcopi LVIII. Monaſterienſis, XLV. Paderbornenſis, & e Gente Furſtenbergia Paderb. II.

CELEBRATA

DIE II. OCTOBRIS.

Præſides Commiſſarii delegati JOANNES RUTGERUS A TORCK, GOSWINUS A DROSTE, FRIDERICUS CHRISTIANUS A PLETTENBERG, JOANNES ALPEN.

FERDINANDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS ET PADERBORNENSIS, BURGGRAVIUS STROMBERGENSIS, S.R.I. PRINCEPS, COMES IN PYRMONT, DOMINUS IN BORCKELO &c. VENERABILIBUS, NOBILIBUS, DOCTO, DEVOTIS, SINCERE NOBIS DILECTIS ET FIDELIBUS CATHEDRALIUM NOSTRARUM MONASTERIENSIS ET PADERBORNENSIS, NEC NON MINDENSIS ET INSIGNIUM COLLEGIATARUM NOSTRARUM D. PAULI VETERIS, ET S. MARTINI CIVITATIS NOSTRÆ MONASTERIENSIS, ET S. VICTORIS DULMANIÆ RESPECTIVE PRÆPOSITIS, DECANIS, BURSARIO ET CANONICIS NOSTRIS CONSILIARIIS, ET VICARIO IN SPIRITUALIBUS GENERALI, JOANNI ROTGERO A TORCK, GOSWINO A DROSTE, FRIDERICO CHRISTIANO A PLETTENBERG, ET JOANNI ALPEN SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm negotiorum & occupationum multitudo ſub ipſa Regiminis noſtri primordia Nos omnino detineant, quo minus futura Autumnali Synodo feria tertia poſt Feſtum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum in Eccleſia noſtra Cathedrali Monaſterienſi loco & tempore conſuetis celebrandæ, ipſimet perſonaliter intereſſe & præſidere poſſimus, ne quid tamen eorum, quæ hac in parte ad Officium noſtrum Epiſcopale pertinere dignoſcuntur, negligi patiamur vobis & cuilibet veſtrum, conjunctim & diviſim tenore præſentium poteſtatem facimus in prætacta Synodo vices noſtras obeundi, benigne committentes & demandantes, ut quam Sanctiſſimus Dominus noſter glorioſæ memoriæ CLEMENS iſtius nominis Papa Nonus, poſt habitam de perſona noſtra, in Coadjutorem, & Succeſſorem Monaſterienſem poſt canonicam Electionem, datamque jam dudum Confirmationem ad Clerum Civitatis, & Diœceſis noſtræ Monaſterienſis Bullam expediri curavit, & Nos ad vos direximus, Venerabili Clero noſtro iſthic intimari, nec ſolum reverentiam & obedientiam Nobis, ceu Epiſcopo, & Principi debitam prompto ſemper animo præſtandam, ſed etiam Conſtitutionum Syno-

Synodalium, quas Perdilectus Frater & Prædecessor noster CHRISTOPHORUS BERNARDUS felicis recordationis pro Episcopali sua solicitudine in Synodis sæpius de consensu Capituli nostri Cathedralis, decrevit & innovavit, seriam observantiam inculcari, aliaque fieri & geri faciatis & curetis, quæ pro nunc Ecclesiæ nostræ status & temporis ratio exigere videbuntur. In cujus rei fidem præsentes commissionis & mandati literas dedimus manu & sigillo nostris roboratas in arce nostra Neuhusana, die 9. Octob. anno Salvatoris nostri 1678. Regiminis nostri primo.

Ferdinandus Ep. & Princeps Paderborn. & Monaster.

In Synodo Autumnali, Feria 3. post festum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum loco & ordine consuetis habita, deputati Præsides Joannes Rutgerus a Torck, Mathias de Reck, & Joannes Alpen. *Sed nihil decretum fuit a prioribus diversum.*

(*) FERDINANDUS ex antiquissima Baronum FURSTENBERGIORUM gente, cujus originem ab Excellentissimo *Comitum Oldenburgicorum* Stemmate nonnulli, veterum tabularum autoritate nixi, repetunt, ingens Domus suæ, Patriæ & Ecclesiæ ornamentum, in lucem edebatur Bilsteinii anno 1626. die 21. Octobris. Parentes illi erant quam clari genere, tam virtutibus prælustres; pater *Fridericus Furstenbergius*, Westphaliæ & Angariæ summo cum imperio Præfectus, Electoris Moguntini & Coloniensis Consiliarius intimus, ad plures Reges & Imperii Comitia Legatus, Dynasta in Bilstein, Waldenburg, & Oberenkirchen; mater lectissima Domina *Anna Maria de Kerpen*, Domina in Ilingen & Westrasia. Ingenio adolescens pollebat facili, expedito, ac præstantissimo; quod a tenera ætate studio liberalium artium, industria pariter supra nobilium usum constante, excoluit, primum quidem Sigenæ Nassoviorum, Paderbornæ & Monasterii Westphalorum; tum Coloniæ Agrippinæ, ubique apud PP. S. J. Hic æquare exempla Majorum, pari semper nobilitatis & doctrinæ claritudine fulgentium & immortalem gloriam cœpit; hic, Musis adspirantibus & adjutricibus, in familiaritatem doctissimi Viri Fabii Chisii, Apostolici sub ea tempora ad Rhenum inferiorem Legati venit: a quo ob morum suavitatem, cum eruditione non vulgari conjunctam & fiebat maximi, & tanto amabatur opere, ut, simul atque Purpuram is obtinuerat, Romam illum verbis amicissimis invitaret, Ecclesiarum Cathedralium Hildesiensis, Paderbornensis ac Monasteriensis jam Canonicum. Paruit Ferdinandus Eminentissimo, tanto libentius atque alacrius, quanto desiderabat ardentius, multiplex ingenium suum in Urbe totius orbis principe, & sacra veluti sapientiæ, sanctimoniæque arce ac theatro facile celeberrimo exercere. Et vero exercuit ad stuporem omnium: plures certe non imi duntaxat subsellii viros, sed etiam majorum gentium Præsules (*ut refert Christian. Theod. a Plettenberg, Canonicus Hildes. in Epist. dedicatoria Panegyrico Theodori a Furstenberg, Paderb. Episc. præfixa*) Principes, Cardinales, ipsum denique Summum Pontificem Alexandrum VII. (*alias Fab. Chisium*) quantum erat hominum literatorum literatissimum, adeo sibi devinxit, ut inter primores cubiculi Pontificii ministros adlectum familiarissime eum habuerit, & quidquid ex immensis supremi imperii curis & occupationibus vacui se temporis offerebat, id Furstenbergii potissimum consuetudini ac suavissimis de re literaria sermonibus impenderit. Oblectabatur (*verba sunt Expertissimi Rottendorfii in Præfat. edit. Amstelodam. scripta Monast. Westfalorum Calendis Januar. anno Chr. 1671.*) Pontifex modo historia, modo antiquitatum cognitione, modo poësi; oblectabat his studiis Pontificem Ferdinandus, semper aliquod exsertum ingenii specimen dando, applaudente purpuratorum Patrum senatu, tanquam si ingenium in Germania natum certare Italiæ, quin & anteire vellet. Unde factum, ut sapientissimus Pontifex, ingeniorum, si quis alias, æstimator sagacissimus, Præpositura S. Crucis in Hierusalem ac Prioratu S. Mariæ de Campejo Tridentinis in alpibus Ferdinandum donaverit; reliqui vero summi nominis viri, quorum frequentissimos eo ævo excellentissimosque Urbs possidebat, capti tanti Pontificis exemplo, & lectissimi Germani scientiam crebro acriterque periclitati, Academiæ Romanæ principatum illi ultro detulerint: quæ dignitas e germanis obtigerat ante Ferdinandum nemini.
Sub idem tempus, quo Romæ florebat (floruit autem per annos novem) Duce Holstenio, parandæ e Vaticana Bibliotheca locupletissima pro monumentis suis, quæ animo meditabatur, Paderbornensibus doctæ supellectili intentus, a. 1661. die

die 20. Aprilis ab Illustrissimo Sedis Paderbornensis Collegio eligitur Episcopus; confirmatur die 30. Maji; ab Emmo Julio Rospigliosio (postea *Clemente* IX.) ibidem die 6. Junii consecratur, demum Paderbornæ ad 4. Octobris ritu solemni inauguratur. Quantum electio illa sibi placeret, ostendit Alexander VII. dato ad Revmum Capitulum die 4. Junii ejusd. anni Brevi Apostolico, in quo grandem suam de Furstenbergio existimationem his explicabat verbis: " *Quippe qui pietatem, prudentiam, zelum, cæterasque virtutes omnes, eximio Præsule dignas in eo* " (Ferdinando) *longo sub oculis nostris experimento cognitas & perspectas habentes,* " *confidimus fore* &c.

Clarebat jam sextum in annum Paderbornensibus Infulis Ferdinandus; cum adlegitur Monasteriensi Episcopo fel. mem. *Bernardo a Galen*, a. 1667. die 19. Julii Coadjutor, & a. 1668. die 30. Aprilis Roma confirmatur. Successit in Cathedra S. Ludgeri, solenniter exceptus Id. Nov. a. 1679. Monasterii, exultante (*ut scribunt Bollandistæ Hagiographi in Act. Ss. Maji Tom. I.*) Westphalia, plaudente Germania, Europa tota gratulante. Episcopalis gubernationis onus, Angelicis etiam humeris formidandum ita SUAVITER & FORTITER sustinuit, virtutum scientiarumque fultus præsidio, ut omnes officii tanti numeros expleret. Ad majus fidei ac pietatis Catholicæ incrementum sex & 30 e Societate Jesu Operariis, quindecim assignavit a. 1682. partim ad Septentrionem, partim extremo etiam in Oriente Missiones, & Cœnobia, Templa, ac Sacella partim refecit, partim de integro condidit, eaque tot numero, ut gesti Pontificatus Paderb. annos vix non æquent. Juvat hic grati animi causa meminisse Templi ab eodem Celsissimo Principe D. Franc. Xav. suo tertium Soteri Paderbornæ erecti, quod Coloniensis nostræ Basilicæ majestatem æmulari compendio perquam eleganti dicitur: quod cœpit quidem a. cit. 1682. Idibus Sextilibus; at non perfecit: anno enim mox sequente, 26. Junii, magnam efflavit animam, acutissimis calculi doloribus extinctus, Princeps ob sola *Monumenta Paderbornensia* posteris relicta, etsi Poëmatum ab eo nihil superesset, monumentum apud eruditos consecutus, ipsum, quod cætera consumit, tempus, sui custodem habiturum. Adnecto Epitaphium in templo PP. FF. Minorum de Observantia Paderbornæ his conceptum verbis, expressumque:

D. O. M. S.
FERDINANDUS Episcopus Paderb. & Monast. Burggravius Stromberg.
S. R. I. Princeps, Comes Pyrmont. D. in Borkelo
L. B. de FURSTENBERG,
Natus anno Salutis MDCXXVI. die XXI. Octobris;
Magnæ nobilitatis maximum decus, ac fulcrum,
Principum hoc Sæculo eruditissimus,
ERUDITORUM PRINCEPS ac MÆCENAS LIBERALISSIMUS,
hujus & aliorum Templorum, Cœnobiorum, Sacerdotiorum, eleemosynarum ingentium
FUNDATOR MUNIFICENTISSIMUS,
argenteorum ad aras apparatuum & supellectilium
PROFUSISSIMUS LARGITOR,
Summorum Pontificum, Regum, Principum conciliata benevolentia,
pace Diœcesibus parta & conservata Monasteriensi,
& jam recuperato Wildeshusio,
& XXIII. millium argentea pro abaco, supellectile donato Capitulo Paderbornensi
XXV. millibus,
Monasteriensi XXXIII. millibus imperialium legatis,
CLERI ac PATRIÆ PATER,
expensis in Apostolicas per Septentrionem & extremam Asiam Missiones
plus quam centum imperialium millibus,
PIETATIS et CATHOLICÆ FIDEI PROPAGATOR APOSTOLICUS:
Tandem cruciatibus calculi, fractis jam viribus, sero nimis exsecti, Fortiter & Suaviter,
(ut omnia fecerat) toleratis,
Animam DEO, corpus huic sarcophago, nomen immortali memoriæ
tradidit.
Anno vitæ suæ LVI. Episcopatus Paderb. XXIII. Monaster. V.
Partæ salutis MDCLXXXIII. VI. Calendas Julii.

Vide præter Scriptores citt., Poëtas illo ævo celebriores: tum & *Menken* Lex. erudit. *Struv.* notit. rei liter. *Valent. Ernest. Loescher* de scriptis Princip. præsertim German. *Schaten.* in dedic. Caroli M. *Jac. Masen.* in præfat. ad vitam Caroli V. & *alios.*

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA
TORNACENSIS,
Anno Christi MDCLXXIX. Innocentii XI. PP. IV. Leopoldi I. Imp. XXI.

PRÆSIDENTE ILLmo & REVmo DOMINO,

D. GILBERTO de CHOYSEUL, du PLESSY-PRASLAIN, (*) Tornacensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE 18. APRILIS.

ACTA SYNODI TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Episcopali 18. *mensis Aprilis, anno Domini* 1679.

Feria nempe tertia post Dominicam MISERICORDIA DOMINI.

PRæsidente Illmo & Revmo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN Episcopo Tornacensi: Assistentibus Venerabilibus Viris Dominis *Joanne Gennaro* J.U.L. Ecclesiæ Cathedralis Decano, atque Illustrissimi D. Episcopi Vicario Generali; *Ægidio de Brabant* S.T.L. Archi-Diacono Majore; *Vincentio Ragot* Sacrorum Decretorum Doctore, Præcentore & Officiali; *Ludovico Mersmans* S.T.L. *Antonio Donné* S.T.L. Scholastico, Canonicis Ecclesiæ Cathedralis; Rdo Adm. Domino *Petro Honoré*, Abbate S. Amandi in Pabula, Fratre *Juliano Bonnier* Presbytero Religioso Abbatiæ S. Calixti Cysoniensis & Pastore in Camphin, tanquam Deputato sui Abbatis; Fratre *Augustino Heddebault* Presbytero Religioso Abbatiæ S. Christophori Phanopinensis, etiam Deputato sui Abbatis; R. D. *Ignatio Baclan* Presbytero Canonico, Deputato Capituli Ecclesiæ Collegiatæ S. Piati Secliniensis; R. D. *Joanne Andrea Martin* Canonico Deputato Capituli Ecclesiæ Collegiatæ Divæ Virginis oppidi Cortracensis; nec non DD. & MM. *Nicasio Hennet* Pastore Parochiæ B. Mariæ Virginis Tornaci, Decano Christianitatis Tornacensis, *Martino Doulcet* Pastore S. Petri Insulis, Decano Christianitatis Insulensis, *Joanne Vermeulen* Pastore Portionis Meridionalis oppidi Cortracensis, Decano Christianitatis Cortracensis citra Lissam, *Petro van Esbecque* Pastore portionis Septentrionalis ejusdem oppidi & Decano Christianitatis Cortracensis ultra Lisam, *Maximiliano Tromont* Pastore in Fretin, Decano Christianitatis districtus Secliniensis, *Petro Juvet* Pastore Viroviacensi, Decano Christianitatis districtus Viroviacensis, *Balduino van Houtten* Pastore in Dottignies & Decano Christianitatis districtus Helchiniensis Flandrorum, & *Ferdinando Malfait* Pastore in Nechin ac Decano Christianitatis Helchiniensis Gallorum; præsentibus etiam infrascripto Illmi & Revmi Domini Secretario, nec non MM. *Petro de Villers* Actuario, & *Michaële Simon* Promotore Curiæ spiritualis,

Illustrissimus Dominus circa horam octavam matutinam in Capella S. Vincentii Palatii sui Episcopalis fecit Sacrum de Spiritu Sancto ad invocandam gratiam Divinam pro felici hujus Congregationis exitu. Quo peracto, secum omnibus supra nominatis recepit in Aulam habendæ Synodo destinatam, ubi statim lectis per infra scriptum Illustrissimi Domini Secretarium eorum omnium, qui de jure aut consuetudine debent adesse Synodo nominibus, absentes reperti fuerunt ii, qui supra in margine notantur, quorum alii absentiam legitime excusarunt; alii vero minime, quod occasionem præbuit Illmo D. Episcopo cum tota Synodo deliberandi, qua ratione universi inposterum ad Synodum frequentandam compelli possint, statim autem omnibus suffragiis sancitum est, ut iis, qui in futuris Synodis deficient, pœnæ a jure

(*) Hujus Episcopi elogium, ut serius cognovi, exhibetur in Tom. I. & II. Galliæ Christianæ, & epitaphium valde prolixum in Diario Gallico (quod inscribitur: *Journal des Sçavans*) ad diem 27. Febr. 1690. pag. 158. & seqq.

a jure statutæ, aut consuetudine inductæ omnino infligantur. Præfato deinde breviter Illmo Domino circa Synodorum utilitatem, adhortatoque omnes, ut in commune consulerent, si quid esset, quod in Diœcesi statuendum videretur; Reverendus Adm. Dominus *Ægidius de Brabant*, Archi-Diaconus Major, ipso mandante legit Statutum *de onere residendi, Sess.* 23. Concilii Trid. *Cap.* 1. *de Reformatione;* quod fecit in locum Domini Archi-Diaconi Flandriæ absentis, ut supra, qui id facere solet.

ARTICULUS I.

CUm in Articulo III. Statutorum præcedentis Synodi fuerit prohibitum, ne ulla Matrimonia celebrentur, nisi interjecto post publicationem ultimi banni integro die intermedio, quod aliqui ita interpretari dicuntur, quasi liceat ad hanc celebrationem procedere post elapsas a publicatione ultimi banni viginti quatuor horas integras, declaratum fuit diem intermedium intelligendum esse diem naturalem, qui sequitur eum, quo facta fuit publicatio banni, atque adeo expectandum esse, donec totus fuerit elapsus, antequam Matrimonium contrahatur.

II.

Circa Articulum IV. præfatæ Synodi, in qua rogatus fuerat Illustrissimus Dominus Episcopus, ut Parisiis accerseret Statutum, quo Matrimonia coram invitis Parochis contracta abrogata sunt; viso ejusdem Statuti transumpto, idem Illustrissimus Dominus iterum rogatus est, ut idem in hac Diœcesi statuat, atque ejus constitutio in singulis Parochiis quotannis a Pastoribus intra Missarum solennia promulgetur in quatuor præcipuis anni festis, quæ vulgo Natalia vocantur; ita tamen, ut præter excommunicationem ipso facto incurrendam, relinquatur etiam locus pœnis Judicis Ecclesiastici arbitrio infligendis.

III.

Cum negligi animadversum sit, quod in Manuali hujusce Diœcesis præcipitur circa personas diversarum Diœceseon aut diversorum Decanatuum Matrimonium contrahentes, districte mandatur, ut quod in eodem Manuali sancitum est, exacte observetur, scilicet, ut ultra Parochi legitimam attestationem de proclamationibus bannorum a se factis, Episcopus Episcopo, & Decanus Decano literas suas dirigant.

IV.

Cum jam in præcedenti Synodo statutum sit Art. II. ne unquam Parochi testimonium dent de publicatione bannorum a se facta, nisi ipsis constet de eorum, qui Matrimonium contrahere meditantur, parentum consensu, idem Decretum in hac Synodo renovatur. Visum est præterea, ne quis Parochus ullum Matrimonium celebret, nisi consensus parentum ipsi innotuerit, saltem si parentes facile adiri possunt. Si quis secus facere præsumpserit, pœnis Ecclesiasticis, prout juris est, subjaceat.

V.

Cum jam aliquoties tractatum fuerit de suppressione aliquorum Festorum, tam ob frequentiorem eorum violationem, quam ad afferendum plebi sublevamen ex eorum numeri diminutione proventuum, consultum visum fuit, ut donec novum Kalendarium fiat, prout in Synodo 1677. insinuatum est, interim semi-festa Sanctorum Marci & Lucæ aboleantur, nequidem reservata obligatione audiendi Sacrum, cum multa violationi magis obnoxia esse dignoscantur.

VI.

Conquerentibus pluribus Pastoribus de nimia multitudine Religiosorum in suis Parochiis mendicantium, inter quos etiam sunt aliqui e Monasteriis extra Diœcesim constitutis: cum interim nulli doceant de obtenta ulla mendicandi permissione ab Illustrissimo Domino, aut ipsius Venerabili Domino Vicario Generali; & cum hoc magnopere fideles conturbet, eorumque erga indigenas charitatem retardet, atque inde pauperes uniuscujusque Parochiæ maximum detrimentum patiantur, rogatur Illustrissimus Dominus, ut afferat huic incommodo congruum remedium; ut & prætensioni quarundam Monialium, quæ puellas apud se educatas

catas volunt exemptas esse a debito paschali in Parochia persolvendo, cum tamen hæ puellæ sæpe sæpius e clausura egrediantur. Idem & de ancillis sæcularibus Monialium. Quod se mature examinaturum pollicitus est.

VII.

Communibus Synodi Diœcesanæ generalis anni 1673. suffragiis Articulo X. severe animadversum fuit in puellas cum viris adolescentibus popinas adeuntes, quod non mediocriter hoc malum imminuit, sed non plane sustulit. Quare cum interdictum, quod comminatus fuit, ex Synodi consilio & assensu Illmus D. Episcopus parum delinquentes commoverit, jam districte iterum præsentis suffragiis, omnibus Parochis, Viee-Pastoribus, cæterisque Confessariis tum sæcularibus, tum Regularibus inhibetur, ne ullas puellas hujusmodi popinas cum viris adeuntes, neque viros adolescentes cum puellis in tabernis potantes, atque etiam ipsos caupones, seu quoslibet alios in suas domos, hortos aut recessus, puellas & juvenes viros simul admittentes, Sacramentaliter absolvant, aut ad alia omnino Sacramenta admittant, nisi eos videant vere pœnitentes & sibi coram Deo sincere proponentes istud peccatum in posterum non committere. Et si in istud reciderint, ad Sacramenta nullatenus admittantur, nisi per sex menses abstinuerint, cum proposito semper abstinendi. Pastoribus, Vicariis, & respective cæteris Confessariis tnm sæcularibus, tum Regularibus declaratur, quod si secus fecerint, non solum alienorum peccatorum participes futuri sunt; sed etiam eorum, quorum salutem promovere debent, damnationis rei. Hoc porro singulis annis in concione Missæ Parochialis diebus Dominicis quatuor præcipua anni Festa proxime antecedentibus promulgetur, & vulgari lingua populo explicetur.

VIII.

Declaratur denique diem proximæ Synodi, & Synodorum sequentium fore eandem, quæ hodie, nempe diem Martis proximam post Dominicam secundam post Pascha, quæ dicitur Dominica *Misericordia Domini*, qua omnes, qui de jure aut consuetudine Synodo adesse tenentur, in Palatium Episcopale convenient hora octava matutina, adeo, ut nulla alia indictione opus sit, die interpellante pro homine. Si quis autem citra legitimam excusationem abfuerit, sciat se pœnas, prout de jure aut consuetudine, incursurum.

IX.

Insequendo Decreta Sacrosancti Concil. Trident. *Sess.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Pastorum ac aliorum RR. Admodum DD. *Joannes Gennaro* J. U. L. Decanus, & Illustrissimi Domini Vicarius Generalis, *Ægidius de Brabant* S. T. L. Archi-Diaconus Major, *Petrus Mazureel* J. U. L. Archi-Diaconus Flandriæ, *Vincentius Ragot* Sacrorum Decretorum Doctor, Præcentor & Officialis, *Libertus de Froidmont* J. U. L. Pœnitentiarius, *Ludovicus Mersmans* S. T. L. *Joannes Waterloop* S. T. D. Theologalis, *Antonius Donné* S. T. L. Scholasticus, præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Canonici: Et præterea RR. Adm. DD. *Remigius du Laury* S. T. & J. U. L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis Præpositus, *Philippus de Campenhout* S. T. L. & *Jacobus Boudar* etiam S. T. L. præfatæ Collegiatæ respective Decanus & Theologalis, ac M. *Martinus Doulcet* Pastor S. Petri & Decanus Christianitatis Insulensis; RR. Adm. DD. *Petrus van Cauteren* J. U. L. Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris oppidi Harlebecensis, & *Ludovicus de Bersacques* S. T. L. Decanus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis oppidi Cortracensis, nec non Magistri *Joannes Vermeulen* Pastor portionis Meridionalis dicti oppidi Cortracensis, Decanus Christianitatis Cortracensis districtus citra Lisam, & *Petrus van Esbecque* Pastor portionis Septentrionalis dicti oppidi Cortracensis, Decanus Christianitatis districtus Cortracensis ultra Lisam.

X.

Deputati vero fuerunt Judices Synodales RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Petrus Masureel*, *Vincentius Ragot*, *Ludovicus Mersmans*, *Antonius Donné*, qui supra, nec non R. D. *Albertus Mauritius de la Hamayde* J. U. L.

 ejus-

ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Hospitalarius, & præterea RR. Admodum DD. *Franciscus le Grand* S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Noë Portois* S. Nicolai de Pratis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, hujus Civitatis ac Diœcesis Tornacensis respective Abbates.

De Mandato Illmi & Rmi Domini mei Episcopi præfati

DESCHAMPS Secret.

SYNODUS DIOECESANA ANTVERPIENSIS,

Anno Christi MDCLXXX. Innocentii XI. PP. V. Leopoldi I. Imp. XXII.

CELEBRATA

SUB REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. JOANNE FERDINANDO de BEUGHEM, (*)

IX. Antverpiensium Episcopo,

DIE 2. MARTII.

FERDINANDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS ANTVERPIENSIS, OMNIBUS HAS VISURIS SALUTEM IN DOMINO.

CUm Pastoralis Officii, in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, præcipuæ partes sint curare decorem, ac quæ domum

(*) JOANNES FERDINANDUS BEUGHEMIUS, nobili Bruxellis ortus, patriciaque familia, patrem habuit Joannem; Mariam Geerts matrem: Lovaniensi in Academia *Licentiatis* U. J. adlegebatur; in Collegiata Bruxellis Ecclesia D. Gudulæ Canonicis, quos inter per annos plures Magistrum Fabricæ egit, dum ad Decanatum anno 1663. die 26. Martii promoveretur. Inde ob egregia virtutum merita Antverpienses ad Infulas evectus a. 1669, & ejusd. anni die Novemb. 12. per Illmum D. *Alphonsum* de *Berghes*, Metropolit. suum, adsistentibus *Francisco* de *Baillencourt* Brugensi, & *Reginaldo Cools* Ruræmundensi Episcopis, Pontificali est charactere Bruxellis in Archiepisc. palatio insignitus. Utebatur Symbolo: VIRTUTE ET CONSTANTIA: ex cujus ductu per annos circiter viginti Diœcesim suam tam rexit bene ac laudabiliter, ut summa, qua res gerebat, virtute & constantia, veraque simul, qua excludebat neminem, caritate, omnium ad sese animos traheret. Diem clausit Antverpiæ die 19. Maji Anno Christi 1699. Ætat. 69. atque ibidem in choro Cathedralis Ecclesiæ jacet sepultus, hac in marmor incisa epigraphe:

D. O. M.
JOANNES FERDINANDUS DE BEUGHEM,
Nonus Antverpiensium Episcopus,
Gregi suo & omnibus charus,
Ut verus Pastor,
Cura duxit, Charitate juvit, Opere luxit,
Qui vivus de se humiliter tacuit,
Loquatur mortuus;
CUM DUXI, JUVI, LUXI.
Ut lux perpetua ei luceat V. V.

Vide Castillionii Sacr. Belg. Chronol. P. II. pag. 507. & *Histor. Episcop. Antverp. apud Franc. Foppens edit. Bruxellis a.* 1717.

domum Dei decet ſanctitudinem; de hoc inprimis ſoliciti, neceſſarium duximus oculos animumque attente convertere in eos, qui ad ſacros Clericatus honores promovendi, tamquam lucernæ ſuper candelabrum, potiſſima deſtinantur Eccleſiæ ornamenta; ut nimirum adhibita, quam in ipſorum delectu Apoſtolus requirit prudentia, nemini cito manum imponamus, nec quemquam in Miniſtrum Chriſti aſſumamus, qui non ſe Chriſti probaverit imitatorem. Quotidiana enim experientia conſtat, irreparabilia in Eccleſiam redundare damna per illos, qui aut non debite vocati, aut non convenienter diſpoſiti, aut cæteroqui inidonei ſacrorum Miniſteriis imprudenter ſe ingerunt, dum levi aliquando & non præmeditato impulſu, manum mittentes ad aratrum, retro reſpiciunt, & potius cogitant, quæ ſunt mundi, cui renuntiarunt, quam quæ ſunt Domini, cujus ſe norunt glorioſo ſervitio mancipatos. Unde fit, ut in talibus crapulæ ſæpe & deſidiæ deditis, non ſolum non glorificetur Pater noſter, qui in cœlis eſt, ſed econtra blaſphemetur verbum Dei, & ſancta Mater Eccleſia (quam virtutum omnium varietate decet eſſe circumdatam) degeneres Eccleſiaſticorum mores in veſtitu deaurato velut adulterinas gemmas cum lacrymis ſuſtinens, inimicorum ſuorum opprobriis exponatur. Hujusmodi autem malis, aliisque metuendis incommodis (quantum Deo adjuvante poſſumus) præcautum cupientes, nonnulla juxta Decreta S. Concilii Tridentini, ac Ss. Canonum, in modum ut ſequitur, ſtatuenda cenſuimus, monendo omnes & ſingulos ordinandorum, ut iis per omnia ſe ſe quam diligentiſſime conforment, aut alias noverint certo ſe poſtea fore dimittendos: ne nos nimia facilitate aut conniventia alicui tribuendo peccandi materiam, peccatis involvamur alienis, qui humiliter Deum rogamus à propriis abſolvi.

Et primo quoad Clericalem tonſuram attinet, licet ea non ſit Ordo, & idcirco a plerisque intendatur tamquam merum Beneficiorum aucupium, quod per hanc ab illa janua pandatur: Nemo tamen credat ſe eadem (ut quæ eſt ad Ordines diſpoſitio) a Nobis inſigniendum, niſi exhibitis Natalium, Baptiſmi, ætatis, ac ſuſceptæ Confirmationis teſtimoniis, Fidei rudimentis probe inſtructus, ſciens legere & ſcribere, ſpem præbeat utile aliquando Eccleſiæ præſtandi obſequium; ſeque eum exhibeat, qui non captandi commodi, aut vitandi incommodi temporalis cauſa, hoc vitæ genus elegiſſe præſumatur. Quocirca volumus, ut ſaltem cum Parocho, aut viro prudente, de propoſito ac vocatione ſua communicato conſilio, vitæ Clericalis a laicali differentiam prævie edoctus ſit, atque ita noverit, quid ſuſcipiat.

Minores Ordines, qui communiter eodem tempore omnes ſimul ſuſcipiunt, ut ſunt inter ſe diverſi ac diſtinctas habent functiones, ſpeciali indigent conſideratione, præſertim cum Eccleſia tanto deſiderio exoptet, in his etiam inſtertitia ſervari, ut & matura expendantur ſingulorum officia, & (quod vix contingit) quandoque perſolvantur. Non enim, dum ordinantur Lectores & Oſtiarii, fruſtra dicitur: *Accipite, & eſtote verbi Dei Relatores*, ſic agite, *quaſi reddituri Deo rationem*, & his ſimilia, quibus de iſtorum Ordinum (quamvis aliorum intuitu dicantur Minores) dignitate atque obligatione commoniti Eccleſiæ vota in tantum explere conabimur, ut (ſi non ſinguli quatuor) Acolytatus ſaltem & Subdiaconatus per inſtertitium unius anni, prout res & tempora permittent, impoſterum conferantur. Interim, qui Minoribus initiari deſiderat, linguam latinam intelligat, & quod præcipuum eſt, teſtimonio Parochi aut Magiſtri, per omnia commendetur, ut vel de facto ſit, vel ſperari poſſit dignus poſthac futurus, qui probitatis ac ſcientiæ progreſſu ad ulteriores gradus mereatur aſcendere. Rogamus autem eos, qui de promovendi alicujus qualitatibus fidem faciunt, ut atteſtationes ſuas clauſis literis, iisque ſigillo ſuo obſignatis conſcribant; ne, dum palam teſtantur metu aut favore, quibus modis ſæpius, diminutæ ſunt veritates a filiis hominum, mala

mala vel reticeantur, vel bona fecus, quam par eft, amplientur.

At vero majorem pro majoribus Ordinibus ftatuimus præparationem, cujus principalis ratio in feria ac matura vocationis fuæ difcuffione confiftat. Nec enim quisquam fumit fibi honorem, fed qui vocatur a Deo; ficut ipfe Chriftus, nobis relinquens exemplum, non nifi a Deo Patre vocatus Pontifex fieri voluerit, tefte Doctore gentium *Hebr. 5.* & quamquam ab eodem illo Doctore accepimus, quod, qui Epifcopatum defiderat (cui fubintellige Sacerdotium) bonum opus defiderat, non ignoramus tamen varios effe defiderandi modos, eosque non fine debita circumfpectione examinandos: cum non defint, qui in illis, non quæ Chrifti funt, fed fua quærant, ftudeantque potius fibi, quam Altari fervire, plane citra mentem & fententiam Apoftoli, cujus temporibus facra ifta munia, non alios fructus, quam martyrii, & honorum rapinæ reddentia, a fæculi votis longe diffidebant. Ne itaque Nobis obtrudantur, ad quos pertineant verba Redemptoris ad filios Zebedæi: *Nefcitis, qu.d petatis*; tenore præfentium mandamus, atque in Domino præcipimus omnibus ad Presbyteratum, aut majorem aliquem Ordinem fe præparantibus, ut duabus ante Ordinationem feptimanis Nos, aut Archi Diaconum noftrum accedant: petantque fibi defignari locum, in quo a mundi curis & terrenis negotiis per decem, vel ad minus octo dies remoti, fub pii ac difcreti Presbyteri difcretione fe exerceant, finemque atque animi fui motiva fedulo expendentes, ad id, quod cogitant, digne fufcipiendum, meliori modo difponantur. Præterea curent nomen fuum & Patriam, fimul etiam ordinem intentum, in Parochia, fub qua degunt, tribus diftinctis Dominicis aut Feftis publice denuntiari, ut, fi quod de ipfis innotuerit impedimentum canonicum, id Nobis, aut Paftori ab eo, qui novit, tacite ac fideliter poffit intimari. Conabuntur Parochi auditoribus fuis inculcare tam iftorum impedimentorum notitiam, quam obligationem ea ipfa detegendi, ne quis filentio fuo in caufa fit, cur familiæ Dei per indignos fervos male profpiciatur. Porro fi fufcipiendus fuerit Subdiaconatus, facienda infuper erit trina proclamatio tituli, five patrimonialis, five beneficii, per Officialem noftrum approbati; & deducto omni onere, valentis annue ducentis & quinquaginta florenis, fola tamen penfionis, aut reditus (quantumcumque copiofi) affignatio non fufficiet, fed neceffe erit, ut cui de congrua fuftentatione profpectum fuerit, alicui Ecclefiæ aut pio loco adfcribatur, ubi propriis Ordinis fui functionibus vacans, otii, aliorumque vitiorum occafionem devitet. Regulares quoad hoc habeantur adfcripti Ecclefiis fuorum Conventuum aut Collegiorum, & de cætero excufentur a publicationibus, cum & illas & titulum fufficienter fuppleat Religio, exercitia autem obeant in fuis Monafteriis.

Nemo Subdiaconus, cujuscumque ftatus aut conditionis exiftat, ad Diaconatum, aut Diaconus ad Sacerdotium fe offerre præfumat, qui non exacte obfervaverit interftitia inter fingulos Ordines a facro Concilio Tridentino præfcripta: in quibus, nifi evidens Ecclefiæ utilitas aut moralis neceffitas contrarium fuadeat, non judicamus facile difpenfandum; volentes, ut tempore illo intermedio, finguli fuorum refpective Ordinum fungantur officiis, Epiftolam aut Evangelium folemniter cantando, ac prout cuique proprium eft, Sacerdoti ad Altare decenter fubferviendo, quoties ad id requifiti fuerint, aut aliquam nacti opportunitatem: ufque adeo ut nifi quis Ordinem fuum exercuerit, & habitum Clericalem geftaverit ftatui fuo convenientem, juxta Statuta Synodalia & modum in hac Diœcefi confuetum, fciat fibi ad altiora viam præcludendam. Quam ob caufam hortamur Parochos, & Ecclefiarum aut Capellarum Rectores, ut in Sacris conftitutos ad facra munia obeunda frequenter invitent, atque ultro convolantes (fi commode fieri poterit) femper admittant.

De omnibus fupra requifitis per fide digna teftimonia, fub pœna patiendi repulfam, docere tenebuntur in examine, ad quod finguli, die per Nos de-

designanda, evocabuntur, juxta methodum in hoc, aliisque Episcopatibus observatam, & in variis Synodis Diœcesanis traditam, de scientia & talenti sui applicatione rigorose interrogandi; præcipue ii, qui meditantur Presbyteratum, nullo inter simplices (ut ajunt) Sacerdotes, & doctos facto discrimine: cum non minus hi, quam illi ad administrandam, saltem in necessitate, & articulo mortis, pœnitentiam obligentur; qui casus non raro solent esse perplexi, ac promiscue omnibus possunt offerri, eo majorem requirentes prudentiam, quod in iis pœnitenti (utpote moribundo) a momento pendeat æternitas, & defectus assistentis inscitia semel commissi, nulla deinceps industria valeant reparari. Proinde omnes præmoniti sint, ut, priusquam pro Sacerdotio se sistant, congrua deliberatione se ipsos probent, videantque, si ea sint capacitate & solertia, qua decet esse fideles & idoneos Mysteriorum Dei dispensatores, id est, habiles ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, atque administranda Sacramenta, talesque, qui juxta Pontificale Romanum noverint, non solum offerre, benedicere, prædicare, & baptizare, sed & præesse: si enim in veteri Testamento labia Sacerdotis (qui nonnisi Presbyterii Evangelici umbram præferebat) custodirent scientiam; quid de Christi Ministris censendum, quibus non legem aut litteram, quæ occidit uti Judæis, sed Verbum vitæ, ac Domini nostri Carnem & Sanguinem dispensare concessum est; adeoque cavendum, ne qui plus cæteris accepisse aliquid cernuntur (dum, quod accipiunt, administrare nesciunt) gravius inde judicentur.

Ubi quis a Nobis Sacerdotio initiatus fuerit, discat diligenter totius Missæ ordinem, ac cæremonias, in quibus errores ab initio contracti, ordinarie in consuetudinem abeunt, atque ita manent perpetui; cum tamen tremendo illi ac mysteriorum maximo Sacrificio nihil ad decentiam deesse possit. Hinc districte inhibemus ordinatis Presbyteris, ne primum Sacrum celebrare attentent, nisi se se in omnibus Missam tam solemnem, quam privatam concernentibus, accurate versatos esse demonstrent, periti Sacerdotis, qui ipsos erudiit, aut alterius per Nos designandi, scripto testimonio: quod, si in hac civitate Primitias offerant, Nobis, aut Archi-Diacono nostro erit exhibendum: si vero alibi, Archi-Presbytero, vel Decano Christianitatis illud communicare meminerint, antequam ad Altare primum celebraturi accedant.

Et hæc quidem per Diœcesim nostram specialiter observanda decernimus, Nos ulterius referentes ad ea, quæ generatim per sacros Canones, atque alias per Ecclesiam circa hoc sancita sunt: ut puta de non ordinandis ullo canonico impedimento irretitis, irregularibus, suspensis, interdictis, excommunicatis per saltum promotis, cæterisque hujusmodi, quæ omnia & singula habemus pro præsenti nostro Decreto insertis, promittimusque Nos juxta illa in Ordinationibus faciendis pro parte nostra inviolabiliter processuros, simul etiam invigilaturos, ut vicissim ab ordinandis debita sedulitate adimpleantur. Datum Antverpiæ in Palatio nostro Episcopali die secunda Martii M.DC.LXXX.

De Mandato Perillustris ac Reverendissimi Domini mei præfati

J. F. Cossiers, Secret.

SCHEMA VITÆ PASTORALIS.

Ab imperitis Pastoribus Magisterium pastorale in magna temeritate suscipitur.

Quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, Pastorem summum convincitur non amare.

Ad salutem gregis multum valet vita & diligentia Pastoris, unde *Exodi* 19. dicitur: Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur; Nihil enim est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, quam eorum

rum vitâ & exemplum, qui se Divino Ministerio dedicarunt. *Trident. Sess.* 23. *C.* 1.

Vita Pastoris duplex est, privata & publica. Diligentia etiam duplex est, nimirum in spiritualibus & temporalibus.

Ejus vita privata consistit: *Primo* in frequentatione Sacramentorum, ut quotidie (si dispositio corporis & animæ permittat) Missam celebret, & ut singulis saltem septimanis confiteatur.

2. Item in oratione mentali, ut mane & vesperi habeat horam huic assignatam; & vocali ex obligatione, ut debite Horas suas legat, vel devotione, ut Rosarium, Litanias, Psalmos pœnitentiales &c. adjungat.

3. Item in recollectione spirituali: singulis annis per aliquot saltem dies, ex directione viri alicujus intelligentis: singulis diebus mane, proponendo vitare omnes, & magis noxias peccandi occasiones, & offerenda omnia illo die agenda, vel sustinenda ad honorem Dei, & salutem proximi; similiter vesperi, examinando conscientiam, tum generaliter, tum particulariter circa aliqua peccata: ac etiam interdiu; Per orationes jaculatorias ad pullum horæ, & alias sæpe: Per actus contritionis & dilectionis Dei super omnia, & per resignationem propriæ voluntatis in Divinam.

4. Item in mortificatione, interiori passionum, nimiæ solicitudinis, curiositatis, ac affectionis circa cupiditatem rerum temporalium, vel appetitum propriæ æstimationis & honoris: similiter in mortificatione exteriori subtrahendo aliqua licita de cibo, potu, & aliis commoditatibus corporis, ac de visu, & usu aliorum sensuum; & exercendo aliquos pœnitentiæ actus.

5. Item in lectione libri spiritualis, vitæ Sanctorum, vel sacræ Scripturæ, quam nullo die omittat per mediam saltem circiter horam.

6. Item in studio casuum conscientiæ, Instructionum Pastoralium, vel sacræ Historiæ tempore a reliquis vacuo.

7. Item in familiæ administratione, quæ sit honesta, frugalis, nitida, & ordinata.

Vita publica Pastoris requirit, ut abstineat a potu, tabernis, lusu, contentione, litibus, præsumptione & sæcularibus negotiis: insuper, ut habeat

1. Zelum animarum, ita ut vultum pecoris agnoscat, morbidos diligenter curet, & discolos fortiter corripiat.

2. Amorem Parochianorum, difficultates componendo, necessitates sublevando, & infirmos consolando.

3. Conversationem exemplarem, raram cum fœminis, circumspectam cum omnibus, gravem sine morositate, & affabilem sine levitate.

Salus populi etiam pendet a Pastoris diligentia: nempe in Spiritualibus, deinde in Temporalibus.

In Spiritualibus, utpote 1. in Sacramentis & Sacramentalibus administrandis, cum promptitudine nocte & die; cum sanctitate, conscientia munda, intentione pura, præparatione debita & charitate affectuosa; & cum decore juxta ritus præscriptos, animo sedato, vultu composito, voce intelligibili, & pronuntiatione distincta.

2. In Sacramentis & Sacramentalibus conservandis cum munditie, nitore, & splendore, juxta præscriptum Ritualis.

3. In Officio Divino, ut fiat horis statutis, cum ornatu decenti, cum exactis cæremoniis, & cum devotione ædificativa.

4. In Catechismo, ut nunquam omittatur, servetur apta methodus, alliciantur pueri præmio & apparatu; & ut Parentes & Magistratus invitentur.

5. In concione, quæ rudiores instruat in necessariis ad salutem, sit ad captum populi, quæ doceat peccata fugere, & virtutes sectari.

In Temporalibus, ut fabricæ, mensæ pauperum, & piarum fundationum proventus, non alienentur, verum debite elocentur, diligenter conserventur, bene impendantur, in computum deducantur, idque juxta Decreta & Ordinata Diœcesis nostræ.

2. Ut

2. Ut sui Pastoratus domus sarta tecta conserventur, fundi vel decimæ ex præscripto administrentur, & jura recipiantur non ultra taxam.

Sententiæ quædam ad prædictum Schema pertinentes.

NEmo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet; & ut ait Deus Ezech. 44. *Laqueus ruinæ populi mei Sacerdotes mali.*

Qui muneris sui necessitate compellitur sancta dicere, hac eadem necessitate compellitur sancta monstrare; illa enim vox validius auditorum corda penetrat, quam loquentis vita commendat.

Verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.

Sic Pastores erga interiora studia subjectorum suorum ferveant, ut exterioris vitæ providentiam non relinquant.

Imperfecti arripere timeant culmen regiminis, & qui in planis stantes titubant, videant, ne in præcipitio pedem ponant: nam cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequitur.

FINIS.

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Eodem anno Christi MDCLXXX.

A REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. GILBERTO de CHOYSEUL du PLESSY-PRASLAIN, Tornacensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE 7. MAJI.

ACTA SYNODI DIOECESANÆ TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Episcopali 7. mensis Maji anno Domini 1680.

Feria nempe tertia post Dominicam: MISERICORDIA DOMINI.

PRæsidente Reverendissimo & Illustrissimo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN Episcopo Tornacensi: Assistentibus Venerabilibus Viris Dominis, *Joanne Gennaro* J. U. L. Ecclesiæ Cathedralis Decano, atque Illustrissimi Domini Episcopi Vicario Generali: *Ægidio de Brabant* S. T. L. Archi-Diacono Majore, *Petro Mazureel* J. U. L. Archi-Diacono Flandriæ, *Vincentio Ragot* Sacrorum Decretorum Doctore, Præcentore & Officiali, *Ludovico Mersmans* S. T. L. *Joanne Waterloop* S. T. D. Theologali, *Antonio Donné* S. T. L. Scholastico, *Nicolao Deschamps*, præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicis; F. *Paulo Griffart*, Presbytero Religioso & Procuratore Abbatiæ S. Christophori Phanopinensis, Deputato sui Abbatis legitime excusati: R. D. *Ignatio Baclan*, Presbytero Canonico Deputato Capituli Ecclesiæ Collegiatæ S. Piati Seclinionsis: R. D. *Francisco Ægidio Wandesteen*, Decano & Canonico Deputato Capituli Cominiensis: nec non DD. & MM. *Nicasio Heunet* Pastore Parochiæ B. Mariæ Virginis Tornaci, Decano Christianitatis Tornacensis, *Martino Doulcet* Pastore S. Petri Insulis, Decano Christianitatis Insulensis, & tanquam Deputato seu Procuratore R. D. *Remigii du Lauri* S. T. & J. U. L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis Præpositi legitime excusati, *Joanne Vermeulen* Pastore portionis meridionalis oppidi Cortracensis, Decano Christianitatis Cortracensis citra Lisam, *Petro van Eesbecque* Pastore portionis septentrionalis ejusdem oppidi & Decano Christianitatis Cortracensis

ſis ultra Liſam, *Petro Hergo* Paſtore in Rongis & Decano Chriſtianitatis S. Amandi in Pabula, *Maximiliano Tromont* Paſtore in Fretin, Decano Chriſtianitatis diſtrictus Seclinienſis, *Petro Javet* Paſtore Viroviacenſi, Decano Chriſtianitatis diſtrictus Viroviacenſis, *Balduino van Houtten* Paſtore in Dottignies & Decano Chriſtianitatis diſtrictus Helchinienſis Flandrorum, & *Ferdinando Malfait* Paſtore in Nechin ac Decano Chriſtianitatis diſtrictus Helchinienſis Gallorum: Præſentibus etiam infra ſcripto Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Secretario, nec non MM. *Petro de Villers* Actuario, & *Michaële Simon* Promotore Curiæ Spiritualis.

Illuſtriſſimus Dominus circa horam octavam matutinam in Capella S. Vincentii Palatii ſui Epiſcopalis fecit Sacrum de Spiritu Sancto, ad invocandam gratiam Divinam, pro felici hujus Congregationis exitu. Quo peracto, ſe cum omnibus ſupra nominatis recepit in Aulam habendæ Synodo deſtinatam, ubi ſtatim lectis per infraſcriptum Illuſtriſſimi Domini Secretarii eorum omnium, qui de jure aut conſuetudine debent adeſſe Synodo nominibus, abſentes reperti fuerunt ii, qui in margine (*Exemplaris impreſſi*) notantur, quorum alii abſentiam ſuam legitimè excuſarunt; alii vero minime. Deinde habita ab Illmo Domino brevi de diſciplina Eccleſiaſtica oratione, cumque omnes hortatus fuiſſet, ut in commune conſulerent, ſi quid eſſet, quod in Diœceſi ſtatuendum videretur; Reverendus Admodum Dominus *Ægidius de Brabant*, Archi-Diaconus Major, ipſo mandante legit Statutum *de onere reſidendi, Seſſ.* 23. Concil. Trident. *Cap.* 1. *de Reformatione*, quod fecit pro Domino Archi-Diacono Flandriæ, qui id facere ſolet. Reverendus Adm. D. *Vincentius Ragot*, Officialis, prælegit Statuta præcedentis Synodi, prout moris eſt. Et deliberatione habita, opinantibus alternatim præfatis DD. Aſſiſtentibus, initio facto a latere Domini Decani decreta ſunt ea, quæ ſequuntur.

ARTICULUS I.

CUm in noviſſima Synodo anni 1679. deliberatum fuerit & ſancitum, ut iis, qui in futuris deficerent, pœnæ a jure ſtatutæ aut conſuetudine inductæ omnino infligerentur, injunctum eſt in præſenti Synodo, prout injungitur Promotori generali, ut coram Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Epiſcopo omnes abſentes, qui nullam habuerunt legitimam excuſationem, citet, ut ſe easdem pœnas ipſo jure incurriſſe declarari intelligant.

II.

Innovando ſeptimum penultimæ Synodi anni 1678. Decretum, ſtatuitur, ut inpoſterum Clerici teſtamenta ſua Judicis Eccleſiaſtici cognitioni non ſubtrahant, nec ſaltem quoad mobilia Judici ſæculari ſubmittant, ne in articulo mortis incidant in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ inflictam per Conc. Provinc. Cameracenſe anni 1586. Tit. *De Cleric. in genere.* C. 2. Iis, qui alterius, quam Judicis Eccleſiaſtici in ſe, ſuaque mobilia (quæ perſonam ſequuntur & repræſentant) jurisdictionem prorogant.

III.

Cum ex varia catechizandi methodo, diverſisque Catechiſmis, magna oriatur confuſio, ut in viſitationibus factis ab Illuſtriſſimo Domino Parochianorum hujus Diœceſis compertum eſt, diſtricte prohibetur ſub pœna inobedientiæ, ne quis Parochus, Vicarius, aut alius quilibet Catechiſta, aut Ludimagiſter in erudiendis pueris ullo alio Catechiſmo utatur, quam eo tantum, quem imprimi curavit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus, ſuper quo Paſtores in ſuis quique Parochiis invigilabunt, injungiturque Chriſtianitatis Decanis, ut ſinguli in ſuis diſtrictibus hoc exacte obſervari procurent.

IV.

Ut coerceatur effrenis quorumdam Presbyterorum, aut aliorum quorumcumque, tum ſæcularium, tum Regularium temeritas, qui absque Epiſcopi licentia paſſim exorcizare præſumunt, ut per ſimulatam pietatem quæſtum faciant, (quod maximum in hac Diœceſi peperit ſcandalum) prohibetur, ne quis, ſive ſæcularis, ſive Regularis, quantumcumque ſe ſe prætendat exemptum, in poſterum ſine Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, aut Vicarii ejus Generalis facultate in ſcriptis obtenta, ullis exorciſmis ſive erga homines, ſive erga jumenta, ſive fruges, arboresve, aut alias quascumque

res

res utantur, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. Non intenditur tamen derogari poteſtati Paſtoribus ad exorcizandum indultæ, prout in hujuſce Diœceſeos Manuali continetur, modo ultra ſe ſe non extendant, neque hanc poteſtatem aliis præſumant delegare: & ſi extraneos patiantur in ſuis Parochiis exorciſtas, ſciant ſe iisdem ac ipſos temerarios exorciſtas pœnis ſubjacere.

V.

Majorum veſtigiis inhærendo, antiquæ innovantur Conſtitutiones, quibus prohibitum eſt omnibus tum regularibus Confeſſariis, ut hujus tractus in quo fuerint ad confeſſiones audiendas, verbumque Divinum prædicandum approbati & admiſſi, ſuas approbationis & miſſionis literas offerant Decanis Chriſtianitatis ab ipſis ſubſcribendas; & qui non fecerint, ab iſtis tremendis Myſteriis abſtineant: prohibeturque ſingulis Paſtoribus, ne eos in ſuis Parochiis confeſſiones audire & concionari patiantur.

VI.

Auditis plurium Paſtorum querimoniis, quod ſuarum Eccleſiarum Cuſtodes non ſatis modeſte induti ſunt, ipſis ſub pœna a ſuo officio ſuſpenſionis, præcipitur, ut ſuæ conditioni congruentibus, & Paſtoribus ſuis probatis veſtibus in poſterum induantur.

VII.

Singulis annis Decani Chriſtianitatis curabunt, ut ſuorum Decanatuum Paſtores ad ipſos mittant, præcipuorum, quos in ſuis Parochiis animadverterint, defectuum notas ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum ante Synodi Congregationem uno menſe communicandas.

VIII.

Cum DEUS Opt. Max. tandem Nobis pacem conceſſerit, nec ullo prætextu aut neceſſitatis ſpecie Feſtorum, Dominicarumque dierum violatio diſſimulari poſſit, omnia iis diebus ſervilia opera, ſub pœna Sacramentorum privationis inhibentur; & ſi qui contumaces extiterint, ſciant ſe ab ingreſſu Eccleſiæ arcendos eſſe, & iterum, creſcente contumacia, excommunicandos, niſi tamen ob urgentem neceſſitatem obtinuerint licentiam operandi dictis diebus a Paſtore & Baillivo, vel ejus locum tenente, juxta formam Edicti ſuper dicta Synodo anni 1586. emiſſi Articulo 5. & alterius 6. Septembris 1608.

IX.

Antiqua conſuetudo, quæ per negligentiam Beneficiatorum prope in deſuetudinem abiit, omnino renovetur, ut ſinguli Beneficiati, cujuscumque conditionis exiſtant, ſex menſibus, poſtquam ad ſua Beneficia fuerunt promoti, omnium ſuorum Beneficiorum redituum veram & ſinceram declarationem Decanis Chriſtianitatis (ſi ipſi ſint ſubditi) tradant ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum transmittendam. Si autem Decanis Chriſtianitatis non fuerint ſubditi, dicto Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali exhibeant in Secretariatu, vel in Archivis Epiſcopatus aſſervandam: idque ſub pœna privationis ſuorum fructuum pauperibus diſtribuendorum, donec obedierint.

X.

Declaratur denique diem proximæ Synodi, & Synodorum ſequentium ſemper fore eamdem, quæ hodie, nempe diem Martis proximam poſt Dominicam ſecundam poſt Paſcha, quæ dicitur Dominica *Miſericordia Domini*, qua omnes, qui de jure aut conſuetudine Synodo adeſſe tenentur, in Palatium Epiſcopale conveniant hora octava matutina, adeo ut nulla alia indictione opus ſit, die interpellante pro homine. Si quis autem citra legitimam excuſationem abfuerit, ſciat ſe pœnas, prout de jure & conſuetudine, ut initio dictum eſt, incurriſſe.

XI.

Juxta Decreta Sacroſancti Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Paſtorum, ac aliorum RR. Admodum DD. *Joannes Gennaro* J. U. L. Decanus, & Illuſtriſſi-

mi Domini Vicarius Generalis, *Ægidius de Brabant* S.T.L. Archi-Diaconus Major; *Petrus Mazureel* J.U.L. Archi-Diaconus Flandriæ; *Vincentius Ragot*, Sacrorum Decretorum Doctor, Præcentor & Officialis; *Libertus de Froidmondt* J.U.L. Pœnitentiarius; *Ludovicus Merſmans* S.T.L. *Joannes Waterloop* S.T.D. Theologalis; *Antonius Donné* S.T.L. Scholaſticus, præfatæ Eccleſiæ Cathedralis Canonici; & præterea RR. Admodum DD. *Remigius du Laury* S.T. & J.U.L. Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Inſulenſis Præpoſitus; *Philippus de Campenhout* S.T.L. & *Jacobus Boudart* etiam S.T.L. præfatæ Collegiatæ reſpective Decanus & Theologalis, ac Magiſter *Martinus Doulcet*, Paſtor S. Petri & Decanus Chriſtianitatis Inſulenſis; RR. Admodum DD. *Petrus van Cauteren* J.U.L. Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ S. Salvatoris oppidi Harlebecenſis, & *Ludovicus de Berſacques* S.T.L. Decanus Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis oppidi Cortracenſis, nec non Magiſtri *Joannes Vermeulen*, Paſtor portionis meridionalis dicti oppidi Cortracenſis, Decanus Chriſtianitatis Cortracenſis diſtrictus citra Liſam, & *Petrus van Eesbecque*, Paſtor portionis ſeptentrionalis dicti oppidi Cortracenſis, Decanus Chriſtianitatis diſtrictus Cortracenſis ultra Liſam.

XII.

Deputati vero fuerunt Judices Synodales RR. Admodum DD. *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Petrus Mazureel*, *Vincentius Ragot*, *Ludovicus Merſmans*, *Joannes Waterloop*, *Antonius Donné*, qui ſupra, nec non R.D. *Albertus Mauritius de la Hamayde* J.U.L. ejusdem Eccleſiæ Cathedralis Canonicus Hoſpitalarius, & præterea RR. Admodum DD. *Franciſcus le Grand*, S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Noë Portois*, S. Nicolai de Pratis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, hujus Civitatis ac Diœceſis Tornacenſis reſpective Abbates.

De Mandato Illmi & Rdiſſimi Domini mei Epiſcopi præfati

BENARD Secret.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCLXXX.

JUSSU

Revmi & Illmi Principis FERDINANDI de FURSTENBERG, Monaſt. & Paderb. Epiſcopi,

CELEBRATA

DIE 15. OCTOBRIS.

Deputati Præſides NICOLAUS STENON, *Epiſcopus Titiopolitanus*, MATTHIAS KORFF *condictus* SCHMISINCK, MATTHIAS FRIDER. DE RECK, JOANNES CASPARUS A LETHMATE, JOANNES ALPEN.

Publicata autem ſunt DECRETA ſequentia:

FERDINANDUS, DEI ET APOST. SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONAST. ET PADERBORN. &c. VENERABILI CLERO ET POPULO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ MONASTERIENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

NIhil eſt, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarunt. Cum enim a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos

los injiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moresque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant. Quem in finem tametſi nuper de geſtando habitu Eccleſiaſtico Edictum publicis imprimi typis, omnibusque ac ſingulis perſonis Eccleſiaſticis Diœceſis noſtræ Monaſter. inſinuari curavimus, ut tamen illius obſervantia univerſis iterum & ſerio inculcetur, in præſente Synodo denuo publicandum & intimandum eſſe duximus.

EDICTUM EPISCOPALE
DE
Geſtando habitu Eccleſiaſtico,
PUBLICATUM
DIE 25. JULII H. A.

INter innumera graviſſimaque mala, quæ exitiabiles de rebus Divinis, humanisque contentiones & bella plus quam civilia, in Germaniam invexere, non minimum eſt, quod ii, qui Clericali militiæ nomen dederunt, & ab Epiſcopo more Majorum attonſi ſæcularis habitus (*) ſervitutem & ignominiam depoſuerunt, perinde ornati incedant, quaſi caſtrenſia, non Eccleſiaſtica ſtipendia mererent; idque ſe maxime decere exiſtiment, quod Catholica Eccleſia in ipſis ſervile & ignominioſum appellat. Qui quidem (**) cum neque ut milites pugnent, neque ut Clerici evangelizent, ſed utrumque confundant, nullius ordinis eſſe videntur, ibi demum (ut interminatur Eccleſiæ Doctor mellifluus) ordinandi, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Quare Sanctiſſimus Dominus noſter INNOCENTIUS XI. Pontifex Maximus pro ſua vere Apoſtolica pietate, & omnium Eccleſiarum ſolicitudine curas ſuas ultra Alpes, & ad extremas uſque gentes & Oceani germanici littora extendens, & Conciliorum Generalium & Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum doctrinæ & veſtigiis inſiſtens, Nos exhortatus eſt, ut pernicioſam hanc conſuetudinem vel potius corruptelam in Germania non ſine admiratione & offenſa aliarum gentium Catholicarum maxime vigentem e noſtris Provinciis ac Diœceſibus prorſus exterminaremus. Nos itaque tanto Pontifici veram obedientiam, quam conceptis verbis juravimus, reipſa exhibere cupientes, applaudentibus Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Prælatis & Canonicis, ac Pontificis vere Sanctiſſimi juſſa ſumma cum veneratione excipientibus, ex Decreto Sancti Concilii Tridentini *Seſſ.* 14. *C.* 6. *de Reformatione* (quod omnibus hoc noſtro Edicto proponimus ac intimamus) univerſis & ſingulis Clericis jurisdictioni noſtræ ordinariæ ſubjectis Beneficium, ſeu Beneficia qualiacunque poſſidentibus, cujuscunque ſint ſtatus, ordinis, conditionis aut dignitatis, nemine prorſus excepto, ſevere præcipimus, atque mandamus, ut intra tres menſes a die publicationis hujus Edicti noſtri computandos, quorum ſingulos pro ſingulis monitionibus canonicis haberi volumus, veſtes ſæculares ſive laicales deponant, & deinceps quotiescunque in publicum procedent, præſertim in loco Beneficii, aut coram Nobis apparebunt habitum honeſtum Eccleſiaſtico ſtatui convenientem, videlicet veſtem nigram, togamque ultra genua dependentem, & pallium itidem nigrum, tegmen quoque & ornamentum colli, quod vulgo collare appellatur, modeſtum ac decens, ita ut populus omnes & ſingulos Clericos a militibus & laicis facile diſcernere poſſit, aſſidue gerant, atque hæc omnia ſemper obſervent, niſi juſta cauſa in jure Canonico expreſſa, aut a Nobis ſufficiens & legitima approbanda eos excuſet. Quia vero (***) impunitas incuriæ ſoboles eſt, mater impudentiæ, transgreſſionum nutrix, Nos ex ſententia & voluntate Sanctiſſimi Domini Noſtri ſupradicta omnia præcipimus atque jubemus ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordinibus, Officiis, Beneficiis, & eorumdem fructibus & reditibus ipſo facto incurrenda, in quam incidiſſe declarabimus omnes illos, qui intra memoratum trimeſtre huic noſtro Edicto non paruerint. Qui ſi porro ſe ſe contumaces oſtenderint, aut ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, Nos eos per privationem Officiorum & Beneficiorum coërcere non intermittemus. Ut autem initio memorata malæ conſuetudinis corruptela radicitus extirpetur, omnibus, qui a Nobis, aut noſtro in Pontificalibus Vicario Generali quoscunque Ordines ſuſcipere, aut literas dimiſſorias obtinere deſiderabunt, edicimus ac declaramus, eos non aliter voti ſui compotes fore, niſi juramentum de habitu Clericali deferendo, cujus exemplum huic Edicto ſubjunximus, ipſimet præſtent. Ut autem hoc noſtrum Edictum omnibus jurisdictioni noſtræ ordinariæ ſubjectis innoteſcat, noſtra id ſubſcrip-

(*) *Pontif. Rom. in ordin. Clerici.*
(**) *S. Bern. l.* 3. *de conſid.*
(***) *S. Bern. cit. l.* 3. *de conſid.*

ſcriptione, ſigilloque firmatum typis excudi, & in omnibus Eccleſiis noſtrarum Diœceſium publicari, earumque valvis affigi juſſimus. Datum Saſſenbergæ in Caſtro Diœceſis noſtræ Monaſterienſis 25. Julii 1680.

Ferdinandus.

(L.S.)

FORMULA JURAMENTI.

Ego NN. promitto & juro ab ea hora, qua ſuſcipiam aliquem ex Ordinibus ſacris, videlicet Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum, aut percipiam fructus Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, aut Beneficiorum quorumcunque Eccleſiaſticorum, quod geſtabo habitum Clericalem, videlicet qui communiter cenſetur honeſtus, & decens Clericorum ſtatum, talisque ſit, ut ex ipſius qualitate communiter a populo Clericus judicari poſſim. Nec occaſione & cauſa quacunque in jure non expreſſa, vel a meo Ordinario non approbata, pro vera & legitima geſtare ceſſabo, non obſtante quocunque non uſu introducto, ſeu introducendo. Quæ omnia & ſingula juro & promitto me ſervaturum in poſterum, remota quacunque explicatione, & interpretatione, & extrinſeco intellectu, ſed ſecundum ſenſum literalem præſentis promiſſionis & juramenti. Pariter juro & promitto me abſolutionem a meo Ordinario, ſeu quocunque alio facultatem habente, & etiam a S. Pontifice non petiturum, niſi expreſſo, quod hoc juramentum a me præſtitum, injunctum mihi fuerit in Ordinum ſuſceptione ad promovendam Diſciplinam Eccleſiaſticam. Ita me DEUS adjuvet, & Sſ. ejus Evangelia.

Cumque frequens & longa illa in multas ſæpe horas & ipſam noctem protracta campanarum pulſatio, præſertim in Civitate noſtra Monaſterien. ſanis æque ac infirmis ingens faſtidium pariat, & peregrinis inſuper adventantibus vel tranſeuntibus majorem, quam in ſe eſt, mortalitatis ſeu contagionis ſuſpicionem creet, non ſine evidente pariter Civitatis & negotiorum detrimento, mandamus omnibus & ſingulis Campanariis & Cuſtodibus ſub pœna arbitraria, ut pulſus hujusmodi in poſterum contrahatur, & quidem in vigiliis Dedicationum & Patronorum Eccleſiarum, Primitiarum, aliisque iſtiusmodi Feſtis & Solennitatibus ſub horam nonam veſpertinam omnis ceſſet pulſus campanarum, quando vero pro Defunctis pulſus inſtituendus eſt, ubi hactenus duarum horarum, nunc poſthac unius tantum horæ ſpatio campanæ pulſentur, ſalvis tamen juribus & conſuetudinibus Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, nolumus autem juribus Eccleſiarum, quæ hactenus præſtari conſueverunt, & potior plerumque obventionum fabricæ pars cenſetur, quidquam propterea ſubtrahi aut decedere, ſed uti hactenus ab iis, ad quos pertinet, reſpective exigi & ſolvi oportere. Et quia ex lectione & uſu librorum hæreſin & ſcandala continentium venenum illud periculoſe imbibi ſolet, inhibemus Bibliopolis & Librariis ſerio & ſub pœna confiſcationis, ne libros hæreticos, ſeu hæreſin, aliaque contra bonos mores & ſcandaloſa tractantes vendere præſumant. In quorum fidem præſentes manu & ſigillo noſtris roboratas dedimus in arce noſtra Neuhuſana 12. Octobris 1680.

Ferdinandus mpp.

(L.S.)



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Anno Chrifti MDCLXXXI. Innocentii XI. PP. VI. Leopoldi I. Imp. XXIII.

PRÆSIDENTE REVmo ET ILLmo DOMINO,
D. GILBERTO de CHOYSEUL du PLESSY-PRASLAIN,
Tornacenfi Epifcopo,

CELEBRATA
DIE 22. APRILIS.

ACTA SYNODI TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Epifcopali, vigefima fecunda menfis Aprilis anno Domini 1681. *Feria nempe tertia poft Dominicam* MISERICORDIA DOMINI.

Præfidente Illuftriffimo & Revmo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN Epifcopo Tornacenfi; Affiftentibus Venerabilibus Viris Dominis *Joanne Gennaro* J.U.L. Ecclefiæ Cathedralis Decano, atque Illmi D. Epifcopi Vicario Generali: *Ægidio de Brabant* S.T.L. Archi-Diacono Majori; *Petro Mazureel* J.U.L. Archi-Diacono Flandriæ; *Liberto de Froidmondt* Pœnitentiario; *Ludovico Merfmans* S.T.L. *Joanne Waterloop* S.T.D. Theologali; *Antonio Donné* S.Th.L. Scholaftico; *Nicolao Defchamps*, præfatæ Ecclefiæ Cathedralis Canonicis; F. *Petro Francifco du Toit*, Presbytero, S.T.L. Abbatiæ Cyfonienfis Religiofo profeffo, nec non Ecclefiæ Parochialis Cyfonii Paftore, per R.D. *Antonium Vranx*, Abbatem S. Calixti Cyfonienfis Deputato; R. D. *Nicolao Defchamps*, Canonico Deputato Capituli Ecclefiæ Collegiatæ S. Petri Cominienfis: nec non DD. & Magiftris *Nicafio Hennet*, Paftore Parochiæ B. Mariæ Virginis Tornaci, Decano Chriftianitatis Tornacenfis; *Martino Doulcet*, Paftore S. Stephani & Decano Chriftianitatis Infulenfis; *Joanne van der Meulen*, Paftore portionis Meridionalis urbis Cortracenfis, Decano Chriftianitatis Cortracenfis citra Lifam; *Petro van Eesbecque*, Paftore portionis Septentrionalis ejusdem urbis & Decano Chriftianitatis Cortracenfis ultra Lifam; *Petro Hergo*, Paftore in Rongis & Decano Chriftianitatis S. Amandi in Pabula; *Balduino van Houtten*, Paftore in Dottignies & Decano Chriftianitatis diftrictus Helchinienfis Flandrorum; & *Ferdinando Malfait*, Paftore in Nechin ac Decano Chriftianitatis diftrictus Helchinienfis Gallorum; præfentibus etiam infrafcripto Illuftriffimi & Reverendiffimi Domini Epifcopi Secretario, nec non Magiftris *Petro de Villers*, & *Michaële Simon* Curiæ fpiritualis Actuario & Promotore.

Illuftriffimus Dominus circa horam octavam matutinam in Capella S. Vincentii Palatii fui Epifcopalis fecit Sacrum de Sancto Spiritu ad invocandam gratiam Divinam pro felici hujus Congregationis exitu. Quo peracto, fe cum omnibus fupra nominatis in Aulam habendæ Synodo deftinatam recepit, ubi ftatim lectis per infrafcriptum Illuftriffimi Domini Secretarium eorum omnium, qui de jure aut confuetudine Synodo adeffe poffunt, aut debent, nominibus, abfentes reperti fuerunt ii, qui in margine notantur, quorum alii abfentiam fuam legitime excufarunt, alii vero minime. Habita deinde ab Illuftriffimo Domino brevi, tum de difciplinæ Ecclefiafticæ obfervatione, tum etiam de neceffitate unionis & concordiæ in Clero alendæ, fovendæque oratione, cumque omnes hortatus fuiffet, ut in commune confulerent, fi quid effet, quod in Diœcefi ftatuendum videretur; Reverendus Admodum Dominus *Ægidius de Brabant*, Archi-Diaconus Major, ipfo mandante legit Statutum *de onere refidendi*, *Seff.* 23. Conc. Trid. *Cap.* 1. *de Reformatione*, quod fecit pro Domino Archi-Diacono Flandriæ, qui id facere folet, quique ob quandam infirmitatem hoc munus obire non potuit.

Deliberatione tandem facta, opinantibus

bus alternatim præfatis DD. Assistentibus initio facto a latere Domini Decani, Decreta sunt ea, quæ sequuntur.

R. D. *Petrus van Cautteren*, Præpositus Harlebecensis, abfuit inexcusatus. Magister *Maximilianus Tromont*, Pastor in Fretin, Decanus Christianitatis districtus Seclinienfis, abfuit, sed legitime excusatus. Nulla fuit proposita excusatio pro Magistro *Petro Juvet*, Pastore Viroviacensi, Christianitatis Viroviacensis Decano.

ARTICULUS I.

UT Statuta tum præcedentis, tum etiam anteriorum hujusce Diœceseos Synodorum, in quantum opus est, renoventur, eorumque observatio ac executio omnibus, quorum interest, & sub pœnis ibidem expressis, iterum commendetur.

II.

Cum animadversum sit quosdam Pastores Canonicam portionem coram Judicibus postulantes, renuntiare suis nativis reditibus & decimis, quod aliquando vergit in suorum Beneficiorum & Successorum detrimentum, utpote portione canonica licet congrua, antiquis decimis, aliisque fundis & reditibus inferiore: Decretum est, quod licet justum sit, ut quando petitur portio canonica, antiqui reditus abdicentur in favorem Decimatorum, qui tali portioni canonicæ & congruæ persolvendæ obligantur, nec aliter judicari debeat: ne tamen hoc temere fiat; nemo inposterum sive Pastor, sive alius Beneficiatus suos fundos aut decimas, aliosve reales reditus abdicet, nisi prius monito Episcopo, ejusve Vicario Generali, aut Officiali, & obtenta super ea re licentia.

III.

Super quorumdam Pastorum monitionibus, qui queruntur suos Parochianos liberius infantes in suis lectis collocare, antequam primum a sua nativitate annum attigerint, unde magnum oritur suffocationis periculum, & reipsa hoc malum sæpe evenit, statutum est, ut in suis concionibus, Catechismis, colloquiis Pastores hortentur parentes, ne inposterum tali se infanticidii periculo exponant, & ni pareant, moneant Episcopum, ejusve Vicarium Generalem, ut opportunis canonicisque remediis provideatur.

IV.

Ut scandalum, quod ex nocturnis conventibus, vulgo *Escriennes* nominatis, oritur, omnino aboleatur, Pastoresque in suos Parochianos paterna charitate super ea re animadvertant, moneantque, quod nisi inposterum ab ejusmodi lasciviis abstineant, Canonicis pœnis subjacebunt; sed antequam ad severiora remedia veniatur, suaviter monendi & adhortandi sunt. Porro Pastores temporales respective suarum Parochiarum Dominos rogabunt, ut sua authoritate ad istud scandalum amovendum utantur. Et ubi temporales Domini defuerunt, rogandi sunt ad eundem finem Magistratus. Monendi etiam sunt Ludimagistri, ut, quantum fieri poterit, puellæ a pueris secernantur: parentes ne in suis quibusque familiis diversorum sexuum proles passim dormire patiantur. Districte autem Pastores nomine Synodi prohibeant, Sponsis utriusque sexus ne ante contractum reipsa Matrimonium in eadem pernoctent domo, aut nimis familiariter versentur, & ut malo inde secuturo occurratur, quamprimum affidati fuerint bannis proclamatis matrimonialiter conjungantur, innovatis super ea re superiorum Synodorum Statutis.

V.

Ut in iis Parochiis singuli teneantur Paschali tempore Sacræ Communionis præcepto satisfacere, in quibus majori anni tempore commorantur.

VI.

Ut Pastores per se ipsos ubique (nisi legitime impediti) singulis diebus Dominicis & Festivis nostrum Catechismum doceant. Ubi autem fuerint impediti, hoc officium eorum Vicarii obeant, non impediendo tamen, quatenus alii Catechistæ, qui etiam a Nobis ad hoc approbati voluerint populum docere, isto charitatis officio defungantur commodis horis, de quibus cum Pastoribus pacato animo convenient.

VII.

VII.

Super diversis variorum Pastorum, aliorumque querelis, quod effræni quadam licentia varii libri passim publicentur, scandalosi, hæretici, calumniis referti, statutum est, diligens fiat perquisitio ejusmodi librorum in omnibus Bibliopolarum officinis ad hoc invocato brachio sæculari, ut secundum sacros Canones, & placito Decretaque Regia procedatur, huicque rei ad instantiam generalis hujusce Diœceseos Promotoris Pastores in suis quibusque Parochiis invigilabunt, & Decani Christianitatis in suis tractibus, atque Episcopum, aut Vicarium Generalem, vel Officialem sedulo monebunt, ut diligenter provideatur, ne quid in scandalum Ecclesiæ & fidelium super ea materia vertatur inposterum.

VIII.

Declaratur denique diem proximæ Synodi & Synodorum sequentium semper fore eamdem, quæ hodie, nempe diem Martis proximam post Dominicam secundam post Pascha, quæ dicitur *Misericordia Domini*, qua omnes, qui de jure aut consuetudine Synodo adesse tenentur, in Palatium Episcopale convenient hora octava matutina, adeo ut nulla alia indictione opus sit, die interpellante pro homine. Si quis autem citra legitimam excusationem abfuerit, sciat se pœnas, prout de jure & consuetudine (ut initio dictum est) incurrisse.

IX.

Juxta Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Pastorum, ac aliorum RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro* J.U.L. Decanus, & Illustrissimi Domini Vicarius Generalis; *Ægidius de Brabant* S.T.L. Archi-Diaconus Major; *Petrus Mazureel* J.U.L. Archi-Diaconus Flandriæ; *Libertus de Froidmondt* J.U.L. Pœnitentiarius; *Ludovicus Mersmans* S.T.L. *Joannes Waterloop* S.T.D. Theologalis; *Antonius Donné* S.T.L. Scholasticus, præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Canonici. Et præterea RR. Adm. DD. *Remigius du Laury* S.T. & J.U.L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis Præpositus; *Philippus de Campenhout* S.T.L. & *Jacobus Boudart* etiam S.T.L. præfatæ Collegiatæ respective Decanus & Theologalis, ac Magister *Martinus Doulcet*, Pastor S. Stephani & Decanus Christianitatis Insulensis; RR. Adm. DD. *Petrus van Cauteren* J.U.L. Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris oppidi Harlebecensis, & *Ludovicus de Bersacques* S.T.L. Decanus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis urbis Cortracensis; nec non Magistri *Joannes van der Meulen*, Pastor portionis Meridionalis dictæ urbis Cortracensis, Decanus Christianitatis Cortracensis citra Lisam; & *Petrus van Eesbecque*, Pastor portionis Septentrionalis dictæ urbis Cortracensis, Decanus Christianitatis districtus Cortracensis ultra Lisam.

X.

Deputati vero fuere Judices Synodales RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Petrus Mazureel*, *Ludovicus Mersmans*, *Joannes Waterloop*, *Antonius Donné*, qui supra, nec non R.D. *Albertus Mauritius de la Hamayde* J.U.L. ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Hospitalarius, & præterea RR. Adm. DD. *Franciscus le Grand*, S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Noë Portois* S. Nicolai de Pratis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, hujus Civitatis ac Diœcesis Tornacensis respective Abbates.

De Mandato Illmi & Rdissimi Domini mei Episcopi præfati

BENARD, Secret.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCLXXXII. Innocentii XI. PP. VII. Leopoldi I. Imp. XXIV.

EX MANDATO

REVERENDISSIMI & ILLUSTRISISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

D. FERDINANDI de FURSTENBERG, Monast. & Paderb. Episcopi,

HABITA

DIE 13. OCTOBRIS.

I. *In Synodo Verna, celebrata die* 18. *Martii anno* 1681., *uti & in Autumnali ejusd. a. habita tempore & loco consuetis : item in Verna anni* 1682. *speciale nihil occurrit : Deputati ad hanc iidem, qui ad Autumnalem a. præc., ab Episcopo Præsides* Nicolaus Stenonius, *Episcopus Titiopol.* Joannes Rutgerus a Torck, Matthias Fridericus de Reck, & Joannes Alpen.

II. *In Autumnali hac Præsidium ab Episcopo delatum* Joanni Rutgero a Torck, Matthiæ Korff, *condicto* Schmitinck, Matthiæ Friderico de Reck, & Joanni Alpen: *publicata etiam sunt sequentia:*

FERDINANDUS, DEI ET APOST. SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONAST. ET PADERBORN. &c. VENERABILI CLERO ET POPULO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ MONASTERIENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

DEcorem domus Dei ac Divinorum Officiorum majestatem atque decorem semper augeri cupientes, quicquid ad hunc scopum finemque attingendum conducere videtur, avide complectimur; & pro nostra virili sedulo exequi conamur. Quare cum in Cathedrali nostra, & aliis Civitatis ac Diœcesis nostræ Monasteriensis Ecclesiis Clerum nostrum primarium & secundarium potiori quidem anni tempore veste Clericali linea & candida in choro uti, sed in Adventu & Quadragesima, atque nonnullis aliis diebus ejus loco penulis quibusdam sive palliolis nigris haud satis decoris amiciri conspexerimus, hanc confusionem & deformitatem tollere desiderantes, assentiente Capitulo nostro Cathedrali in hac sacra Synodo statuimus, decernimus, atque præcipimus, ut inposterum Clerus noster primarius & secundarius, tam in Cathedrali, quam in aliis Civitatis ac Diœcesis nostræ Monasteriensis Ecclesiis per totum annum uniformi habitu, videlicet veste Clericali linea & candida, in prima tonsura de manu Episcopi accepta, in choro semper utatur, & memoratas penulas sive palliola prorsus abjiciat & omittat.

Præterea cum frustra leges ferantur, ubi impune negliguntur, & Nos magna cum indignatione acceperimus, Decreta nostra Synodalia palam infringi, violari, atque contemni, omnibus & singulis, quorum est hujusmodi inobedientiam punire, & peculiariter Vicario nostro Generali serio mandamus atque præcipimus, ut quisque pro suæ jurisdictionis ac officii ratione sedulo curet, ut in eos, qui Decreta nostra Synodalia transgressi sunt, aut inposterum transgredientur, celeriter & absque litium ambagibus perquam severe vindicetur. Datum in arce nostra Neuhusana, die 10. Octobris 1682.

Ferdinandus mpp.

(L.S.)

Exemplar horum aliorumque sub binis sibi succedentibus in Cathedra S. Ludgeri Episcopis, Christoph. Bernardo & Ferdinando *Statutorum in acceptis referimus tabulario Revmi & Illmi Capituli Monast., cui in tesseram grati animi florem, splendorem, felicitatem.*

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Anno Christi MDCLXXXIII. Innocentii XI. PP. VIII. Leopoldi I. Imp. XXV.

AB EODEM REVmo ET ILLmo DOMINO,

D. GILBERTO de CHOYSEUL du PLESSY-PRASLAIN, Tornacensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE 4. MAJI.

ACTA SYNODI TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Episcopali, die 4. *mensis Maji anno Domini* 1683.

Feria nempe tertia post Dominicam MISERICORDIA DOMINI.

PRæsidente Illmo & Revmo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN Episcopo Tornacensi: Assistentibus Venerabilibus Viris Dominis, *Joanne Gennaro* J.U.L. Ecclesiæ Cathedralis Decano, atque Illmi Domini Vicario Generali; *Ægidio de Brabant* S.T.L. Archi-Diacono Majore; *Liberto de Froidmondt* Pœnitentiario; *Ludovico Mersmans* S.T.L. *Joanne Waterloop* S.T.D. Theologali; *Antonio Donné* S.T.L. Scholastico; *Nicolao Deschamps*, præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicis; RR.DD. *Francisco le Grand*, & *Noë Portois*, Abbatibus SS. Martini & Nicolai de Pratis Civitatis Tornacensis; R.D. *Francisco Ægidio Vandesteen*, Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri oppidi Cominiensis Decano & Canonico per Capitulum deputato; F. *Jacobo Coqueau*, Presbytero, Abbatiæ S. Calixti Cysoniensis Religioso professo, nec non parochiæ de Camfain Pastore, per R.D. Abbatem Cysoniensem deputato; R.D. *Ignatio Baclan*, Presbytero, Ecclesiæ Collegiatæ S. Piati Seclinienfis Canonico, per Capitulum deputato; nec non DD. & Magistris *Nicasio Hennet*, parochiæ B. Mariæ Virginis Tornaci Pastore, districtusque Tornacensis Christianitatis Decano; *Martino Doulcet*, parochiæ S. Stephani Insulis Pastore & districtus Insulensis Christianitatis Decano; *Petro van Eesbecque* J.U.L. portionis Septentrionalis Ecclesiæ parochialis S. Martini urbis Cortracensis Pastore, & districtus Cortracensis ultra Lisam Christianitatis Decano, in parte Diœcesis Tornacensis Regi Catholico subdita Officiali pro tempore nuper constituto; *Petro Juvet*, Pastore Viroviacensi, & districtus Viroviacensis Christianitatis Decano; *Balduino van Houtten*, Pastore in Dottignies, districtus Helchiniensis Flandrorum Christianitatis Decano; & *Ferdinando Malfait*, Pastore de Nechin, districtus Helchiniensis Gallorum Christianitatis Decano. Præsentibus etiam infrascripto Illmi & Revmi Domini Secretario, nec non Magistris *Petro de Villers*, & *Michaële Simon*, Curiæ spiritualis Tornacensis respective Actuario & Promotore.

Circa horam octavam matutinam Illustrissimus Dominus in Capella S. Vincentii Palatii sui Episcopalis fecit Sacrum de Sancto Spiritu, ad Divinam gratiam pro felici hujus Congregationis exitu invocandam. Quo peracto, se cum omnibus supra nominatis in Aulam habendæ Synodo destinatam recepit, ubi statim lectis (per infrascriptum Illustrissimi Domini Secretarium) eorum, qui de jure aut consuetudine Synodo possunt, aut debent adesse, nominibus, absentes reperti fuerunt hi, qui infra in Actis notati sunt; horum autem absentiam alii legitime excusarunt, alii vero minime: pauca deinde Illustrissimus Dominus de Synodorum utilitate præfatus, omnes hortatus est, ut unanimiter perpenderent, si quid esset, quod Diœceseos bono statuendum videretur; Reverendus Adm. D. *Ægidius de Brabant*, Archi-Diaconus Major, legit Statutum *de onere residendi, Sess.* 23. Conc. Trident. *Cap.* 1. *de Reformatione*, quod fecit pro Domino Archi-Diacono Flandriæ, qui id facere solet, quique ob ægritudinem Synodo adesse non potuit.

Rev. Adm. D. *Nicolaus Deschamps* legit Statuta præcedentis Synodi anni 1681. loco Domini Officialis, qui hoc munus obire consue-

consuevit, quique, ut jam dictum est, Synodo non aderat. Et deliberatione tandem facta, opinantibus alternatim præfatis DD. Assistentibus, initio facto a latere D. Decani decreta fuerunt ea, quæ sequuntur.

Magister *Joannes van der Meulen*, Presbyter, Pastor portionis Meridionalis Ecclesiæ parochialis S. Martini urbis Cortracensis, & districtus Cortracensis citra Lisam Christianitatis Decanus, abfuit cum excusatione sufficienti. Magister *Petrus Hergo*, Presbyter, Pastor in Rongy, districtus S. Amandi in Pabula Christianitatis Decanus, abfuit legitime excusatus. Magister *Maximilianus Tromont*, Presbyter, Pastor in Fretin, districtus Seclinienfis Christianitatis Decanus, abfuit sine ulla excusatione.

ARTICULUS I.

CUm in Articulo II. ultimæ Synodi anni 1681. Fundorum, aut Decimarum, aliorumve realium redituum alienationes, Pastoribus, aliisque Beneficiatis, sine Illustrissimi Domini, vel ejus Vicarii Generalis licentia, prohibitæ fuerint, si qui tamen hoc Decretum jam violaverint, diligenter perquirat Promotor, qui coram Illustrissimo Domino præfato citabit authores; iis vero, qui inposterum violabunt, pœna arbitraria imponatur.

II.

Frequentes domiciliorum mutationes super Communionis Paschalis præcepto Pastores sæpissime impediunt; sed nisi in hujusmodi mutationibus fraus appareat, quod Pastorum prudentiæ ac discretioni examinandum relinquitur, quintus superioris Synodi Articulus secundum sui tenorem observetur.

III.

Ut vitetur confusio, quæ ex Parochiarum vicinarum processionibus sibi invicem occurrentibus oriri solet, conveniant inter se Pastores de processionum ambitu vel tempore.

IV.

Quia contra terminos admissionum ad confessiones & conciones, multi Confessarii & Concionatores admissiones suas Christianitatis Decanis ostendere negligunt, ut istius offensionis necessitatem agnoscant, sciant, defectu illius, admissiones nullas esse, & addatur clausula in admissionibus deinceps concedendis.

V.

Declaratur denique diem proximæ Synodi & Synodorum sequentium semper fore eamdem, quæ hodie, nempe diem Martis proximam post Dominicam secundam post Pascha, quæ dicitur Dominica *Misericordia Domini*, qua omnes, qui de jure aut consuetudine Synodo adesse tenentur, in Palatium Episcopale convenient hora octava matutina, adeo ut nulla alia indictione opus sit, die interpellante pro homine. Si quis autem citra legitimam excusationem abfuit, sciat se pœnas, prout de jure & consuetudine (ut sæpe dictum est) incurrisse.

VI.

Juxta Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Pastorum ac aliorum RR. Admodum DD. *Joannes Gennaro* J. U. L. Decanus, & Illustrissimi Domini Vicarius Generalis; *Ægidius de Brabant* S. T. L. Archi-Diaconus Major; *Petrus Mazureel* J. U. L. Archi Diaconus Flandriæ & Officialis; *Libertus de Froidmont* J. U. L. Pœnitentiarius; *Ludovicus Mersmans* S. T. L. *Joannes Waterloop* S. T. D. Theologalis; *Antonius Donné* S. T. L. Scholasticus, præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Canonici; & præterea RR. Admodum DD. *Philippus de Campenhout* S. T. L. & *Jacobus Boudart* etiam S. T. L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis respective Decanus & Theologalis, ac Magister *Martinus Doulcet*, Pastor S. Stephani & Decanus Christianitatis Insulensis; RR. Adm. DD. *Petrus van Cauteren* J. U. L. Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris oppidi Harlebecensis, & *Ludovicus de Berſacques* S. T. L. Decanus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis urbis Cortracensis; nec non Magistri *Joannes van der Meulen*, Pastor portionis Meridionalis dictæ urbis Cortracensis, Decanus Christianitatis Cortracensis districtus citra Lisam, & *Petrus van Eesbecque*, Pastor portionis Septentrionalis dictæ urbis Cortracensis, Decanus Christianitatis districtus Cortra-

tra-

tracensis ultra Lisam, nec non in parte Diœcesis Regi Catholico subdita Officialis pro tempore nuper constitutus.

VII.

Deputati vero fuerunt Judices Synodales RR. Adm. DD. *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Petrus Mazureel*, *Ludovicus Mersmans*, *Joannes Waterloop*, *Antonius Donné*, qui supra, nec non R. D. *Albertus Mauritius de la Hamayde* J. U. L. ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Hospitalarius, & præterea RR. Adm. DD. *Franciscus le Grand*, S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Noë Portois*, S. Nicolai de Pratis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, hujus Civitatis ac Diœcesis Tornacensis respective Abbates.

De Mandato Illmi & Rdissimi Domini mei Episcopi præfati.

DESCHAMPS, Secret.

SYNODUS DIOECESANA TORNACENSIS,

Anno Chr. MDCLXXXVIII. Innocentii XI. PP. XII. Leopoldi I. Imp. XXX.

PRÆSIDENTE EODEM REVmo ET ILLmo DOMINO, D. GILBERTO de CHOYSEUL du PLESSY-PRASLAIN, Tornacensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE 4. MAJI.

ACTA SYNODI TORNACENSIS,

Habitæ in Palatio Episcopali, die 4. mensis Maji, anni 1688.

Feria nempe tertia post Dominicam MISERICORDIA DOMINI.

Præsidente Illmo ac Revmo Domino GILBERTO DE CHOYSEUL DU PLESSY-PRASLAIN, Episcopo Tornacensi: Assistentibus Venerabilibus ac RR. Admodum Viris DD. *Joanne Gennaro* J. U. L. Ecclesiæ Cathedralis Decano, atque Illmi Domini Vicario Generali & Officiali; *Ægidio de Brabant* S. T. L. Archidiacono Majore; *Ludovico Mersmans* S. T. L. Archidiacono Flandriæ, etiam Deputato & Procuratore; RR. Adm. D. *Henrici Bochart de Champigny*, Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis Præpositi; *Alberto Mauritio de la Hamayde du Hautoit* J. U. L. Hospitalario; *Antonio Donné* S. T. L. Scholastico; *Ludovico de Faure Carignan*; *Nicolao Deschamps*, præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Canonicis; RR. Adm. DD. *Francisco le Grand*, & *Petro Honoré*, Monasteriorum S. Martini hujusce dictæ Civitatis, ac S. Amandi in Pabula Ordinis S. Benedicti respective Abbatibus; *Florentio de Bray*, Monasterii S. Christophori Phanopinensis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Abbate; R. D. *Ignatio Baclan*, Presbytero, Canonico deputato Capituli Ecclesiæ Collegiatæ S. Piati Secliniensis; RR. DD. *Petro Andrea Lacgnel* Decano, & *Carolo Avegheer*, Canonicis deputatis Capituli Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Cominiensis; R. D. *Antonio Douay*, Canonico deputato Capituli Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Cortracensis; nec non DD. ac Magistris *Nicasio Hennet*, Pastore parochiæ B. Mariæ Virginis Tornaci, districtusque Tornacensis, & Tornacesii Christianitatis Decano; *Francisco des Queux*, Pastore S. Stephani Insulis, districtusque Insulensis Christianitatis Decano; *Petro van Eesbecque* J. U. L. Pastore S. Martini Cortraci, districtusque Cortracensis Christianitatis Decano; *Petro Hergo*, Pastore loci de Rongis, & districtus S. Amandi Christianitatis Decano; *Maximiliano Tromont*, Pastore de Fretin, & districtus Secliniensis Decano Christianitatis; *Balduino van Houtten*, Pastore de Dottignies, districtusque Helchiniensis Flandrorum Christianitatis Deca-

Decano, & *Ferdinando Malfait*, Pastore de Nechin, Decano Christianitatis districtus Helchiniensis Gallorum; præsentibus etiam infra scripto Illmi ac Revmi Domini mei Episcopi Secretario, nec non Magistris *Petro de Villers*, & *Michaële Simon*, Curiæ spiritualis Tornacensis respective Actuario & Promotore.

Hora circiter octava matutina Illustrissimus Dominus, ad Dei gratiam, pro fausto Synodi successu, invocandam, in sua Capella Episcopali de Spiritu Sancto celebravit Sacrum, post quod cum Assistentibus supra nominatis in Aulam habendæ Congregationi destinatam se recepit; exortaque ibi contentione inter RR. Abbates S. Amandi, & S. Martini, super loco ab ipsis respective tenendo: Proposuit Illustrissimus Dominus ubique, ut pro hac vice, & donec res maturius discuti & decidi possit, Sessionis ordo sorti committeretur, quod cum ab eis, sub reciproca nullius præjudicii protestatione, acceptatum fuerit, sors super D. Abbatem S. Martini cecidit. Mota quoque fuit similis difficultas inter Deputatos Capitulorum Cortracensis & Cominiensis; quæ pariter eadem sorte, & sub iisdem protestationibus respectivis in horum favorem expedita fuit.

Unoquoque igitur secundum prædictum ordinem sedente, Illustrissimus Dominus brevem, de disciplinæ Ecclesiasticæ observantia, atque etiam de Synodorum, ad majorem doctrinæ securitatem, seu confirmationem, necessitate, sermonem habuit, singulosque hortatus est, ut communiter consulerent ac declararent, quidquid ad Diœcesis usum & regimen statuendum videretur. Deinde Statutum *de onere residendi*, *Seß.* 23. Concil. Trident. *Cap.* 1. *de Reformatione*, alta voce lectum fuit per Ven. Dominum *Ægidium de Brabant*, Archidiaconum Majorem, rogatum à Ven. D. Archidiacono Flandriæ, qui munus illud obire solet. Absentes porro reperti fuerunt in margine (*Exemplaris impreßi*), notati, quorum alii absentiam suam debite excusarunt, alii minime; factaque tandem deliberatione, opinantibus alternatim præfatis DD. Assistentibus, initio facto a latere D. Decani Capituli Cathedralis, ea, quæ sequuntur, sancita fuere.

ARTICULUS I.

Declaravit Illmus ac Revmus Episcopus se Manuali seu Rituali Diœcesano adlaborasse; & cum superiorum Episcoporum memoriam veneretur, eorumque vestigiis inhærere in animum induxerit, ita etiam pauca immutasse ex iis, quæ veteri Illmi ac Revmi Domini MAXIMILIANI VILLANI A GANDAVO jussu edito continentur, sed quædam dumtaxat præsenti hujus Diœcesis disciplinæ accommodasse: ne autem quid irrepat, quod non sit omnibus acceptum, optare se, ut a Synodo quidam deputarentur, quibuscum ea de re communicet. Deputati autem sunt RR. Adm. ac Ven. Viri DD. *Joannes Gennaro* J. U. L. & *Ægidius de Brabant* S. T. L. ac respective Cathedralis Ecclesiæ Decanus & Archidiaconus Major, D. *Franciscus le Grand* Abbas Monasterii S. Martini Tornacensis, Ordinis S. Benedicti, & DD. ac Magistri *Nicasius Hennet*, & *Franciscus Desqueux*, B. Mariæ Virginis Tornaci & S. Stephani Insulis, ac districtuum Tornacensis & Insulensis respective Pastores, Christianitatisque Decani.

II.

Ut inposterum stricte observetur Art. IX. Statutorum Congregationis Synodalis, habitæ sub felicis recordationis FRANCISCO VILLANI A GANDAVO, immediato Illustrissimi Domini Prædecessore, anno M. DC. LXIII. super indicibus declaratoriis reddituum Beneficiorum, a dictorum Beneficiorum possessoribus tradendis Decanis Christianitatis, & deinde ad Episcopatus Secretariatum transmittendis, mandatur Promotori, ut sex mensibus post præsentis Synodi promulgationem, negligentes cogat per solutionem mulctæ sex florenorum, quorum duæ partes operibus piis ab Illmo Domino assignandis, tertia vero pars Promotori præfato applicabuntur, dicti autem indices declaratorii a Beneficiorum possessionibus subsignati; Magistratuum præterea testimoniis firmati erunt, ut illis in codicem redactis fides possit adhiberi.

III.

Tot & tanta sunt contra Ecclesiæ jus ac immunitates attentata, ut ad Regem recurrere necesse videatur, pro Ecclesiasticæ jurisdictionis conservatione: sed ut hoc securius fiat, rogantur singuli Synodo Assistentes, & præsertim Christianitatis Decani, ut documen-

cumenta ſuper hoc perquirant, ad Illmum Dominum transmittenda.

IV.

Collectionis Synodalium Decretorum antehac editorum in executionem Statuti I. Synodi anni M.DC.LXXVII. inchoatæ, perfectio utiliſſima foret Diœceſi, utque tandem feliciter abſolvatur, univerſa Synodus deputat Reverendum Adm. ac Ven. Virum Dominum *Nicolaum Deſchamps*, Eccleſiæ Cathedralis Canonicum, qui hanc Provinciam ſub Illmi Domini regimine perlibenter ſuſcepit.

V.

Pueri ad primam Communionem non admittantur; niſi ad eam idonei ac diſpoſiti per Paſtores ſuos in examine prævio judicati fuerint.

VI.

Cum in pluribus maxime urbium Parochiis violetur præceptum Concilii Lateranenſis 4. Canone *Omnis utriusque ſexus* contentum, de annua Confeſſione proprio Sacerdoti facienda, & Communione paſchali in propria parochia ſumenda; atque etiam fideles parum ſint parochiarum ſtudioſi, præcipit Synodus omnibus Paſtoribus, ut quater ſingulis annis ac præcipue initio Quadrageſimæ vernacula lingua legant & explicent populo præfatum Canonem *Omnis utriusque ſexus*, & Cap. 13. Verſ. *Finem.* de Reformat. Seſſ. 24. Concil. Trident. *de neceſſitate & obligatione Parochias adeundi.* Porro præſens Statutum omnibus Monaſteriis ſedulo quotannis ſignificetur, ut ſecundum mentem Eccleſiæ a Regularibus obſervetur; quod ſperamus ab eorum ſingulari pietate. Sciant autem, ut quemadmodum in Cathedrali Eccleſia tota Paſchali quindena non defertur Sanctiſſimum Sacramentum diebus Dominicis & Feſtis ad S. Ludovici Capellam, prout fit per reliquum totius anni decurſum, ut in ſola parochia populus communicet; ita etiam ſibi interdictum eſſe ab Eccleſia, quominus Sacroſanctam Euchariſtiam in ſuis Capellis, Oratoriis, aut Eccleſiis fidelibus adminiſtrent. Quare inpoſterum ab exhibendis & parandis Communionis menſis, vel, ut vulgo vocantur, ſcamnis abſtineant toto quindenæ Paſchalis tempore.

VII.

Nimius Feſtorum numerus levem eorum obſervantiam, quinimo ſæpiſſime violationem introduxit. Satius hanc ob rem, ad vitandum ſcandalum, Synodo viſum fuit quædam abolere Feſta, tertium nempe Paſchatis & Pentecoſtes feſtum, prout obſervatur in Cameracenſi Diœceſi; S. Laurentii feſtivitatem ad Dominicam cum Sabbati jejunio transferre, & S. Mariæ Magdalenæ, S. Crucis Exaltationis extra muros, S. Martini, S. Catharinæ, S. Nicolai, atque SS. Innocentium Feſta populi devotioni permittere, cum licentia iſtis diebus manualibus ac ſervilibus operibus vacandi.

VIII.

Facultas bis a Sacerdotibus ſacrum Miſſæ Sacrificium eodem die celebrandi non petatur ab Illmo Domino, aut ejus Vicario Generali ſine neceſſitate urgenti, & dumtaxat poſt habitum conſilium Decanorum Chriſtianitatis, quos monitos vult Synodus, ne in re tam gravi ſe ſe faciliores exhibeant.

IX.

Paſtores omnes mittere tenebuntur in futurum quotannis, incipiendo a prima menſis Januarii ultimi die, ad Illmi Domini Secretarium duplicata ſeu copias authenticas regiſtrorum Baptizatorum, Matrimonio junctorum & mortuorum, idque ſub pœna mulctæ ſex florenorum per Promotorem ab ipſis exigendæ, & ut ſuperius in Art. II. applicandæ. Dicta autem regiſtrorum duplicata fabricæ expenſis conficientur.

X.

Explicando Art. VIII. Synodi anni MDCLXXVIII. poterunt Paſtores, pro juribus Exequiarum, legitime petere, quod laudabilis introduxit conſuetudo.

XI.

Cum Banna ante Matrimonium proclamari præceperit Eccleſia, ad detegenda

tegenda impedimenta canonica, si quæ sint occulta, ut iis detectis de ineundo inter se Matrimonio partes amplius non cogitent; visum est Synodo melius fore, ut inposterum sponsalia de futuro coram Parocho non obeantur, nisi post proclamata banna vel adeptam super illis dispensationem, si ob graves rationes, & secundum Concil. Trident. dispositionem, Episcopus dispensandum esse judicaverit. Cum enim inita sunt Sponsalia, ægre ferunt partes, quando ipsis injungitur separatio, si aliqua subsint impedimenta, & plerumque ex nimia familiaritate gravia & scandalosa emergunt incommoda.

XII.

Declaratur denique diem proximæ Synodi, & Synodorum sequentium, semper fore eandem, quæ hodie, nempe diem Martis immediate sequentem Dominicam secundam post Pascha, quæ dicitur Dominica *Misericordia Domini*, qua omnes, qui de jure aut consuetudine Synodo adesse tenentur, in Palatium Episcopale convenient hora octava matutina, adeo, ut nulla alia indictione opus sit, die interpellante pro homine. Si quis autem citra legitimam excusationem abfuerit, sciat se pœnas, prout de jure & consuetudine, ut sæpe dictum est, incurrisse.

XIII.

Juxta Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini *Seff.* 24. *Cap.* 18. nominati fuerunt pro examine Pastorum ac aliorum, RR. Admodum Viri DD. *Joannes Gennaro* J.U.L. Decanus Ecclesiæ Cathedralis, & Illustrissimi Domini Vicarius Generalis ac Officialis; *Ægidius de Brabant* S.T.L. Archi-Diaconus Major; *Ludovicus Mersmans* S.T.L. Archi-Diaconus Flandriæ; *Libertus de Froidmont* J.U.L. Pœnitentiarius; *Joannes Waterloop* S.T.D. Theologalis; *Antonius Donné* S.T.L. Scholasticus, præfatæ Cathedralis Ecclesiæ Canonici: Et præterea RR. DD. *Philippus de Campenbout*, & *Jacobus Boudart*, S.T.L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulensis respective Decanus & Theologalis; *Petrus van Cauteren* J.U.L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris Harlebecensis oppidi, & *Ludovicus de Bersacques* S.T.L. Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis oppidi Cortracensis Decanus; nec non Magister *Petrus van Esbecque* J.U.L. Pastor S. Martini Cortraci, districtusque Cortracensis Christianitatis Decanus.

XIV.

Deputati denique fuerunt Judices Synodales RR. Adm. ac Ven. Viri DD. *Joannes Gennaro*, *Ægidius de Brabant*, *Ludovicus Mersmans*, *Joannes Waterloop*, *Antonius Donné*, nec non *Albertus Mauritius de la Hamayde du Hautoit*, qui supra; præterea RR. Admodum DD. *Franciscus le Grand*, S. Martini, Ordinis S. Benedicti, & *Noë Portois*, S. Nicolai de Pratis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, hujus Civitatis ac Diœcesis Tornacensis respective Abbates.

De Mandato Illmi & Revmi Domini mei Episcopi præfati.

BENARD Secret.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA PADERBORNENSIS,

Eodem anno Christi MDCLXXXVIII.

PRÆSIDENTE

REVERENDISSIMO & CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPE ac DOMINO,

D. HERMANNO WERNERO, (*) *Paderbornensium XLVI.* (al. XLIX.) *Episcopo,*

CELEBRATA

DIE 10. JUNII.

INDICTIO, ACTA & DECRETA

S. SYNODI DIOECESANÆ PADERBORNENSIS.

INDICTIO SYNODI.

HERMANNUS WERNERUS, DEI & APOSTOLICÆ Sedis gratia Episcopus Paderbornensis, S. R. I. Princeps, Comes Pyrmontanus, & Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis Præpositus &c. Universis ac singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archi-Diaconis, Capitulis, Conventibus, Cathedralis & Collegiatarum, Regularium & Sæcularium, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, totique Clero, Clericis & Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem & Diœcesim nostram Paderbornensem ubilibet constitutis, qui de jure antiquo, vel consuetudine Diœcesanæ Synodo interesse tenentur, Salutem in Domino sempiternam.

SOlicitudo Ecclesiæ & universi gregis nostri Paderbornensis, velut instantia nostra quotidiana, cum nullam gravissimi muneris partem omittere sinat, tum præcipue & vehementer urget, ut Synodum Diœcesanam, quæ inter primarias functiones Episcopales merito numeratur, & multis nominibus excellit, juxta saluberrimum Tridentini Concilii Decretum celebremus. Quocirca quod ab initio regiminis nostri in animo habuimus, cum consilio & assensu Capituli nostri Cathedralis Synodum Diœcesanam in feriam quintam post festum Pentecostes, quæ erit decima Junii currentis anni, indicimus, omnesque Ecclesiastici status viros, qui de jure vel consuetudine Synodis interesse tenentur, in Domino invitamus & hortamur, nec non sub pœnis & censuris contra contumaces infligi solitis, præcipimus & mandamus, ut feria quarta post festum Pentecostes, quæ erit nona Junii, in Civitate nostra Paderbornensi, hora quarta pomeridiana, compareant, nomina sua in scripto Vicario nostro & Archi-Diaconis exhibeant, ac deinde decima ejusdem mane ad pulsum majorum campanarum in Ecclesia nostra Cathedrali & quidem in decente habitu conveniant, sacro Missæ Officio de Spiritu S. celebrato, & Divino Numine implorato, una Nobiscum tractaturi & conclusuri, quæ ad DEI Omnipotentis gloriam, Diœcesis nostræ incrementum, atque totius Cleri & populi mores & disciplinam informandam & promovendam necessaria & utilia videbuntur. Mandamus præterea, ut Pastores antecedenter ægrotos,

(*) De illo Antistite sub finem Synodi.

tos, si qui sint, visitent, eosque vicinis Sacerdotibus commendent: serio etiam moneant populos sibi commissos; ut diligenter pro felici Synodi hujus successu orent, feriis Pentecostalibus recitando cum suis Parochianis Litanias de omnibus Sanctis, quam, ut magis omnes ad eam alliciantur, S. D. N. INNOCENTIUS hujus nominis Papa XI. plenariis omnium peccatorum Indulgentiis decorare voluit juxta sequentis Brevis tenorem.

INNOCENTIUS PP. XI.

UNIVERSIS CHRISTI-FIDELIBUS PRÆSENTES LITERAS INSPECTURIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

" *CUm, sicut accepimus, in Ecclesia Cathedrali Paderbornensi, prima sacra Synodus benedicente Domino propediem celebranda sit, Nos, ut opus tam pium majori cum fructu ac devotione fiat, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis ac sacra Communione refectis, qui dictam Ecclesiam die, qua dicta prima Synodus inchoabitur, ac singulis diebus illius actualis celebrationis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus post celebrationem primæ sacræ Synodi hujusmodi minime valituris. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII. Maji MDCLXXXIV. Pontificatus nostri anno octavo.*

Gratis pro DEO & Scriptura.

J. G. SLUSIUS.

Quare omnes & singulos Parochos & Clerum universum in Domino hortamur, ut prævia Confessione Sacramentali, & juxta laudabilem aliarum Ecclesiarum morem & consuetudinem, in sacro Pontificali ipsa die Synodi celebrandæ, superpelliceo & stolis induti (si Sacerdotes fuerint) alii vero in Clericali habitu sacram Communionem reverenter percipiant, & similiter subditos suos ad veram peccatorum suorum confessionem, & sacræ Communionis sumptionem serio hortentur, ut plenariam hanc peccatorum Indulgentiam & remissionem digne consequi mereantur. In quorum omnium & singulorum fidem hoc Edictum manu nostra signatum, & sigillo munitum, publice proponi & legitimæ executioni demandari jussimus. Datum in Arce nostræ Episcopali Neuhusana 10. *Maji* 1688.

Hermannus Wernerus.

(L. S.)

ORDO SYNODI ET ACTA.

CUm literæ citatoriæ hunc in modum non tantum in Diœcesi Paderbornensi, verum etiam in locis Archi-Diœcesis Coloniensis, Ecclesiasticæ jurisdictioni Paderbornensi subjectis, in territorio Corbejensi, nec non Bilfeldiæ, aliisque locis ad præfatam jurisdictionem spectantibus, debite ac sufficienter intimatæ, promulgatæ, atque in diversis locis ad valvas Ecclesiarum affixæ fuissent;

Pridie ejus diei, qua celebranda erat Synodus (erat nona Junii) citati magno numero partim in Cancellaria coram D. Vicario in Spiritualibus Generali, partim in Residentiis Archi-Diaconorum comparebant, nomina sua secundum Archi-Diaconatuum distinctionem in scripto exhibentes.

Eadem die, hora quinta pomeridiana usque ad sextam omnes Templorum campanæ ad horæ spatium per urbem Paderbornensem concrepabant;

Die postera, quæ erat decima Junii, feria post Dominicam Pentecostes quinta anni millesimi sexcentesimi octuagesimi octavi, hora quarta matutina in Cathedrali Ecclesia S. Liborii matutinarum precum & horarum minorum Officium de more decantabatur, ac sub his Missæ Sacrificium ad summum Altare legebatur.

Hora sexta major Cathedralis Ecclesiæ campana Synodi futuræ index insonabat, quam communis aliarum per urbem campanarum compulsatio subsequebatur, atque ad septimam usque horam tenebat. Interea totus Clerus cum habitu, vestitu & tonsura Clericali uniuscujusque dignitati, ordini ac statui congruis in Cathedrali conveniebat.

Hora

Hora ſeptima bini & bini ad S. Brigidam exeuntes, pergebant ad Aulam Illuſtriſſimi, præcedebant Pedelli & Scholares, quorum quatuor vexilla portabant, poſt hos duo Thuriferarii, Ceroferarii duo, Diaconus cum Subdiacono librum miſſalem clauſum portante in rubeis Dalmaticis incedebant. Deinde Chorales & Cantores, duo Vicarii in pluvialibus rubris, Paſtores, Clerus urbanus ex Collegiata Ss. Apoſtolorum Petri & Andreæ & Cathedrali ordine ſuo, hos ſequebantur Canonici Buſtorpiani, Diaconus cum cruce argentea, & demum Capitulum Cathedrale. Quos omnes eodem ordine ad Eccleſiam per Paradiſum redeuntes, Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps & Epiſcopus cappa Pontificali ſuper rochetto indutus, ſub baldachino a quatuor Nobilibus Aulicis portato ſequebatur, poſt quem reliqui de familia Illuſtriſſimi procedebant.

Ingreſſæ paradiſum Illuſtriſſimæ Suæ Celſitudini per Reverendiſſimum & Perilluſtrem Dominum *Ferdinandum a Plettenberg*, Decanum Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis, dabatur aſpergillum, quo ſibi primum, deinde aliis ex Capitulo Cathedrali circumſtantibus aquam luſtralem aſpergebat, I. S. C. quæ mox per majorem januam Eccleſiam ingreſſa ſub organi & tubarum ſono per chorum omnibus tranſeunti ſibi genua incurvantibus benedictionem elargiens, ad genuflexorium ante Altare majus paratum pergebat, in quo procumbens Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adorabat, quod & cæteri omnes imitabantur, ubi cum paululum oraſſet, ad thronum cum baldachino rubeo ad cornu Evangelii præparatum I. S. C. concedebat, ibique paramentis rubeis Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium de Spiritu Sancto pro felici auſpicio Pontificaliter cantatura induebatur, atque ita parata ex throno ad Altare procedens Miſſam exordiebatur, cui tres Canonici ex Capitulo majori una cum Illuſtriſſimæ Suæ Celſitudinis Vicario Generali, rubeis ſimiliter paramentis parati, & eo modo, ut in Cæremoniali Epiſcoporum, inſerviebant.

Sub Miſſa Confeſſione per Diaconum ad cornu Epiſtolæ ſtantem decantata, I. S. C. omnibus & ſingulis ibi ex Clero præſentibus Sacram Synaxin porrigebat.

Divino Officio ſolenni more finito, I. S. C. ad thronum, & ex hoc, Orario ſeu Rationali, Caſula, Dalmatica, Tunicella, Manipulo, & Chyrotecis prius depoſitis, Pluviali vero, mitra ac baculo paſtorali reaſſumptis, ad Altare pergebat, & in primo ejus gradu, cantato per Diaconum: *Orate*, cum omni Clero genuflexo, per modicum ſpatium flexis genibus orabat.

Oratione hac finita, genuflexo adhuc Illuſtriſſimo Principe, duo Vicarii in choro cappati intonabant Antiphonam: *Exaudi &c.* & Pſalmum: *Salvum me fac Deus &c.* Choro proſequente, ut in Pontificali Romano.

Sub Pſalmo Reverendiſſimus in faldiſtorio, in plano Altaris parato, verſa ad Clerum facie, cum mitra conſidebat.

Expletis illis, I. S. C. mitra depoſita ad Altare verſa ſtans, ſubjungebat ex Pontificali orationem: *Adſumus &c.* cum ſubſequenti *Omnipotens ſempiterne Deus &c.*

Poſt hæc prænominati duo Vicarii Litanias de omnibus Sanctis inchoabant, & reſpondentibus Clericis cantabant uſque ad verba: *Ut omnibus fidelibus defunctis &c.* Poſt quæ I. S. C. Synodo, uti in Pontificali, benedicebat, facta benedictione & genuflexo rurſum Epiſcopo Vicarii Litanias reaſſumptas abſolvebant, quibus Illuſtriſſimus Collectam ex Pontificali: *Da quæſumus &c.* ſubjungebat.

Deinde cantato per Diaconum cum conſuetis cæremoniis Evangelio ſecundum Lucam: *Convocatis JEſus duodecim Apoſtolis &c.* Illuſtriſſimo cum toto Clero ſtante, duo Vicarii Antiphonam: *Regina cœli lætare &c.* intonabant, & ea a choro expleta, præcinentibusque Diacono & Subdiacono Verſiculum: *Gaude & lætare &c.* I. S. C. orationem conſuetam ſine mitra cantabat.

Rurſum duo Vicarii incipiebant: *Sint lumbi veſtri præcincti &c.* ex Reſponſorio octavo de Comm. Conf. Pont. & præcinentibus iterum Diacono & Subdiacono ℣. *Juſtum deduxit Dominus &c.* ab Illuſtriſſimo Collecta de S. Liborio ſubjungebatur.

Expleta hac oratione Illuſtriſſimus ante faldiſtorium genuflexus Hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* incipiebat, ac primo Verſu finito, cum omni Clero ſurgebat, ac Hymno ita per Choros abſoluto, cantatoque per Diaconum & Subdiaconum ℣. *Emitte Spiritum &c.* Illuſtriſſimus Collectam: *Deus, qui corda fidelium &c.* cantabat.

Quibus omnibus ſolemni ritu completis, ac Sæcularibus, quorum non intererat, choro excedere juſſis, I. S. C. in throno in medio Presbyterii aptato, Reverendiſſimi vero Capitulares in ſedilibus ab utroque Illuſtriſſimi latere per ſemicirculum poſitis conſidebant, cæteri vero omnes per ordinem & loca in choro collocabantur.

Ac primum cum ſuo ordine ſinguli conſediſſent, ab I. C. S. Vicarius in Spiritualibus Generalis nutu mandatum accipiebat interrogandi præſentes, an placeret eis inchoare Synodum, quod is faciebat his conceptis verbis:

Reverendissimus in Christo Pater & Illustrissimus Princeps ac Dominus noster HERMANNUS WERNERUS, Episcopus Paderbornensis, S. Rom. Imp. Princeps & Comes Pyrmontanus &c. Dominus noster Clementissimus, per me interrogat omnes & singulos Dominos Prælatos, & alios quoscunque ad hanc Synodum legitime vocatos, an ad DEI Omnipotentis laudem & gloriam, Ecclesiæ Catholicæ decorem, & Episcopatus Paderbornensis incrementum Synodus Diœcesana Paderbornensis legitime indicta, convocata, & congregata eis aperienda videatur.

Atque omnibus una quasi voce respondentibus, *Placet*: I. S. C. Synodum aperiendam esse, his verbis decernebat:

In nomine igitur Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Nos HERMANNUS WERNERUS Episcopus Paderbornensis, S. Rom. Imp. Princeps & Comes Pyrmontanus &c. ad DEI Omnipotentis ac Beatissimæ Virginis Dei Matris, & S. Liborii Episcopi & Confessoris, Patroni nostri, laudem & honorem pronunciamus & decernimus, hanc Synodum Diœcesanam Paderbornensem legitime a Nobis indictam, convocatam & congregatam aperiendam esse, prout eandem aperimus, apertamque esse declaramus; faxit idem Omnipotens DEUS pro sua misericordia, precibusque Virginis Beatissimæ, ac ejusdem S. Patroni nostri, aliorumque Sanctorum, ut, quemadmodum speramus, ex hoc sacro Cœtu lumen & Spiritum omnes reportemus; ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda.

Hoc responso accepto, idem Vicarius Episcopi I. S. C. pro denominandis Ministris Synodi ita alloquebatur:

Reverendissime in Christo Pater & Illustrissime Princeps, Domine clementissime, in Synodis celebrandis laudabilis est consuetudo, ut aliqui Viri prudentes & graves Ecclesiastici deputentur, qui procurent, ut omnia rite decenterque fiant, ac totius Synodi acta fideliter conscribantur; Quare Illustrissimam Celsitudinem Vestram humillime rogo, pro hujus Synodi congregatæ promotione, ut viros aliquot idoneos, Promotores, Secretarium, & Actuarium, sive Notarium in partem solicitudinis suæ publice deputare ac nominare dignetur.

Ad quæ I. S. C. sese resolvebat sequentibus verbis:

Eligimus, nominamus & deputamus te Jodocum Frihoff, *Ss. Theol. Doctorem, Vicarium nostrum Generalem.*

Te Conradum Roberti, *Ss. Theol. Doctorem, Præpositum ad S. Udalricum, in Promotores.*

In Secretarium hujus Synodi nostræ, te Henricum Leonem Bölen, *Ss. Theol. Doctorem, Parochialis Ecclesiæ Bockensis Rectorem.*

In Actuarium & Notarium vero te Georgium Holtmeyer, *Ecclesiæ Cathedralis Beneficiatum & Notarium Apostolicum.*

Deputati hi Domini Promotores in mensa, quæ ad Illustrissimi dexteram, Secretarius vero & Actuarius in ea, quæ ad sinistram in fine Presbyterii posita erat, considebant, tunc I. S. C. Synodum alloquebatur conceptis his verbis:

Venerabiles Consacerdotes & Fratres nostri charissimi &c. ut in Pontificali.

Quo absoluto, primus Promotorum D. Vicarius Generalis Decretum *de non discedendo* legebat sub hoc tenore:

Reverendissimus in Christo Pater, Princeps HERMANNUS WERNERUS, Episcopus Paderbornensis, Dominus noster clementissimus sub pœna excommunicationis omnibus & singulis præcipit & mandat, ne eorum quisquam a Civitate nostra Paderbornensi discedat, antequam hæc nostra Diœcesana Synodus de more absoluta ac dimissa sit, absque licentia Illustrissimæ Celsitudinis Suæ concessa, sed huic Synodo, Synodalibusque actionibus sessionibus, ac conventibus quibuscunque omnes & singuli intersint, eadem excommunicationis pœna proposita.

Hoc Mandato præmisso, per Actuarium reproducebantur literæ citatoriæ ad Synodum, cum protestatione factæ sufficientis insinuationis.

Ut vero de præsentium & absentium distinctione constaret, I. S. C. demandabat Actuario, ut omnium & singulorum nomina legeret: Quod & fiebat.

Cumque comperiretur, nonnullos abesse, secundus Promotorum hujusmodi absentiam & non comparentium contumaciam accusabat, atque in pœnas Canonicas incidisse declarari petebat, his verbis:

Reverendissime & Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, cum jam dies decima Junii hujus anni millesimi, sexcentesimi, octuagesimi octavi advenerit, qua omnes & singuli Ecclesiastici ordinis homines hujus Civitatis &

& Diœcesis Paderbornensis ad præscriptum legitime moniti, Synodo huic jam præsentes adesse debent, cumque diversi non paruerint, sed usque adeo vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut neque præsentes adsint, neque vero justi impedimenti excusationem, vel causam aut nuncium miserint, ideo pro muneris mei officio Ego Conradus Roberti, *Ss. Theol. Doctor, hujus Synodi Promotor, eorum contumaciam accuso, & hoc instó apud Reverendissimam & Illustrissimam Celsitudinem vestram, ut eos tanquam contumaces, in pœnas Canonicas incidisse declaret, ac nihilominus horum absentia & contumacia non obstante ad ea in hac Synodo procedi decernat, quæ pro honore Dei, morum reformatione, ac disciplina Ecclesiastica necessaria videbuntur.*

Ad hoc I. S. C. sic interloquebatur:

Decernimus, ut non obstante contumacia non comparentium, nihilominus in Synodo procedatur, tractetur & determinetur, prout illud ad majorem DEI gloriam & Ecclesiæ utilitatem expedire visum fuerit, pœnas vero Canonicas in contumaces statutas, ad ulteriorem deliberationem pro hac vice suspendimus.

Subsequebatur deinde ex suggestu Concio Synodalis, quam habebat Adm. Reverendus & Eximius Pater *Hillebrandus Schulenberg* Societatis Jesu, Ss. Theol. Doctor, ejusdemque ordinarius Professor, *de disciplina Ecclesiastica & statu Clericali.*

Oratio Synodalis

HABITA

ab Adm. Rev. & Exim. P. HILLEBRANDO SCHULENBERG, S. J. Ss. Theol. Doctore, ejusdemque ordinario Professore,

DE

Disciplina Ecclesiastica & Statu Clericali.

Attendite vobis & universo Gregi. Act. 20.

QUando munus dicendi ex hoc loco imponi humeris meis sentiebam, prope aberat, quin Hieremiæ Prophetæ ad Divinam Hebræorum genti voluntatem intimandam cœlitus destinati excusationem arriperem. Ita enim apud me statuo, nihil hic adferri oportere, quod juvenilem in dicendo copiam, aut impolitam Oratoris ruditatem sapiat; sic, ut vel dictionis argumentum plus æquo exaggeretur, vel ejusdem dignitas imperito dicendi genere magis obfuscetur, quam inclarescat. Atque hoc est, quod in eam me voluntatem hodie induxit, ut, quidquid hoc loco allaturus sum, illud, si ratione sola non convincat, ex ipsis sacrarum literarum monumentis, Conciliorum Decretis, sanctorum Patrum assertionibus, vel magnorum Virorum habitis ad Clerum sermonibus haurirem. Argumentum dictionis suggerit brevis & nervosa ad Clerum Ephesinum Mileti a gentium Doctore collectum adhortatio, contenta verbis superius allatis: *Attendite vobis & universo gregi.* Pauca verba, sed multa & grandia sub illis latent mysteria: quæ dum ex parte eruere conor; patiamini, rogo, ut orationi meæ dignissima vestra authoritas & gratia gratiam addat & authoritatem. *Attendite vobis, & universo gregi.* Sibi attendit, qui a vitiis & pravis consuetudinibus animam servat immunem, & virtutibus statui suo convenientibus debite exornat. Hanc veritatem sine ulteriore indagine approbat ipsa ratio. Gregi attendit, qui salubria ei pascua suppeditat. Ita me docet D. Chrysostomus hom. *de eo, qui incidit in latrones:* Si apud alios verba facerem, laborandum foret, ut quisnam hic grex sit, uberius explicarem: verum cum nemini ignotum sit, gregem hic esse cœtum fidelium; in hoc unum præsens dictio intendet, ut qua ratione Clero incumbat fidelium gregi bona pascua ministrare, quæ cum sui cura conjuncta sint, paucis exponat.

Optima ovium pascua sunt exempla, teste Greg. 1. *p. Pastor. cap.* 3.: Vere optima pascua, quæ quamdiu præbent, quorum est pascere, tamdiu ita sibi attendunt, ut fidelium gregem non negligant, & ita curant gregem, ut sui memoriam non deponant, ac proinde simul implent, hæc duo, quæ in allata superius adhortatione ad Clerum Ephesinum D. Paulus est complexus. Subeat animum memoria illorum temporum, quibus sub exordium nascentis Ecclesiæ Hebræorum populo Christi Evangelium per Apostolos annunciabatur. An ulla fuit inter homines Natio, quæ propriis commodis magis intenta esset, aut bonis alienis inhiaret ardentius? & tamen calescente adhuc Dei Sanguine, quem inter latrones non ita pridem affixerat Cruci, eo usque deducta est, ut nullus eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse diceret, sed essent illis omnia communia. *Act.* 4. Hic ego interrogo, quis rem tam novam, & huic genti tam difficilem persuaserit Demosthenes? quodnam os aureum inflectere potuit capita illa ferrea, ut e manibus dimitterent collectas opes,

opes, & ad pedes Discipulorum ultro deponerent? Syllogismi Exemplorum, respondit aliquando coram Pontifice & purpuratis Ecclesiæ Patribus famosus Orator, syllogismi exemplorum tantopere præpollebant, ut vim eorum nemo potuerit retundere: pedes nudi Discipulorum erant magnes divitiarum, ut certatim ad illam aram nuditatis opes & prædia immolarentur. Tanta est in hominum animos exempli Clericalis virtus. Qui in Solem venerit, inquit Seneca *Epist.* 108. licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in unguentaria taberna resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Ex his ego non ad Philosophum cum Seneca, sed ad Clericum facio consequentiam: Sic in Prælatis & Clericis virtutes efflorescere non possunt, quin eæ ad subditos & laicos sensim perveniant. Ita me sentire jubet Tridentina Synodus *Sess.* 21. *de Reform. Cleri. cap.* 1. his verbis: "Nihil est, quod magis ad "pietatem ac Dei cultum assidue instruat, "quam eorum vita & exemplum, qui se Dei "Ministerio dedicarunt: cum enim a rebus "sæculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos tanquam in speculum reliqui "oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod "imitentur." Hucusque Concilium. Compertum omnibus, quantum status Clericalis in hoc mundo præ cæteris emineat. Coalescit ille potissimum ex supremo post Christum militantis Ecclesiæ Capite, ex Episcopis, Prælatis, Canonicis, Parochis, Sacerdotibus. DEUM immortalem! quanta horum omnium dignitas! quanta Majestas impositi muneris! Summus Pontifex CHRISTI JESU in terris vices obtinet: Episcopi in apice perfectionis vi officii consistentes concreditam sibi Diœcesin paterna directione ac solicitudine moderantur: Excessus subditorum cura sua prævertunt, & corrigunt Prælati: vitam juxta normam Canonum, in quibus recte vivendi methodus eleganter depingitur, juxta etymon nominis sui profitentur Canonici: commissas sibi oves in oculis suis quodam modo semper circumferunt Parochi, quando in Sacramentorum administratione, ubi res & tempus postulaverit, indefessos se exhibent, e cathedris contra vitia detonant, studium virtutis sine intermissione commendant, &, ut omnia colligam in epitomen, ita pervigilant pro grege, quasi pro singulorum animabus rationem reddituri: Sacerdotes ad aram sistunt præsentem, & sacris manibus tractant ipsum Dei filium: quid multa? in sortem Divini Numinis transierunt Clerici universi, teste Hieron. *Ep.* 2. *ad Nepotian.* his verbis: κλῆρος græce, latine Sors interpretatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse pars, id est, sors Clericorum est. Unde merito exclamat S. Carolus Borromæus numeris omnibus absolutum bonorum Præsulum Exemplar concione 3. quam ipsemet habuit in Synodo Diœcesana XI. ad Clerum: O qualis & quantus est hominis Ecclesiastici status! quam insignis dignitas! per umbras veteris testamenti huic dignitati prælusit olim Deus, quando præ cæteris tribubus specialim tribum Levi suo cultui voluit esse mancipatam. Levi namque significat assumptum, adhærentem, copulatum seu conjunctum mihi, ut observat eruditus Psalmorum interpres Le Blanc *in Psalmum* 118.: Hæc quoque causa est, cur Deus olim Aaronem & filios ejus Sacerdotio initiandos jusserit a terra elevari Exodi 29. *Sanctificabis eos, elevans coram Domino, nimirum ut in altum sublati non jam amplius terræ, sed ipsi DEO insisterent.* Jam vero si Clerum tam alte evexit sui status dignitas; quid mirum, si vita, si mores eorum censorios Laicorum oculos non effugiant? Excelsi montes nequeunt sese in vallibus confidentium conspectui subducere. Si Clerici non terræ insistant, sed soli Deo; quid mirum, quod mundum universum exemplo suo possint commovere? Ut totum terræ globum circa centrum circumageret, hoc unicum postulavit Archimedes, ut in loco extra terram posito pedem figeret: *Sinesius.* Episcopus Cyrenensis, Ne ergo quis mihi dixerit: quid vita mea in animis hominum magnopere valebit? quis ad mores meos attendit: ne dixerit inquam: fidem enim hæc non inveniunt apud eos, qui norunt, quanta sit exempli in mentibus humanis vis, quantisque hoc machinis animos populi, nihil tale sentientes expugnet. Plurimum etiam in utramque partem valet Cleri vita in animis hominum tam ad bonum, quam ad malum impellendis: ut metuendum profecto sit, ne tantum propter vitæ malæ exemplum Clerici non pauci æternis inferorum suppliciis sint addicendi, in iisque multi olim damnati, quorum animas scandalis suis occiderunt, ipsis exprobaturi sint in perpetuum illud, quod Latroni cuidam ab Innocente puero, quem præter cæteros interfecerat, continuo oculis obversante, & in rabiem agente exprobratum narratur: Tu me occidisti: tu, qui me servare debebas, tu me occidisti. Vetus proverbium est: qualis Rex, talis Grex: qualis Clerus, talis Populus: qualis Prælatus, talis Subditus: qualis Pastor, talis Parochia. Et sic est. Neque fieri unquam poterit, ut rami vitæ ferant fructum, si truncus, & cui innascuntur, radix, vitæ sint expertes: neque membra vigebunt virtute Christiana, ubi eadem

carue-

caruerit anima, a qua illa vitam & regimen trahunt. Nolite credere, unquam fore, ut Ecclesiæ filii efflorescant virtutibus, dum illorum Patres, Ducesque inanes meritis exarescunt. *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur.* Matth. 5. Vos estis Lux mundi, & quædam sidera ac quasi constellationes, sub quibus Ecclesiæ filii nascuntur, & educantur, vestras in illos influentias immittentes. Solent quandoque homines, ut vel suas, vel filiorum naturas, ingenia, vitamque futuram explorent, Astrologos consulere, & horoscopum seu constellationem aut Planetam, ut ajunt, sub quo nati sunt, inspicere. Ita olim Manilius Astrologorum Princeps, a Romano consultus est Senatore, ut sibi filii sui futuros eventus, virtutesque ex ejus horoscopo prænuntiaret: hic, cum illum sub hædis vel capreolis, (sidus est) natum intelligeret; o nuntium malum! inquiebat: non enim sub isto sidere effinguntur Bruti generosi, non Torquati justi, sed Sardanapali voluptuosi, sed effœminati Parides.

Majus onus signo est: hædis nec tanta petulcis
Conveniunt, levibus gaudent, lascivaque signant
Pectora.

Sic (gravis quidam Author ait) de populo, de civitate, de pago quocunque interrogabo: Sub quo sidere ille nascitur & vivit? Sub quo Clero, sub quo Prælato? sub quo Parocho? sub quo Sacellano? Si sidus illud fuerit libra scil. Justitiæ; si Leo generositate videlicet Christiana; si Virgo castitate; o felicem, clamabo, populum, cui datum est sub isto sidere nasci cœlo, & vivere Deo! At si sub Tauro feroce, si sub Scorpione venenoso, si sub Cancro retrogrado, si sub Capro lascivo, si sub Amphora tuburcinante, quid clamabo aliud, quam quod olim Manilius? *Majus onus signo est*: non quærite in hoc populo patientiam Martyrum, non puritatem Virginum, non probitatem, & temperantiam Confessorum: nam quale sidus, qualis Clerus, talis sub eo nascitur populus: tota fere populi probitas a Cleri virtute dependet. Quantumvis varii in Clero ad varia destinemur Ecclesiarum munia, eo tamen cuncta collimant, ut ad Deum, Divinasque virtutes per nos populus attrahatur. Huc spectant sacræ e suggestibus orationes, huc laudum Divinarum in templis decantationes, huc fundata a Majoribus tanta Ecclesiasticorum copia. Neque sibi quisquam persuadeat, solis curatis beneficiis animarum curam annexam esse, solos Prælatos ac Parochos humeris suis portare ingens illud onus tot animarum, de quibus severo Judici rigida aliquando ratio sit reddenda. Omnes, omnes, hoc onus portamus Clerici: si enim doctrina non omnes possumus, bono exemplo certe possumus, & debemus omnes. Pro eo tam opulentis Beneficiorum patrimoniis alimur, non tantum ut fructus consumere nati (hoc enim si in quosvis pauperes sua Majores erogassent, consecuti abunde fuissent) sed ut fruamur ad Ecclesiæ incrementum, & animarum utilitatem, quas aliquando de manibus nostris justissimus Deus reposcet. Unde recte Trid. *Sess. & cap.* nuper civitatis Clericos universim sine exceptione ita alloquitur: Sic decet Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præ se ferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem, addo ego ad mentem ejusdem Concilii, & piam æmulationem. Veruntamen quamvis de omnibus hæc verissima sint, maxime tamen cadunt in Prælatos, Judices Ecclesiasticos, & Parochos, eorumque vicem agentes, quibus ex officio incumbit, partim transgressores legum punire, & amoliri, partim contra scelera in Ecclesiis declamare. Delirant sane, qui multis populum docere verbis contenti dicunt, & non faciunt, contractisque superciliis ea documenta tradunt, quæ ipsi nunquam experti sunt. Qui alium doces, exprobrat huic Ecclesiasticorum generi Apostolus Rom. 2.: *Te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras?*

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si Fur displiceat Verri, aut homicida Miloni?

Comœdiam sane, non concionem dixerit, ubi voce jubetur, quod factis vetatur: qui vult sanctum populum, sanctus ipse sit: nam dicere tantum, & non facere, est ludibrio Ecclesiæ authoritatem exponere. Præclare hoc admonet Hieron. *Ep superius cit.* Non confundant opera tua sermonem tuum, nec cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam & latro potest: Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. Et S. Gregor. *in caput* 28. *Jobi sub finem*: Lo-

quendi authoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur: illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc, quod sonnerit, opere confirmat. Neque est, quod quis prætendat illud. Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcunque dixerint vobis, hæc facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Nam idem Deus Ps. 49. peccatori dixit: *Quare tu enarras justitias meas, & sumis per os tuum testimonium meum, tu vero projecisti disciplinam.* Alios vis justos, tu vero projecisti omnem virtutis disciplinam. Augustinum audiamus in prædictum Psalmum: Ubi est illud, quæ dicunt facite. .... Sed hæc dicta sunt, ne timeant, qui audiunt, a quocunque audiant; non ut securi sint, qui dicunt bona, & faciunt mala. Quid de talibus vulgus exclamabit aliud, quam cur in labris Sacerdotum tanta sanctitas, in manibus vero sæcularis perversitas? vox illa Judicis Ecclesiastici objurgantis, & corrigentis excessus videtur esse de cœlo, sed mens est in cœno: ex ore prodeunt stellæ documentorum, sed brachiis adhæret lutum peccatorum. Audiamus iterum magnum Ecclesiæ Doctorem Augustinum *in Psalmum* 50. ubi hoc refert literarum in pulvere Joannis 8. a Christo scriptarum compendium: Justa lex, quæ jubet adulteram occidi, sed hæc lex justa Ministros habeat innocentes: attenditis quam adducitis, attendite qui & sitis. Nimirum dedecet, eum in continentium, ebriosorum, & injustorum excessus persequi, qui sit eodem, ut ajunt, perfusus jusculo, quod in subditis castigat. Philosophorum non ignobilium opinio est, vapores e terra & fimetis elicitos evectosque in secundam aëris regionem, ibidemque purgatos accendi in fulmina, & terribili suo murmure homines alias satis intrepidos percellere, ingentes turres perfringere &c. Nunquid monstrosum foret ac ridiculum, si vapor e fimeto Jobi in aërem nonnihil elevatus illico modicæ celsitudinis impatiens auderet ad terrorem spectantium lucere fulgetris, & minari fulminibus? non meretur ille venerationem sui ac timorem, nisi postquam altius evectus adhærentes e sterquilinio sordidas affectiones prius deposuerit. Non persequor hæc pluribus, quia intelligentibus sufficiunt pauca. Abunde reor esse demonstratum, quo modo Clerici sibi & Fidelium gregi attendendo prædictæ admonitioni Apostolicæ se possint ac debeant conformare: Si nimirum inculpatæ vitæ exemplo & se perficiant, & alios fideles ad sui imitationem provocent. Nimirum id exegit a nobis S. Mater Ecclesia, cujus per Dei gratiam filii sumus, ne illam contristemus: hoc a nobis exposcit ratio status Clericalis, cujus membra sumus, ne illum moribus nostris deturpemus: hic præcipuus Synodorum toties repetitarum finis est, ne ab eo deflectamus. Attendite ergo vobis & universo gregi: Sic pascite, qui in vobis est gregem, providentes non coacte, sed spontanee, non turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. Petri 5. *Pascite, ut qui pascitur inter lilia, aliquando pascat deliciis*, de quibus Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super Thronos judicantes duodecim tribus Israel.*

Absoluta Concione, primus Promotorum apud I. S. C. pro Decretorum Synodalium lectione instabat, his verbis:

Reverendissime in Christo Pater, Illustrissime Princeps, Clementissime Domine, ut diligentior & cumulatior executio fit Diœcesanorum omnium Decretorum & Edictorum ad hujus Ecclesiæ & Diœcesis rationem bene gerendam, ab Illustrissima Celsitudine vestra humillime peto, atque insto Decreta Synodalia, ut moris est, de suggestu promulgari, & omnia alia edici & enunciari, quæcunque in hac Synodo Diœcesana pro prudentia & charitate sua Clero huic Diœcesano edici & promulgari constituit, quo idem Clerus instructior inde fiat, & solicitudinis studio inflammatior sit, ad omnem Ecclesiasticæ disciplinæ rectam cumulatamque executionem, perpetuamque observantiam.

Hoc dicto, Secretarius Synodi genuflexus interrogabat Illustrissimum, an Statuta & Decreta confecta publice legi & publicari placeret.

Illustrissima Sua Celsitudine per *Placet* annuente, idem Secretarius suggestum ascendebat, & lectionem Statutorum aggrediebatur.

Perlecta magna eorundem parte, instabat Vicarius Generalis pro facienda Fidei professione, juxta Decretum Concilii Tridentini, simulque humiliter petebat, Sanctionem ejusmodi publice legi.

Decernente illud ipsum I. S. C. Secretarius ex suggestu legebat verba sequentia Concilii Tridentini.

„ Præcipit igitur Sancta Synodus
„ Patriarchis, Archi-Episcopis, &
„ omnibus aliis, qui de jure vel con-
„ suetudine in Concilio Provinciali in-
„ teresse debent, ut in prima Synodo
Pro-

" Provinciali, post finem præsentis " Concilii habenda ea omnia & singu- " la, quæ ab hac S. Synodo definita & " statuta sunt, palam recipiant, nec " non veram obedientiam Summo Ro- " mano Pontifici spondeant ac profi- " teantur, simulque hæreses omnes a " sacris Canonibus & Generalibus Con- " ciliis, præsertim ab hac eadem Syn- " odo damnatas, publice detestentur & " anathematizent.

" Idem imposterum, quicunque " in Patriarchas, Archi-Episcopos & " Episcopos sunt promovendi, in pri- " ma Synodo Provinciali, in qua ipsi " interfuerint, omnino observent, quod " si quis ex supradictis omnibus, quod " absit, renuerit, Episcopi Compro- " vinciales statim Summum Pontificem " admonere, sub pœna Divinæ indig- " nationis teneantur, interimque ab " ejusdem Communione abstineant.

" Cæteri vero omnes sive in præ- " senti, sive in futurum Beneficia Ec- " clesiastica habituri, & qui in Synodo " Diœcesana convenire debent, idem " ut supra, in ea Synodo, quæ primo " quoque tempore celebrabitur, fa- " ciant & observent, alias secundum " formam sacrorum Canonum punian- " tur."

Quibus recitatis, & omnibus ad I. S. C. exemplum stantibus, detectisque capitibus idem Secretarius formam professionis ex Pontificali omnium nomine alta & distincta voce, usque ad illa verba: *Idem Ego* &c. exclusive prosequebatur.

Finita lectione, Illmam S. Celsitudinem ita alloquebatur Vicarius Generalis:

Reverendissime & Illustrissime Princeps, Clementissime Domine, Episcopus quidem in prima Synodo Diœcesana non tenetur emittere Fidei professionem (quia non habet ibi majorem) sed in Synodo Provinciali; quia tamen Provincialis Synodus fere nunquam hodie celebratur, merito laudandi sunt illi Episcopi, qui in prima sua Synodo Diœcesana coram DEO genuflexi ante Altare Fidei professionem emittunt, est enim actus summæ Religionis. Placebit itaque Illustrissimæ Celsitudini vestræ sub breviori formula ad universi Cleri excitamentum eandem clementissime emittere.

Quo dicto, I. S. C. in Throno genuflexa versa ad Altare facie, depositaque mitra fidem profitebatur sub sequenti forma a PIO IV. Pont. Max. præscripta.

Ego HERMANNUS WERNERUS, Episcopus Paderbornensis, recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo & juro, ut in Decretis & formula Professionis fidei modo lectis, singula singulis referendo, sic me DEUS adjuvet & hæc sancta DEI Evangelia &c.

Interea ob reverentiam genuflexi, ac profitentis Episcopi omnes simul stabant.

Postmodum I. S. C. recepta mitra ac in sede sua renibus ab Altare versis considens, ante alios Vicarium Generalem coram se genuflexum profitentem excipiebat, qui deinde reliquos de Clero præsentes ad parem Professionem vocabat:

Ac mox singuli, Reverendissimi primum Canonici Assistentes, tum cæteri Capitulares præsentes, post hos Canonici Bustorpiani, & deinde reliqui coram Illustrissima Sua Celsitudine, nonnulli vero coram ejusdem Vicario Generali ob temporis angustias fidem professam juramento confirmabant formula supra posita.

Post factam deinde Professionem quisque nomen suum in schedula scriptum Actuario porrigebat.

Expleta ab omnibus solemni hac Fidei professione, I. S. C. omnes magno affectu & publica contestatione ita affabatur:

Qui aliter senserit, anathema sit, qui aliter docuerit, anathema sit, hæc est vera fides Catholica, extra quam nulla salus, hanc solam omni diligentia docebimus, hanc solam totis viribus defendemus, hanc in ultimum usque spiritum servabimus.

Quod omnes ac singuli acclamatione fausta per verba: *Placet, Placet, Amen, Amen*, corroborabant.

Omnibus postea considentibus Vicarius Generalis interrogabat I. S. C. pro Sessionis continuatione.

Quam, demandante ita I. S. C. fore hora secunda post meridiem, idem Vicarius omnibus intimabat.

Postquam demum Promotor secundus D. *Conradus Roberti* me Notarium pro conficiendo instrumento requisiverat.

Diaconus stans ad cornu Evangelii & dexteram Illustrissimi versa ad Clerum facie cantabat *Orate*, & quatuor Orationes pro hac Sessione impressas, ac post quamque cum I. S. C. totus Clerus orabat.

Finitis hisce Orationibus, I. S. C. data manu Benedictione ad thronum redibat, & depo-

depofitis in eo Pluviali, aliisque paramentis, ac reaffumpta cappa Pontificali, ad genuflexorium defcendebat, in quo procumbens per modicum fpatium orabat, ac deinde Reverendiffimis Dominis de Capitulo Cathedrali ufque ad fores Ecclefiæ comitantibus ad prandium recedebat, reliquis ad fua dimiffis.

Hora prima poft prandium dabatur in Cathedrali fignum ad Vefperas, quæ medio fecundæ modo confueto decantabantur, & fub his tam in majori, quam aliis Ecclefiis ad Synodum iterum fiebat compulfatio.

Hora fecunda I. S. C. in fua cappa Pontificali & comitatu DD. affiftentium Diaconorum ad Ecclefiam revertebatur, & prope Sacellum S. Brigidæ a Reverendiffimis DD. Capitularibus excipiebatur, ubi a Reverendiffimo ac Perilluftri D. Decano dabatur afpergillum, quo I. S. C. fibi cæterisque circumftantibus aquam benedictam afpergebat. Illuftriffimus organo & tubis interfonantibus Templum ingreffus per chorum, in quo totus Clerus rurfum congregatus comparebat, ad genuflexorium ante Altare majus pergebat, ex quo, poftquam per breve tempus viventem in fæcula genuflexus adoraverat, thronum afcendebat, ubi cappa Pontificali depofita, paramenta, quibus mane indutus fuerat, recipiebat, & ita paratus ad primum Altaris gradum procedens, cantato per Diaconum: *Orate*, cum Clero orabat genuflexus.

Facta brevi oratione, Illuftriffimo adhuc genuflexo, duo Vicarii, qui mane, intonabant ex Pontificali Antiphonam: *Propitius efto* &c. & Pfalmum: *Deus venerunt gentes* &c. fub quo I. S. C. in faldiftorio, uti mane, confidebat.

Abfoluto Pfalmo & Antiphona repetita, I. S. C. ex Pontificali cantabat tres Orationes, quarum initia: *Noftrorum tibi Domine* &c. *Mentibus noftris* &c. *Deus qui nos juftitiam loqui* &c.

Finitis Orationibus, per Diaconum Evangelium fecundum Lucam: *Defignavit Dominus* &c. in loco confueto cum folitis cæremoniis cantabatur.

Eo finito, I. S. C. flexis ante faldiftorium genibus Hymnum: *Veni Creator* &c. poftea alternatim a Choro decantatum inchoabat.

Expleto Hymno & præcinentibus Diacono & Subdiacono ℣. *Emitte Spiritum* &c. I. S. C. orationem de S. Spiritu fubjungebat.

Cantata Oratione, Illuftriffimus ad thronum in medio Presbyterii præparatum procedebat, in eoque confidens cum mitra, Clerum fic alloquebatur:

Venerabiles & Dilectiffimi Fratres &c. uti in Pontificali.

Hoc facto, Vicarius Generalis de Examinatoribus pro concurfu & facris Ordinibus his verbis proponebat:

Reverendiffime in Chrifto Pater, Illuftriffime Princeps, Domine Clementiffime, moris eft, ut in Synodo proponantur Examinatores pro concurfu & facris Ordinibus, placebit Celfitudini veftræ eos denominare.

Quos I. S. C. fub fequenti tenore deputabat:

In Examinatores ftatuimus Jodocum Frihoff, *Ss. Theol. Doctorem, Vicarium noftrum Generalem.*

Conradum Roberti, *Ss. Theol. Doctorem, Præpofitum ad S. Udalricum.*

PP. Hildebrandum Schulenberg, *&* Theodorum Körding, *Soc. JEfu, Ss. Theol. Doctores & Profeffores ordinarios.*

P. Cœleftinum Schulenberg, *Ordinis S. Benedicti Monafterii Abdinghoffenfis, Ss. Theol. Lectorem.*

P. Jacobum, *Guardianum Conventus Paderbornenfium Capucinorum, Ss. Theol. Lectorem.*

PP. Ivonem Ifinck & Lucam Braunhagen, *Ord. S. Francifci ftrictioris Obfervantiæ Conventus Paderbornenfis, Ss. Theol. Lectores.*

Lecto deinde per Secretarium Decreto de præftando Juramento, præfentes ex Examinatoribus prænominatis cumprimis coram I. S. C. illud præftitere, de reliquis vero nunc abfentibus demandabat I. S. C. Vicario Generali, eorum jusjurandum privatim fufcipere.

Præmiffis hifce, D. Vicarius Generalis pro ulteriore lectione Decretorum Synodalium inftabat.

Annuente illud I. S. C. Secretarius ex fuggeftu reliquam Statutorum partem legendo perfolvebat.

Perlectis in fine fubjunctis Decretis, Vicarius Generalis eos, qui mane Fidei profeffionem non emififfent, ut jam juxta Concil. Trid. præftarent, monebat;

Cum vero nemo effet, qui fe ad præftandam Profeffionem fifteret, fecundus Promotorum abfentium contumaciam iterato accufabat.

Ad quod I. S. C. decernebat & jubebat fieri debere juxta facrorum Canonum Conftitutiones.

Tan-

Tandem ad instantiam Vicarii Generalis pro Synodi conclusione, I. S. C. eam concludendam esse decernebat, quod Decretum Secretarius ex suggestu publicabat sub hoc tenore:

Ad laudem DEI Omnipotentis, Beatissimæ Virginis MARIÆ, S. LIBORII Episcopi & Confessoris Patroni nostri, ac aliorum nostrorum Protectorum decernimus Synodum dimissam, ac propterea cuique eundum esse ad proprias Ecclesias. Hortamur autem vos omnes Fratres charissimi, ut oretis sedulo pro vita Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac Domini, Domini HERMANNI WERNERI Episcopi Paderbornensis, Domini nostri clementissimi, ut sint dies ejus sicut dies cœli super terram, & ut det Dominus virtutem nobis & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Illustrissimæ Celsitudinis suæ, & serviamus ei multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu ejus. Deinde rogamus & monemus omnes in Domino, ut tales vos præbeatis in ministerio vestro, quales maxime decet Sacerdotes ab omni mundanorum cura segregatos; illudque maxime, cum ad propria redieritis, præstandum erit, ut populus omnis vos ab hac Synodo non mediocrem fructum reportasse intelligat: quod fiet, si novo Spiritus Sancti lumine illustrati, quæ magna Synodorum est vis & virtus, cæteris in omni opere vestro imposterum prælucere studueritis, & in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis, quod omnibus nobis præstare dignetur Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Publicato hoc Decreto, tam majoris, quam aliarum Ecclesiarum campanæ in signum finiendæ Synodi insonabant, & Processio fiebat per ambitum seu porticum, eo Cleri ordine, quo I. S. C. mane ad Templum deducta fuerat.

Durante hac per porticum & Ecclesiæ navim Processione, a Cantoribus Psalmi: *Benedicite*, *Laudate Dominum de cœlis* &c. cum cantico *Benedictus* &c. per Choros decantabantur.

His finitis, & omnibus in choro suis ordine & loco rursum collocatis, I. S. C. ante Altare majus mitra deposita incipiebat Hymnum: *Te Deum laudamus* &c. qui per Tubicines Musicos & Chorum alternabatur.

Hymno completo, I. S. C. ex Pontificali subjungebat Orationem: *Nulla est Domine* &c.

Dicta Oratione, Diaconus ad Clerum versus cantabat: *Orate*, cum sex Orationibus impressis, & post singulas I. S. C. cum Clero orabat.

Cantatis illis, ab eodem Diacono I. S. C. ad populum cum mitra conversa fiebant acclamationes pariter impressæ, Choro & omnibus Clericis respondentibus.

Post hæc I. S. C. in faldistorio in plano Altaris posito cum mitra considens, omnes & singulos ad Pacis osculum eo ordine, quo ad Fidei professionem admittebat.

Quo facto, & postquam secundus Promotorum me Notarium pro conficiendô Instrumento iterum requisiverat, Secretarius ex suggestu Festa mobilia ex Pontificali mutandis mutatis publicabat.

Quibus promulgatis, & data ab I. S. C. cum mitra ante Altare stante, solemni Benedictione, publicatisque per Vicarium Generalem Indulgentiis, Diaconus ad Clerum versus cantabat: *Recedamus in Pace* &c. cui præsentes respondebant: *In nomine Christi* &c.

Et sic finis impositus est Synodali conventioni, recedentibus omnibus, qui venerant, Reverendissimis DD. Canonicis Cathedralis Ecclesiæ I. S. C. ad fores usque deducentibus & Reverendissimis DD. Assistentibus ad Residentiæ domum comitantibus.

Et quia Ego GEORGIUS HOLTMEYER auctoritate Apostolica Notarius publicus, Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis Beneficiatus, a supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præside in Actuarium deputatus, omnibus & singulis præinsertis Actis & Actitatis interfui, idcirco præscripta Acta Synodalia in fidem eorundem prævia debita requisitione, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc anno a partu Virgineo Millesimo, sexcentesimo, octuagesimo octavo, Indictione undecima. Pontificatus S. D. N. Domini INNOCENTII Papæ Undecimi, anno duodecimo, diebus, mense & loco, quibus supra, præsentibus Adm. Reverendis & Doctissimis DD. ROBERTO DESROSEAUX & JOANNE SCHULTEN, Reverendissimæ Celsitudinis suæ Capellanis, Aulicis Testibus fide dignis specialiter rogatis.

GEORGIUS HOLTMEYER,
Auct. Apostol. Not. publ. mpp.

DE-

DECRETA & CONSTITUTIONES SYNODI.

HERMANNUS WERNERUS, DEI ET APOSTOLICÆ *Sedis gratia Episcopus Paderbornensis, S. R. I. Princeps, Comes Pyrmontanus, & Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis Præpositus &c. Universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archi-Diaconis, Capitulis, Conventibus, Cathedralis & Collegiatarum, Regularium & Sæcularium, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, totique Clero, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem & Diœcesin nostram Paderbornensem ubilibet constitutis, Salutem in Domino sempiternam.*

CUm hodierna die intermissam multis annis Synodum Diœcesanam juxta obligationem nostram, ad gloriam Omnipotentis DEI, Beatissimæ Virginis Matris MARIÆ, nec non Sanctorum LIBORII & KYLIANI honorem resumpserimus, speramus fore, ut omnes ex hoc sacro Cœtu lumen & Spiritum ad officia nostra debite peragenda reportemus, eum in finem sequentes Ordinationes & Decreta de Venerabilis Capituli nostri assensu ab omnibus imposterum observanda serio præcipimus.

INDEX TITULORUM SYNODI.

CONSTITUTIONUM ET DECRETORUM SYNODALIUM DIOECESIS PADERBORNENSIS

PARS PRIMA.

TITULUS I.

De Fide Catholica.

I. QUo ad salutem magis necessaria est Fides Catholica, sine qua impossibile est placere Deo. *Hebr.* 11. Eo majore cura & solicitudine attendendum

dendum universo gregi nostro, ut ante omnia integre, inviolabiliterque hanc fidem teneat, ab omni alieni dogmatis vel potius erroris contagione præservetur, & si quæ oves aberrent, ad ovile Ecclesiæ reducantur.

II. Idcirco Exercitium Acatholicum sive privatum, sive publicum, insistendo Prædecessorum nostrorum vestigiis, nullatenus tolerare volumus in hac nostra Diœcesi, mandantes serio Pastoribus sedulam attentionem & vigilantiam, ut, si qui Prædicantes aut Ministri Acatholici irreperent, & vineam Domini demoliri conarentur, contra ejusmodi, ope Magistratus sæcularis sibi præsto futura utantur, Nobisque quamprimum denuncient.

III. Quamvis Germaniæ status non ferat, ut veteres Canones de vitando hæreticorum commercio observentur, nihilominus Acatholicorum Prædicantium conciones audire, aut exercitiis eorundem sectæ interesse prohibemus, cum id vel veram simulationem sapiat, vel inde grave perversionis periculum immineat.

IV. Dolendum valde, quod parentes aliqui propriæ & filiorum salutis immemores, filios suos spe lucri, opificii aut mercaturæ causâ ad loca Acatholica mittant, ubi tales subinde sedem figunt, & fidem, pro dolor, deserunt, moneant Parochi serio ejusmodi parentes, ne cum periculo animæ & suæ & filiorum temporale commodum quærant.

V. Sub pœna confiscationis librorum & gravis arbitrariæ mulctæ Typographis & Bibliopolis mandamus, ne ullos libros imprimant, imprimive curent, nisi prius a Vicario nostro approbatos, aut in hac Diœcesi libros prohibitos aliunde importatos distrahant.

TITULUS II.

De Professione Fidei.

I.

NOn satis est ad salutem, interius credere, sed præterea necesse fidem exterius profiteri: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; hinc Propheta Regius: credidi, propter quod locutus sum.

II. Ad hujusmodi professionem animo omnes prompti esse debemus: actu autem & reipsa edent, quotquot in Diœcesi nostra ad dignitates, Canonicatus in Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis, ad Beneficia curata & quæcunque alia promoventur, superiores Regulares, qui ad Doctoratum, Licentiam & alios gradus Academicos aspirant, Lectores, Confessarii, Concionatores, Magistratus, Medici, Ludimagistri, obstetrices, & quicunque Catholicæ Ecclesiæ reconciliari cupiunt.

III. Ex his provisi de dignitatibus, quarum confirmatio ad Nos spectat, & de curatis Beneficiis coram Nobis, aut Vicario nostro Generali, aut Archi-Diaconis, ubi eisdem jus investituræ competit; de aliis dignitatibus & Canonicatibus, Beneficiis, Vicariis in Cathedrali, & Collegiatis in manibus Decani & Capituli ejusdem Ecclesiæ, Regulares coram suis Superioribus, Ludimagistri autem, & obstetrices ex commissione Archi-Diaconorum coram Parochis.

IV. Facienda autem erit professio in Templo, Capitulo, aut alio loco decenti super Altari, vel mensa cum imagine Sanctissimi Crucifixi, Missali vel libro Evangeliorum aperto, cereis duobus accensis & præsentibus aliquot testibus; Recipiens professionem sit indutus stola, & superpelliceo in sede collocatus, legentem diligenter audiat, aut si legere non possit, distincte prælegat, & factam professionem notet.

V. Etsi Professio fidei non semper obliget, nunquam tamen, aut veram negare fidem, aut simulare alienam licitum, unde meminerint, & moneantur Catholici, dum Acatholicorum terras peragrant, præcepta Ecclesiæ de observantia jejuniorum non violare.

TITULUS III.

De Prædicatione verbi Divini.

I.

UT verbi Dei prædicatio, quod eſt vitæ ſpiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operum fundamentum, incrementum accipiat; & uberiores in ſingulos dies pœnitentiæ fructus in fideli populo ferat, ſtatuimus:

II. Ut Concionatores gravitatem peccatorum pœnarumque inde provenientium deſcribant, virtutis amorem omnibus inſtillent, præcepta Dei & Eccleſiæ modumque ea ſervandi proponant.

III. Abſtineat Concionator, oſtendendæ doctrinæ vel eloquentiæ cauſa ab inanibus & difficilibus, captumque auditorum ſuperantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæſtionibus, unde ſui ipſius potius, quam JESU CHRISTI Prædicator eſſe videatur.

IV. Ne auditoribus tœdium creetur, Concionator dictione ſua mediam horam, aut tres quadrantes non excedat.

V. Nemo aniles fabulas, nemo ſcommata, nemo ſales ac jocos, nemo incertas atque apocryphas hiſtorias, aut ſuſpecta jure miracula pro ſuggeſtu recenſeat.

VI. Cum per ſcommata & convitia Acatholicorum animi magis exaſperentur, ab iis Concionatores abſtinere, contra verò dogma aliquod Catholicum frequenter ſolidis argumentis confirmare, contrariumque errorem nervoſe refutare mandamus.

TITULUS IV.

De Catecheſi.

I.

A Proba puerorum atque adoleſcentum informatione non privata tantum familiarum paucarum, ſed publica etiam & communis Reipublicæ totius ſalus, atque Eccleſiæ integritas dependet, quam ob rem neceſſarium plane eſt, ut omnes a teneris, atque ab adoleſcentia portent jugum Domini in pietate & bonis moribus, ac literis inſtruantur, ut una cum pietate ac Religione honeſtas conjuncta ab incunabulis imbibatur. Quocirca Parochi omnes tradendæ Chriſtianæ doctrinæ, & explicandi Catechiſmi ſtudium ſibi habeant cordi ac curæ, cogitentque ſe tanquam bonos optimi Patrisfamilias Miniſtros multo diligentiorem operam ſpargendæ in novali Domini agro Catholicæ Religionis ſementi impendere velle, quam inimicus homo in ſuperſeminandis zizaniis (quæ evelli deinde ægerrime queant) collocet.

II. Singulis itaque diebus Dominicis elementa Religionis Catholicæ juxta methodum Catechiſmi Romani perſpicue explanent pueris Parochi, vel per ſe, vel per alios ad functionem hanc idoneos tempore promeridiano ſub horam duodecimam vel primam, idque in oppidis & pagis obſervari jubemus.

III. Atque, ut rudis pueritia ad piam exercitationem animetur, affluatque copioſius, lingua vernacula per breves & conciſas quæſtiunculas ſuaviter atque humaniter Fidei rudimenta, hoc eſt ea, quæ ad fidem, ſpem & charitatem, Sacramenta & Officia juſtitiæ Chriſtianæ pertinent, continentur Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Præceptis Dei & Eccleſiæ, virtutum ſtudio, vitiorum fuga, exponant, diligentioribusque munuſcula donent.

IV. Paſtores, Concionatores & Catechiſtæ invitent, & alliciant etiam juvenes ac ſeniores ad Catechiſmum audiendum, cum hi ſæpe numero magis quam pueri Catechetica indigeant inſtructione. Supinam inſuper parentum in educandis prolibus ſocordiam ſæpe caſtigent, cum experientia conſtet, multos mortalium majorem pecoris ſui, quam prolis, aut ſui ipſius rationem habere: unde, quod deplorandum eſt, complures aſtu, & ſuaſu diaboli ad veneficia & magicas artes ſeducuntur. Efficaciter proinde parentibus & Patribusfamilias tam privatim, quam publice in concionibus inculcent,

culcent, ipsos sub pœna gravis pecca-ti obligari ad rudes suos liberos, & do-mesticos doctrina Christiana imbuen-dos, illosque identidem intentatis etiam pœnis admoneant, ut liberos suos ju-niores, & seniores famulos, & ancillas ad Divina Officia & Catechismum dili-genter mittant.

V. Publicent quoque, nullos pror-sus ad Sacram Eucharistiam percipien-dam vel Matrimonium ineundum de-inceps admittendos, nisi Romano-Ca-tholicæ fidei principiis satis instructos: sic enim futurum confidimus, ut non solum pueri, sed etiam adulti & senes ad institutum hoc sanctissimum cum uberrimo animarum fructu frequen-tius convolent.

VI. Nequi vero sint, sive paren-tum sive liberorum, qui tam salutare opus negligant, aut contemnant, visi-tentur familiæ singulorum Parochiano-rum a Pastore cujuscunque loci, & catalogus conficiatur puerorum, & puellarum, famulorumque & ancilla-rum cujuscunque familiæ, quo ab-sentes facile cognosci & puniri pos-sint.

VII. Diversitas libellorum doctri-næ Christianæ, seu Catechismi mag-nam in discendo & docendo parit diffi-cultatem, ideoque mandat hæc Syno-dus, ut Parochi, aliique omnes, ad quos spectat unum & eundem modum in docendo & discendo doctrinam Chri-stianam ubique teneant, tenerique fa-ciant.

VIII. Durante lectione Cateche-tica, cessabunt omnes lusus mundani, saltus, clamores & occupationes, ac potationes, illicitumque erit omni-bus Tabernariis ulli, quam itineran-tibus, tabernam aperire & potum præ-bere.

TITULUS V.

De Scholis.

I.

IN oppidis & pagis parochiales Scho-læ, si collapsæ sint, restituantur, si conservatæ, colantur, & augeantur, sed præter Parochiales non admittan-tur multæ, nullæ autem omnino de novo instituantur, nisi de consensu Episcopi, seu Vicarii.

II. Scholis tantum præficiantur Præceptores probi & examinati, ac qui fidei Catholicæ secundum præscri-ptum Concilii Tridentini integram professionem fecerint, in Institutione sequantur antiquam & probatam for-mam, ac juventutem sibi concreditam omnium primo Orationem Domini-cam, Salutationem Angelicam, Sym-bolum Fidei, decalogum & formulam confessionis, si nesciant, lingua ver-nacula edoceant.

III. Ad petulantiam cohibendam in omnibus Parochiis masculi a puel-lis, quantum fieri potest, seorsim in-stituantur, atque puellis una aut altera honesta matrona præficiatur.

IV. Ex bona educatione ac insti-tutione juventutis pendet pro magna parte salus totius Reipublicæ; quaprop-ter ubicunque Scholæ adhuc requirun-tur, deliberandum cum Magistratibus & Præfectis locorum, ut eæ mox eri-gantur, simulque rationem ineant, ip-sis Ludimagistris de annuis stipendiis providendi.

V. Pastores tam e suggestu, quam privatim parentes frequenter admo-neant, ut ad Scholas pueros suos mit-tant, & si negligentes reperiantur, ad id per Magistratus & Præfectos loco-rum sine conniventia compellantur.

VI. Scholæ omnes ab iis, quibus id oneris incumbit, aut aliis ad id ab Ordinario deputatis crebro serioque visitentur.

VII. Nec ulli omnino libri in iis prælegantur, qui turpe aut obscænum quid contineant, quique a Nobis ap-probati non sint.

VIII. Insuper hortatur hæc Syno-dus, ut in Scholis latinis doceatur cantus Gregorianus.

IX. Nec non, ut Ludimagistri & Ludimagistræ Scholarum, linguæ ver-naculæ juventutem suam statis diebus ad lectionem Catechisticam, diebus vero Dominicis & Festivis ad Missam Parochialem deducant, eosque ibidem in officio contineant.

X. Scholæ sint in loco aliquo com-modo

modo juxta Templum, ut tam Præceptores, quam discipuli frequentissime a Pastoribus aliisque observari, & in Religionis nostræ initiis commodius exerceri possint.

XI. Ludimagistri & Ludimagistræ constituantur a Pastore, Magistratu & primariis Parochiæ incolis, cum consensu tamen & approbatione Archi-Diaconorum, sine quorum consensu etiam non destituantur.

XII. Habeant autem rationem Ludimagistri, ut tenera ætas in pietate & morum modestia instituatur, ipsique Magistri bono vitæ suæ exemplo discipulos ad virtutem provocent, & ab omni tabernarum frequentatione aliisque levitatibus abstineant.

TITULUS VI.

De Officio Divino.

I.

CUm in Officio Divino negotium Nobis sit cum Deo ipso, qui Rex Regum est, & Dominus Dominantium; hinc est, quod quæcunque Sacrosanctum Concilium Tridentinum statuit, & ordinavit de Officio Divino debite peragendo, illa omnia hæc Synodus mandet stricte observari.

II. Ante omnia Divinum Officium fiat statis horis tractim, integre, distincte, devote & reverenter per eos, ad quos spectat, observato tamen discrimine dierum solemnium a ferialibus.

III. Nemo sub Officio Divino profanum quidpiam, aut ab instituto alienum legat.

IV. Deambulationes quoque, nec non profana colloquia tempore Divini Officii vetita sint.

V. Proclamationes forenses & denunciationes quarumcunque venditionum, vel rerum venalium etiam in Templo fieri solitæ, deinceps non fiant, nisi extra Templum, & Officio Divino prorsus absoluto: tempore quo Divinum Officium peragitur, tabernæ non nisi pro viatoribus aperiantur, neque aliquod genus ludi publice aut privatim instituatur.

VI. Sub cultu Divino a fabulis, risibus & aliis insolentiis omnino abstineatur.

VII. Parochi summa diligentia curent, ut Officium Divinum debito tempore peragatur, ad concionem diebus Dominicalibus & Festivis habendam implorata prævie ope Spiritus Sancti, lectione librorum & meditatione diligenti sese disponant, ut auditores fructum ex auditione verbi Divini reportent.

TITULUS VII.

De Processionibus.

I.

CUm Episcopi Diœcesani sit indicere, quando & qua via tam ordinariæ, quam extraordinariæ processiones institui, dirigi, quasve ad Ecclesias nominatim perduci debeant: Laicis autem quibuscunque etiam jure civili processiones publicas sine Ordinarii Diœcesani licentia, & consensu imperare sit interdictum. Nos Sanctionibus Apostolicis, & Sacræ Congregationis Cardinalium declarationibus inhærentes, omnibus & singulis Civitatis & Diœcesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archi-Diaconis, Pastoribus, Vice-Pastoribus, & quorumcunque Ordinum & Institutorum Prioribus, Guardianis, Rectoribus, & aliis quovis nomine nuncupatis Ecclesiarum Superioribus, etiam quovis exemptionis a Diœcesana Jurisdictione privilegio munitis severissimis sub pœnis arbitrio nostro etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati imponendis, prohibemus, ne illorum quisquam ullam prorsus processionem, supplicationem vel stationem in quacunque Diœcesis nostræ urbe, oppido, pago vel agro extra suæ Ecclesiæ seu Monasterii septa, foris, multo minus peregrinationem cum processione, seu processionem cum peregrinatione unquam & usquam sine expressa nostra, nostrive Vicarii in Spiritualibus Generalis licentia, indicere, instituere, dirigere, deducere seu obire audeat.

II. Omnes tamen prædicti quantumvis exempti, tam Clerici sæculares

res in Civitate, vel Diœcesi nostra, qui Beneficiis, seu Officiis Ecclesiasticis gaudent, quam Regulares quicunque ad publicas processiones ordinarias vel extraordinarias ex quacunque causa ordinaria nostra auctoritate indictas vocati accedere debent, & contumaces pœnis arbitrariis, aliisque juris remediis puniri possunt, iis tamen exceptis, quos Sedes Apostolica excipit.

III. Cæterum constat, quod processiones per agros & campos peraguntur, ut populus Deum oret, quatenus segetes ac fruges terræ ab eo conserventur, verum ut alia plurima ita & hic mos hominum malitia depravatus est, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur, quamobrem omnes & singulos Parochos, Vice-Parochos & Ecclesiarum Superiores serio admonemus, ne vel minima ullis commessationibus, potationibus, aliisque lasciviis & insolentiis licentia relinquatur, & sicubi abusus tam altas radices egerunt, ut ager Dominicus non videatur repurgari posse, ad Nos, nostrumve Vicarium recurrant, ut opportunis remediis ejusmodi abusus tollantur.

IV. Sanctissimum utique Eucharistiæ Sacramentum pie & utiliter ad populi pietatem interdum in publicis processionibus ac supplicationibus, potissimum vero in Festo Sanctissimi Corporis CHRISTI, & per ejus Octavam defertur, sed ne nimia frequentia debitam tanto Sacramento minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in arduis causis de licentia & consensu nostro, nostrive Vicarii in Spiritualibus Generalis.

V. Insuper ad processiones Corporis CHRISTI decorandas juxta exemplum eorum, qui ingressum Dominicum in Hierosolymitanam urbem ramis & vestibus suis oblatis honorarunt, omnes viæ & plateæ, per quas Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portabitur, mundentur, arboribus, ramis, frondibus, floribus, herbis odoriferis, gramine sternantur, decenter ornentur Ecclesiæ & parietes viarum tapetibus, aulæis & sacris imaginibus, non autem profanis & variis figuris, seu indignis ornamentis: & reliqua circa processiones in Cærimoniali Episcoporum ac Rituali Romano seu Pastorali ad usum Romanum accommodato præscripta accuratissime serventur.

VI. In processionibus incolæ obligati erunt, vias mundare, ornare, obstacula removere, inobedientes a Magistratu cogendi sunt.

VII. Deputentur item primarii aliquot viri, pro portanda umbella, sub qua Sacerdos cum Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento processionis ritu incedat. Quandocunque enim in publicis processionibus Sacrosancta Eucharistia circumfertur, id nunquam posthac nisi sub umbella fiat, quam Pastores, seu Vice-Pastores in qualibet Ecclesia expensis fabricæ, vel ex fidelium oblationibus quamprimum sibi comparent.

VIII. Quæ de processionibus, supplicationibus & stationibus a Nobis decreta sunt, ea tanto religiosius ab Ecclesiasticis personis omnibus sive sæcularibus, sive Regularibus observentur, quanto reliquis Christianæ vitæ sanctioris professione altius eminent, ut in eos, tanquam in speculum, Laici oculos conjiciant, ex iisque sumant modestiæ ac pietatis exemplum, quod imitentur.

IX. Quamobrem dum processiones cum Sanctissimo Sacramento, vel Sacris Reliquiis, & Imaginibus deportatis habentur, nemo adultorum, qui hujusmodi processionibus intersunt, commestioni aut potui vacet antequam, peracta cum timore Dei piisque precibus processione, singuli ad domos suas revertantur, ac ne tum quidem commessationibus & symposiis indulgeant, sed cibum parce cum gratiarum actione sumant, ne gratia Divina, quam in sacris processionibus ambiunt homines, spolientur.

X. Curent quoque Magistratum sæcularem imminente processionis, vel supplicationis die tempestive præmoneri, si qua in re officium ejus desideretur, vel ad cohibendam, vel coercendam impiorum insolentiam, vel ad impe-

impediendum, ne in via, qua procedendum erit, eſculenta aut poculenta, quaſi nundinarum & mercatus tempore, exponantur & vendantur, vel ad removenda quæcunque alia, quæ ad excitandam veram pietatem nihil faciunt, ſed potius ad vanitates animos relaxant, & a ſanctis cogitationibus avocant.

XI. Quibuscunque malis moribus, abuſibus & corruptelis in proceſſionibus, ſupplicationibus & ſtationibus exoriri ſolitis, pro officii noſtri debito mederi cupientes, omnibus ac ſingulis Civitatis ac Diœceſis noſtræ Paſtoribus, Vice Paſtoribus, & verbi Dei Præconibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus diſtricte præcipimus, ut Dominico die Feſtum S. Marci ac triduum Rogationum, quo ſtatæ proceſſiones majores & minores Litanias decantando juxta pium & laudabilem Eccleſiæ morem ſervari conſueverunt, nec non Feſtum Corporis CHRISTI, & aliud, quo habenda erit ſolennis proceſſio, ſupplicatio ſeu ſtatio, ipſum proceſſionis, ſupplicationis ſeu ſtationis diem proxime antecedente, cauſam proceſſionis, ſupplicationis vel ſtationis ejuſmodi populo diſcrete exponant, erroresque & abuſus in ea cavendos graviter inculcent, nec non ſerio exhortentur Chriſti fideles, ut omnes ad profitendam fidem ſuam, ad celebranda Crucis Chriſti Myſteria, ad honorandum nomen Dei, & ad precandum pro neceſſitatibus Eccleſiæ, Reipublicæque conſervatione magna pietate, animorumque concordia ſub vexillo Crucis Chriſti conveniant, atque nominatim ab abuſibus & vitiis in his noſtris Decretis & Conſtitutionibus damnatis, a curſu, fabulis, riſu, jocis ac quavis alia levitate a reverentia & Religione aliena ſibi temperent, ſed potius piis orationibus, Litaniarum, aliarumque precum cantui & recitationi, & Myſteriorum, quæ in proceſſionibus, ſupplicationibus & ſtationibus peraguntur, meditationi intenti ex profundo intimoque corde Divinam implorent miſericordiam, ut nemini dantes ullam offenſionem vituperationibus obloquentium non ſint obnoxii.

XII. Omnibus Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, Concionatoribus & Catechiſtis, aliisque proceſſionum ac ſupplicationum Præfectis & Moderatoribus ſerio mandamus, ut populum & ſupplicantium cœtum admoneant, quod licet per eas Eccleſias, in quibus Divina decantantur, proceſſionis aut ſupplicationis ritu cum ſilentio, modeſtiaque ſine cantu & ſtrepitu tranſire, ibique preces fundere poſſint, ſi tamen in eiſdem concio, Catecheſis vel exhortatio, alia habeantur, quoad fieri poteſt, ab earum ingreſſu abſtineant.

XIII. Cum porro Eccleſiæ Catholicæ decus non ſolum in proceſſionibus, ſupplicationibus & ſtationibus rite & recte, ac ſecundum ordinem ſuperius a Nobis præſcriptum adornatis, verum etiam reſpondentibus his Officiis Divinis, atque Eccleſiaſticis functionibus maxime eluceat, earumque gravi actione populi pietas foveatur augeaturque; ideo quæcunque his contraria, nugas, levitates & abuſus, ſi quæ quovis nomine in ullam Civitatis & Diœceſis noſtræ Eccleſiam irrepſerunt, abolemus.

TITULUS VIII.

De Templis.

I.

CUm Eccleſiæ Divino cultui dicatæ domus dicantur orationis, easque propterea omnis Sanctitas deceat atque reverentia, merito de ipſis quoque tanquam loco earum propria, recta & ſancta ordinamus.

II. Notum eſt, non exiguo ad devotionem incitamento eſſe, ſi domus Dei munda conſervetur, Altariaque pro diverſitate temporum rite exornentur, omnibus itaque ſerio præcipimus, ut non tam propriæ habitationis, quam Templi curam gerant, omni poſſibili modo ornatum illius quærant, ut Parochiani exteriore munditie & ornatu ad puritatem internam, majoremque devotionem magis magisque alliciantur.

III. In omnibus Eccleſiis ad minus ſummum Altare adaptetur, idque ſic,

ſic, ut lapis unus ſolidus tegat ſuperne totum Altare, quod ſi fieri nequeat, ponatur ut minimum lapis bipedalis in quadro; qui medium Altaris ſupra eum locum, in quo Reliquiæ Sanctorum reconduntur, tegat, ponaturque ſemper imago Chriſti Crucifixi in Altaris medio, ſitque ſuper illud tabula aliqua ſacra pie depicta.

IV. Non extruantur plura Altaria, quam commode adornari poſſint, nec plura, quam tria in quolibet Parochiali rurali Templo ſine noſtra auctoritate ædificentur.

V. Tametſi propter hoſtiles incurſus, repentina incendia, aliosque caſus inopinatos ad Eccleſias cum rebus ſuis confugere, non ſit illicitum: ut nihilominus Eccleſiæ non ſolum nomine, ſed vere domus Dei & Orationis cenſeantur, minime eas ſupellectili profana ſic impleri volumus, ut domus potius ſæcularium, quam Dei Baſilicæ faciem referant.

VI. Non parum irreverentiæ ſacris locis ex eo accidere poteſt, quod quibusdam in locis per totum diem aperta relinquantur, & hoc pacto non ſolum furum direptionibus, ſed etiam variis profanationum periculis exponantur, quod ne deinceps contingat, Paſtoribus Eccleſiarum in pagis conſtitutarum præcipimus, ut extra tempus Divini Officii easdem clauſas habeant.

VII. Sicut non aliis, quam Deo ſacratis Sacerdotibus Miſſas cantare aut Sacrificium in Altari licet immolare, ſic nec in aliis, quam Divino cultui dicatis locis, eadem facere fas eſt, niſi quis ad hoc ſpeciali privilegio, aut Apoſtolico, aut noſtro munitus fuerit, aut ſumma neceſſitas exegerit.

VIII. Hinc etiamſi cuilibet domi ſuæ liceat habere privatum orationis cauſa Oratorium, dummodo in ea campana publice expoſita non pulſetur, non tamen ad Sacrificium Miſſæ factitandum, niſi ſit ad Divinum tantummodo cultum dedicatum, & Epiſcopali noſtra auctoritate deſignatum. Alias ſi quis in Oratoriis intra privatos parietes conſtitutis, absque Summi Pontificis, noſtrove conſenſu celebraret, gravi pœna punietur.

IX. Quemadmodum ad offerendum Miſſæ Sacrificium neceſſario requiritur Altare lapideum ab Epiſcopo conſecratum; ita nullum Altare conſecratum absque legitima cauſa & expreſſa noſtra licentia, nec niſi certis precibus ac cæremoniis adhibitis deſtrui debet, quas hic pro majore cujusvis notitia libuit ſubjungere.

In Civitate igitur aut Diœceſi noſtra Paderbornenſi, obtenta prius a Nobis facultate, Superior Eccleſiæ, in qua Altare aliquod deſtruendum eſt, ſeu alius ad hoc Epiſcopali noſtra auctoritate deputatus Sacerdos, ſuperpelliceo & ſtola indutus, convocatis etiam aliis Sacerdotibus, ſeu viris Religioſis paulisper genuflexus ante Altare deſtruendum accenſis ſuper columinibus, ſubmiſſa voce Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam dicat. Dein a Choro cantetur ſeu legatur Antiphona vel Reſponſorium de Sancto, cujus nomini Altare illud dicatum eſt. Quo finito, Superior ſeu Sacerdos prædictus adjiciat alta voce Verſiculum, & Orationem de eodem Sancto, Choro ſemper reſpondente. Poſtea ex omni parte Altare deſtruendum detegatur, lapis ſuperior ſive menſa conſecrata ſine læſione amoveatur, eam idem Superior vel Sacerdos manibus ſuis lavet, abſtergat linteo & aquam, qua lapidem eluit, in ſacrarium effundat.

Amoto lapide dictus Superior ſeu Sacerdos diligenter religioſeque perſpiciat, num ſacræ Reliquiæ ſint incluſæ, quas inventas præmiſſo thuris incenſi ſuffitu, debita cum reverentia extrahet, & certo honeſtoque loculo ſeu arcæ includet, quam ſigillo muniet, reliquis omnibus, quæ ſequentibus Paragraphis præſcribuntur, rite ſervatis, nempe adhibitis luminibus Altaris reconditorium ſeu ſepulchrum, quo ſacræ Reliquiæ conditæ ſunt, aperiatur, & ſi quis loculus ſeu capſula cum ſacris Reliquiis in eo reperiatur, ipſe Superior ſeu Sacerdos ſtans imponat & benedicat thus acerræ ſeu thuribulo, quo e Miniſtri manibus accepto thurificet triplici ductu Reliquias incluſas, quibus expletis, præcinat Choro ſeu Miniſtris proſequentibus Reſponſorium:

rium: *Surgite Sancti DEI de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite,* † *& nos homines peccatores in pace custodite.* Verſ. *Ambulate Sancti DEI in locum prædestinatum, qui vobis paratus est.* *Et nos* &c.

Poſtea tam obſignatæ arcæ ſigillum, quam ipſæ ſacræ Reliquiæ cum ſcedulis ac ſcriptis ibidem inventis diligentiſſime diſcutiantur & recognoſcantur, ipſaque arcula ſeu theca ſigillo ejusdem Superioris vel Sacerdotis deputati obſignetur, addito eidem arculæ etiam Vice-Superioris ſeu Sacerdotis manu ſcripto teſtimonio & duorum teſtium virorum Eccleſiaſticorum, quod iſtæ Reliquiæ N. SS. N. die, N. menſe, N. anno, in Altari N. noſtra licentia deſtructo, fuerint inventæ, ac deinceps pro veris Reliquiis haberi & alteri Altari proxime conſecrando poſſint inſeri.

Ad hæc Superior, ſeu Sacerdos prædictus præcedentibus luminibus, ſupplicationis ritu, ſacras Reliquias ad ſacrarium, vel veſtiarium, ſeu alium decentem ac tutum locum deportet, præcinatque Choro, ſeu Miniſtris proſequentibus Antiphonam: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis,* Pſalm. 149. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus* &c. Pſalm. 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus* &c. Et non dicitur *Gloria Patri* &c. ſed *Antiphona* repetitur.

Cumque pervenerit ad ipſum Sacrarium ſeu locum præſtitutum, deponat eas cum reverentia ſuper menſam aliquam ſeu tabulam honeſte ibidem paratam, luminibus juxta illas ardentibus collocatis & Superior, ſive Sacerdos, ſtans verſus ſacras Reliquias dicat Verſum: *Lætamini in Domino & exultate Juſti.* Reſp. *Et gloriamini omnes recti corde.* Oremus. *Lætetur Eccleſia tua Deus omnium & horum Sanctorum tuorum confiſa ſuffragiis atque eorum precibus glorioſis, & devota permaneat, & ſecura conſiſtat, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.*

Interea temporis ab operariis reliqua pars Altaris amoveatur. Verum cum res Deo ſemel conſecrata, oleoque ſancto & ritu ſacro delibuta, in profanum uſum & opera transferri nequeat, idcirco ſevere prohibemus, ne lapides, cœmenta, aliaque cujusvis conſecrati Altaris deſtructi fragmenta in profana ædificia, ſeu privatos hominum uſus convertantur, ſed illa omnia vel alteri Altari, ſive Eccleſiæ applicanda, vel in loco ſacro, ad id apto, nempe in angulo quodam areæ Templi, vel etiam extra Templum in cœmiterio tantiſper aſſerventur, donec certius quid per Nos de illis faciendum decernatur. Si plura Altaria ſint deſtruenda, idem rite fiat ad ſingula.

Quod ſi Eccleſia aliqua ſeu Capella deſtruenda ſit, præhabita quoque prius a Nobis licentia, ſi quæ ſacræ Reliquiæ corporave Sanctorum in ea recondita ſint, aliquot ante ipſius deſtructionem diebus diligenter recognita ad aliam Eccleſiam a Nobis conſtitutam præſcripto ritu transferantur, convocato etiam ad hujuſmodi translationem (ſi Corpora ſint ſeu inſignes Reliquiæ) Clero vicino & populo. Sacræ item imagines eodem transferantur, ac dein Eccleſiæ ſeu Capellæ Altaria adhibitis accuratiſſime omnibus precibus, ritibus & cæremoniis, quæ antecedentibus Paragraphis præſcribuntur, amoveantur. In loco autem deſtructæ Eccleſiæ Crux ad memoriam erigenda eſt.

X. Nemini porro liberum eſt, in locis Epiſcopali noſtræ ordinariæ jurisdictioni ſubjectis, absque conſenſu noſtro, noſtrive Vicarii in Pontificalibus Generalis (ſi quis pro tempore exiſtat) Eccleſiam novam conſtruere, quin in loco ædificandæ Eccleſiæ per ſe vel alium crucem figat, atrium publice deſignet, lapidemque primarium juxta Pontificalis ſeu ritualis Romani normam ponat, & ab eo, qui Eccleſiam exſtruere intendit, prius conſtituta dote pro luminaribus & Miniſtris Eccleſiæ, atque oneribus aliis perſolvendis exigat, & aſſignari curet.

TITULUS IX.

De Altaribus.

I.

ALtarium mobilium uſus aliquantulum ad populi commoditatem permiſſus eſt; ſed ne, quod ad tempus ex

ex causa nunc per Dei clementiam cessante contra canonicas Sanctiones indultum est, violata Sacrificii reverentia in corruptelam degeneret, præcipimus omnibus, quibus interest, ut sicubi Altaria sint violata vel profanata, ea quamprimum fieri poterit, instaurentur, & sacris usibus Pontificali consecratione restituantur, Altarium mobilium usu penitus interdicto. Noverint quoque Sacerdotes omnes, si quibus ex urgenti aliqua necessitate, vel bellorum calamitate Altarium portatilium usus deinceps a Nobis, nostrove in Spiritualibus Vicario Generali erit permittendus, ea debere esse tantæ magnitudinis, ut hostiam & calicem commode contineant, cum Sacri Canones statuant Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, non nisi in Altari lapideo debere confici; Hinc si quæ ejus magnitudinis non sint, eorum usum penitus prohibemus: attendant vero singuli Sacerdotes, quibus in Altaribus consecrent, ne, dum se putant in lapideis facere, in appositis lapidi Altaris asseribus sacrificent, ideo remota mappa lapidem inspiciant, ut norint, quo loco calix & patena sit collocanda.

II. Observandum diligenter sacræ Rituum Congregationis insertum Romano Missali Decretum, paramenta non debent sumi de Altari pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Episcopis, sive solenniter, sive privatim celebrent. Inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant. Quamobrem volumus omnino & severissime injungimus, ut in singulis Ecclesiis Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuscunque (ut primum fieri poterit) Sacristia communis, sicubi nondum est erecta, constituatur: sin eam angustiæ loci non patiantur, in eadem Ecclesia locus alius ab Altari semotus huic usui accommodetur, in quo Sacerdotes omnes sacrificaturi, ac Diaconus & Subdiaconus in Missa ministraturi sacris se vestibus induant, & inde procedant ad Altare. Aulæis, floribus, aliisque piis & honestis ornamentis, ac frondibus templi parietes, cum feriæ solemniores postulaverint, exornentur, & cætera, quæ ad cultum & ornatum domus Dei, populi pietatem & Religionem excitandam faciunt ab Ecclesiarum Custodibus, sedulo procurentur. Interim severissime vetamus, ne quis illis ornandis peristromata, quæ vanas & turpes historias exhibent, imagines obscœnas, quæ intuentium animis lascivas cogitationes ingerunt, & a loci sanctitate abhorrent, ullo modo adhibeat.

TITULUS X.

De Reliquiis Sanctorum.

I.

Reliquiæ Sanctorum in vasis honestis seu capsulis obseratis, loco que honesto (non tamen in Tabernaculo Ss. Sacramenti) asserventur, nec ex iis per alium, quam Ordinarium loci, aut ab eodem ad id potestatem in scriptis habentem unquam educantur.

II. Etsi antiquæ Sanctorum Reliquiæ haberi debent in veneratione, in qua hactenus habitæ fuerunt; novæ tamen publicæ venerationi non exponantur, nisi prius a Nobis juxta præscriptum sacri Concilii Tridentini recognitæ, & approbatæ fuerint.

III. Inter novas Reliquias computandæ seu jure ipsarum censendæ sunt, quæ antiquorum quidem Sanctorum esse dicuntur, at jam recens ad Ecclesias, in quibus modo sunt, delatæ fuerunt.

IV. Porro cum non solum in propria persona sua Sancti sint honorandi, sed & in cadaveribus, aliisque exuviis suis (etenim sacra illa membra atque ossa viva quondam fuerunt Spiritus Sancti domicilia ac templa, ad quorum vel attactum, vel intuitum, vel cultum maxima Deus edidit prodigia (quod utriusque Testamenti exemplis perspicuum est) plane convenit, ut a fidelibus Christi populis honeste condantur, pretiosisque loculis religiose conserventur, ad illorum honorem & gloriam Dei, cujus Sancti nimis honorificati sunt.

V. Unde Concionatores, Parochi, cæterique, quotquot docendi munus curam-

curamque sustinent, diligentius instruant populum de Sanctorum intercessione, utilique & salutari invocatione, atque religioso sacrarum Reliquiarum cultu: fuerunt enim instrumenta sanctarum animarum ad omne opus bonum & iterum cum ipsis conjunctæ participabunt æternam beatitudinem.

VI. Nomine autem Reliquiarum intelligitur, quidquid ex Sanctorum hac vita decedentium corporibus reliquum mansit, sive sint ipsa eorum corpora seu cadavera, corporumque quælibet partes, carnes, ossa, dentes, capilli, ungues, cineres, ac pulveres, in quæ conversa fuerunt, item vestes & varia utensilia, quibus usi fuerunt, dum in terris versarentur: Vela item panni, & similia, quæ ipsos in vita sua attigerunt, vel eorum demortuorum ossibus seu corporibus admota fuerunt, ex quibus tamen illæ Reliquiæ tanto præstantiores censendæ sunt, quanto propinquius ad Sanctum spectabant: ideoque caro & ossa integra Sanctorum in æstimatione Reliquiarum præferuntur aliis rebus, quæ ad eorum corpora tantum admotæ fuerunt, pulveribus item seu cineribus, in quos conversio ac magna mutatio facta est.

VII. Reliquias itidem Sanctorum diligenter in Ecclesiis asservandas esse profitentur omnes Catholici, cum nullum Altare erigi possit, in quo non aliquid earum alicujus Sancti conservetur. Quare Prælati, Rectores, aliique Superiores Ecclesiarum præter externum illum decorem domus Dei & ornatum, quo Templa, Sacella, & Oratoria debent esse conspicua, diligentissime curent, ut Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva fuerunt membra Christi & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda ac glorificanda, seu pretiosæ sanctorum Corporum partes & Reliquiæ quantumvis minutæ & lipsana, ab omnibus sordibus ac pulveribus munda, in vasis honestis seu capsulis obseratis, ne facile ex thecis suis extrahi queant, atque juxta Pontificalis præscriptum rite prius benedictis, locoque decenti pie diligenterque asserventur: ne item sacrilegiis, aut furto expositæ sint, neve vilescant, ac sine cultu jaceant, vel nimis irreligiose ab aliquibus tractentur.

VIII. Insuper ut majori in veneratione habeantur apud fidelem populum Sanctorum Reliquiæ, volumus, ut singularum inscriptiones, quatenus opus, renoventur, & catalogus earundem, sive eæ nominatæ sint, sive non nominatæ, intra duorum mensium spatium post notitiam hujus Decreti habitam conficiatur, item ut appendantur tabellæ in singulis Ecclesiis seu Capellis, quibus declaretur, quæ & quales in unaquaque Reliquiæ judicio Episcopi Ordinarii Diœcesani approbatæ conserventur. Quod, si plane certum sit, esse alicujus Sancti Reliquias, licet incertum, cujusnam in particulari, quia scedula amissa est, possunt eæ tam publice, quam privatim coli, sicut ex praxi Ecclesiarum constat.

IX. Ad majorem vero Dei & Sanctorum cum eo regnantium gloriam, nec non populi pietatem accendendam, in festis Sanctorum, quorum Reliquiæ elevatæ, ornatæ & decenter inclusæ sunt, easdem in Altaribus, aut aliis aptis locis exponi mandamus, sed eas populo passim ostendi, ac temere omnium oculis exponi nequaquam convenit, & quidem extra capsas seu loculos nulla ratione ad servandam majorem earum reverentiam, si tamen uti paulo ante dictum est, vel ob magnam certorum Festorum celebritatem, vel ad populi devotionem excitandam, vel ad Deum per intercessionem Sanctorum suorum, & repræsentationem sacrorum pignorum placandum, Reliquiæ hujusmodi aut præter consuetudinem, aut pro more ostendendæ videantur, jubemus, ut non a Laicis etiam cujusvis Ordinis & dignitatis personis, sed a Clericis sacris Ordinibus initiatis superpelliceo, ac desuper pluviali, vel minimum stola pro Reliquiarum Ecclesiæve ratione indutis, solemni cum apparatu accenso lumine, ac sine quæstu omni exhibeantur, & in ostendendis iis ea gravitas, reverentia & pietas adhibeatur, quæ fidem & Religionem Christianam præseferat, & intuentium animos ad omnem pietatem & reverentiam commoveat; ostendantur

dantur vero Reliquiæ ſinceræ, & non falſæ pro veris, non incertæ & dubiæ pro certis ac probatis, non incognitæ pro cognitis, ſine ſuperſtitione, omni fraude & abuſu. Quocirca opus erit, ſcedam aliquam, e qua dignoſcantur, apponere.

X. Inſignes autem Sanctorum Reliquias ſacra rituum Congregatio declaravit eſſe, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non parva & legitime ab Epiſcopis locorum Ordinariis approbata.

XI. In dilargiendis ſacris Reliquiis hæc ratio deinceps obſervetur, ut nemini donentur unquam, niſi ut loco ſacro reponantur majori aut non minori, ſaltem pietatis ſtudio & provectione ibidem ſervandæ, quam ubi antea ſervabantur, notabiles vero Reliquiarum partes, ne ullus Prælatus, Rector Eccleſiæ, aliusve Superior extrahere, multo minus ex Civitate vel Diœceſi noſtra Paderbornenſi exportare, aut dare transferendas alicui præſumat ſine ſpeciali Summi Pontificis ſeu noſtra licentia ſcripto obtenta, graviſſime interdicimus, & ne tum quidem ſine Superiorum Eccleſiarum, ex quibus ſacræ hujusmodi Reliquiæ ſint extradendæ, conſenſu, quibus id permittentibus donationis hujus authenticæ una cum Reliquiis donentur literæ, & in indice Reliquiarum Eccleſiæ ſeu ejus protocollo eadem donatio cum ſufficienti Reliquiarum donatarum nec non perſonæ dantis & accipientis ac temporis expreſſione annotetur.

XII. Furtim autem ſacras Reliquias ſubtrahere inſcio ſeu invito Prælato, ſeu Eccleſiæ Superiore, iisque, qui Reliquiarum juſtam adminiſtrationem habent, haud dubie eſt furtum ſacrilegum, cum ſit ablatio rei ſacræ.

TITULUS XI.

De Imaginibus Sanctorum.

I.

CUm domum Dei deceat Sanctitudo, pro executione Decreti Concil. Trid. *de invocatione & veneratione, ac Reliquiis Sanctorum, & ſacris Imaginibus*, Seſſ. 25. Statuit ſancta Synodus, ut e Templis & locis ſacris tollantur Imagines, ſculpturæ, aulæa, quæ gentilitatem aut mendaces Ethnicorum fabulas repræſentant. Similiter quæcunque figuræ laſcivæ, procaces, obſcœnæ & ſuperſtitioſæ, quæ fidelium mentes a Religione & devotione diſtrahunt, & ſæpius graviter offendunt, neque poſthac ulla crux, imago aut ſtatua in Eccleſiam, vel locum ſacrum recipiatur, niſi a Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus Generali admiſſa fuerit. Proinde in viſitationibus curabimus imagines ſupradictas reformari aut prorſus tolli, prout judicaverimus, expedire.

II. Præterea ne ad ornatum ſupplicationum Venerabilis Sacramenti, aut Reliquiarum quarumcunque exponat quisquam ullas ſimiles imagines, ſculpturas aut aulæa, idque ſub pœna arbitrio noſtro infligenda.

III. E domibus & hortis Eccleſiaſticorum ſimiliter tales imagines tollantur, quæ pias mentes offendunt ſub pœna arbitraria.

IV. Imagines ſacræ, ad vanitatem comptæ, nec in Templis, nec in proceſſionibus tolerentur, & quæ ad ornatum ſupplicationum proponuntur, ejusmodi ſint, quæ oculos ſpectantium non offendant.

V. Doceatur ſubinde rudis populus, imaginibus Chriſti & Sanctorum, cultum & honorem non exhiberi propter ipſam materiam, elegantiam, externum ornatum, vel aliud quidquid ſimile: ſed tantum propter eos, quos nobis repræſentant.

VI. Sique ſacræ tabulæ, imaginesve, nimia vetuſtate, carie, ſitu aut ſordibus pene deletæ tam indecenti aſpectu ſint, ut contemptum potius, quam venerationem excitent, eæ pie religioſeque reſtaurentur ab iis, quorum intereſt: aut ſi id fieri nequeat, omnino deleantur, aut extra populi conſpectum ponantur.

VII. Sanctarum imaginum uſus & cultus ſicut vetuſtiſſimus eſt, Eccleſiæ naſcentis conſuetudine introductus, Oecumenicorum Conciliorum deci-

decisionibus firmatus, & Sanctorum Patrum consensione stabilitus, aptissimus etiam ad rudes & imperitos fidei mysteriis imbuendos, ad Sanctorum virtutes recolendas, & ad imitationem proponendas, ita Nobis ex officio diligenter est advigilandum, ne pravis consuetudinibus & abusibus violetur & depravetur earum forma & habitus. Ut igitur omnis sæcularis vanitas, levitas, vel inusitata quælibet forma imaginum aut statuarum ornatus a Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ moribus alienus deinceps caveatur, volumus omnino, & districte jubemus, ut exacte ea, quæ tum Sacrosancta & Oecumenica Synodus Tridentina de sacris Imaginibus, tum fel. record. URBANUS Papa VIII. peculiari hac super re edita Constitutione, gravibus in transgressores pœnis constitutis sancivit, observentur.

VIII. In exponendis Sanctorum imaginibus studiose diligenterque curandum est, ut prototypis, quæ per illas repræsentantur, juxta veritatem historiæ ac receptam & probatam Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ traditionem, quoad fieri potest, simillimæ sint.

IX. In pavimento Sanctorum imagines vel Cruces deinceps non pingantur, nec ubi clavis transfigi poterunt, vel fuligine pluviaque deleri, vel deformari. Et licet in muro ex vivo politoque lapide constructo sacræ possint historiæ, nisi quid aliud obstet, exprimi, non tamen in muro vel pariete, qui argilla vel calce incrustatus est, nam ejusmodi incrustatio perfacile decidit, & pictas deformat imagines. Suademus autem, ut paries aut murus hujusmodi tela linea, tabulisve politis artificioseque compactis tegatur, & sic picturis exornetur.

TITULUS XII.

De Festis.

FEstos dies vel Dei ipsiusmet jussu, vel auctoritate Ecclesiæ, aut legitimi Magistratus institutos religiose celebrandos esse, exemplo nos suo optimus Magister noster encœnia celebrans docuit. In nova etiam lege dies Christo Salvatori, ejusque Matri & Angelis, nec non aliis Sanctis dicati solemni ritu observandi sunt. Obeant itaque omnes, & servent Festos dies, quos vel universus Christianus orbis, vel Diœcesis nostra ex antiqua consuetudine, vel pia Prædecessorum nostrorum Constitutione ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes sacros habet. De quibus ut constet omnibus eorum numerum hic subjungere placuit.

I. Sunt autem ista præter dies Dominicos:

Festum Nativitatis Christi.
S. Stephani Proto-Martyris.
S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.
Ss. Innocentum.
S. Sylvestri Papæ.
Circumcisionis Domini.
Epiphaniæ.
Purificationis B. MARIÆ Virginis.
S. Agathæ.
S. Matthiæ Apostoli.
S. Josephi Nutritii Salvatoris.
Annuntiationis B. MARIÆ Virginis.
Festum Paschæ cum feria 2. & 3. sequentibus.
Ss. Philippi & Jacobi Apostolorum.
Inventionis S. Crucis.
Festum Ascensionis Domini.
Festum Pentecostes cum feria 2. & 3. sequentibus.
Trinitatis.
Corporis Christi.
S. Joannis Baptistæ.
Ss. Petri & Pauli.
S. Liborii Episcopi & Patroni Diœcesis.
S. Jacobi Apostoli.
S. Annæ Matris B. V. MARIÆ.
S. Laurentii Martyris.
Assumptionis B. MARIÆ.
S. Bartholomæi.
Nativitatis B. MARIÆ.
S. Matthæi Apostoli.
S. Michaëlis Archangeli.
Ss. Simonis & Judæ Apostolorum.
Omnium Sanctorum.
S. Andreæ Apostoli.
Dedicationis Ecclesiæ.
Et Patroni cujusvis Parochiæ.

II. In prædictis Festis, nec non aliis Patronorum Parochialium Ecclesiarum principalibus Synodus interdicit,

cit, omnibus suæ Diœcesis Christi fidelibus opera manualia & sæcularia quæcunque, mercatum item & forum rerum venalium atque judicialia exerceri. Si quis autem huic Ordinationi contravenerit, mulctabitur pœna pecuniaria.

III. Si forum aut nundinæ incidant in Festum aut Dominicam, illæ serventur immediate post Festum aut Dominicam.

IV. Et vetat Synodus omnibus Magistratibus & sæcularibus Judicibus, ne cuiquam ex omnibus prædictis Festis violandi seu profanandi licentiam concedant, sed eos, qui ab ipsis licentiam hujusmodi requirunt, ad Nos, vel Vicarium nostrum, aut Pastorem in gravi necessitate remittant, alioqui contra eos tanquam Synodalium Statutorum transgressores, & alias, prout de jure, procedatur.

V. Quoniam S. Liborius Episcopus Patronus est Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & totius Diœcesis Paderbornensis, ideoque per totam Diœcesin merito venerandus, ordinat Synodus, ut 23. Julii, quo ex hac vita ad immortalem migravit, per Civitatem & totam Diœcesin nostram, ut hactenus factum, in foro & in choro tanquam duplex in omnibus Ecclesiis & Monasteriis, similiter etiam festum Patroni singularum Ecclesiarum tanquam duplex celebretur.

VI. Meminerint exempti omnes, etiam Regulares Decreti Concilii Trid. quo dies Festos, quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præcepit, ipsi quoque servare jubentur.

VII. Pastores singulis diebus Dominicis sub concione dies Festos & jejunia, ea septimana occurrentia, populo denunciare non omittant.

VIII. Diebus Dominicis aut Festivis tempore concionis, summi Sacri vel Vesperarum in tabernis potitantes, aut publicis lusibus vel tripudiis vacantes denuntientur, pro qualitate personarum, & modo scandali puniendi.

IX. Maximam in servandis Dominicis & Festis diebus negligentiam, ut populus corrigat, Concionatores sæpe moneant; explicantes, ad quæ istis diebus agenda, omittendaque obligentur, gravitatemque transgressionis exponentes.

X. Ac ad dies Festos, qui præcepti sunt præter Dominicum diem, pari veneratione, cultu & religione celebrandos: iisdemque Festis ad Sacrosanctum Missæ Officium audiendum sub periculo peccati mortalis omnes Christi fideles obligari, nec licere ante finem discedere, frequenter inculcent.

XI. Quin & alias ex Constitutione B. PII V. Pontificis pœnas in Festorum violatores constitutas populo graviter inculcent; quo fine eam hic libet suis verbis adscribere: [b] Cum dierum " (inquit) Festorum observatio ad Dei " cultum maxime pertineat, & in lege " Divina præcipiatur, cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum Statuta " renovantes mandamus, ut omnes " dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, Divinis Officiis devote intendant, ab omni illicito & servili " opere abstineant, mercatus non faciant, profanæ negotiationes & judiciorum strepitus conquiescant." Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter Divinam ultionem, graves pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri, aut Archi-Diaconorum infligendas.

XII. Ut improbæ hominum cupiditati modum ponamus, serio prohibemus, ne imposterum ullis in locis spirituali nostræ jurisdictioni subjectis diebus Dominicis, aut aliis fori festivitatibus mercatus (nisi forte rerum ad quotidianum victum necessariarum) instituantur, aut ne subditi nostri ulli operi servili, quod sine evidenti periculo differri potest, manum admoveant. Caveant igitur pannos laneos vel lineos lavare vel dealbare, tingere oves, porcos vel boves mactare aut salire: frumenta aut ligna equis & curri-

curribus vehere, merces etiam suas dictis diebus Dominicis vel Festivis ante fores, vel in fenestris domorum, vel alibi venales exponere. Transgressores autem hujus nostræ inhibitionis Pastores, & animarum Curatores pro ratione delicti gravissime puniendos denuncient.

XIII. Mandamus quoque locorum Magistratibus, ut a strepitu judiciorum imprimis ipsi abstineant, neminem tunc citent, vel citatum audiant, & sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis prohibeant, nec uspiam Dominicis, aut Festivis diebus Circulatores, Histriones, Comœdos, exhibere comœdias, spectacula ludicra ac tripudia publica, quibus populus Christianus astu & suasu dœmonis a Festis religiose colendis, Templorum visitatione, Vesperarum Officio, audienda concione & doctrina Christiana avocatur, adeoque Christo suus honos intercidit, ullo modo patiantur.

XIV. Parochi vero ac Divini verbi Præcones, opifices, agricolas & quoscunque alios operarios diligenter moneant, & sæpius inculcent per annum, ne deinceps ex perversa quorundam consuetudine audeant Dominicis, vel Festivis diebus etiam verno, vel autumnali tempore agros colere, seminare, aut messis tempore fruges colligere &c. nisi de speciali licentia nostra, vel nostri in Spiritualibus Vicarii Generalis, excepta gravi & urgente necessitate.

XV. Proinde ut populus Dei a comessationibus, potationibus, otio, rebus vanis & noxiis ad salutis æternæ congrua negotia revocetur, & ad preces, præsentissima pietatis ac spei cœlestis fomenta, crebrius excitetur, easque frequentet, hortamur in Domino Pastores omnes, & obsecramus, ut singulis Dominicis, & Festis diebus cultum Dei in Templis potissimum a prandio instaurent, & Vesperas suo cum Custode & Scholaribus juxta ritum & normam Breviarii Romani decantare studeant.

XVI. Festum S. Marci, si in diem Paschæ, vel ejus hebdomadam, aut Dominicam in Albis inciderit, a Clero in choro prima feria post dictam Dominicam, Officio novem lectionum non impedita, celebretur sine processione, jejunio & abstinentia a carnibus, Litaniarum processio & statio servetur ipso die, quo occurrit, uti moris est: Si vero in aliam quamlibet Dominicam inciderit, tam festum, quam Litaniarum processio eadem ipsa die Dominica a Clero sæculari, & populo sine abstinentia instituatur.

TITULUS XIII.

De Jejunio.

Jejunia animabus, corporibusque curandis ab Ecclesia certis temporibus & diebus salubriter instituta decenter volumus observari, admonerique populum, cur sint indicta, nempe in expiationem & vindicationem peccatorum, & ut corpus ob intemperantiam cibi potusque luxuriosum castigetur, & in servitutem redigatur, quo animus vegetior ac liberior Divinæ voluntati sese subjiciat.

I. Porro annua Jejunia, quæ in Diœcesi nostra observari volumus, hæc sunt, & quidem vigiliæ singulis annis per totam Diœcesim nostram ab universis ætatem habentibus, nec legitime excusatis jejunandæ. Sunt autem præter Quadragesimam, & quatuor anni tempora, Vigilia Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, S. Laurentii Martyris, Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, S. Bartholomæi Apostoli, SS. Simeonis & Judæ, omnium Sanctorum, S. Andreæ Apostoli, S. Thomæ Apostoli & Nativitatis Domini; Quæ, si in diebus Dominicis, aut Lunæ evenerit, Sabbatis præcedentibus jejunetur. Quibus diebus a carnibus omnes abstinere, & unica refectione sub reatu peccati mortalis omnes contenti esse, nisi gravis labor, aut alia justa ab Ecclesia approbata causa excuset, obligantur.

II. In locis autem, ubi vel plura, vel strictius observata fuerint, hortatur Synodus, ut piam consuetudinem observent.

III. Insuper in Festo S. Marci, quo supplicationes pro laudabili Ecclesiæ

clesiæ more fiunt, & in diebus Rogationum abstineatur per totam diem a carnibus.

IV. Jejunia, quæ vel indixit Ecclesia, vel usus communis pridem recepit, ab omnibus servari volumus, quorum rationem & modum diligenter explicabunt Parochi, & reliqui verbi DEI Ministri.

V. Cæterum hortentur fideles Parochi, ut, cum jejunant, non solum corpus a cibis delicatioribus, verum etiam mentem a capitalibus vitiis cohibeant.

TITULUS XIV.

De Superstitione.

I.

CUm recte moneat Sacrosancta Tridentina Synodus, ut omnis superstitio tollatur, docet hæc Synodus, omnem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo Dei, & Ecclesiæ doctrina fit, præscriptis aliquibus ritibus & observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur, certo exspectandi aliquem eventum, qui sine illis ritibus ex Sanctorum intercessione non speraretur, aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, ac quadam levitate potius, quam pietate & vera in Deum religione fieri videntur.

II. Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda superstitiosis remediis utatur, vel super rebus deperditis, aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis Divinos, seu pro Divinis se venditantes consulere præsumat. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abstinuerit, mox pro seria correctione denuncietur.

III. Insuper hæc Synodus mandat omnibus Judicibus Ecclesiasticis, ut in exilium mittant, vel mitti curent omnes, qui super futuris eventibus aliisque secretis responda dant, eosque, qui tales consulunt, graviter puniant.

IV. Et quoniam rudis populus sæpe ex ignorantia superstitionibus inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis erudiant, & inter cætera superstitiosum esse, exspectare quemcunque effectum a quacunque re, quem res illa, nec ex sua natura, neque ex institutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest.

V. Grave peccatum Deo valde injuriosum, & Reipublicæ imprimis noxium est superstitio, ad quam reprimendam & extirpandam serventur ea, quæ SIXTUS V. in Bulla: *Cœli & Terræ*, statuit.

TITULUS XV.

De Exorcismis.

I.

LIcentiam exorcizandi a Nobis adeptus pura & munda conscientia, magnaque humilitate, ac fide ad id muneris obeundum accedat, in ejusdemque functione graviter, pie ac religiose se gerat, nec verba Ritualis Romani, nostræve Agendæ excedat.

II. Mulieri Energumenæ exorcismum adhibiturus id præstet duabus saltem personis probatæ vitæ præsentibus, iisque, si fieri possit, Energumenæ consanguineis aut affinibus.

III. Quanquam Exorcismorum usus ex Divina institutione, Apostolica traditione, & universali Ecclesiæ consuetudine & præscripto, pro expellendis ex humano corpore dœmonibus, ædibus illorum infestatione liberandis, pro variis damnis ac malis, quæ per tempestates, bestias noxias, venena, vel quavis alia ratione inferri solent, avertendis, utilis omnino sit & salutaris, eorundem nihilominus abusus tot ac tanta peperit incommoda, ut non levis cautela adhibenda sit.

IV. Quare nullus omnino in Civitate ac Diœcesi nostra Paderbornensi posthac præsumat exorcizare, vel judicare, an aliquis sit, vel non sit obsessus, sine nostra, nostrive Vicarii in Spiritualibus Generalis facultate per præsentes, seu alias scripto obtenta.

V. Ne vero nostra hæc inhibitio indigentibus incommoda sit, præsen-

tium tenore permittimus Paſtoribus ad curam animarum, & Paſtoralia Sacramenta adminiſtranda noſtra Epiſcopali auctoritate ordinaria approbatis, ut in omnibus locis ſui diſtrictus exorciſmos adhibere queant.

VI. Licentiam porro exorciſmi utendi a Nobis, vel ante dicto noſtro Vicario adeptus, & deinceps adepturus, licet operetur in perſona Eccleſiæ, & eatenus ejus preces ſint Deo gratæ & exaudiantur, ſit nihilominus pura & munda cumprimis conſcientia, profunda humilitate ac ferventi in Deum fide, & fiducia in Divina tutela & ope, orationi & jejunio, aliisque ſub iiſdem comprehenſis piis operibus deditus, quibus homo contra maleficia & dæmonis machinationes præmunitur, ad id muneris obeundum accedat, in ejusdemque functione graviter, pie, ac religioſe ſe gerat, nec aliis quam in Rituali Romano Diœceſi huic noſtræ accommodato præſcriptis utatur exorciſmis, precibus & cæremoniis, quantumcunque piæ & bonæ appareant, ſine noſtra, noſtrive Vicarii ſupradicti permiſſione.

VII. Non temere credat Exorciſta aliquem eſſe obſeſſum, intoxicatum, aut locum infeſtum, aut Spiritum vagari, cum cæcitas & credulitas hominum millies in ejusmodi vel erraverit, vel malitia fraudem texuerit, uti frequens docet etiamnum experientia. Proinde neque facile adhibeat exorciſmos, niſi ſignis prudenti Medicorum, ſuo, aliorumque maturo Doctorum judicio examinatis, perſpicue conſtet, eſſe Energumenum, aut maleficio affectum &c. multo minus morbos hominum, pecorum languores, aut damna poſſeſſionibus illata ſtatim incantationibus, aut maleficiis attribuat, nec homines, dum id ordinarie exiſtimant, in iſta ſinat hærere opinione, minime vero confirmet, ne fruſtra remedia Eccleſiæ ad alios fines & effectus, quam ordinata ſunt, adhibeantur cum periculo contemptus, dum ſperatos effectus ſed indebitos non producunt.

VIII. Quamvis evidenter cognoſci nequeat, quando homo a dæmone obſeſſus, vel maleficio ſit intoxicatus, certiora tamen mali prioris indicia ſunt, ſi lingua peregrina pluribus verbis loquatur, vel loquentes intelligat, ſi ſcientiam legendi, ſcribendi, cantandi artificioſe ſine prævia inſtructione monſtret, ſi diſtantia & occulta patefaciat, vires ſupra ætatis ſuæ, ſeu conditionis naturam exerat, præſertim ſi, cum remittit afflictio, neſciat, ut antea, de occultis reſpondere, ſi juſſus invocare nomen Dei, aut orationes pias dicere, id facere nequeat, ſi horreat & contremiſcat, quando ipſo inſcio adhibentur Sanctorum Reliquiæ, Crucis ſignum, aqua benedicta, & his ſimilia, quæ ex probatis auctoribus Exorciſta noſſe ſtudebit. Proderit etiam occulte & diſcrete cauſas inquirere, ob quos dæmon putetur ingreſſus, aut afflictus maleficio affectus, quæ licet aliquando ſint filiis Dei gloria, & afflicto augmentum meriti, ordinarie tamen cauſa ſunt peccata, videlicet deſperatio ex amiſſione bonorum temporalium, nimia cum dæmone, vel cum hominibus, qui cum eo commercium habent, familiaritas, parentum vel aliquorum de maleficio ſuſpectorum mala dæmonis imprecatio, in ſuperſtitionem propenſio, gravis alicujus criminis confeſſione nondum expiati, aut voluntarie in eadem omiſſi conſcientia, & in tali ſtatu Sacræ Euchariſtiæ ſumptio, nimia ex ſcrupulis anxietas, per quam, niſi a peritis Confeſſariis mature occurratur, miſeri homines ad varias perturbationes & deſperationem adiguntur. Signa vero particularia maleficii præter inſolita ſymptomata, & effectus corporis, accedente judicio expertorum Medicorum, etiam ſunt, ſi morbus præcedentibus minis alicujus perſonæ ſuſpectæ ſubito fuerit exortus, ſi in corpus afflicti ingeſta deprehendantur talia, quæ naturæ vi inferri aut generari in eo non poſſunt.

IX. Itaque, dum Exorciſta his ex ſignis comperit aliquem Energumenum aut intoxicatum eſſe, non rejiciat propterea naturalia remedia, confert enim ſæpe atræ bilis expurgatio, ideo licet primas det Spiritualibus, permittat tamen afflicto ex præſcripto Medici uti medicinis idoneis a ſe prius benedictis ad hypochondriæ malum minuen-

nuendum, ipſe tamen eas non adhibeat, ſed Spiritualia, quæ ut feliciorem ſucceſſum habeant, conſcientia peccatorum maculis purgata in oratione ad Deum, fervente Symboli Apoſtolici recitatione, nec non jejuniis, aliisque carnis afflictionibus aliquot dies ſe exerceat, ſibique perſuadeat ſine ejusmodi præparationibus, ſæpe parum aut nihil profici, juxta teſtimonium Chriſti: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio.* Dein exorciſmos adhibeat juxta Agendæ noſtræ formam præſcriptos, impreſſionem ſigni Crucis, Reliquias Sanctorum, Agnum Dei, ut vocant, aquam & cereum benedictum, panes ſacros, palmas, ſalem & alia ejusmodi uſitato ritu Eccleſiæ benedicta. Sæpius vero utatur ſigno Crucis, ſed cum reverentia & attentione rei ſignatæ, id eſt, paſſionis & mortis Chriſti Domini; hoc enim vim magnam habet, & adfert homini fiduciam & defenſionem, dœmoni vero terrorem incutit, eumque in fugam agit.

X. Quia non ſuis viribus, aut potentia, ſed ſolius Dei miſericordia, & Chriſti meritis nixus adverſus diabolum, Dei & humani generis infeſtiſſimum inimicum omnis Exorciſta arma ſuſcipit, hinc ab omni faſtu & vanæ gloriæ oſtentatione ſit alienus. Caveat adhæc in exorciſmis a ritibus & rebus ab Eccleſia non approbatis: ſiquidem proprio ingenio compoſitæ ſuſpectæ eſſe ſolent, & non tam efficaces, quam ſi Eccleſiæ auctoritate & juſſu inſtituantur. Nullis jocoſis, ſuperfluis & nugatoriis interrogationibus, nec ad vana & curioſa edicenda diabolum adjuret, ſed ſolum ad ea, quæ ad rem pertinent, & ad augendam Dei gloriam & ſolamen afflicti erunt convenientia, videlicet de numero, nomine Spirituum obſidentium, tempore & modo, quo ingreſſi ſunt, de cauſa ingrediendi, & aliis ejusmodi, & an detineantur in corpore ob magicam aliquam operam aut ſigna malefica, quæ, ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat, vel ſi alibi fuerint diſpoſita, ea manifeſtet, ut inventa comburantur. Exorciſmos igitur legat, & faciat cum imperio & auctoritate, magna fide, humilitate & fervore, & quibus ſacris verbis, aut ſignis advertit dœmonem magis urgeri, iis magis & crebrius inſtet; ſi autem viderit obſeſſum aliqua corporis parte commoveri, pungi, aut tumorem apparere, ibi Crucis ſignum & aquam benedictam, quæ ſemper in promptu eſſe debet, adhibere non intermittat, ſervato tamen ſemper decore & honeſtate, & ſalva etiam rerum ſacrarum reverentia. Proinde, ſi coram Sacra Euchariſtia fieri contingat exorciſmos, nullo modo ea corpori Energumeni, ſed Sanctorum Reliquiæ debita cum reverentia & decore applicentur. Quia vero dœmon, teſte S. Cypriano, citius & ſegnius, quem obſidet, deſerit, prout vel fides patientis adjuvat, vel gratia curantis aſpirat, debet Exorciſta, quando jam ſe ipſum rite ad hoc munus diſpoſuit, etiam curare, ut ex parte afflicti non ſit defectus; curet itaque diligentiſſime, ne afflictus ſpretis Eccleſiæ Miniſtris ad magos, ariolos, divinatores vel quoscunque Exorciſtas laicos pro levamine recurrat, aut remediis ſuperſtitioſis utatur. Unde Paſtores, Vice-Paſtores, Concionatores, Catechiſtæ & Confeſſarii ſæpius & graviter explicent illius peccati malitiam, & pericula incidendi in plenam ſervitutem ipſius dœmonis, quibus ſe tali modo objiciunt.

XI. Quoniam non omni ſpiritui facile leviterque eſt credendum ob multiplices, easque frequentiſſimas, quæ in hujusmodi viſis & maleficiorum denunciationibus intervenire ſolent, tum malignorum hominum fraudes, tum diabolicas illuſiones, idcirco, ut eæ melius diſcernantur, ſequentes præſcribimus regulas diligenter obſervandas.

1. Effectus, qui ſolertia & ingenio humano fieri poteſt, vel aliquando poſitus eſt, ſuſpectam facit opinionem de Spiritu vel maleficio.

2. Is, qui denuntiat viſa quædam vel infeſtas actiones aut maleficia, diligenter exponendus eſt, fœmina aut vir, juvenis aut ſenex, timidæ complexionis aut puſilli animi, an generoſi ſit, item an triſtis & melancholicæ,

an lætæ fit naturæ & morum? pro qualitate enim de • intiantium, minor eſt denuntiationi fides habenda.

3. Si primus denuncians haberi nequeat, ſuſpecta redditur denuntiatio & plerumque falſa.

4. Sin primus denuntians reperiatur, more Judicibus uſitato, variis quæſtionibus etiam vagis & alienis eſt examinandus, & iterum alio ordine & mutatis antedictorum adjunctis ac ſubtiliter excutiendus, an vacillet narratio, vel ſuis alicubi dictis repugnet? tunc enim fallacia certo credi poteſt.

4. Videndæ circumſtantiæ primæ perſonæ denunciantis, an ſit pauper, avida lucri, improbæ vitæ, male educata, amans otii, contentionum & inimicitiarum? hæc enim ſuſpicionem falſi movent prudentibus.

6. Denique terrore interdum denuncians conveniri debet, & onere cautionis de infamia gravandus, ſi constanter aſſeveret Spiritum quempiam viſum, & ſi junior ætate, virgis, ſi adultus carcerum minis, ſimilive pœna ad veritatem cogendus.

His ſiquidem Regulis plurimæ deteguntur fraudes, ad quas natura hominum lapſa nimis eſt proclivis.

XII. Ubi vero omnibus mature examinatis, vera Spirituum viſio comprobata fuerit, mali a bonis hiſce ſignis, uti certioribus, potiſſimum ſolent diſcriminari.

1. Si ad præſentiam vel uſum rerum ſacrarum diffugiat, ut coram Ss. Euchariſtia, ad aſperſionem aquæ benedictæ, ad uſum ſigni Crucis, ad invocationem nominis JESU, B. Virginis MARIÆ, aut alicujus Sancti, ad uſum ſacrarum Reliquiarum, ſacræ imagines, Agni DEI, cerei benedicti, ſtolæ ſacræ, & ſimilium, quibus Eccleſia uti conſuevit contra diabolicas fraudes amuletis, quæque veræ Religionis Catholicæ ſunt certa ſigna: tunc enim exploratum redditur, Spiritum eſſe malignum, item, ſi hujuſmodi diſſuadeat aut improbet.

2. Si dicat, aut ingerat ea, quæ ſunt contra fidem, vel doctrinam Eccleſiæ, vel quæ a moribus & regulis Sanctorum ſunt aliena.

3. Si parvam, falſam aut frivolam prætexat apparitionis ſuæ cauſam, ut, quod ex imperio alicujus magi redeat, vel ut denunciet ſeu manifeſtet aliqua curioſa vel noxia.

4. Si ſermonibus ſuis hominem incendat ad ſuperbiam, vanam gloriam, inobedientiam, rixas, nimiam animi præſumptionem, deſperationem, aut alios ſimiles affectus inordinatos.

5. Si prohibeat ſua tractari cum Superioribus Eccleſiaſticis, aut iis exponi, ut Epiſcopo loci, aut ejus vices gerenti, Confeſſario, aut aliis: non enim boni ſpiritus quærunt tenebras, nec volunt ordinatum agendi modum & in Eccleſia uſitatum vel a Ss. Patribus præſcriptum inverti & immutari.

6. Si blande accedat initio, poſtea vero terrorem incutiat, anxietatem, deſolationem & perturbationem animi, quemadmodum enim boni ſpiritus, etſi initio aliquid terroris adferant, ſua præſentia tamen ante receſſum illuminant, ſolantur & tranquillant animos illorum, & ad ſalubriora ac ſanctiora diſponunt, quibus apparent, ut paſſim teſtatur ſacra Scriptura, ita contra ſpiritus maligni ſolent initio blande ſe inſinuare, ſed in deceſſu in animo horrorem, perturbationem & inclinationem aliquam malam relinquere.

7. Si in forma tetra aut abjecta appareat, ut in forma Æthiopis, canis, hirci, ſerpentis, bufonis, aut ſimilis animalis vel cum fœtore, tumultu, horrore ſeu clade diſcedat, vel etiam ſi appareat in forma humana ſed monſtroſa cum pedibus corneis, bovis, aut equi, vel ſit ſtaturæ proceræ, vel nimis exilis: vix enim exiſtimandum eſt, dœmonem in humana forma Divino permiſſu apparere, niſi cum notabili ſigno alicujus deformitatis.

VIII. Si quando præſtitum fuerit, quod ſubſidii cauſa petierit, rurſum aliis occaſionibus frivolis quæſitis redeat; animæ enim juſtorum, quæ ignibus purgatoriis expiantur, ubi pro illis

illis satisfactum fuerit, aut non redeunt, aut semel tantum, ut gratias agant. Dœmones vero, quia paucis congressibus nequeunt consequi suum finem, quærunt varias redeundi occasiones, ut tandem homines decipiant, in peccata & barathrum desperationis, aut in superbiam & præsumptionem nimiam pertrahant.

Quare cum frequenter apparent ejusmodi animæ sive spiritus, earum nomine suspectum est habendum objectum visum, ac merito semper observanda monitio S. Antonii: Cum aliqua obtulerit sese visio, inquit, audacter requirite, quis sit ille & unde veniat, ac sine mora, si Sanctorum fuerit revelatio, Angelica consolatione timor vertetur in gaudium; si vero diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus evanescet.

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTORUM SUSCEPTIONE, ET ADMINISTRATIONE.

TITULUS I.

De Sacramentis in genere.

I.

Septem esse novæ legis Sacramenta a Christo Domino instituta, & ab Apostolis veluti per manus ad nos transmissa, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, nullus Catholicorum ambigit, quorum quanto major est dignitas atque præstantia, tanto sanctius & religiosius sunt administranda & suscipienda. De quorum legitimo usu, virtute & efficacia, cæterisque eodem pertinentibus non minus copiose, quam Catholice & religiose statuit Sacrosanctum Concilium Tridentinum, cujus Decreta & Canones omnes cum Synodus reverenter recipiat, ea non aliter observari præcipit, quam si de verbo ad verbum hic inserta forent, &, quæ sequuntur, superaddenda, magis explicanda & rememoranda censuit.

II. In administrandis Sacramentis Rituale hujus Ecclesiæ Paderbornensis omnes sequantur, nihil temere addendo, demendo, vel immutando.

III. Administraturi Sacramenta Baptismi, Sacræ Eucharistiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii, nec non concionaturi stola & superpelliceo vel alba sint induti, in locis sacris sæcularium confessiones accipiant superaddita insuper stola.

IV. In administratione quorumcunque Sacramentorum vis & efficacia eorum pro captu sumentium ac præsentium sæpe a Pastoribus explicentur, omnesque preces Sacramentales, maxime vero ipsæ formæ Sacramentorum tractim, distincte & attente cum debita reverentia pronuncientur.

V. Et ne dum quis aliis est Minister ad salutem, damnationem sibi acquirat, caveat quisque diligentissime, ut qua decet munditie & puritate Sacramenta administret, ac dum culpæ graviori se sentit obnoxium, statim se confessione expurget.

VI. Pastor, vel quivis alius Sacerdos, ad quem Sacramentorum administratio pertinet, requisitus ad administrandum Sacramentum quacunque diei ac noctis hora, statim sit paratus ac facilis, nec sese prætextu horæ importunæ, temporis incommodi, alteriusve occupationis, multo minus convivii excuset; aut durioribus verbis petentes Sacramenta excipiat, memor ad eximiam illam, quæ in Pastoribus ardere debet, charitatem pertinere, ut æquissimo id ferat animo, graviter alioqui puniendus, gravissime vero, si quem ipsius negligentia sine Baptismo, Confessione, sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit.

VII. Et quoniam Sanctum minime dandum est canibus, quilibet Parochus, vel Vice-Parochus Sacratissimam Eucharistiam & Olea sacra in locis tutis ac vasis mundis fideliter, soliciteque custodiat, ita ut impiis ac sacrilegis hominibus non facilis ad ea accessus pateat, nec ex sacra materia cujuscunque Sacramenti ullus unquam aliquid alicui, etiam specie medicinæ vel tollendi maleficii, tradat, vel tradi permittat.

VIII. Si quis (quod absit) potus vel aliter indispositus atque inidoneus ad administrandum Sacramentum accesserit, sive is Pastor, aliusve Sacerdos fuerit, juxta irreverentiæ enormitatem graviter punietur.

IX. Pastor domo discedens Custodi significet, ubi inveniri possit: si vero a petentibus Sacramentorum administrationem diligenter quæsitus, non facile reperiatur, & ob absentiam aut moram Pastoris suboriatur a præsentibus murmuratio aut scandalum, aut si in mora periculum, poterit tunc alius Pastor, aut Vice Pastor alias idoneus administrare Sacramentum, Matrimonio duntaxat excepto, salva pœna Pastori absenti imponenda.

X. Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi præparatione accedat, volumus omnino & mandamus, ut Pastores & Vice-Pastores sæpe Divinorum horum Mysteriorum institutionem, usum, virtutem, utilitatem, necessitatem & efficacitatem, uti & rituum atque cæremoniarum significationes in concionibus exponant.

XI. Prohibemus etiam, ne quis aliquod Sacramentum sine gravi, urgentique necessitate, aut expressa nostra, nostrive in Spiritualibus Vicarii Generalis licentia, vel obtento speciali in scriptis privilegio Apostolico, in privatis ædibus administret, aut etiam celebret. Maxime enim decet Sacrosancta hæc Mysteria in Ecclesia (quæ Sacramentorum proprius locus est, quæque tam Ministrantes, quam suscipientes atque circumstantes omnes in fide, charitate ac veneratione magis accendit) omni cultu ac Religione sanctissime ministrari & celebrari.

XII. Præterea cum Oecumenica Synodus Tridentina definiverit, quod si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. Volumus omnino & severe præcipimus, ut quivis Parochus, aliusve Sacerdos in cujuscunque Sacramenti administratione præter actualem seu virtualem intentionem, legitimamque materiam & formam, etiam approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus & cæremonias adhibeat, atque ita decenter gravique actione cuncta in Rituali seu Agenda præscripta peragat, ut adstantes ad Sacrorum tum reverentiam, tum pietatem, atque ad cœlestium rerum cogitationem erigat, & uti Pastor spiritualis præeundo provocet & attentos reddat.

XIII. Sacerdos ergo ad Sacramenti alicujus administrationem accessurus ritus & cæremonias pro temporis opportunitate prævideat, diligenterque perlegat; ac deinde paululum rei sacræ, quam acturus est, meditationi vacet, gratiamque digne & cum fructu Mysterium hoc illudve administrandi imploret.

XIV. In singulorum quoque Sacramentorum administratione (Confessionis duntaxat Sacramento excepto) unum saltem pium & honestum, mundoque superpelliceo indutum, ac linguæ pariter latinæ gnarum Ministrum adhibebit, qui Sacerdoti oranti totius Ecclesiæ nomine respondeat.

XV. Pro Sacramentorum administratione, nihil ante eam exigatur, post eam tamen, si quid sponte offeratur, vel aliquid consuetudine laudabili tanquam debitum præstari soleat, licite poterit acceptari.

TITULUS II.

De Baptismo.

I.

PAstores sacrum Fontem sub operculo & sera diligenter servent; Sacrum

crum quoque Chrisma & Oleum sub sera & loco honesto custodiant, & Sabbato sancto ac in Vigilia Pentecostes aquas baptismales consueta benedictione renovent.

II. Quilibet Parochus librum habeat, in quo singulorum Baptizatorum, nec non parentum & patrinorum ac matrinarum nomina & cognomina, diemque, mensem & annum diligenter describat. Sic enim & ætas pueri, & ejus conditio, & inter quos spiritualis cognatio contracta sit, facile dignoscetur, eundemque librum quotannis in visitatione exhibeat & loco tuto custodiat.

III. Diligenter quoque observare monentur Parochi illud, quod in Concilio Tridentino ad evitandam difficultatem & pericula impedimenti cognationis spiritualis de numero Patrinorum constitutum est, ne videlicet plures, quam unus vel una, vel ad summum unus & una, qui infantem, dum baptizatur, tangat vel tangant, ad suscipiendum sub quovis etiam prætextu admittantur, nisi nostram indignationem & condignam pœnam sustinere velint.

IV. Quia de pueris exposititiis compertum est, quod mulieres per appositionem salis non idem semper significare intendant, sed subinde collatum esse Baptismum, subinde vero contrarium; ideo semper & indistincte, pueri expositiii sub conditione baptizentur, sive sal iis appositum fuerit, sive non.

V. Prohibet præterea sancta Synodus, ne quis Pastorum Baptismi Sacramentum alio in loco, quam in illis Ecclesiis, in quibus sacri Fontes constituti & consecrati sunt, exceptis casibus in jure permissis, conferre audeat.

VI. Hortatur hæc sancta Synodus & requirit omnes Magistratus singulorum locorum, ne quam ad obstetricandum parturientibus admittant, nisi prius a Curato loci, ubi obstetrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ fidei habeat.

VII. Antiquam & religiosam illam consuetudinem, qua puerperæ post absolutum puerperii tempus in proximo statim egressu ad Ecclesiam procedunt, ut Deo pro puerperii beneficio gratias agant, & precibus ac benedictione Sacerdotali expientur, tanquam piam ac laudabilem conservatam volumus.

VIII. Ad abolendam pravam illam consuetudinem, qua ruri præsertim post Baptismum infantium convivia non sine maximis incommodis & periculis tam puerperæ, quam infantis celebrari consueverunt, mandamus Pastoribus & Concionatoribus, ut moneant, & exhortentur subditos suos, quatenus ab hujusmodi abstineant.

IX. Parochi ob id, quod puer baptizandus sit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus, vel exteris illic casu natus, ipsum baptizare non recusent aut differant.

X. Non admittantur in patrinos notorie hæretici, notorie excommunicati, publici usurarii, vel aliter publice infames; neque etiam minores duodecim annis, aut qui per inopiam mentis, notitiam non habent ejus fidejussionis, ad quam se offerunt, eademque cautio sit de commatribus.

XI. Ubicunque in Ecclesiis Parochialibus dirutus est fons baptismalis, restituatur ex lapide solido, ne ex eo aqua effluat, sitque figuræ rotundæ & latitudinis circiter duorum pedum, fixusque loco commodo constituatur. Extra fontem sacrum nemo baptizetur, nisi forte quem periculum ad Ecclesiam deferri non permittit, exceptis iis, quibus id a Nobis aut Antecessoribus nostris clementissime indultum est.

XII. Tenebuntur Pastores parentes infantium ultra quartum a nativitate diem Baptismum differentes, Nobis, aut Vicario nostro in Spirit. Generali, aut Archi-Diaconis denunciare.

XIII. Sacrum Baptismum ex institutione Christi cunctis etiam fidelium infantibus ad salutem esse necessarium, ipsa Veritas testatur, hisce verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; cum itaque sine eo, utpote Christianæ Religionis

gionis & æternæ vitæ janua, & omnium aliorum Sacramentorum fundamento nulla æternæ ſalutis ſpes ſuperſit, ſumma ad illum tempeſtive riteque adminiſtrandum ac ſuſcipiendum diligentia eſt adhibenda.

XIV. Volumus etiam, ut tam Paſtores, aut eorum Socii, Cooperatores, ſeu Vicarii hoc Sacramentum adminiſtraturi, quam Patrini & Matrinæ baptizandum ad Templum comitantes non leviter aut perfunctorie id agant, ſed cum religioſa pietate ac gravitate ad tanti muneris functionem accedant, Deoque gratias agant, qui filium iræ & hæredem gehennæ benigne ad Sacramentum regenerationis admittit, ut fiat filius Dei & hæres vitæ æternæ.

XV. Ad majorem autem venerationem pietatemque excitandam, curandum eſt, ut Baptiſmus ſemper ante prandium fiat, & ſuſceptores cum amicis pro veteris Eccleſiæ ritu infantem Deo præſentent & offerant, a prandio vero illud non facile admittatur, niſi neceſſitas, aut periculum infanti imminens, aut habitatio remotior, aut alia juſta cauſa illud requirat.

XVI. Quoniam vero parvulorum & recens natorum infirma & inconſtans eſt valetudo, adeo, ut collatio Baptiſmi ſine vitæ periculo differri non poſſit, valdeque ſit abſonum, quod ob reſpectum aliquem externum diutius filius iræ permaneat, qui in adoptionem filiorum Dei admitti poteſt: Hinc præcipimus, ne ſub aliqua ſpecie vel cauſa undecunque quæſita Baptiſmus infantium, etiam quorumcunque nobilium aut inſignium perſonarum, diu differatur.

XVII. Nullus, niſi prævia licentia Paſtoris, prolem ſuam extra Parochiam ſuam baptizari curet, & ubi baptizata fuerit, de collato Baptiſmo Paſtori teſtimonium ferat, quod etiam in libro baptiſmali notetur; Paſtores tamen raro, & nonniſi ex gravi cauſa licentiam talem concedant. Ideo Parochus infante Baptiſmi cauſa ad ſe delato diſpiciat, an ſuæ Parochiæ ſit, quem ſi alienæ deprehenderit eſſe, non niſi urgente neceſſitate baptizet, ſed ad proprium Parochum jubeat deportari: quod maxime erit obſervandum in prolibus ex illegitimo thoro procreatis, quas parentes, ut crimen ſuum proprium Paſtorem celent, ejusque correctionem declinent, in alienam Parochiam, ubi ignoti ſunt, curant ad Baptiſmum deferri.

XVIII. Baptizatis nulla alia nomina imponi debent, quam Sanctorum, quorum denominatio ac memoria adultis ad virtutis imitationisque ſtudium deſiderium accendere poſſit.

XIX. Patrini ac matrinæ ſint homines pii & Catholici maturæ ætatis, in fide atque probatis moribus bene inſtituti, ut filios ſuos ſpirituales in iisdem inſtruere poſſint: id enim ipſorum, quam pro infantibus Deo & Eccleſiæ faciunt, ſponſio requirit, cujus diligenter a Parochis ſunt admonendi, ac magis eligentur ii, qui ſaluti animæ conſulere, quam muneribus augere queant. Arceantur autem merito ab iſta ſponſione, qui nondum ad annos diſcretionis pervenerunt, nec Fidei rudimenta tenent, utpote Symbolum Apoſtolicum & Orationem Dominicam, item qui juſto impedimento ceſſante, eo anno peccata Sacerdoti ſuo confeſſi non ſunt, neque in feſto Paſchæ Sacram Euchariſtiam ſuſceperunt, quique hæreſi infecti aut excommunicati ſunt. Neque enim convenit illos tanquam comminiſtros & teſtes aſſiſtere Sacramentis, qui vel de illis male ſentiunt, vel quos Eccleſia a Divinis arcet, vel qui ſe ipſos a communione & unitate Catholica ſegregarunt.

XX. Alienum autem exiſtimamus, magnam hujus mundi pompam circa Baptiſmum adhibere, ne ubi unusquisque in Baptiſmo pollicetur Satanæ renunciare, ejusque pompas deſerere, in ipſo vitæ Chriſtianæ limine iis rebus dari opera videatur, quibus potiſſimum ſolenni ſponſione renunciatur.

TITULUS III.

De Confirmatione.

I.

SAcramento Baptiſmatis ſuccedit aliud, quod a Ss. Patribus nunc Con-

Confirmatio, nunc manus impositio, vel Sacramentum Chrismatis aut Unctio, quæ sit Divinæ procreationis sacrosancta profectio, nominatur: cujus quidem Sacramenti virtute homini baptizato plenitudo Spiritus Sancti confertur, & auxilium ac robur singulare, quale datum est Apostolis die Pentecostes, ut Christi nomen & fidem coram Principibus mundi & orbe toto sine pudore ac timore constanter valeant profiteri. De hujus Sacramenti dignitate, vi & effectibus Parochi subditos suos sæpe diligenterque instruant, maxime sub id temporis, quo illud Episcopus in iis locis administraturus est. Postquam Parochus de constituto die Chrismatis administrandi fuerit admonitus, perquirat diligenter, qui confirmandi sint in Parochia etiam per singulorum domos circumeundo, si id commode fieri potest, & die Dominico aut Festo præcedente ex professo doceat populum suæ curæ & custodiæ commissum ea omnia, quæ ad Sacramentum debite recipiendum pertinere intelliget. Pastores vero & Concionatores in Domino requirimus, ut eo majori diligentia, solicitudine ac zelo in fructibus hujus Sacramenti explicandis versentur, quo vident amplius illud ab antiquis & nostri temporis hæreticis derisui & ludibrio habitum. Cum ergo hujus Sacramenti utilissima susceptio nequaquam negligenda aut parvi pendenda aut differenda sit, præcipimus omnibus ac singulis Civitatis & Diœcesis nostræ Paderbornensis Pastoribus, ut parentes crebro adhortentur, quatenus suos liberos nondum sacro Chrismate confirmatos ad suscipiendum hoc Sacramentum abducant.

II. Ad Confirmationem accedentes, si non perfectæ ætatis, ut Concilio Aurelianensi olim statutum fuit, saltem septennio non sint minores, ut melius suscepti Sacramenti memores esse possint, nisi ex rationabili causa confirmanti aliud videatur; neutiquam porro expedit post ætatis annum septimum, vel quando puer rationis usum assecutus putatur, Sacramentum Confirmationis diutius differri, quia dignius suscipitur ab innocente, qui gratiam primam Baptismi integram hactenus conservavit in ea ætate, quæ fere immunis a gravioribus peccatis esse solet.

III. Inter adultos vero nullos hæreticus, excommunicatus, interdictus vel gravioribus facinoribus contaminatus, aut primorum Christianæ Fidei rudimentorum, videlicet Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, ac Symboli Apostolorum ignarus ad percipiendum hoc Sacramentum se ingerat.

IV. Si quos præmature parentibus orbatos vel alios quoscunque post debitam inquisitionem adhuc dubitare contingat, num Sacramentum hoc susceperint, nec ne, illi dubium suum nobis exponant, ut sub conditione confirmari possint, si ita fieri debere judicaverimus; quia tamen frequenter evenit, ut parentibus vita defunctis pueri Confirmationis susceptæ neutiquam memores iterum se offerant confirmandos, idcirco mandamus parentibus ac patrinis, ut confirmatis suis liberis, iis præsertim, qui ante rationis usum sunt consignati, sæpe revocent in memoriam, quando, a quo & ubi fuerint confirmati, & a quo patrino Episcopo oblati, tum ne hujus obliti rursum sacrilege consignentur, tum etiam ut hac gratiæ plenitudine, quam vi Sacramenti acceperunt, ad Dei gloriam & salutem suam recte utantur, & de virtute in virtutem quotidie progrediantur.

V. Cum Sacramentum Confirmationis ex propria institutione, ratione & natura sua conferat augmentum gratiæ, necessarium censetur, ut id recepturus jam antea Dei gratia donetur, siquidem augmentum illam supponit, ideo volumus, ut omnes confirmandi, qui octavo vel summum decimo ætatis anno majores sunt, dolique capaces, ne gratiæ Spiritus Sancti ponant obicem, si conscii sibi fuerint peccati mortalis, quod nondum expiarunt, præmittant Confessionis Sacramentum, quo a peccatorum sordibus expurgati, velut munda vasa donis amplissimis Spiritus Sancti affluentius impleantur, ac tam animæ, quam cor-

pora eorum viva Spiritus Sancti templa efficiantur. Quod si tamen propter temporis angustias aliudve legitimum impedimentum confirmandi non potuerint ante confiteri, saltem de admissis peccatis prius actu conterantur.

VI. Convenit quoque, ut hujusmodi Sacramentum ante meridiem administretur, & confirmandi, si sani sint, jejuni ad illud suscipiendum juxta salutarem Concilii Aurelianensis monitionem accedant, ut piis desideriis aliisve dignis pœnitentiæ fructibus, ac pietatis operibus melius præparati copiosius Dei donis cumulentur. Verum, cum plerumque populus numerosus affluat ad Confirmationem, usus obtinuit, ut hoc Sacramentum post prandium etiam non jejunis conferatur & suscipiatur, quod etiam licite fieri potest, si infirmitas, angustia temporis, vel alia justa causa faciendum suadeat.

VII. Qui in Baptismo patrinus esse prohibetur, hic quoque esse non poterit. Patrinos autem declaramus idoneos, qui primum ipsi sunt Catholici, confirmati, maturæ ætatis, ab omni excommunicationis sententia liberi, nec gravioribus criminibus palam obnoxii, tum qui eo anno ad Sacramentum Confessionis & Communionis accesserunt, qui prima fidei rudimenta noverunt. Regulares autem personas ad hunc actum accedere prohibemus.

TITULUS IV.

De Sacramento Ss. Eucharistiæ.

I.

CUm Eucharistia sit præcipuum ac maximum Dei donum & longe sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius, & salubrius, ipsum omnis boni ac gratiæ fontem & auctorem continens, dolendum sane est, multorum sanctæ Religioni Catholicæ adversariorum impia studia conatusque in oppugnationem hujus Divinissimi Sacramenti converti, multorum item & maxime malorum Sacerdotum impuritate ac vita mala, Divinum hoc Sacramentum horrendum in modum profanari atque contemni, ut mirandum non sit, si Deus merito hinc offensus gravissimas in populum calamitates immittat. Cui utrique malo occurrere cupientes, serio Pastoribus, ac quibuscunque Concionatoribus & Divini verbi Præconibus commendamus, ut quæ de astruenda hujus Sacramenti veritate, transsubstantiatione, adoratione, sumptione, oblatione &c. Sancta Synodus Tridentina post Ss. PP. & DD. testimonia definivit, populo diligenter proponant atque explicent.

II. In singulis Ecclesiis Parochialibus plures Hostiæ sacræ ad usum ægrotorum continuo asserventur, & quidem sub sera & in loco honesto ac decenti vasculo.

III. Frequenter pro loci humiditate vel siccitate species Sacramentales renoventur.

IV. Hostiæ consecrandæ sint recentes & integræ, sed non plures, præsertim in Paschate, vel aliis solemnioribus Festis, quando populus communicare solet, consecrentur, quam quot Pastor, aut alius Ecclesiæ Rector animarum curam habens pro ægrotantium, aliorumque communicantium numero circiter esse necessarias judicaverit.

V. Sacrosancta Eucharistia nec adorationis causa, nec in gratiam infirmorum servetur alibi, quam in loco sacro, in Ecclesiis nimirum Parochialibus, vel aliis, quibus animarum cura annexa est.

VI. Tabernaculum Venerabilis Sacramenti ubi nondum est, solicitus sit Pastor, ut id conficiatur, quod fiat vel in medio Altaris, vel in pariete juxta Altare extrinsecus decore depictum, ejusque ostiolum aliqua cortinula sit tectum, intrinsecus autem panno colorato Tacernaculum sit circum vestitum, ac circumquaque firmum & tuto clausum, sub ipso duntaxat Venerabilis Sacramenti vase candido semper corporali stratum. Tabernaculum quoque, in quo Sanctissimum CHRISTI Corpus in Ecclesiis deponitur & custoditur, sit firmum, clave obseratum, & juxta cujusque Ecclesiæ facultates intus & foris decenter exornatum, atque

que a Sacri Chriſmatis, Sanctorumque Oleorum vaſculi, Sanctorum quoque Reliquiis, & ab omni alia re vacuum.

VII. In qualibet Parochia ut minimum ſint duo vaſcula, in quibus ſacræ Hoſtiæ conſerventur, unum quod veteri vocabulo Eccleſiaſtico Ciborium vocamus, in quo reponantur ſacræ Hoſtiæ communicantibus diſtribuendæ, quo etiam uti licebit, dum Venerabile Sacramentum ad infirmos defertur. Alterum vero vaſculum ſit hierotheca perlucida, quam vulgo Monſtrantiam appellant; cujus uſus ſit Venerabili Sacramento deferendo in publicis proceſſionibus, vel cultus & adorationis cauſa proponendo ſuper Altare, quæ hierotheca idcirco inter columnellas ita chryſtallo tranſparanti circumdetur, ut ſacra Hoſtia perſpici poſſit. In ipſo tabernaculo recludantur dictæ pyxides duæ, easque oportet eſſe aureas vel argenteas, vel minimum propter Eccleſiæ paupertatem, vel direptionum pericula ſtanneas mundas, & nitidas, nullo modo vero ligneas, teſtaceas, vitreas ob periculum fractionis, non lapideas ob humiditatem & gravitatem, nec æneas vel ob æruginem, quam pariunt, quæ vomitum provocat: Omnia vaſa ſacra, quæ ad oſtenſionem, de portationem, vel cuſtodiam Ss. Euchariſtiæ ſerviunt, ut ſunt monſtrantiæ, ciboria, pyxides, calices & quæcunque alia vaſcula, ſi argentea, aurea vel inaurata ſint, quotannis minimum bis circa feſtum Paſchæ ac S. Michaelis intus & foris mundentur, & ſplendori ſuo reſtituantur, ſi propter Eccleſiæ paupertatem vel direptionum pericula fuerint ſtannea ſingulis ſaltem menſibus diligentiſſime defricentur.

VIII. Clavis illius tabernaculi nunquam in ejus oſtiolo, Altari, aut loco vicino, vel ſacrario relinquatur, neque ulli unquam Laico vel Ædituo, vel ulli etiam in Monaſteriis moniali credatur, ſed in Eccleſiis Parochialibus ſolus Parochus, vel alius Sacerdos cum ipſius licentia, in aliis autem Eccleſiis tam ſæcularium, quam Regularium Sacerdos ab earum Eccleſiarum Superiore ſpeciatim deputatus clavem illam, idque ſub gravi arbitraria pœna, cuſtodiat, diligentiſſimeque curet, ut illud ſemper clauſum ſit, ne ulla unquam Sacramento huic injuria fiat. Si quis ipſius ſacræ Euchariſtiæ Cuſtos eam incautius ſervarit, per tres menſes juxta canonicas Sanctiones ab Officio ſuſpendatur, & ſi per ejus incuriam aut negligentiam aliquid nefandum contigerit, ſeu gravior ſacroſancto huic Sacramento irrogata fuerit injuria, pro modo culpæ graviori etiam in eum pœna animadvertatur.

IX. Ubicunque locus ab hoſtibus ac prædonibus eſt tutus, & facultates Eccleſiæ ferunt, continuo tam de nocte, quam de die ante tabernaculum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ lumen ardeat, alibi ubi nimia paupertas aliud non ſinit, ſaltem ſub Officio Divino ob reverentiam tanti Sacramenti, & ut ſignificetur præſentem eſſe eum, qui lucem habitat inacceſſibilem, quique mentium noſtrarum tenebras illuſtrat; ardeatque ſumptibus fabricæ, vel alterius, qui ad hoc obligatur, quod, ut non negligatur, Parochos, ac Sacriſtanos, ſeu Ædituos ad hujusmodi incuriam & luminarium defectus, ubicunque fuerint, corrigendos, aut Nobis, vel noſtro Vicario quamprimum denunciandos adhortamur. Fundationes etiam in eum uſum relictæ ſtricte impleantur.

X. Porro, cum ſicut corpus pane ciboque, ſic anima ſpirituali alimento ſæpius ſit reficienda, diligenter excitent ſubditos & auditores ſuos Parochi & verbi DEI Præcones ad debitum tanti Sacramenti cultum & frequentem ejus uſum: iisdemque crebro exponant & maxime feſtis celebrioribus, quando populus communicare ſolet, quanta ſit ipſius Euchariſtiæ excellentia, quam admirabiles effectus in rite diſpoſitis pariat, quanta proinde animi religione, pietate & humili etiam corporis habitu ad Divinum hoc epulum (in quo omnis ſpiritualis dulcedo quaſi in ſuo fonte guſtatur) ſit accedendum. Non deſinant etiam Paſtores & Concionatores ſæpius adhortari parentes ſub concionibus & alias, ut liberos, poſtquam ejus ætatis & judicii fuerint, ut poſſint ſacroſanctum Corpus Domini diſcernere, ad ejus participa-

cipationem inducant, & Ecclesiæ offerant, ut hoc cœlesti cibo pasti omnium bonorum operum & meritorum capiant incrementa; interim tamen Pastores & reliqui curam animarum habentes advigilent, ut neminem ad illud admittant, quin certo sciant eum vel saltem prima Fidei rudimenta probe scire & quid in sacra Eucharistia contineatur, intelligere. Sæpius quoque populum admoneant, quod nullus sibi peccati mortalis conscius, licet sibi contritus videatur, absque præmissa confessione sacrosanctum Corpus CHRISTI possit sumere, nisi in periculo mortis, cum æger non potest confiteri, vel abest copia Confessarii.

XI. Inculcent similiter omnibus, quod teneantur naturali jejunio servato, accedere ad hoc Sacramentum, ita ut saltem a media nocte nihil omnino ne quidem per modum medicinæ comederint aut biberint, ac ut utroque genu flexo Sacramentum istud humiliter adorent, reverenter suscipiant, neque eo sumpto statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, aut vocalibus precibus occupentur, ne sacra Hostia vel aliqua ejus particula incaute ex ore decidat, sed aliquantisper, qua par est pietate, mente orent, ac tacite Deo pro tam singulari beneficio, nec non pro sanctissima Passione Domini, ad cujus memoriam refricandam hoc Mysterium est institutum & sumitur, gratias agant.

XII. Adhæc mandamus Pastoribus & eorum vices tenentibus, ne sacrosanctam Eucharistiam administrent publicis peccatoribus, aut concubinariis publicis, antequam concubinas suas dimiserint, meretricibus, usurariis publicis, nisi usuris renunciaverint, & injusta lucra restituerint, aut de iis restituendis cautionem dederint; palam inimicitias exercentibus, nisi reipsa pacem composuerint, vel sese ad reconciliationem debite obtulerint: phreneticis seu amentibus perpetuis, dum rationis usu carent, aut a pietatis sensu sunt alieni, non licet hoc dare Sacramentum; licebit tamen, quando lucida habentes intervalla suique facti compotes pie & religiose illud sumere desiderant.

XIII. Peccatores vero occultos, si occulte petant, & eos emendatos Parochus non agnoverit, repellat: non autem si publice se ingerant & sine offendiculo nequeant præteriri.

XIV. Eandem etiam de Energumenis rationem haberi volumus, quibus, si pia animi præparatione se dignos ea fecerint, nequaquam sacra Eucharistia est neganda, tum ut ejus virtute muniantur ab incursu dæmonum, quo infestantur, tum ut purgentur.

XV. Damnatis ad mortem de peccatis rite confessis & contritis negari non debet Eucharistia, sed tamen danda ante diem supplicii, si commode fieri possit, ne aliquid præter reverentiam tanti Sacramenti contingat.

XVI. Quilibet annos discretionis habens communicare debet, ut minimum in Paschate in Ecclesia sua Parochiali. Incipit autem Pascha ad hunc effectum in Dominica Palmarum, & durat usque ad Dominicam in Albis inclusive. Qui huic mandato Ecclesiæ non obedierint, vel in Paschate a Parochia abfuerint, & reversi intra octo dies non docuerint se alibi in Paschate communicasse, in Synodali visitatione denuncientur, ut nisi legitimam excusationem attulerint, & vivi ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & mortuis Ecclesiastica denegetur sepultura. Ad hæc cum oporteat in Parochia quemque sua in Paschate ad sacram Synaxin accedere, non satisfaciunt communicantes in aliis Ecclesiis quorumcunque etiam Ordinum privilegiatorum, quod in Dominica Passionis in Parochiis publicent Pastores una cum Decreto Concilii Lateranensis de Communione in Paschate facienda. Ut igitur hoc salutare Concilii Decretum inviolate servetur, quivis Parochus nomina & cognomina suorum Parochianorum in libro status animarum habeat descripta.

XVII. Pastores, & quicunque alii Sacerdotes Venerabile Corporis Christi Sacramentum ad ægrotos, aut alios nunquam perferant, nisi decenter & reverenter ornati stola & superpelliceo, & Custos superpelliceo indutus lumen & campanulam sonantem præferat, quo

quo populus sui moneatur officii tum erga Sacramentum, tum erga laborantem infirmum, idque observetur, etiam si infirmus frequentius in ægritudine sua Viaticum salutis sibi deferri petat. Quoties autem Sacerdos ad ministrandum ægrotis Sacramentum accersitur, semper duo ad minimum ex ipsius ægroti vicinis Presbyterum cum Custode a Templo ad ægrotum usque detectis capitibus & cum maturitate deducant, & inde ad Ecclesiam reducant. Moneantur vero omnes constituti in via, qua Sacerdos cum Venerabili Sacramento transit, ut summum illi honorem exhibeant; & sive equo, sive curru vehantur, religiose descendant; & tamdiu flexis genibus permaneant, quoad Sacerdos cum Venerabili Sacramento transierit, quod multam huic sanctissimo Sacramento conciliat reverentiam, idque nullius dignitatem dedecere, sed pro fidei suæ devotione ac professione vere gloriosum ac Christianum esse arbitrari omnes debent. Curetur vero diligenter, ut in administratione hujus Sacramenti ægrotantis cubiculum expurgatum, decenterque sit compositum, mensa aliqua linteo mundo instrata, ac etiam Cruce, luminaribus, ac vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, in qua pyxis cum Venerabili Sacramento constitui possit, Parochi etiam subditos suos sæpe hortentur, ut dum sanctissimum hoc Sacramentum ad ægrotum defertur, indeque ad Ecclesiam reportatur, frequentes illud ac devote comitentur.

XVIII. Viaticum sacratissimi Corporis Domini ægrotantibus mature, & solicite procurandum est, ne forte contingat eos tanto bono Parochi incuria privatos decedere.

XIX. Infirmis, qui pietatis studio sua in ægritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum & potum; potest tamen Viaticum brevi morituris dari non jejunis, id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesin, assiduam tussim, frequentem vomitum, aliumque similem morbum aliquid indecori cum injuria tanti Sacramenti timeri potest.

XX. Abusus, ut ad ægrotos deferatur Venerabile Sacramentum sub tempus vespertinum, paulatim tollatur. Nunquam tamen Pastor tempore nocturno, aut alias quantumvis importuno vocatus, cum id infirmi status postulat, ab officio faciendo sese excuset, gravissime puniendus, cujus culpa infirmus non munitus Sacramentis ex vita discesserit.

XXI. Nunquam unica duntaxat, sed ut minimum duæ semper sacræ Hostiæ ad ægrotum deferantur, & unica infirmo exhibita, altera ad Ecclesiam eodem honore & comitatu referatur, ne Parocho ad Ecclesiam redeunte, inanem pyxidem populus adoret. Et hæc quidem ordinatio plerumque observanda est ab omnibus, quod si tamen vel nimia loci distantia, vel itineris temporisve difficultas, vel alia justa causa, quo minus id præstari possit, circumspecto Parocho suaserit, tum eidem licebit eam sanctissimæ Eucharistiæ particulam solam deferre, quam æger percepturus est, quo casu tamen inane vasculum seu pyxidem occulte, silente campanula & sine lumine ad Ecclesiam referet.

XXII. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, aut etiam equitandum, includatur pyxis cum Sacramento bursæ decenti ad collum appensæ, & ita ad pectus aligatæ, ut neque decidere, neque e pyxide Sacramentum excuti possit.

XXIII. Inter eundum caveat, ne vanos oculos huc illucque conjiciat, aut fabuletur, sed caute, reverenter & graviter incedat, cœlestemque illum, quem manibus gestat, Thesaurum fide portet, & linguam mentemque precando exerceat.

TITULUS V.

De Sacrificio Missæ.

I.

Constans est Ecclesiæ vera doctrina, quam semper tradidit, & a suis Ministris doceri vult, Eucharistiam simul & Sacrificium esse & Sacramentum; Sacrificium veræ laudis & gratiarum actionis, impetratorium ac pro-

pitiationis pro fidelibus vivis & defunctis: Sacramentum autem spiritualis alimoniæ, quo vitam nostram spiritualem tueri & conservare possimus: nec potuisse Salvatorem nostrum, quando seipsum in ara Crucis obtulit, illustrius erga nos suam charitatem testatam facere, quam cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruenti illius Sacrificii in ara Crucis semel immolati virtus & efficacia in nos derivaretur, cujusque memoria usque in finem sæculi quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa recoletur. Cumque fateri cogamur, nullum opus adeo sanctum ac Divinum a Fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes incruento modo quotidie offertur, satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis & pietatis apparatu ac specie illud ipsum peragatur.

II. Itaque imprimis innumeris, quæ ex irreverenti & indecenti sanctissimi Missæ Sacrificii celebratione proveniunt, malis, quantum in Domino possumus, mature occurrere cupientes, omnibus modis interdicimus, ne quis extraneus, vagus, ignotus, vel peregrinus in ulla Civitatis & Diœcesis nostræ Ecclesia sive sæculari, sive regulari ad celebrandam Missam, Sacramenta ministranda, aut etiam prædicandum verbum Dei admittatur, nisi prius exhibito Episcopi sui, a quo consecratus est, testimonio, vel Superioris sui commendatitiis literis.

III. Cum Episcopi etiam ex sanctione Concilii Tridentini curare debeant, ne quis publice criminosus Sacerdos aut sacro Altari ministrare, aut Sacris interesse permittatur, injungimus omnibus Ecclesiarum Prælatis, Superioribus, & aliis universis animarum curam habentibus, Regularibus ac sæcularibus, ut Episcopali auctoritate nostra publicos concubinarios, usurarios, simoniacos, aliosque palam excommunicatos, criminosos Presbyteros ab Altaris ministerio removeant, alioqui tam illi, qui mortalis peccati publici rei celebrant, quam qui in hoc connivent, severe a Nobis punientur.

IV. Ut inter septem planetas splendidissimum Solis jubar, sic inter Ecclesiæ Sacramenta sacrosancta Eucharistia eminet, quæ purissimum & lucidissimum justitiæ Solem re ipsa & per se præsentem comprehendit, quam non nisi tersa & vitiis omnibus lethalibus expurgata conscientia licet percipere, idcirco Divino & positivo jure præceptum est, ne quis peccati mortalis conscius, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere audeat, quod præceptum inviolate a Laicis Communione sacra reficiendis, majorique ratione a Sacerdotibus sacrificantibus mandamus observari, quoties adest copia Confessarii: quod si urgente necessitate Sacerdos absque prævia confessione, excitata tamen prius contritione Missam celebrarit, ea finita quamprimum, ut definivit Oecumenicum Concilium Tridentinum, tenetur confiteri.

V. Primam Missam celebraturus Sacerdos non ante id facere permittatur, quam prius generales & speciales Rubricas & ritum celebrandi Missam tam privatam, quam solemnem secundum præscriptum Missalis Romani diligenter perlegerit, atque sacris Missæ ritibus & cæremoniis ab aliquo pio & erudito cæremoniarum & rituum Ecclesiæ apprime perito Sacerdote debite fuerit instructus, nec non easdem cæremonias & ritus se perfecte didicisse, Superiori, cui subest, testimonio sui Instructoris legitime probaverit.

VI. Et ne Sacerdotum sordibus res sacrosancta in oculis quoque vulgi vilescat, & maledictio, quam Deus minitatur, opus suum negligenter facientes feriat, volumus, & quibuscunque Civitatis & Diœcesis nostræ Presbyteris severe præcipimus, ut omnes tremendum Missæ Sacrificium celebraturi, mundis honestisque Altaris ornamentis, vasis, calicibus, patenis Pontificali ritu consecratis, benedictis corpora-

poralibus, pallis, veſtibus ſimiliter benedictis, nitidis pariter & integris, Romano Miſſali, nunquam ſolis candelis ſebaceis in Altari, ſed cum eis vel fine eis ſemper duobus minimum decentis formæ cereis, in Feſtis autem ſolemnioribus etiam pluribus, ante Evangelium S. Joannis vel aliud, ſi decendum fuerit, in fine Miſſæ plene lectum non extinguendis utantur.

VII. Quo Chriſti fideles Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda facilius queant ſatisfacere, ſerio mandamus, ut in omnibus curatis & vicecuratis Diœceſis noſtræ pagorum Eccleſiis non Collegiatis, Dominicis & fori Feſtis diebus Miſſa Parochialis, certa & eadem ſemper hora fiat, æſtate quidem hora octava, hyeme vero hora nona; ubi vero eodem die duæ Miſſæ dici conſueverunt, is ordo ſervetur, ut prima in ipſo diluculo pro plebis commoditate dicatur, ut pro majori ſua quiſque commoditate præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro ſatisfacere poſſit; præmiſſa tamen ſingulis prædictis Miſſis trina campanarum pulſatione.

VIII. Ut populo major quotidie Deo ſerviendi ſit opportunitas, curabunt Eccleſiarum Superiores, Paſtores, aut eorum vices gerentes, ubi magna eſt Miſſarum frequentia, ùt per ſingulas dimidiatas aut ſaltem horas Miſſa fiat: qua in re ad omnem evitandam confuſionem nunquam plures una hora ſimul ad Altare convolent, ne reliquo tempore nullus in Templo Sacerdos Sacrificium offerens reperiatur, ſed ordinate alter alteri ſuccedat, quibus ex officio ſacrificare incumbit, certamque ſibi horam in catalogo celebrantium apte concinnato & in Eccleſiæ choro vel ſacriſtia affixo præſcriptam habeant. Illi vero, qui pietatis ſtudio Sacrum facturi ſunt, ſi priores per ſpatia diverſa ſacrificabunt, idem intervallum obſervabunt, ſin autem ſine aliqua temporis intermiſſione alius alium ad ſacrificandum ſubſequatur, nec poſt nec ante illos Sacrificium offerre his integrum ſit, ita cum prioribus concurrant, ut tamen non eodem temporis momento accedant, ſed vel ad lectionem Evangelii, vel poſt factam Corporis Chriſti elevationem Sacrum inchoabunt: id ipſum & in Monaſteriis fieri exoptamus, ne dum ſimul plurimi Sacris operantur, decori domus Dei, aut Myſteriorum venerationi & gravitati nonnihil decedat, ſed omnia ordine ſummaque cum honeſtate & dignitate in Dei Eccleſia peragantur, ſic enim ſacris Myſteriis major accedet reverentia, populo vero ad templum quotidie venienti commodior erit Sacri ſtatim audiendi occaſio.

IX. Calices ſtannei, quorum uſus quidem in Miſſæ Sacrificio toleratus eſt, ſi ullo modo fieri poteſt, tollantur, eorumque loco argentei ſubſtituantur, aut certe ſuperior eorum cuppa ſit argentea inaurata; maxime ubi non eſt periculum ab hoſtibus aut prædonibus.

X. In dicendis vel cantandis Miſſis ſervetur Ordo Breviarii, ac proinde Miſſa quotidie præſertim vero diebus Dominicis cum diei Officio conveniat.

XI. Curent quoque Abbates, Præpoſiti, Archi Diaconi, Decani, Paſtores & alii Eccleſiarum quarumcunque Superiores, quo ab offenſa Dei ſeſe liberent, ne tam in ſummæ, quam defunctorum Miſſæ Sacrificio Epiſtola, Symbolum Fidei, Præfatio & Oratio Dominica, tanquam præcipuæ eorum, quæ in Miſſa canuntur, partes cantorum & organorum concentu mutilentur aut intercipiantur, multo minus reliquum decantandæ Miſſæ Sacrificium proxime poſt elevatam hoſtiam lectione ſubmiſſa abſolvatur, ſed omnia ex integro diſtincte & articulate canantur.

XII. Elevato Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio pulſu tintinnabuli omnes Chriſti fideles adorandi Dei in Sacramento vere & reipſa præſentis admoneantur, curentque Paſtores, Concionatores, Ludimagiſtri, aliique puerorum ſacrificantibus inſervientium Inſtructores, ut pulſus ille nihil puerilis inſolentiæ vel geſticulationis præſeferat, ſed ſoni ſui gravitate & modeſtia Majeſtati rei, præſentis congruenti decorem & attentionem eidem conciliet. Celebrantibus autem ſemper Miniſter

adſit, qui ipſis inſerviat, & reſpondeat corpore & moribus compoſitis, qui ab Altari non niſi peracto Sacro cum Sacerdote ſecedat.

XIII. Præcipit ſacra Synodus Tridentina, ut quæ in Miſſæ celebrationem irrepſerunt a tanti Sacrificii dignitate aliena, illa locorum ordinarii Epiſcopi prohibere atque e medio tollere ſedulo curent & teneantur. Quamobrem Nos hujusmodi Decreto inhærentes omnia & ſingula, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel ſuperſtitio, vel malus uſus induxit, ſublata eſſe volumus, ſicut ſunt pactiones, mercedes, candelarum certus numerus, inuſitatæ preces, & quæ ſunt ſimilia avaritiæ & ſuperſtitioſæ vanitatis ſufflamina.

XIV. Miſſæ nec nimis tarde, nec nimis feſtinanter, neque memoriter, ſed ex Miſſali legantur.

XV. Circa elevationem ſacræ Hoſtiæ, Antiphonæ vel aliæ cantiones intempeſtivæ ne intercinantur, ſed altum ſilentium recollectione animi, quo præſentibus tunc Myſteriis debetur, obſervetur. Poſt elevationem calicis, ſi muſice cantandum eſt, id devote & graviter fiat. Ubi vero hactenus moris fuit, ut ad elevationem majori vel alia campana ſignum detur, etiam impoſterum obſervetur; ubi non fuit, introducatur & populus admoneatur, ut tam domi, quam foris ad dictum ſignum reverenter vel ſtet capite detecto, vel in genua procumbens, oret: *Gratias agens Redemptori noſtro, quod propter nos & noſtram ſalutem deſcendit de cælis & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & homo factus eſt.*

XVI. In Altaribus & circa illa nihil omnino ſit ſordidum vel incompoſitum, in veſtibus ſacris nihil lacerum vel immundum. Nihil quoque deſit in ſacris vaſis ad Officium Divinum ſpectantibus.

XVII. Multum pietatem ac devotionem in populo promovebit, ſi Parochi & Concionatores hujus Sacrificii a Chriſto in ultima cœna inſtituti veritatem, excellentiam & admirabiles fructus ſingulari ſtudio doceant, eumque commonefaciant, ut non ſolum Dominicis & Feſtis, ſed aliis etiam diebus per hebdomadam ſacro Miſſæ Officio intereſſe ſtudeat.

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum, quoniam autem Deus, qui dives eſt in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe in peccati ſervitutem & dœmonis poteſtatem tradidiſſent. Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur, ut merito Ss. PP. & Concilium Tridentinum pœnitentiam ſecundam poſt naufragium tabulam appellarint, qua ſcilicet ex vortice mortalis peccati, tanquam e naufragio ſubvehi, & in portum ſalutis transferri, unusquisque poſſit.

II. Sacramentum iſtud non minus lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, quam nondum renatis Baptiſmus.

III. Ad Sacramentum Pœnitentiæ conſtituendum tria concurrunt eſſentialiter, materia, forma & Miniſter, materia remota ſunt peccata actualia poſt Baptiſmum admiſſa, proxima ſeu partes integrantes ſunt actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, forma illis Miniſtri verbis continetur: *Ego te abſolvo* &c. quibus ex laudabili Eccleſiæ Catholicæ more ſolent preces quædam præmitti, licet ad rationem formæ non ſpectent.

IV. Doceant autem Parochi diligenter ſuos Parochianos, poſt lapſum ac mortalis peccati reatum hoc medicamentum atque perfugium Chriſtianis omnibus adeo ad reconciliationem ſalutemque neceſſarium eſſe, ut ſine illo vel ejus voto nemo in nova lege lethali peccato adſtrictus ſalvari poſſit. Hanc autem frugiferam eſſe pœnitentiam, ut quibus modis Deum offendimus,

mus (offendimus autem corde, ore, ac opere) iisdem reconciliemus Deo, corde quidem per contritionem, ore per confessionem, ac opere per satisfactionem: quas partes tum essentiales, tum integrales frequenter populo inculcandas, & præsertim ob laxiores hujus temporis opiniones ostendendum monemus, specialem peccatorum confessionem, cum numero ac circumstantiis, speciem peccati aut mutantibus, aut notabiliter aggravantibus necessarium esse, ut Sacerdos causæ cognitionem recte ex statu pœnitentis intellecto instituere, & ubi peccata solvenda, ubi liganda, recte discernere possit. Cum toto anno tum præcipuis Christi & B. Virginis Festivitatibus, & Quadragesimæ potissimum tempore fidelibus pœnitentiæ atque confessionis usus, fructusque frequenter a Parochis & Concionatoribus erit commendandus, ac populus ad eorum frequentationem piis cohortationibus excitandus, monendique communiter omnes, si per annum sæpius & quidem in gravissima peccata labantur, quanto cum salutis periculo conjunctum sit, si salutare pœnitentiæ remedium non eligant, sed potius in tanto salutis suæ æternæ discrimine versari ac Dei gratia destitui, majoremque hac confessionis dilatione humani generis hosti occasionem insidiarum ac malitiæ suæ in ipsos exercendæ præbere velint.

V. Cum in confessionum auditione sit positum incredibile momentum ad seriam emendationem vitæ ipsius populi, studiose in hoc incumbant Confessarii, ut in confessionibus audiendis magnum fructum faciant pœnitentibus, salutares pœnitentias injungant, & salubria consilia ad peccata vitanda & serio vitam corrigendam suggerant.

VI. Puerperæ, & alii, quibus probabile vitæ periculum imminet, non differant salutaribus pœnitentiæ remediis se munire, idque tempestive, ne cum corpore etiam animæ periculum incurrant, & ad hoc studiose advigilent Pastores, atque etiam, cum necessarium judicaverint, ultro sese offerant.

VII. Ne quis ignorantiam præcepti de annua saltem Confessione & Communione in Paschate ab omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, cum ad annos discretionis pervenerint, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, implendi prætendere queat, volumus quotannis tam a sæcularibus, quam regularibus Concionatoribus & Confessariis id ipsum Dominica *Passionis* publicari, & post Dominicam *in Albis* vigilare & annotare Pastores, quinam ex suis Parochianis intra quindenam Paschalem, quæ a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam *in Albis* inclusam numeratur, defuerint officio, eos moneri, nisi præcepto satisfecerint, vivos a cœtu fidelium, mortuos ab Ecclesiastica sepultura removendos esse.

VIII. Ne tepidi Catholici, vel de fide suspecti facile, prout hactenus factum fuisse cum dolore accepimus, dictam Ecclesiasticam legem eludant, & in sordibus suis diutius volutentur, volumus, ut Pastores, quoties similes in Parochia sua commorari deprehenderint, exigant ab iis testimonium Confessarii sui, ut inde constet, ubi & quando fuerint in isto anno confessi. Item in pagis, qui se dicunt in Paschate alibi confessos esse, testimonio Confessarii, Episcopali nostra auctoritate approbati, id docere teneantur, quod si non fecerint, contra eos ut non confessos procedatur.

IX. Hortamur in Domino omnes Medicos, ut in visitatione infirmorum Bullæ PII V. quæ incipit: *Supra gregem*, sese conforment, qua sancitur, ut infirmos in lecto jacentes ante omnia moneant, ut idoneo Confessori omnia peccata sua confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam concesserit, & eis per fidem a Confessore in scriptis factam constiterit, quod infirmi sui peccata sua confessi fuerint.

X. Qui infirmorum confessiones excipient, si Pastores non sint, scripto in domo decumbentium relicto, aut aliter de excepta confessione Pastori fidem faciant.

XI. Quoniam Minifter Sacramenti Pœnitentiæ eft folus Sacerdos, qui non hominis, fed Dei judicium exercet circa animas pretiofo Chrifti Sanguine redemptas, dum confeffionibus pœnitentium intendit, in eo cumprimis præter poteftatem Ordinis, quam Presbyterio initiatus accepit, neceffario requiritur jurisdictio in pœnitentem ordinaria vel delegata (prævia tamen Epifcopi Diœcefani, ejusve in Spiritualibus Vicarii Generalis, poft examen fi opus fuerit, vel alias approbatione) fine qua nulla eft abfolutio, ficut facra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum idipfum difertis verbis felicis recordationis GREGORIO XV. & URBANO VIII. Pontificibus Maximis confirmantibus declaravit.

XII. Nullus itaque Sacerdos five fæcularis, five regularis confeffiones audire præfumat quorumcunque five Sæcularium, five Laicorum, five Sacerdotum & Clericorum, nifi prius examine præmiffo idoneus repertus, & a Nobis, aut noftro Vicario Generali approbatus fuerit, excepto mortis articulo, quando approbatus Confeffarius haberi non poteft, tunc enim quilibet Sacerdos ab omnibus & quibuscunque peccatis etiam Sedi Apoftolicæ, aut Nobis refervatis, in foro confcientiæ abfolvere poteft. Præter hanc jurisdictionem præfentem requiritur vitæ integritas, ætatis aut faltem morum maturitas, fcientia Canonum pœnitentialium, cenfurarum, cafuum refervatorum, diligens lectio probatorum & piorum fcriptorum, qui de Sacramento pœnitentiæ fcripferunt, prudentia & difcretio, ut fciant diftinguere inter lepram & lepram & falutarem medicinam peccatis contrariam applicare.

XIII. Et quia perfæpe compertum eft, Sacerdotes vel non rite ordinatos atque etiam irregulares, vel vitæ morumque honeftate & doctrina minime habiles, in aliena Diœcefi, aut ad curam animarum gerendam, aut Sacramentales Confeffiones audiendas approbationem variis modis & artibus extorfiffe, eamque non legitime in noftra Diœcefi ufurpare, merito in memoriam revocandam duximus CLEMENTIS V. Pontificis Maximi Conftitutionem, qua cavetur, ne Confeffarii extra Civitates & Diœcefes, in quibus ante fuerunt approbati, confeffiones audiant, absque nova cujusque Epifcopi Diœcefani approbatione, uti Concilium Tridentinum infinuat, dum univerfe ab Epifcopis Diœcefanis prius approbandos decernit quoscunque tum fæculares, tum Regulares Sacerdotes, quam ad Parochiale Beneficium regendum vel confeffiones audiendas in eorum Diœcefibus admitti queant, cui congruenter facra Congregatio Cardinalium ejusdemque Concilii Tridentini interpretum expreffe declaravit, femel approbatum ab Epifcopo alterius Diœcefis, in qua ad animarum curam vel confeffiones exponendus eft, iterum debere approbari, nec fine ejusmodi nova approbatione ullas quarumcunque perfonarum fæcularium Sacramentales confeffiones excipere poffe, quod & confirmavit INNOCENTIUS Papa X. fpeciali ea de re & aliis dubiis circa licitam & validam confeffionum auditionem motis edita Sanctione, quia in alia Diœcefi fæpe diverfæ confuetudines, peccatorum refervationes, alia hominum ingenia, mores, commerciaque vigent.

XIV. Confeffarii prudentes fint, ac circumfpecti non folum in injungendis pœnitentiis (ideoque etiam, pro peccato occulto pœnitentiam publicam non imponant) verum etiam examinando pœnitentes, præfertim circa vitia carnis, ne indifcretis interrogationibus eos doceant peccata, quæ ignorant, vel aliter fcandalizent.

XV. Et generaliter ea finceritate, prudentia, ædificatione munere fuo fungantur, quemadmodum & tanti minifterii Sanctitas poftulat, & animarum falus depofcit.

XVI. Magna oportet effe inftructum fcientia, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet: Ideo Confeffarii quibus non hominis fed Dei judicium exercendum eft, & quidem de animabus pretiofo JESU CHRISTI Sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde neceffariam fibi fcientiam

tiam hauriant, diligentissime vacare merito debent.

XVII. Confessarii dum rudiores pœnitentes inveniunt, de quorum in rebus fidei & modo confitendi instructione dubitant, ante omnia Fidei Catholicæ rudimentorum & Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Symboli Apostolorum, præceptorum Decalogi & Ecclesiæ, atque peccatorum capitalium peritiam examinent,& quos horum ignaros cognoverint, si tempus suppetat, breviter vel assignato alio commodiore, instruant de rebus fidei & aliis ad salutem cognitu necessariis, de conscientiæ discussione, confessione, & dolore ad eam necessario, corripiant eorum ignorantiam, ut imposterum ea diligentius addiscant serio commoneant.

XVIII. Ut supervacanea, a confessione aliena & extranea inter confitendum, uti antedictum est, non sunt miscenda, ita multo minus a Confessario nomen complicis vel ipsius etiam pœnitentis, ejus domicilium, vel rei domesticæ status curiose inquiratur: hæc enim affectatam curiositatem aut quæstum redolent, quin hortamur pœnitentes, ut tales Confessarios vel prætereant, vel deserant.

XIX. Caveant quoque Confessarii; ne qua commoda temporalia sibi vel suis occasione confessionis a pœnitentibus aucupentur, neque convenit, ut ipsorum facultatibus administrandis se immisceant, nisi pupilli vel aliter gravati in necessitate summa id jure poscant.

XX. Extra necessitatem confessiones non audiantur, nisi in Ecclesia & loco aperto, maxime si confitentes sint mulieres, quas convenit breviter expedire. Confessionalia ubique erigentur in loco commodo Templi sumptibus fabricæ, ubi erecta nondum sunt, quæ Confessarium a pœnitente asserculo cancellato, ac pœnitentem a sequentibus alio asserculo disjungant, quamprimum fieri potest, a publicatione Decretorum hujusmodi; sumptibus fabricarum erigantur, ut ab eo tempore nemo sine licentia Ordinarii extra ejusmodi confessionalia fœminarum confessiones audire præsumat, nisi in casu necessitatis sub pœna arbitraria. Surdis autem, prægnantibus, aut aliqua notabili infirmitate detentis, poterit Confessarius commodum tempus eas audiendi assignare, semper tamen in loco Ecclesiæ valde conspicuo; nec quisquam Sacerdos mane ante Solis ortum, aut vesperi post Solis occasum in tenebris alterius sexus confessiones audiat sine lumine, ut perversis & improbis hominibus omnis calumniandi occasio, quantum fieri potest, subtrahatur. Turpe etiam & indecorum est, videre confessionalia in angulis & locis abstrusis collocata, quare omnibus Pastoribus mandamus, ut quantocius curent hujusmodi sedes ad locum honestum, patentem & conspicuum transferendas, ut tepidi Catholici sacrosanctum illud tribunal præ oculis semper habeant, & exemplo bonorum ad illud sæpius & fidentius frequentandum inflammentur, neque temere Confessarii de uno loco ad alterum potissimum in majoribus Festivitatibus excurrant, cum id sæpe magnæ murmurationis causam multis præbeat.

XXI. Caveant autem Parochi & Presbyteri audientes confessiones; ne alii confiteri volentes nimium appropinquent, & confitentem aut turbent, aut facultatem illi adimant libere proferendi peccata sua, aut Confessario exactius interrogandi.

XII. Judicem sedentem sententias ferre oportet, ideo etiam Confessarius non nisi sedens confessiones excipiat, quacunque etiam pœnitentes dignitate fulgeant.

XXIII. Confessarii in sacro illo Tribunali modestiam & gravitatem præseferant, sedeantque superpelliceo induti & stola a collo pendente, seu alio decenti habitu Presbyterali, ac memores sint, se ibidem agere conscientiarum Judices ac Spirituales animarum Medicos, justitiæ simul & misericordiæ Ministros a Deo constitutos esse, ut tanquam arbitri inter Deum & homines, non minus honori Divino, quam animarum saluti consulant, nec excedant ad dexteram vel sinistram sive indulgentia, sive severitate, pro-

inde non oſcitanter, ſed magna cum attentione, circumſpectione & judicio Sacramentum hoc adminiſtrent, & cognito pœnitentium ſtatu, congrua vitiis adhibeant remedia, & pœnitentiam ſaluti animarum maxime convenientem imponant.

XXIV. Ut autem Paſtores & Confeſſarii ſciant, cujusmodi ſatisfactiones pœnitentibus injungere debeant, mature expendant verba Tridentini Concilii: " Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad vitæ novæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem."

XXV. Cum nihil confeſſionem magis ſuavem & acceptam reddat, quam ſigillum, norint Confeſſarii, id ſibi ſtrictiſſime ſervandum eſſe, nec verbo, ſigno, nutu aut quovis alio modo vel minimum veniale peccatum confitentis prodendum eſſe, ſub pœna depoſitionis a Sacerdotali officio & detruſionis in arctum Monaſterium ad agendam ibidem perpetuam pœnitentiam.

TITULUS VII.

De Caſibus reſervatis.

I.

MAgnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam & Eccleſiæ auctoritatem pertinere ſemper viſum fuit, ut arctiora quædam & graviora crimina non a quibusvis ſed ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur, unde merito Pontifex Maximus pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita cauſas aliquot graviorum criminum ſuo peculari judicio reſervavit: quod idem Epiſcopis in ſua cuique Diœceſi ſupra alios Sacerdotes inferiores auctoritate licitum eſſe Conc. Trid. ex definitione Canonum antiquorum recte ſtatuit.

II. Nemo Sacerdotum ſive ſæcularium, ſive cujusvis Ordinis & Inſtituti Regularium, etiam a Nobis, ſeu Vicario noſtro in Spiritualibus Generali ad confeſſiones ſæcularium perſonarum audiendas approbatorum, a caſibus Sedi Apoſtolicæ aut Nobis reſervatis, quempiam extra mortis periculum abſque ſpeciali Apoſtolica ſeu noſtra reſpective facultate abſolvere præſumat: Sacerdos enim ad confeſſiones excipiendas generatim approbatus, cum in dictis caſibus non ſit legitimus Judex, nullam ab iis habet abſolvendi poteſtatem, quæ confertur per approbationem; ea enim in generali conceſſione non veniunt, quæ requirunt ſpeciale mandatum, ideoque abſolutio, quam impendit, non eſt valida, prout ſacra Congregatio Cardinalium, quæ Epiſcoporum ac Regularium negotiis & conſultationibus præeſt, definivit.

III. Peccata vero & crimina reſervationi Summi Pontificis ſubjecta multa ſunt, quorum præcipua in Bulla *Cœnæ Domini*, ſigillatim referuntur, ac probatis Auctoribus, qui ſubjiciunt alios permultos deſumptos ex corpore juris communis & diverſorum Pontificum Conſtitutionibus. In quibus tamen caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi occulti ſint, Nos & Vicarius noſter, ut abſolvere & diſpenſare poſſimus, Concilium Tridentinum ſtatuit. Sciant enim Confeſſarii Sedi Apoſtolicæ inter cætera eſſe reſervata: Vota Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ & Peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ & Compoſtellanæ, quoad reliqua vero vota, & excommunicationes, quorum permutatio ſive abſolutio nonnullis forte Apoſtolico privilegio aut delegatione permittitur, caveant, ne temere ſeſe hiſce immiſceant, & permutando vota vel ab iis abſolvendo ſuam excedant poteſtatem.

IV. Paſtores & Confeſſarii a caſibus Nobis reſervatis neminem abſolvant, niſi aut in periculo mortis aut habi-

habita prius a Nobis, ſpeciali licentia. Caſus autem, quos Nobis reſervamus, ſunt ſequentes:

1. Crimen incendarii.
2. Sacrilega Calicum ac Monſtrantiarum ex Eccleſia ſurreptio.
3. Homicidium & infanticidium tam prolis natæ, quam fœtus animati.
4. Inceſtus in primo gradu & congreſſus cum Moniali.
5. Sodomia & cum brutis congreſſio.
6. Defloratio violenta virginum & earundem raptus.
7. Omne explicitum cum dæmone pactum & grave per veneficium illatum damnum.
8. Peccatum complicis in materia venerea.

TITULUS VIII.

De Extrema Unctione.

I.

Eccleſia Catholica contra omnium temporum hæreticos ab ipſis Apoſtolorum temporibus palam ſemper ex D. Jacobi Apoſtoli ſententia affirmavit, & docendum tradidit, Extremam Unctionem Sacramentum eſſe vere ac proprie dictum, quo migraturis ex hac vita Oleo ſalutis & fidei Oratione augetur robur contra hoſtes inviſibiles in iſto momento (ex quo dependet æternitas) fortius impugnantes & calcaneo ac fini vitæ inſidiantes; ac dein gratia confertur remiſſionis reliquiarum peccatorum ad ſalutem corporis & animæ. Ideoque invigilent Paſtores, ſi ex ſuis infirmari aliquem graviter intelligant, & mortis periculum ſubeſſe exiſtiment, ne forte negligentia aut malignitate Domeſticorum aut aliorum Unctionis Sacramentum impediatur, aut æquo juſtius differatur, quin potius ultro ex charitate & officii ſui ratione ſeſe offerant, oviculam ſuam inviſant, moneantque infirmum de cura ſalutis ſuæ habenda, frequentique viſitatione ad mortem diſponant, ac, quatenus per occupationes licet, morituris conſilio, ſolatio, & auxilio adeſſe ſtudeant, aut ſaltem curent, ut aliquis alius Sacerdos aut Religioſus advocetur, qui luctantem cum morte adjuvet, habeantque Paſtores in hanc rem aſſiduos ſibi libellos quosdam pios, qui de ratione bene juvandi morientes a piis & doctis viris ſunt compoſiti, ſciantque Paſtores hujusmodi charitatis officiis præter meritum apud Deum plurimum ſibi ſubditorum animos conciliari, ſicut ſcriptum eſt: non te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

II. Parochi ægrotos ſæpe inviſant, hortenturque, ne ad extremum Sacramenti hujus ſuſceptionem differant, ſed potius ſenſibus, rationisque uſu adhuc integris illud ſibi adminiſtrari petant, ita ut uberiorem ejus fructum percipiant.

III. Quanquam deceat, idque curandum ſit, ut infirmo, dum rationis capax eſt, Extrema Unctio detur, attamen negari non debet morituris, ſi vel paulo ante in amentiam aut phreneſin inciderint, vel etiam diuturno tempore uſu rationis privati extiterint, modo ante ſtatum amentiæ hoc Sacramentum petiverint, aut interpretative deſideraverint, Chriſtiane nimirum vivendo & ſalutis ſuæ memores: quod etiam præſumendum eſt, niſi contrarium appareat, ſi vero tanta ſit phreneſis, ut infirmus aliquid contra Sacramenti reverentiam facere poſſet, eo caſu non ungatur, niſi ſublato tali periculo.

IV. Falluntur, qui exiſtimant, ſuſcepto hoc Sacramento vel teſtamentum condi non poſſe, vel ſpem convaleſcendi ob id imminui, ideoque Paſtores contrarium ſubinde doceant. Eximenda quoque eſt illa perſuaſio erronea & pernicioſa ex mentibus hominum, qua ſibi imaginantur ſeſe, ſi inungantur, citius morituros, ut propterea ad extremum vitæ halitum hoc Sacramentum differant.

V. Dum ſacrum Oleum infirmorum ad ægrotos defertur, Cuſtos ſuperpelliceo indutus lumen præferat, non tamen nolam ſonantem.

VI. Sacerdos adminiſtraturus hoc Sacramentum, quocunque anni etiam

Adventus, Quadragesimæ, & majoris hebdomadæ die, sit indutus superpelliceo cum stola violacea, sacrum Oleum infirmorum in honesto & decenter ornato vasculo cum debita reverentia ad ægrotum deferat comitantibus infirmi amicis & vicinis, inter eundum & redeundum a fabulis omnes abstineant, fundendis pro salute infirmi precibus intenti.

VII. Si ægrotus, dum sacro Oleo ungitur, extremum spiritum emiserit, Parochus ungere desistat, si vero aliqua morbi vis de repente illum oppressisset, ut dubitetur, vivusne sit an mortuus, Parochus ea conditione inungendo utatur: *Si es vivus, per istum sanctam Unctionem* &c.

TITULUS IX.

De Ordine.

I.

ORdinum collatio seu manuum impositio, cum ostium sit ad Ecclesiarum gubernacula & ministeria exercenda, omni certe diligentia illud observandum est, quod hactenus diligenter curatum non fuisse, multis in partibus orbis Christiani lugemus: hinc enim tanta mala uno quasi impetu in Ecclesiam inundarunt, eamque misere afflixerunt, ut attentiorem posthac curam Episcopalem merito requirant, ne quod D. Apostolus Paulus discipulo suo Timotheo præscribit, id cum magno Ecclesiæ exitio contemnatur: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*; qui etiam hujusmodi custodiæ formulam quandam charissimis suis Discipulis ex professo præscribit, quam nos sequentes circa ordinandos, & eorum ingressum subjunctas conditiones observandas ex Conciliis & Canonibus depromptas præscribimus.

II. De qualitatibus eorum, qui ad sacros Ordines promovendi sunt, accurate statuit Concilium Tridentinum, de quibus hæc Synodus quædam diligentioris observationis causa repetenda duxit, & statuenda.

III. Nullus ad minores Ordines deinceps admittatur sine testimonio probitatis & literaturæ a proprio Parocho & Magistro Scholæ, in qua studuit; Majoribus insigniendi, si sint Religiosi, a Superiore suo ætatis, natalium, ac vitæ, morumque probitatis debita testimonia in scriptis adferant; Sæculares, si in Ecclesia Collegiata, eive subjecta resideant, a Decano Capituli, si in Studio Theologico degant, ab illius Præside, alioqui a proprio Pastore similia testimonia exhibeant, & non habens hujusmodi testimonia, ne ad examen quidem admittatur, nisi Episcopo aliter videatur.

IV. Promovendi itaque ad sacros Ordines tam minores, quam majores, uti & primam tonsuram, hora prima pomeridiana feria quarta septimanæ, qua ordinandi sunt, in Cancellaria nostra Paderbornæ, nisi forsan ex causis incidentibus alius designetur locus, conveniant, productisque necessariis testimoniis legitimæ nativitatis, Baptismi, Confirmationis, anteactæ vitæ, studiorum, provisionis, ætatis, susceptorum Ordinum, eorundemque facti exercitii nomina sua inscribi curent, feria quinta hora prima post meridiem de sufficiente doctrina examinandi a deputatis nostris Examinatoribus.

V. Doceant Religiosi etiam Ordinum mendicantium de Ordinibus susceptis, testimonio ipsius Episcopi sigillo ejusdem communito, antequam altiorem Ordinem suscipiant.

VI. Ne quis forte a susceptione Ordinis Sacerdotii a Nobis rejectus ad confusionem apud suos evitandam ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilega temeritate usurpare attentet, mandamus, ut nemo Primitias celebrare permittatur, antequam Superiori Ecclesiastico sæculari, vel regulari, ejus loci, ubi Primitias celebrare intendit, literas suscepti Sacerdotii exhibuerit.

VII. Ordinati quoque Sacerdotes intra quadraginta dies juxta antiquam consuetudinem Primitias celebrent.

VIII. Quæ de examine ordinandorum ac præcipue ad curam animarum ex Concilio Tridentino salubriter sunt statuta, debite observari volumus, ac propterea diligenter nostro Vicario &

& Examinatoribus commendamus, ne quenquam ad curam animarum exercendam admittant, nisi quem ætate, moribus, & doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis idoneum judicaverint. Similiter stricte prohibemus, ne quispiam in Pastorales functiones sese ingerat, nisi prævio examine & approbatione licentiam a Nobis, aut nostro Vicario in scriptis obtinuerit. Nolumus etiam posthac cujuscunque status ad Ordines & Beneficia maxime curata sine hujusmodi examine admitti, provisiones autem, collationes, institutiones, investituras aliter factas nullius roboris declarantes.

TITULUS X.

De Matrimonio & Sponsalibus.

I.

QUotidiana docet experientia, Matrimonia temere & præpropere contracta, infinitas parere difficultates & infelices sæpe exitus sortiri, proinde recte ordinatum est, ut sponsalia, quæ futuri Matrimonii promissionem & reciprocam utriusque obligationem continent, permittantur; cum vero Sponsalia de futuro a sacro Concilio Tridentino sint intacta, atque ita relicta in terminis & dispositione juris communis, præterquam quod per copulam carnalem non transeant in Matrimonium, certum est ea esse valida, & servari debere, etiamsi coram Parocho & testibus contracta non fuerint, & cum multi perperam aliter sentiant, error ille a Concionatoribus & Confessariis data opportunitate iis eximatur.

II. Sponsalia de futuro, tametsi valida sint, quamvis coram proprio Parocho contracta non fuerint, nihilominus tamen ad evitandas multas difficultates ea, præsente Parocho proprio, fieri præcipimus.

III. Ebriis & intempestiva nocte aut in tabernis contrahere Sponsalia volentibus operam suam Pastor non impendat.

IV. Curet etiam Parochus seu Vice-Parochus, ut parentum quoque consensus Sponsalibus accedat, qui, si iisdem justis ex causis obluctentur, non temere procedat, sed liberos moneat, ne invitis & insciis, vel tutoribus, vel amicis Sponsalia seu Matrimonium inire, ne hac in re tanti momenti quidquam impetu præcipiti ducti, quod honestati repugnet, audeant inchoare, sed illorum consilio aut auctoritate moti, prævia matura deliberatione ineant conjugia & mala, quæ offensos parentes & inimicos comitari & sequi solent sæpe maxima, devitent. Admoneant etiam ex altera parte parentes, tutores & amicos, ne ipsi austeritate nimia liberorum vel sibi commissorum ætatis maturæ tardius æquo differant connubia, ne vel incontinentiæ, vel fugæ, vel fatuitatis seu maniæ, quæ subinde ex magnis amoribus nasci consuevit, vel inconsultæ rei aggrediendæ pœnitendam præbeant iis occasionem.

V. Priusquam Sponsalia contrahantur: Pastor, seu Vice-Pastor seorsim inquirat:

1. An desponsandi sint orthodoxi, noverintque Romano-Catholicæ fidei rudimenta.

2. An ullius sibi conscii sint impedimenti canonici, quod contrahendum inter se Matrimonium possit impedire.

3. Nomina, cognomina, statum, parentes, patriam & conditionem utriusque.

4. An libere & non coacte contrahant? & ætatem legitimam habeant? quod si in horum aliquo deficere despondendos advertat, opportuna iis remedia Pastor, seu Vice-Pastor adhibere non omittat, nimirum:

1. Ut doctrinæ Christianæ rudimenta prorsus ignorantes saltem Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, decem præcepta Decalogi, & quinque præcepta Ecclesiæ ante addiscant, quam Matrimonio conjungantur, cum ea deinde liberos suos docere debeant.

2. Impedimenta, si possunt, amoveant, aut si detrimenta sint, mature a consilio Matrimonii cogitati desistant.

VI. Pro majori autem ſecuritate & deſponſorum corrigenda levitate atque inconſtantia mandamus Parochis ſeu Vice-Parochis omnibus, ne patiantur illos, qui in legitima ad Matrimonium ineundum ætate conſtituti Sponſalia contraxerunt, ejusmodi promiſſioni de futuro Matrimonio factæ propria ſua auctoritate ac voluntate renunciare, & ſe mutuo abſolvere, ſed illos ad Nos, vel noſtrum in Spiritualibus Vicarium Generalem remittant, niſi ad forum contentioſum res deducta fuerit; ut cauſa diſcuſſa, ſi ea ſecundum juris diſpoſitionem juſta appareat, ab ejusmodi promiſſione liberentur.

VII. Grave eſt peccatum, quod poſt contracta Sponſalia deſponſi carnaliter ſe cognoſcant, antequam Matrimonium per verba de præſenti coram Parocho & teſtibus contractum ſit. Ideoque Parochi Sponſalia coram ſe contrahentes admoneant, ut ad periculum incontinentiæ aliaque inconvenientia evitanda, intra ſex ſeptimanas poſt factas proclamationes, ſi canonicum impedimentum denunciatum non fuerit, ad Matrimonii ſolemniſationem procedant, utque ante Sacerdotalem benedictionem in Templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent, id quod & Nos ſub arbitraria pœna vetamus.

VIII. Ne patiatur ullus Parochus, ſeu Vice-Parochus quempiam cujusvis ſtatus, gradus & conditionis hominem, qui ſibi ignotus in ſuam Parochiam ex aliena Diœceſi commigrat cum muliere, quam ſecum uxoris nomine duxerit, in ea habitare, niſi ſatis idoneis teſtimoniis probaverit ſe illi legitimo concubio eſſe copulatum.

IX. Cum Concilium Tridentinum Matrimonia clandeſtina annullet, & omnes inhabilitet ad contrahendum aliter, quam ſecundum formam ab eodem Concilio deſcriptam; ex Ordinatione ejusdem Concilii mandamus Paſtoribus, ut ſæpius populo in ſuis concionibus hanc Matrimonii nullitatem & perſonarum inhabilitatem in memoriam revocent. Decretum ſacri Concilii Tridentini irritans & annullans Matrimonia, quæ aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacertote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia & duobus vel tribus teſtibus contrahuntur, in omnibus & ſingulis Eccleſiis Parochialibus totius Diœceſis iterum publicetur. Monemus etiam omnes Parochos, ut quæ ex Concilio Tridentino de contractu Sponſaliorum ac Sacramento Matrimonii, de trinis proclamationibus & denunciationibus, aſſiſtentia proprii Parochi ac teſtium, præparatione contrahentium &c. ſpeciali Mandato per Nos inculcata ſunt, ut quam diligentiſſime obſerventur, & bis in anno populo proponantur.

X. Sæpe declaratum eſt, & ex abundanti rurſus declaramus, irritum plane ac nullum eſſe Matrimonium, quod contrahitur coram Parocho quidem loci, ſed neutrius contrahentium.

XI. Quandocunque Matrimonium contrahere volentes, ſunt diverſarum Diœceſium vel Parochiarum, Parochus unius ad Matrimonii ſolemniſationem non procedat, niſi & omnes proclamationes in Eccleſia ſua fecerit, nullumque intellexerit canonicum impedimentum, & ſimiliter Parochum alterius deſponſorum, omnes tres proclamationes feciſſe & nullum canonicum impedimentum denunciatum eſſe ex teſtimonio ejusdem Paſtoris certo cognoverit, vel de diſpenſatione Ordinarii ipſi conſtiterit.

XII. Cum Decreti Tridentini verbis exprimatur, & aſſignetur Matrimoniis contrahendis proprius Parochus, aut Epiſcopus loci Ordinarius, & dubium oriri poſſit, quis vulgo eo nomine intelligatur, declaratur proprius Parochus, qui contrahendis & benedicendis Matrimoniis aſſiſtere debet, is eſſe, in cujus Parochia uterque ſeu alteruter ſponſorum ſive vir, ſive fœmina animo ibidem perpetuo manendi, non vero ad propria revertendi, vel alio commigrandi, niſi quid avocet, domicilium fixit.

XIII. Si quis autem Parochus, vel alius Sacerdos qualiscunque, ſive ſæcularis, ſive Regularis exiſtat, qui etiam cujuscunque tituli aut privilegii vel immemorialis conſuetudinis prætextu id ſibi licere contendat, alios quam ſuos

ſuos Parochianos Matrimonio conjunxerit, aut benedixerit absque noſtræ, noſtrive Vicarii in Spiritualibus Generalis, vel alterius contrahentis Parochi conſenſu in ſcriptis obtento, præter pœnam tum excommunicationis a Concilio Viennenſi ſpeciatim contra Regulares ab eadem per Sedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendos, tum & ſuſpenſionis generatim contra ejusmodi transgreſſores omnes omnino ipſo jure a ſacro Concilio Tridentino inflictam (ut ſpirituales hujusmodi pœnæ, quæ paſſim contemni ſolent, eo ſint efficaciores magisque formidentur) etiam mulctam pecuniarum aliamque pro ratione culpæ & offendiculi arbitrariam graviorem ipſo facto incurrat.

XIV. Proclamationes matrimoniales tribus diſtinctis Dominicis vel Feſtivis diebus ſummo ſub Sacro vel concione fieri debent.

XV. Si quis ſine proclamationibus, earumve remiſſione ab Ordinario in ſcriptis obtenta Matrimonio jungere aliquos præſumat, graviter punietur.

XVI. Impedimento aliquo denunciato vel Matrimonio deſponſorum oppoſitione aliqua facta, non prius ad ulteriores proclamationes aut Matrimonii ſolemniſationem Parochus procedat, quam re ad Nos, vel Vicarium noſtrum delata intellexerit, quid facere debeat.

XVII. Ut quoque multis periculis, quæ ex hominum malitia & fraude pervenire poſſunt in Matrimoniis contrahendis, occurratur; inhibet Synodus omnibus Paſtoribus, eorumque vicem gerentibus ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, ne quem alterius regionis aut vagum & ignotum ad Matrimonium admittant ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis obtenta, quæ licentia non dabitur, niſi cauſæ cognitione & prævia matura deliberatione. Similiter ordinamus, ut abſentem (de cujus morte non certo conſtat) alter conjugum non ſolum per ſeptennium, ſed etiam ulterius ad arbitrium Judicis exſpectare, nec prius ad alias nuptias tranſire debeat, quam cauſa coram Nobis, aut noſtro Vicario cognita, & licentia contrahendi in ſcriptis obtenta fuerit.

XVIII. Laudabilis eſt hujus noſtræ Diœceſis conſuetudo, quod Matrimonia & in Eccleſia, quæ Sacramentorum proprius locus eſt, & inter Miſſarum ſolemnia contrahantur. Quare cum ſacrum Concilium Tridentinum ejusmodi conſuetudines retineri vehementer optet, præcipimus, ne quis ei contravenire audeat.

XIX. Quia coactæ nuptiæ triſtem plerumque & luctuoſum habent exitum, diligenter inquirant Paſtores, an Matrimonium contracturi ſponte & animo deliberato non vi aut metu parentum, amicorum, aut aliorum coacti ad Matrimonium procedant, quod ſi invenerint aliquem vel aliquam ex contrahentibus, coactum ad contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorum procedere audeant; neque alteri vices ſuas committant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio.

XX. Graviter monet Concilium Tridentinum (quod Nos etiam ſerio obſervari mandamus) ut, antequam contrahant conjuges, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem peccata ſua diligenter confiteantur, & ad Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reverenter accedant ad majorem Dei gratiam & felicem eventum impetrandum, cujus rei curam Nos Parochis ſerio commendamus.

XXI. Quæ ad dignoſcenda Matrimonii impedimenta, gradusque affinitatis, & cognationis naturalis & ſpiritualis & legalis, item juſtitiæ publicæ honeſtatis rationem, ac reliqua obſtacula Matrimonium impedientia aut dirimentia pertinent, Parochi diligenti lectione addiſcant, & ſubinde in concionibus ſuis ea populo declarent.

XXII. Habeant quoque ſinguli Paſtores librum, in quo deſcribant nomina & cognomina Matrimonio junctorum, ac teſtium, nec non diem & locum contracti Matrimonii, eundemque librum diligenter cuſtodiant, & quot annis in viſitatione exhibeant: Qui quidem liber, ubi jam completus fuerit, ſervabitur in Archivio Eccleſiæ.

XXIII. Tempus clausum a Concilio Tridentino restrictum proinde diligentius observetur. Si tamen ex legitima & urgente causa aliqui per Ordinarium ad Matrimonium illo tempore contrahendum admittantur, abstineatur a solemnitate nuptialis convivii, a choreis & similibus insolentiis, quæ tempori non congruunt, a quibus similiter abstinendum erit, etsi Matrimonium antea contractum fuerit, sub pœna arbitraria.

XXIV. Propter evidens animarum periculum Pastores & verbi Dei Præcones sæpius in concionibus significent, Ecclesiæ Catholicæ prohibitionem esse, ne fideles cum hæreticis Matrimonia ineant, ejusque impedimenti rationem habeant singularem.

XXV. Volumus autem tam in Matrimonio contrahendo, quam in conviviis nuptialibus omnem honestatem observari, & omnia vana, ludicra, & ridicula, & alia prodigalitatis & lasciviæ ostentamenta (quæ sub prætextu nuptialis lætitiæ exorbitanter nimis & scandalose interdum committuntur) removeri: non enim decet Sanctorum filios conjungi, sicut gentes, quæ Deum ignorant.

PARS TERTIA.

DE STATU CLERICORUM, ET DE IIS, QUÆ HIS ANNECTUNTUR.

TITULUS I.

De Prælatis, Dignitatibus, Archi-Diaconis & Canonicis Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum.

I.

Ecclesiasticæ disciplinæ retinendæ & conservandæ causa Ecclesiarum dignitates sunt constitutæ, quibus etiam pro merito laborum & amplioris curæ majora stipendia sunt assignata, quæ recte usurpabunt, si labore, ministerio atque industria respondeant ac Divinum cultum promovere, Ecclesiasticam disciplinam conservare, ac Nos opera & officio juvare studeant.

II. Præpositi tanquam præcipui Ecclesiarum Prælati illud diligenter curent, ut res, bona, jura, & privilegia Ecclesiarum suarum defendant, ab omni injuria, damno & molestia vindicent ac conservent, eaque provideant ac procurent, quæ ad Ecclesiarum (a quibus dignitates & majora stipendia percipiunt) defensionem, pacem & tranquillitatem spectant.

III. Decani ob annexam eorum officio curam animarum a Nobis Confirmationem impetrare tenebuntur, cumque ipsis singulariter ex officio illa commendata esse debeant, quæ circa Ministeria Ecclesiæ & Ecclesiasticarum personarum vitam, Chori ac Capituli disciplinam, excessus, ac correctionem desiderantur, hinc merito ab illis requirimus, ut omnia, quæ ad honestatem & vitam bonam omnium Canonicarum, Vicariorum, Clericorum ac Ministerialium Ecclesiæ suæ pertinent, diligenter ab omnibus observari curent.

IV. Qui præter Decanos, dignitates & officia in Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis obtinent, diligenter curent, ut suis officiis secundum Canones & cujusque Ecclesiæ laudabiles consuetudines satisfaciant.

V. Archi-Diaconi cum functionibus & officio Nobis conjuncti ac in partem solicitudinis nostræ Episcopalis vocati, adeoque a Canonibus oculi Episcopi, ejusque Vicarii aliquando vocentur, quod Episcopi Ministri sint, & ea omnia, quæ exercent, ad Episcopum pertineant; hinc illos in Domino monemus, ut strenue Nos adjuvent, recteque suo officio fungantur, prout

prout Tridentinum *Seff.* 24. *de Reformatione C.* 3. illis præfcribit.

VI. Si quæ Præbendæ Canonicales certum habeant annexum Ordinem, illud Poffeffores curare debent, ut Ordinem illum fufcipiant, & oneri annexo fatisfaciant, neque onus in alios rejiciant, nifi approbatis fundationibus aliter fit conftitutum.

TITULUS II.

De Paftoribus, Vice-Paftoribus & Sacellanis.

I.

Ex facra Scriptura difcimus a cura vel incuria Paftorum & Vice Paftorum fæpe fubditorum pendere falutem vel damnationem; idcirco maximopere providendum eft, ut in oculis Dei & reipfa hoc effe inveniantur, quod humano dicuntur ore, omnesque quotquot in hac noftra Diœcefi tam ruri, quam in urbibus hifce nominibus cenfentur, vere digni fint atque idonei, quibus cura falutis animarum tuto credatur, & fi forma facti gregis non ex compofito, vel ad folam fpeciem externam, fed ex animo, eundem non minus honeftæ probæque vitæ exemplo, quam oblato Sacrificio pabuloque fanæ doctrinæ & Sacramentorum pafcant, & in viam falutis æternæ dirigant.

II. Vacantibus igitur Ecclefiis Parochialibus volumus, ut, quam fieri poteft citiffime, de idoneis in concurfu approbatis Paftoribus provideatur, illique mox inftituantur, cumque ex dilata vel fufpenfa Parochialis Ecclefiæ collatione, provifione feu præfentatione & inftitutione falus populi periclitetur, quæcunque in Concilii Tridentini Decretis & PII V. Conftitutionibus ftatuta, decreta & ordinata funt, obfervari volumus, declarantes, omnes & fingulos, quibus jus conferendi, providendi, præfentandi, & inftituendi competit, ad collationem, provifionem, præfentationem, & inftitutionem intra tempus ibidem præfixum faciendam teneri, & obligatos effe.

III. Cum non folum Paftoribus, fed etiam eorum Sacellanis, aliisque in Paftorali munere Adjutoribus ob populi frequentiam, vel Parochiæ latitudinem, vel aliam legitimam caufam in fubfidium ad functiones Paftorales exercendas affumptis cura animarum incumbat, nullus Paftorum Civitatis feu Diœcefis noftræ cujusquam Sacellani, vel Adjutoris opera in Paftorali fua functione vel ad confeffiones Sacramentales, breviffimo etiam tempore excipiendas utatur, qui præter teftimoniales legitimæ Ordinationis fuæ literæ fcripto non docuerit, fe fufficienti examine pro tanto munere rite obeundo repertum fuiffe idoneum.

IV. Curati & Vice-Curati, omnesque alii, quibus animarum cura commiffa eft, non poffunt, neque debent oves fuas etiam metu periculi vel peftis deferere, vel aliorum negotiorum caufa alio difcedere, nifi Chriftiana charitas, urgens neceffitas, debita obedientia aut evidens Ecclefiæ utilitas eos abeffe poftulaverit.

V. Quod fi jufta de caufa abeffe debeant a fua Parochia, ultra tres quatuorve dies feriatos non abfint, quod tempus, fi prorogandum fit, ab Archi Diacono licentiam flagitent, quam illi non nifi ad duas vel tres hebdomadas extendant, diuturniorem vero a Nobis, noftrove in Spiritualibus Vicario Generali poftulare & fcripto obtinere teneantur, ac tum quidem & quandocunque & quamdiu ipfos abeffe contigerit, alteri Sacerdoti Auctoritate noftra ad hoc approbato curam ovium fuarum cum debita mercedis & fructuum portionis affignatione fideliter committant, idque fub pœnis privationis omnium fructuum & emolumentorum aliisque gravioribus, tam ex Tridentini Concilii præfcripto, quam arbitrio noftro infligendis.

VI. Volumus infuper, ut Curatis & Vice-Curatis juxta ejusdem Concilii Decretum fingulis annis ultra bimeftre five continuum five interruptum abeffe non indulgeatur, neque diebus folemnioribus Nativitatis & Refurrectionis Dominicæ, Pentecoftes, Corporis CHRISTI, Dedicationis & Patronorum Ecclefiæ: Dominicis item, Adven-

Adventus & Quadragefimæ, quando maxime oves refici & Paftoris præfentia in Domino gaudere debent, concedatur.

VII. Si quis vero ultra bimeftre abfuerit, noverit fe peccati reatum incurriffe & pro rata temporis abfentiæ fructus non facere fuos, nec tuta confcientia (alia etiam declaratione non fecuta) poffe retinere, fed fabricæ Ecclefiæ aut pauperibus loci erogare teneri, nifi ex gravi caufa per Nos cognita & probata diutius emanendi licentiam in fcripto fefe obtinuiffe oftendat.

VIII. Eodem Decreto Sacellanos, qui Paftores in fuis functionibus adjuvant, comprehendi, eosque nec ad unum diem, nifi Paftore præmonito & confentiente, abeffe volumus.

IX. Paftor, feu Vice-Paftor, feu quivis alius Sacerdos Auctoritate noftra approbatus, pefte, vel alio contagiofo morbo laborantium confeffiones auditurus, ante omnia (fi fieri poffit) provideat, ut in loco patenti & aere non infecto fit conftitutus, adeoque infirmi, fi absque gravi eorundem incommodo fieri queat, vel cubiculum aut domum ad confitendum egrediantur, vel faltem ad feneftram Parocho foris exfpectante fefe deferri procurent; proderit etiam peftis tempore pro concione monere fideles, ut qui fani funt, ad facram Confeffionem in Ecclefia peragendam mature accedant.

X. Sciant etiam Paftores, Curati & Rectores Ecclefiarum cum ipfi Ecclefiæ aut populi Dei curam habere debeant, primum domui fuæ bene præeffe ftudeant, ut nihil in ea fit, quod non pietatem, Dei zelum, frugalitatem & omnem honeftatem fapiat.

XI. Deinde frequenter domos Parochiæ fuæ obeant, ac perluftrent, ægrotos invifant, pauperum, viduarum & pupillorum & aliarum miferabilium perfonarum curam in fe fufcipiant, iras & inimicitias fuorum Parochianorum componant, publica blafphemiæ, adulterii, concubinatus, fornicationis, ufurarum & fimilia fcandalofa crimina, quæ ad cognitionem & correctionem Ecclefiæ pertinent, feria gravique commonitione atque interpofitione corrigere ftudeant, & ubi monitione fua non profecerint, Nos & Officiales noftros ad coercendos & puniendos pertinaces implorent.

XII. Conciones ftatis Feftis ac Dominicis diebus diligenter habeant, feftos dies & jejunia, & quæ alias publice denuncianda funt, populo diligenter poft concionem fignificent.

XIII. Miffas frequenter ac devote celebrent habita præcipua ratione fundationum & piarum confuetudinum, populumque moneant, ut iis religiofe interfit.

XIV. Funebria jufta pie ac fideliter perfolvant, & fi quæ in conviviis funebribus fuperflue ac immodice fieri hactenus animadvertant, illa tollere ftudeant aut denuncient.

XV. Ecclefiam, & quæ ad ejus cultum & nitorem pertinent, diligenter curent, & fi quid reparandum aut farciendum, illud tempeftive provideant.

XVI. Reliquias Sanctorum, veftes facras, libros, calices, patenas, corporalia & reliqua ejus generis Ecclefiaftica inftrumenta & ornamenta ad Altaris minifterium pertinentia folicite procurent, obfervent, & cuftodiant.

XVII. A nimia Laicorum familiaritate caveant, magis vero a conviviis, tabernis, compotationibus & a fordibus ac avaritiæ nota, quæ vilipendium generant.

XVIII. Paftores quoque ab omnibus ad fuas Parochias commigrantibus fuper vita & fide illorum literas teftimoniales ultimi ipforum Paftoris requirant.

XIX. Paftores & Vice-Paftores, aut eorum Vicarii fummum Sacrum Dominicis & Feftis diebus in Ecclefia decantandum populi tum fpirituali tum corporali faluti potiffimum applicent, quos etiam fingulis vel alternis, non Feftivis diebus pro fua, fibique commifforum falute Divinum Miffæ Sacrificium immolare, atque ad hoc ab Archi-Diaconis excitari optamus, ut indies fibi concreditoque gregi in fpirituali-

tualibus & temporalibus favorem cœlestem cumulent auctiorem.

XX. Fraterna postulat charitas, ut quos in vita laborum habuimus socios & participes, post mortem Christianæ pietatis officio prosequamur, idcirco omnes Pastores & Vice-Pastores hortamur, ut mortuis suis Confratribus Pastoribus, seu Vice-Pastoribus, quamprimum ipsis de obitu constiterit, Sanctissimo Missæ Sacrificio animabus eorundem subveniant.

XXI. Dolenter intelleximus nonnullos Ecclesiasticos & Pastores adeo sui subinde esse oblitos, ut veste etiam Clericali exuta per agros discurrere, currus fimo ornerare, vehere, agriculturam exercere, aliisque servilibus operibus avaritiæ aut quæstus gratia vacare, quin & intra domesticos parietes tam viliter se gerere non erubescant, ut sæcularibus & aliis sint offendiculo: Quibus præcipimus, ut gravitatis, quæ Sacerdotes decet, memores, ab his omnibus sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, aliaque graviori pœna arbitraria sibi temperent; non tamen prohibere intendimus, quo minus debito tempore & loco honesta corporis exercitatione otium devitent.

XXII. Sacerdotes, maxime, quibus animarum cura incumbit, memores sacrorum Canonum, ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi aut aliis vetitis ludis intersint, sed tempus illud colloquio potius & lectione sacrorum librorum & historiarum transigant.

XXIII. Denique cum multa, quæ in variis Titulis hujus nostræ Synodi, de Officio Divino, administratione Sacramentorum, matrimonialibus denunciationibus, ornatu & cura Templorum, de peregrinis, vagis & ignotis Clericis ad celebrationem & administrationem Sacramentorum sine nostra, vel Vicarii nostri licentia non admittendis, sicut etiam de libris baptismali, matrimoniali & descriptorio familiarum & similibus hinc inde constituta sunt & definita, Parochos, eorumque curam & officium concernunt, volumus & serio iis præcipimus, ut ea omnia ipsimet integre præstent, & observari faciant, & procurent.

TITULUS III.

De vita & honestate Clericorum.

I.

Nihil fere est, quod hoc sæculo tam sit exoptandum, quam ut ii, qui in sortem Dei vocati, Divina munera dispensant, ac ministeriis Ecclesiasticis præficiuntur, vita & exemplo id præstent, quod professione, statu ac vocatione sua promittunt, ut, qui in eos tanquam in speculum oculos suos conjiciunt, Laici invenire possint, quod digne imitentur. Hoc enim omnibus fere sæculis compertum fuit, pro Sacerdotum vita benedictionem aut maledictionem a Deo in populum procedere, nec quicquam gravius Ecclesiæ aut Reipublicæ accidere, aut illam vehementius affligere, quam si a Clericis Laici bonæ vitæ incitamenta & exempla petere non possint: quod gravissime olim deploravit S. Gregorius, & nos ipsius verbis repetimus; "Nullum puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: Quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus, & quia eo ipso, quo cæteris Prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur."

II. Hinc Nos serio ac sub obtestatione Divini judicii monemus omnes & singulos, ut, quo sunt in Ecclesia Dei digniore loco & ordine, eo vitam gerant inculpatiorem, statumque suum vitæ innocentia ac morum gravitate diligentius exornent.

III. Cum vero summa disciplinæ Christianæ in eo consistat, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobrie, pie, juste vivamus in hoc sæculo, idque ad omnes universim Chri-

ſtianos pertineat, intelligunt facile Eccleſiaſtici, qui cæteris in exemplum poſiti ſunt, quid ad ipſos ſpectet, qua illos morum gravitate in ſermone, geſtu, inceſſu, qua in cultu & veſtitu corporis moderatione & decentia, qua vitæ ſanctioris innocentia illos cæteris præſtare oporteat. De quibus cum multa ſparſim per ſacros Canones, Concilium Tridentinum, Statuta Provincialia & Conſtitutiones Synodales tradita ſint, Nos breviter hoc loco quædam repetenda duximus.

IV. Omnes Clerici, potiſſimum qui Eccleſiaſtico funguntur miniſterio, aut Eccleſiæ bonis ſuſtentantur, ut vere Clerici ſint, & peculiari quadam ratione Dominum poſſidere, & a Domino poſſeſſi videantur, terrenis cupiditatibus & voluptatibus non indulgeant. Hujus eos admonet Clericalis tonſura, Regale Decus Chriſti Regis noſtri, noſtræque militiæ inſigne, idcirco omnes & ſinguli ordini & gradui ſuo convenientem gerant coronam, eamque ſæpius faciant renovari, habitumque honeſtum ſtatui ſuo congruentem geſtent.

V. Veſte omnes utantur honeſta ac decente, ut in materia, forma, colore, pretio, ac omni modo reſpondeat tum modeſtiæ ac dignitati Clericali, tum conditioni ac ſtatui ſingulorum, in quo uti vanitatem & affectatam mundi curioſitatem, novas levitates ac nitorem, ſic abjectionem & nimias ſordes excluſas volumus. In omni veſtitu, præſertim externo, color tantum niger adhibeatur.

VI. Clerici Sacris initiati, aut Beneficiati omnino abſtineant ab omni venatione clamoſa, nec armati, niſi ob itinerum pericula incedant, coram Judice ſæculari, Advocati, Procuratoris, Notarii, ſeu Tabellionis officio non fungantur, nec cauſas præter proprias vel Eccleſiæ ſuæ agant, niſi neceſſitas propinquarum vel miſerabilium perſonarum eorundem patrocinium exigat, artem quoque chirurgicam vel medicam non exerceant, neque profana officia, niſi in caſibus a jure permiſſis, judicio ſanguinis aut executioni ſententiæ capitalis, niſi officii ſpiritualis cauſa, non interſint.

VII. Familiam honeſtam alant, non infames, non ſuſpectas, aliave turpi nota laborantes perſonas domi ſuæ detineant. Intempeſtiva convivia, longiores accubationes, ad æquales hauſtus provocationes, pomeridiana ſympoſia & conſortium quorumvis intemperantium & male moratorum ſtudioſe declinent, conceſſisque ſibi a Deo donis ſobrie & frugaliter utantur.

VIII. Cauponas Eccleſiaſtici, maxime vero Beneficia curata obtinentes, ſeu tabernas potatorias ſub quocunque prætextu, niſi in itinere conſtituti, aut id ipſum cura animarum exigat, non ingrediantur ac frequentent.

IX. Si quando ſacrarum Primitiarum occaſione, aut alia honeſta ex cauſa Sacerdotes, aliive e Clero convivia inſtituant, diligentem habeant ſtatus vocationisque ſuæ rationem: ſit menſa frugalis & brevis, ſanctis ac modeſtis condita colloquiis, a temulentia & turpitudine verborum, geſtuumque quam alieniſſima, ludicra nulla, nullæ ſaltationes, choreæ, aut aliæ Clericalem ſtatum dedecentes levitates admiſceantur, multo minus ipſi Clerici choreas ducant & ſaltent, meminerintque ejus, quod S. Hieronym. de vita Clericorum ſcripſit: Facile contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium non recuſat; nunquam petentes, raro accipiamus rogati.

X. Paſtores & Clerici ad ſignum loco publico præſertim Dominicis aut fori feſtis diebus non jaculentur, pila palmaria non ludant, aut alio luſu inter vulgus ſe exerceant, recordentur potius finis ſeu inſtituti ſui, & ſciant ſe non ad ignaviam, deſidiam aut otium, ſed ad ſalutares Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatos eſſe, quapropter tempus, quod Officiis Divinis obeundis, frequentandis Eccleſiis & corporis neceſſitatibus non impeditur, vanis & inutilibus miſcendis colloquiis & profanis actionibus non terant, ſed Divinarum literarum ſtudiis & cœleſtium rerum contemplationibus, frequentique Concilii Tridentini, Synodaliumque Decretorum lectione, ac ſanctis piisque officiis traducant.

XI.

XI. Cum Sacerdotum dignitas non parum vilescat, quod a Nobilibus, aliisve Laicis ad servitia sæcularia se applicari permittant, ideo ipsis sub pœna suspensionis a Divinis prohibemus, ne similibus negotiis servilibus vel officiis sæcularibus vacent, quæ impediunt quo minus Deo militent, cui se milites probarunt & addixerunt.

XII. Apostoli sententia est: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Quare nullus e Clero ullam mercaturam, negotiationem sæcularem, turpem quæstum, aut indignum statui laborem exerceat; neque decimas, census, prædia, vel agros alienos ob quæstum colendos conducat & accipiat.

XIII. Quod si Clericus coram Judice laico testimonium dicturus sit, vel quocunque juramentum præstiturus (quod etiam sine nostra, vel alterius Ecclesiastici Superioris licentia ei non licet) in manibus personæ Ecclesiasticæ id ipsum præstet.

XIV. Et generaliter quæcunque a sacris Canonibus, præsertim Concilii Tridentini, de vita, honestate & modestia Clericorum retinenda, & simul de luxu, lusibus, & quibuscunque criminibus vitandis sancita sunt, eadem omnia sub iisdem pœnis tanquam hic repetita hæc Synodus servari mandat.

TITULUS IV.

De vitando Concubinatu.

IMmundum & damnabilem concubinatum, quo nihil magis ab honestate Clericorum & Ministrorum Christi Virginis filii alienum est, Nos hoc Decreto nostro execramur, damnamus & profligamus, & ad cautelam pro tollenda omni excusatione omnibus notum hisce facimus, Nos nemini hoc in crimine parcituros, sed post hac simpliciter & de plano ad privationem Beneficiorum, & seriam ac publicam executionem contra auctores, complices, & fœdas amasias ubicunque locorum processuros. Quam rem iterum Vicario nostro in Spiritualibus Generali, & quos ipse pro executione requisierit, serio injungimus. Concilium Tridentinum *Seff.25. C.14.* pœnas concubinariorum accuratius persequens, ea, quæ sequuntur, constituit.

„ Quam turpe ac Clericorum nomine, qui se Divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore testatur, ut igitur ad eam, quam decet continentiam ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur, populusque tunc discat, eos magis revereri, quo illos vita honestiores cognovit, prohibet Sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis a sacris Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Si vero in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum Beneficiorum & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam a Beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur. Et si ita suspensi eas nihilominus non expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc Beneficiis, portionibus, ac officiis & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles & indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujus-

" modi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut ſuſpendat. Supradictorumque omnium cognitio non ad Archi-Diaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu & figura judicii, & ſola facti veritate inſpecta procedere poſſint. Clerici vero Beneficia Eccleſiaſtica aut penſiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perſeverantiam & qualitatem ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis juxta ſacros Canones puniantur."

TITULUS V.

De Teſtamentis & eorum Executione.

I.

EXperientia docet, quam ſit periculoſum, quantumque detrimenti afferat teſtamentariam diſpoſitionem ad extremum vitæ terminum differre, quapropter volumus & injungimus omnibus Civitatis & Diœceſis noſtræ Paſtoribus, Vice-Paſtoribus & Concionatoribus, ut ſubinde auditores ſuos ſerio moneant, ut ultimæ voluntatis tabulas mature condant atque tempeſtive domui, rebus, & bonis ſuis temporalibus conſulant, ne inſtante morte ægri & anxii circa mox relinquenda magnis conficiantur moleſtiis non ſine periculo ſæpe ſalutis æternæ amittendæ.

II. Hortentur ſimiliter, ut Teſtamentum ſuum extra gravioris noxæ conſcientiam faciant, totamque diſpoſitionem ad bonum finem dirigant, ne vanitate potius memoriæ poſt mortem relinquendæ vel quovis alio ſiniſtro ducti affectu, quam Dei & proximorum amore permoti operis boni merito ſpolientur.

III. Quod ſi teſtamenta condere volentes cum aliquo vel aliquibus publicas habeant inimicitias, non ſolum animitus ignoſcant, ſed in præſentia aliorum, quod ignoverint, teſtatum faciant & cum odore virtutis decedant. Quod ſi alios offenderint, expedit, ut ad veniam petendam amicos deſtinent, & pro modo offenſæ ſatisfaciant, reconciliatioque ſubſequatur. An vero inter præſentes ea ſit conficienda, prudentis judicio æſtimandum relinquitur, cum inter præſentes aliquando controverſias componi non ſit conſultum, occultæ inimicitiæ ſecreto quoque dirimantur.

IV. Quamvis Teſtatores numeroſam habuerint prolem vel conſanguineos, meminerint tamen Chriſtum ſcribere cohæredem, niſi hæreditas forte ſit adeo tenuis, ut neceſſariis hæredibus ſeu liberis ad ſuſtentationem honeſtam neceſſaria videatur, & legatis minuenda non judicetur.

V. Si Teſtatoribus nulli fuerint fratres, ſorores, aliive cognati indigentes, liberalioribus legatis ad pias cauſas animarum ſuarum ſaluti optime conſulent, benefaciendo ſcilicet pupillis, orphanis, viduis, pauperibus, captivis, peregrinis & ægris, præcipue Eccleſiis, earumque Miniſtris penuria laborantibus. Inſuper laudabile erit debitoribus vix ſolvendo exiſtentibus integrum debitum vel partem ejuſdem remittere.

VI. Idcirco quilibet dives Deum timens animæ ſuæ bene providebit, ſi aliquam partem ſubſtantiæ piis uſibus teſtamento relinquat, imprimis autem ut Parochialem ſuam Eccleſiam, ſi eguerit, majorum conſuetudine & pietate pro ratione fortunarum ſuarum pio legato honoret.

VII. Confeſſarii, ut majori Spiritus libertate & fructu animas juvare poſſint, ſcriptioni teſtamentorum non interſint, aut Teſtatori nominatim ſuadeant, cui aut quibus hæreditatem vel legata relinquat, præſertim vero propriarum Eccleſiarum importunum patrocinium non ſuſcipiant, niſi paupertas vel alia neceſſitas aliud poſtulet; Pro conſilio requiſiti in genere opera pietatis commendent & electionem Teſtatori omnino liberam relinquant.

VIII.

VIII. Meminerint Ecclesiastici, quod singulariter lex charitatis exigat, ut Ecclesiæ & pauperibus benefaciant, proinde in suprema voluntate declaranda non propinquitate & sanguinis inclinatione moveantur, sed Ecclesiæ Dei utilitatem pauperumque sublevamen sibi proponant.

IX. Considerent etiam periculum suum, si mox ad Tribunal Christi rapiendi, deque omnibus usque ad extremum quadrantem rationem reddituri facultates sibi creditas ex patrimonio Christi & bonis Ecclesiiasticis provenientes maluerint propinquis & consanguineis, quam Christo & ejus Ecclesiæ atque pauperibus relinquere.

X. Venerabili Clero nostro in & extra Civitatem nostram Paderbornensem testamenta condere & de reditibus etiam beneficiorum absque solemnitatibus a jure civili requisitis valide & licete disponere permittitur, Episcopali quidem privilegio; inhærendo tamen canonicis Sanctionibus volumus, ut omnes Ecclesiastici Civitatis & Diœcesis nostræ Paderbornensis testamenta sua in præsentia Notarii vel Pastoris duorumque ad minus testium condant, vel in scriptis voluntatem suam propria manu subscriptam, signatam & occlusam Notario vel Pastori coram duobus testibus exhibeant, & in charta hujusmodi contineri ultimam suam voluntatem declarent, Notarius vero aut Pastor in dorso chartæ hunc actum scribat & subsignet: Dispositiones aliter factas nullas & invalidas, legata tamen ad pias causas propria Testatoris manu scripta vel subscripta sine Notario & testibus subsistere declaramus.

XI. Ne testamenta Ecclesiasticorum casusque ab intestato diu detineantur & occultentur, interea vero hæreditates expilentur, Executores post mortem Ecclesiasticorum testamenta Vicario nostro infra triginta & unum dies una cum legali inventario exhibeant, approbationem & facultatem exequendi petant, nec non juramentum de fideliter exequendo præstent, anno elapso accuratam rationem reddituri. Hoc tamen Decreto non intendimus Statutis aut Privilegiis Cathedralis Capituli nostri de condendis testamentis & executione eorum ullo modo derogare.

XII. Quandoquidem omnium ultimarum voluntatum & piarum dispositionum supremi Executores & Tutores sunt Episcopi, per illos vel maxime providendum est, ut Testatorum Ordinationes fideliter executioni demandentur, non raro autem accidat, quod tam Clericorum, quam Laicorum extremæ voluntates & testamenta, ad pios etiam usus legata & relicta dolosis machinationibus varie impediantur, retardentur, aut in alios usus expendantur. Ideo Vicarius noster sedulo advigilet, accuratamque curam gerat, ut Testatorum desiderio & voluntati plene satisfiat, nec ad pios usus destinata in alios impendantur.

XIII. Si Clericus quispiam plane intestatus vel sufficienti & legitimo testamento non condito decesserit, ejus hæreditas describatur, ex beneficiis Ecclesiasticis provenientia, solutis funeralibus & debitis, ad usus pios in refrigerium animæ defuncti a Nobis præscribendos applicentur; patrimonialia vero hæredibus ab intestato relinquantur.

XIV. Executorum officium, quamvis passim appetatur, grave sane est & molestum, tenentur siquidem Executores non solum ultimam Testatorum voluntatem accuratissime temporibus præscriptis exequi, verum etiam in obligationem eorundem succedentes testamenta, quorum Executores deputati fuerunt, debitæ executioni promptissime demandare.

XV. Justam conquerendi creditoribus præbent occasionem Executores, dum statum & vires hæreditatis defuncti ignorantes, multos minus necessarios sumptus in funeralia profundunt, & sine Decreto Judicis propriis ducti affectibus, quin etiam proprio lucro moti nonnulla debita persolvunt; unde sæpissime provenit, ut creditores privilegiati tenuioris quandoque fortunæ defraudentur, gravissimæ huic corruptelæ imo manifestæ iniquitati opportunum adhibere remedium cupientes, omnibus & singulis testamento-

rum Executoribus feveriffime inhibemus, ne viribus hæreditatis non perfpectis ullis ad honeftam fepulturam omnino non neceffariis expenfis eandem minuant, neque antequam legitimum inventarium confectum fuerit, ex illoque conftiterit, quod hæreditas omnibus debitis folvendis fit fufficiens, vel minutiffimam etiam fummam in cujusvis quantumvis privilegiati debiti folutionem absque Ordinatione Vicarii noftri exponant, contravenientes ad reftitutionem factarum non neceffariarum expenfarum & pecuniæ cuicunque creditori folutæ teneri, & ultra mulctam iifdem pro qualitate transgreffionis infligendam opportunis juris remediis volumus compelli.

XVI. Cum non raro inter Executores defunctorum Paftorum & Succeffores fuos difcordiæque ratione redituum oriantur, pro iifdem tollendis ordinamus, & ftatuimus, ut pro rata defervitionis de reditibus & obventionibus participent, cum operarius mercede fua fraudari non debeat, computabitur itaque annus fixorum redituum tam frumentariorum, quam pecuniariorum a Fefto Michaelis ufque ad idem Feftum anni proxime fequentis, Executores ufque ad diem trigefimum obitus, provifo interea per qualificatum Paftoratu de confenfu noftro pro rata temporis proportionabiliter reditibus fruentur, reliquum Succeffori affignabitur.

XVII. Quoad agros eorumque culturam ordinamus, ut Succeffor omnes impenfos fumptus æftimatione eorundem per impartiales facta accurate folvat, quod, fi renuat aut non poffit, Executores meffe fruentur, Succeffori ratione temporis, quo defervivit affignata & foluta parte Canonis, qui præftaretur, fi effent elocati agri.

XVIII. Quoad prata, fi quæ fint, ordinamus, ut is fœno fruatur, qui a Fefto Ss. Philippi & Jacobi ufque ad finem Julii defervivit, fi inter illud tempus quis moriatur, tum Executoribus, tum Succeffori pro rata fœnum cedet.

TITULUS VI.

De Regularibus.

I.

Regulares omnes in Domino hortamur ac monemus, ut fecundum vocationem fuam & Regulas Sanctorum Patrum digne ambulent, aliisque lucis exemplum præbeant; Decreta item Summorum Pontificum, præfertim Bullam GREGORII XV. quæ incipit: *Infcrutabili*, diligenter obfervent, benedictionem & approbationem Concionatorum fuorum & Confeffariorum petant, & fine illa nullum exponant, & Decretum INNOCENTII X. quoad approbationem in fingulis Diœcefibus neceffariam obfervent.

II. Claufuram Monialium tanquam præcipuum obfervandæ integritatis virginalis medium maximopere Concilium Tridentinum ac Summi Pontifices Ordinariis locorum etiam fub obteftatione Divini judicii & interminatione maledictionis æternæ commendatam effe volunt. Quocirca falutis noftræ memores cupientesque a Nobis avertere Divinæ ultionis vindictam præcipimus in virtute S. Obedientiæ, omnibus Sanctimonialium Monafteriorum Superioribus, Commiffariis ac Vifitatoribus, ut in omnibus Monafteriis fibi fubjectis claufuram accuratiffime obfervari curent, nec ulla Monialis fine noftro in fcriptis obtento confenfu e claufura ad vifitandos cognatos aliave negotia tractanda egredi præfumat.

III. Omnibus ac fingulis Sanctimonialibus juxta *Caput* 11. *Seff.* 25. Concil. Trid. facultatem concedimus, ut annuatim bis vel ter extraordinariis Confeffariis veluti noftris Miffionariis confiteri valeant, nec ullus Superiorum earundem huic Ordinationi obfiftere audiat.

Hæc ad brevem Inftructionem univerfi Cleri fufficiant, quæ aliaque in facris Canonibus fanctisque Scriptoribus latius perlegenda, qui ea fervarint, pax fuper illos.

Joanne

Joanne Adolpho L. B. Wolff-Metternich Toparcha in Gracht, & Strauhweiler, Domino in Liplar, & Odendahl, qui Sac. Cæſar. Majeſtatis Conſiliarius, & Electoribus Colon. Bavaro, ac Palatino a Conſiliis ſecretioribus fuit, item Supremus Aulæ Mareſchallus, Supremus Camerarius, & Aulæ Præfectus, Adminiſtrator in Scharding, Satrapa in Lechenich, & Bleisheim; & Maria Catharina ab Hall Filia hæreditaria in Strauhweiler non genere minus, quam virtutibus Perilluſtri Domina prognatus eſt HERMANNUS WERNERUS a. 1625. 16. Aug. A prima adoleſcentia emicare in eo cœpit excelſus animus, ſupra Proavorum gloriam aliquando aſſurrecturus. Nihil in converſatione aſperum, nihil in cultu corporis aut inceſſu faſtuoſum, nihil in moribus fractum, & diſſolutum. Modeſta gravitas fluebat in mores nullo affabilis comitatis nocumento. Itinera ſua in Regiones exteras nulla levitatis nota vitiavit, ſed ſecunda ubique continentiæ fama peregrinantem commendavit. Nec in Aulis paſſa eſt virtus ejus cum annis matureſcens, cum in iis non licentiæ campum, ſed prudentiæ Magiſterium quæſiviſſet. Unde factum, ut aliorum mores ſuo interventu componeret, qui cum eum a magnis Proavis natum ſcirent, ad majora prognoſtico vaticinio deſtinabant ſingularium virtutum ſplendore perſtricti. Nec falſis auguriis deluſi ſunt: feſtinatæ enim Prælaturæ, & dignitates in eum honorandum magno conſenſu confluxerunt, & certarunt Eccleſiæ Cathedrales, maxime duæ, utra earum Viri meritiſſimi virtutes amplioribus titulis condecoraret. A. 1665. 5. Aug. a Capitulo Hildeſ. in Scholaſticum, a. 1676. 30. Mart. a Paderborn. in Decanum, iterum a. 1682. 30. Apr. ab Hildeſienſibus in Præpoſitum, & a. 1683. a Paderborn. in Epiſcopum & Principem electus eſt magna concordia, quæ non ex humanis motivis, ſed altiori impulſu viſa eſt coaluiſſe. Inſolita lætitia geſtiere omnes ad Nuncium ejus Electionis, implevit omnium expectationem geſtis ſuis. Cum in inferioribus Prælaturis ſubſiſteret in Clero forma gregis ex animo factus eſt. Expreſſit in ſe ipſo, & moribus ſuis, quod in aliis expreſſum deſiderabat, ſeu Decanus præeſſet, ſeu Epiſcopus. Virtutes Epiſcopales, quas S. Paulus *in ep. ad Tim. & Titum* exigit, in ipſo eluxiſſe fatentur omnes. Implevit factis officia nominum, quæ in titulis præfert verus Eccleſiæ Epiſcopus, & Imperii Princeps, ideoque aliorum Principum etiam Summorum amoribus, & honoribus late celebris, & excultus. Viſitatam ab eo in perſona propria Diœceſin omnem, adminiſtrata Sacramenta, habitam ſolennem Synodum, erecta, & refecta tum ſacra loca, tum vias, & opera publica, omnes nòrunt. Singulari ſemper extitit affectu pietatis in Chriſtum Euchariſticum, nec minus B. Virginem rara devotione coluit. Teſtatum utrumque fit ex pretioſis, quibus erecta tum Venerabilis Sacramenti, tum ejusdem B. Virginis ſodalitia condecoravit, ornamentis. Mira in hoc Principe eluxit caſtimonia, quam quidem omni prorſus ab nævo, ut ſervaret immunem, cilicium, quod tumulo ſecum inferre ipſum voluiſſe ferunt, geſtaſſe dicitur. Narrant præterea vel hodieque, piiſſimum Epiſcopum, ſummo ſæpius mane ex arce Neuhuſana peditem conceſſiſſe in ædem Cathedralem, ut choro, canentium Deo laudes, intereſſet. Sunt, qui adfirment, corpus Illuſtriſſimi HERMANNI WERNERI, aperto ante annos 20. ſepulcro, fere incorruptum fuiſſe inventum, etſi nullis unquam aromatibus conditum munitumque fuerit. Commendanda etiam venit ſumma Antiſtitis maximi manſuetudo; zelus Religionis & Orthodoxæ Fidei tum conſervandæ, tum, ubi res poſtulabat, ſerio graviterque defenſandæ; impenſus ſcientiis favor, magna ſemper cum liberalitate conjunctus. Novam Collegii Hildeſienſis S. J. ſtructuram, nondum Epiſcopus, larga ſtipe promovit. Ejusdem Societatis Paderbornenſe Templum ſolemnibus ceremoniis a. 1692. XVIII. Kal. Octobr. dedicavit. Obiit anno Chr. 1704. æt. 79. Epiſc. 21. Epitaphium, quod heic adnecto, ingredientibus Paderbornæ ædem Cathedralem in Sacello ſatis elegante, foris mormoreo, ad lævam conſpicitur:

Æternæ Memoriæ
HERMANNI WERNERI,
Reverendiſſimi, & Celſiſſimi Epiſcopi, ac Principis Paderbornenſis,
Comitis Pyrmontani, Præpoſiti Hildeſienſis, ex Perilluſtri Familia
Baronum Wolff-Metternich, ex Gracht.
Vixit mundo annis 79., Diœceſi an. 21.

Epiſco-

Episcopus irreprehensibilis, in carne Angelus, Ecclesiæ Sidus, Idea Præsulum, Subditorum amor, Patriæ Pater. Plura recenseri vetuit Principis humilitas; neque laudes ambivit humanas, qui solum Numinis oculum actionum suarum voluit arbitrum. Natus anno 26. prioris sæculi postridie Assumptæ Virginis; denatus anno 1704. pridie Corporis Christi. Sic nasci, & mori decuit cultorem magnæ Matris, & Venerabilis Sacramenti. Conditus in hoc Sacello, a se exstructo, in cordibus perennat subditorum. Hoc unum a te, Lector, mortuus rogat, ut sui memor in precibus, animæ requiem appreceris æternam. Vale, & cum Propheta Regio de piissimo Principe vaticinare: *In memoria æterna erit justus.* Psal. 3. v. 7. (*leg. Ps.* 111.)

Hæc mecum communicavit R. P. Franciscus Liese S. J. p. t. Ss. Theol. Professor Paderb.

SYNODUS DIOECESANA MONASTERIENSIS,

Eodem anno Christi MDCLXXXVIII.

JUSSU

REVERENDISSIMI & CELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

D. FRIDERICI CHRISTIANI de PLETTENBERG, (*)

S. R. I. Principis Episcopi LX. Monasteriensis,

CELEBRATA

DIE 11. OCTOBRIS.

Publicata in illa sunt sequentia:

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI GRATIA ELECTUS EPISCOPUS MONASTERIENSIS, BURGGRAVIUS STROMBERGENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS ET DOMINUS IN BORCKELOH &c. VENERABILIBUS AC PRÆNOBILIBUS DEVOTE NOBIS DILECTIS MATHIÆ FRIDERICO A RECKE ET JOANNI CASPARO A LETHMATHE CATHEDRALIUM ECCLESIARUM MONASTERIENSIS NOSTRÆ ET MINDENSIS RESPECTIVE CANONICIS CAPITULARIBUS, CANTORI, NEC NON AD S. MAURITIUM PRÆPOSITO, SALUTEM IN DOMINO PRECAMUR SEMPITERNAM.

AD Ecclesiam hanc Monasteriensem D. Pauli Apostoli regendam unanimi electione vocati, nihil eorum, quæ sacri Canones & ejusdem Ecclesiæ nostræ laudabiles consuetudines exigunt, intermittere studemus, eaque de causa, cum hoc tempore justissimis præpediamur impedimentis, quo minus in præsenti Synodo autumnali, quæ quot annis in Ecclesia nostra Cathedrali celebrari consuevit, ipsimet comparere valeamus, vobis committimus, ut vices nostras in prædicta Synodo geratis, & cunctos ad Decretorum a Prædecessoribus nostris factorum observantiam incitetis.

Insuper cum Illustrissimus Dominus Nuncius Coloniensis ad Venerabile Capitulum nostrum Cathedrale rescripserit Summum Pontificem Sanctissimum Dominum nostrum dolenter percepisse, quod quamplures Sacerdotes, qui ficta coma utuntur, sacrosanctum Missæ Sacrificium illa non deposita, contra expressam inhibitionem non sine gravi scandalo celebrare præsumant, atque usum ejusmodi scandalosum districte prohiberi præceperit. Hinc

Hinc easdem Literas in dicta Synodo pro omnium ac singulorum Sacerdotum notitia non tantum publicari, sed etiam expressæ in iisdem Pontificiæ inhibitioni promptissime pareri præcipimus, & nisi iisdem præceptis paritum fuerit, adversus eorundem contraventores per pœnarum canonicarum declarationes imposterum procedi mandabimus. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus in Civitate nostra Monasteriensi 11ma Octobris anno 1688.

Fridericus Christianus.

(L.S.)

LITTERÆ

REVmi & ILLmi DOMINI NUNCII APOSTOLICI.

PERILLres ac Rdi ADM. DOMINI.

Dolenter percepit Sanctissimus Dominus, quod quamplures Sacerdotes, qui ficta coma utuntur, Sacrosanctum Missæ Sacrificium illa non deposita celebrare præsumant, esto quod id fit expresse prohibitum, quamvis scandali ansam fidelibus præbeat, & tanto debitam Mysterio reverentiam ac venerationem nullatenus redoleat. Huic abusui remedium allatura Sanctitas Sua mihi mandare dignata fuit, ut in singulis Districtus hujus Nuntiaturæ Diœcesibus mediis opportunioribus, & quæ magis efficacia videbuntur, diserte inhiberi curem quibuscunque Sacerdotibus, ne imposterum coma fictitia uti audeant in Missæ Sacrificio. Piissimis Sanctitatis Suæ mandatis humillime morem gerens, Perillustres DD. V. V. de mente ejusdem certiorandas duxi, ac ab illis instantissime contendendum, ut quamprimum eidem se conformando fictitiæ comæ usum in Missæ Sacrificio districte prohiberi, ac tam grave scandalum radicitus evelli procurent. Hac opportunitate Perillustribus DD. Vris obsequia mea restipulans eisdem felicissima cuncta a Deo animitus precor, & maneo. Coloniæ 28. 7bris 1688.

Perillustrium ac Rdarum Adm. DD. V. V.

Officiosissimus ad omnia
J. A. ARCHIEP. DAMASCENUS.

Perillustri Capitulo Monasteriensi.

(*) FRIDERICUM CHRISTIANUM orbi procreabat Illustris & generosa apud Westphalos, Rhenanos, & Curlandos (*Hoppingus in Tractatu de Jure insignium*) PLETTENBERGIORUM familia, Principibus, Heroibus & Equitibus clara. *Bernardum*, Dominum in Lenhausen & Bergstrasse, Nobilitatis Ducatus Westphaliæ deputatum, patrem; *Odiliam* vero, Ferdinandi supra laudati Principis Paderborn. & Monast. felmæ mem. Episcopi, sororem, matrem habuit, adolevitque inter spes amplissimas, ad ardua quævis, & magnam Reipublicæ Christianæ utilitatem præprimis idoneus. Post varias, easque sat laboriosas ad primarias Germaniæ, Regum, Electorum Principumque aulas, ac fœderati Belgii Ordines, legationes, post suprema Cathedralis ac Patriæ Monasteriensis administrata summa laude officia, tot ubivis excelsæ virtutis, sapientiæ, & in rebus gerundis dexteritatis monumenta reliquit, ut ex Consiliario intimo, Cameræ & Judicii Aulici Præfecto in *Decanum* & *Vicarium Generalem*, tandemque anno 1688. die 29. Julii in Episcopum ac Principem Monasteriensem, omnium votis, communi totius Patriæ lætitia & applausu eligeretur, magno Principi & Episcopo Maximiliano Henrico, Bavariæ Duci, successurus, Princeps pacis, Pater patriæ, egenorum, viduarum ac pupillorum Tutor perliberalis, certum fidumque subditorum sibi carissimorum præsidium, Episcopus integerrimæ vitæ, sacrorum omnium Antistitum lumen, & exemplum splendidissimum. Prima ei, ut Magistratum cepit, & antiquissima cura erat, de suo Divini honoris promovendi ardore posteris monumenta relinquere. Quod fecit, cum Ecclesiæ Cathedralis chorum nigro candidoque marmore pereleganter sterni, Capitularium Canonicorum subsellia piis in marmor candidum Dædaleo opere excisis historiis exornari, totamque novis fenestris Ecclesiam illustrari curaverit: ut alia taceam seu templa per Diœcesim seu sacella, altaribus ab eodem condecorata, tum vel e fundamentis erecta, tum reparata.

Zelum hunc ſuum ut multo piiſſimum explicabat latius, fundabatque perquam liberaliter devotionem vel in hunc uſque diem ce ebrem ac florentem, quam & Revmi DD. Canonici Capitulares & RR. DD. Vicarii Sanctiſſimum altaris Sacramentum in ſepulcro tribus ultimis hebdomadæ ſanctæ diebus inſigni cum adfluentis frequentiſſimi populi pietate adorantes obeunt.

Suum declaraturus pro Religione noſtra animum, Paſtores animarum ubique præſtantiſſimos ſeligebat ſupremus ipſe & gregis ſui ſtudioſiſſimus Paſtor. Annonæ difficultati a. 1698 & 99. totam fere Germaniam corripienti, adductis longo viarum tractu remotiſſimis e Provinciis frugibus, Princeps ac Pater patriæ clementiſſimus ſeſe oppoſuit, ſuamque Diœceſin a graſſantibus tota vicinia calamitoſi belli flammis Divina quadam providentia defendit. Arces *Abuſanam* & *Saſſenbergicam* impenſis extruxit ſuis, Monaſterii etiam Reſidentiam inſtituturus, niſi præcoci morte interceptus fuiſſet. Obiit illic poſt laudatiſſimum 18. annorum Regimen a. 1706. die 5. Maji, annum ætatis agens ſecundum & ſexageſimum, repoſitus in choro Cathedralis templi ad plagam auſtralem. Sepulcro hoc adjunctum legitur Epitaphium :

D. O. M. S.

FRIDERICUS CHRISTIANUS,

D. G. Epiſcopus Monaſterienſis, Burggravius Strombergenſis,
S. R. I. Princeps, Dominus in Borckeloh,
L. B. A PLETTENBERG,

Natus in Caſtro Lenhauſen anno 1644. die 8. Auguſti,
Electus Epiſcopus Monaſterienſis anno 1688. die 29. Julii,
Denatus mundo, renatus Cœlo an. 1706. die 5. Maji.

PRINCEPS PACIS,

Qui per magna munia velut per gradus in thronum aſcendit, ad Auguſtam, regias, principales aulas Ablegatus, Cameræ Epiſcopalis, & Judicii aulici Præſes, Conſiliarius Intimus, hujus Cathedralis Eccleſiæ Decanus, denique Summus Antiſtes, pietate clarus, conſilio providus, labore indefeſſus, animo ad omnem caſum immotus; Dei cultum, virtutis ſtudium, Cleri integritatem, populi ſalutem feliciter promovit, Aras, & Templa nova condidit, collapſa reſtauravit, arcem Ahauſanam ære ſuo exſtruxit, & Vechtam fornicibus ſubterraneis munivit, ac armamentario inſigni auxit, ærario militari Patriæ ingenti ſumma ſubvenit, & anno 1692. Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo contra Turcas ſine patriæ ſumptu 4. millium militum ſuppetias miſit, magnoque illi Cæſaris, Anglorum, Batavorumque fœderi junctus, cinctam belli flammis Diœceſin intactam ſervavit; liberalis in omnes, profuſus in pauperes,
donec ad ſe Numen evocavit

PATREM PATRIÆ, PRINCIPEM PACIS,

Qui faciebat juſtitiam, & judicium cuncto populo ſuo.
1. Paralip. C. 18. v. 14.

Hæc documenta transmiſit a me rogatus R. P. Matthias Spée S. J., *Præſes t. t. Sodalitatis A. O. & Operarius apud Monaſterienſes Weſtphalorum.*



MAN-

MANDATA
ET
STATUTA SYNODALIA (*)
DIOECESIS ARGENTINENSIS,
Anno Chr. MDCLXXXVII. Innocentii XI. PP. XI. Leopoldi I. Imp. XXIX.

PUBLICATA

PER

REVERENDISSIMUM, PERILLUSTREM & EXIMIUM DOMINUM,

D. MARTINUM de RATABON,

Ss. Theologiæ in Facultate Parisiensi Doctorem, Baron. S. Laurentii, Vicarium & Officialem Diœcesis Argentinensis,

DIE 18. JUNII.

MARTINUS de RATABON, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theol. Baro S. Laurentii, Vicarius & Officialis Generalis Diœceseos Argentinensis, omnibus Abbatibus, Præpositis, Decanis & Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum, Archi-Presbyteris, Camerariis, Definitoribus Capitulorum Ruralium, omnibus Parochis, cæterisque Presbyteris & Clericis Diœceseos Argentinensis, Salutem in Domino.

IN Ecclesia nihil antiquius, nihil etiam videtur salubrius institutum, quam ut Synodi quotannis habeantur, in quibus ita omnibus, quæ ad cultus Divini instaurationem, populorum ædificationem, & instructionem, hæresium extirpationem, Sacerdotumque præsertim accendendum zelum conducere possunt, novis & sanctis Decretis provideatur. Quod si ab ipsis Ecclesiæ incunabilis, faustis illis temporibus, ubi fervebat Christiana Charitas, ubi recens effusus (si Patrum verbis uti licet) adhuc calebat Christi Sanguis, ubi tot erant Sancti, quot Christiani, tot ad Martyrium anhelantes, quot erant in Sanctuario Sacerdotes, nihil tam utile, imo nihil tam necessarium visum est Ecclesiæ sanctæ Rectoribus, quam fidelium charitatem, Clericorum fervorem, Pastorum vigilantiam Canonibus novis excitare; Quanto magis illud ipsum nunc expostulat ejusdem Ecclesiæ necessitas, & ipsius, tum hæresium injuria, tum, quod magis lugendum est, inordinata vita Sacerdotum, facies immutata. Quid ergo moliri non debemus, ut illam sanctam Matrem pristino decori restituamus, & sparso ubique Christi odore errantes fratres, eadem qua aberraverunt & perierunt via, ad ovile Christi reducere valeamus; Jam sedatis bellis & fœda, qua a sæculo & amplius elanguit servitute abjecta, in pace favente Deo, & invictis tam acerrimi fidei defensoris Regis nostri armis stabilita, locum suum habere potest, & antiquum splendorem sancta Christi Ecclesia. Adhæc Synodos habuistis, Fratres charissimi, adhæc sanctorum Canonum Decreta pravis quibusdam, quæ irrepserant, consuetudinibus antiquata renovastis, zelumque vestrum in iis exequendis laudare satis non possum, in cujus monumentum Statuta in ultima Synodo a vobis edita, seu potius renovata, & non vobis tantum, sed Successoribus etiam vestris

(*) Serius observavi, ista Statuta apud Cl. Lünigium inveniri: quare ordo chronologicus nonnihil turbatur. Synodus, de qua meminerunt, celebrata fuit a Revmo & Illmo Franc. Egone Landgravio de Furstenberg, Argentinensi Episcopo ad an. 1685. Quæ in Supplemento dabitur.

vestris æternum profutura, hoc præsenti Mandato promulganda esse censuimus, rogantes vos obnixe, ut diligenti, qua par est, eorum observatione uno animo, pari zelo, gloriæ Dei & animarum vobis commissarum saluti (quod unum omnium nostrum intentum esse debet) promovendæ studeatis.

De Clericis.

PLacuit ea omnia Mandata, quæ præterita Synodo ad Cleri informationem promulgata sunt, non modo renovare, sed etiam ea, quæ explicatione aliqua indigent, paulo fusius exponere.

I. Quoniam sacri Canones sub gravibus pœnis interdicunt Clericis subintroductas habere domi mulieres, nisi forte sit mater, aut soror, aut avia, aut amita, aut matertera, vel filia, fratris aut sororis: districte prohibemus omnibus Presbyteris, ne alias præter supradictas mulieres domum suam introducant, jubemusque, ut introductas nulla interposita mora dimittant; si quando tamen supradictarum mulierum ratione, aut rei familiaris curandæ, aut infirmæ valetudinis causa, ancilla opus fuerit, admittat illam sed quinquagenariam, eamque laudabilis famæ, & ab Archi Presbytero approbatam.

II. Ne qua detur peccandi, vel peccatum suspicandi causa, nulli Sacerdotum liceat apud extraneas mulieres vivere, commorari, aut hospitari, sub prætextu pensionis.

Additio.

NE qua amplius defraudandæ hujus legis tam sanctæ & salubriter a tot Conciliis latæ, & in hac Diœcesi tam feliciter ab omnibus fere Clericis observatæ, supersit occasio, & ut pertinaces severius comprimamus.

1. Si quis velit neptem domi retinere aut sororem, testimonium authenticum consanguinitatis afferat Archi-Presbyter, alias illæ ad ædes Parochiales non admittantur, & suspectæ habeantur.

2. Nullæ a Parochis dimissæ ancillæ in eorum Parochia amplius commorentur aut famulentur; si quæ autem huic Decreto contravenerint, monebit nos Archi-Presbyter vel Promotor, quorum in hoc conscientiam oneramus, ut illas a Magistratu civili procul amandari curemus, & in Parochum mandatis nostris refragantem severius animadvertamus.

3. Si quis Sacerdos aliquam dimissam ancillam, tum aliam extraneam, non quinquagenariam, in ædibus suis ad domesticationem suscipiat, ipsum ab officio & Sacris suspensum ipso facto esse declaramus.

4. Archi-Presbyter, quo inconsulto & non approbante, Parochi ancillas etiam quinquagenarias domi retinere non possunt, quoad ætatem ipsarum dispensare, aut quomodocunque indulgere non præsumat sub pœna ejusdem suspensionis. Etiam sibi sciant Decani in suis Capitulis sub eadem pœna prohiberi.

III. Omnibus & singulis Sacerdotibus (nisi extra urbem aut pagum, in quo commorantur) in communi hospitio cibum aut potum sumere, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatæ interdicimus,

Additio.

1. PArochus in districtu suæ Parochiæ, in hospitio cibum sumere non poterit, quacunque de causa etiam cum patre si adsit, etiam cum Magistratibus & Principibus.

2. Quoniam ex Canonibus, Sacerdotibus solum peregrinis licet ad cauponam divertere, ideo sub eadem pœna prohibemus Sacerdotibus, ne ad illas divertant, nisi a finibus suæ Parochiæ, si sint Parochi, vel a loco domicilii, si sint Canonici, una hora integra distent.

3. Omnes simplices Sacerdotes, & alii Clerici in majoribus Ordinibus constituti, sciant se his Decretis obligatos, & delinquentes pœnis prædictis subjectos.

4. Quoniam spreto hoc Mandato nonnulli Sacerdotes scandalum Parochianis suis, nec non & hæreticis moverunt, ideo singulos monemus, nulli, qui præsenti Mandato contradixerit, dein-

deinceps esse indulgendum, sed prædictam pœnam suspensionis in rigore nulla data gratia esse subeundam.

IV. Sacerdotes & Parochi præcipue nuptiarum evitent convivia, multo minus cœtibus publicis, aut choreis, aut saltationibus misceantur, ne sacris Mysteriis deputati, turpium spectaculorum contagione polluantur.

Additio.

Baptismorum quoque & funerum evitent convivia.

V. Aleam, cæterosque ludos publicos Sacerdotibus sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatæ interdicimus.

VI. Sciat Parochus, qui opus Dei facit negligenter in erudiendo populo sibi commisso, sibi Divinis interdicendum, si autem in ea socordia perseveraverit, deponendum, itaque singuli Sacerdotes habeant Biblia sacra, eaque legant quotidie, quibus prius edocti, alios possint edocere.

VII. Habeant singuli Sacerdotes vestes proprias ac dignitati congruentes, easque ferant nigras semper & talares, saltem in Templo, & quoties superpelliceis induuntur, qui in pagis degunt: qui autem in urbibus habitant, talares semper vestes gestent; omnesque coma decenter ad aures usque detonsa, & apprime rasa Clericali incedant, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.

Additio.

QUoniam spretis Conciliorum, præsertim Trid. Decretis, spreto quoque hoc Mandato plerique Sacerdotes, vestes talares induere negligunt, veste alias minime Clericali induti incedentes, ideo pœnas injungendas duximus iis, qui huic Decreto contradixerint, prima pœna pecuniaria ad arbitrium nostrum imponenda plectentur, deinde si moniti non paruerint, sciant se suspensionis Nobis soli reservatæ vinculo ipso facto innodatos; per vestem autem talarem eam intelligas, quæ ad talos, non autem, quæ ad media crura dimittitur.

VIII. Quam poterit sæpius celebret Sacerdos, & ad minus bis in hebdomada peccata confiteatur.

IX. Singuli Sacerdotes veniant quotannis Argentinam exercitiis spiritualibus per octiduum vacaturi in Seminario.

Additio.

HUic Decreto deinceps ab omnibus satisfiet, singulisque præscribemus, quo tempore erit ab ipsis satisfaciendum.

X. Nullus Presbyter, nisi infirmitate pressus, aut etiam in ipsa infirmitate ante Sacrum, tabacum audeat fistulare.

Nullus extraneus, etiam peregrinus Sacerdos sine dimissoriis literis ad Sacrum, etiam semel legendum admittatur, etiam in exemptis Monast. quapropter Presbyteri vagabundi ad Ordinarium remittendi.

Nullus Sacerdos sine veste talari Sacrum legat aut peccata confiteatur, etiam si sit extraneus & peregrinus, nec ulli ornamenta ad Sacrum legendum porrigantur.

Sacerdotes, qui in pagis commorantur, cum ad civitates pervenerint, ad suspectas domos non divertant, nec nisi apud personas probatæ vitæ audeant pernoctare.

Singuli Parochi domi habeant & legant Conc. Trid. & ejusdem Conc. Catechismum, in quibus tanquam in puris fontibus, verum Dei verbum populo ministrandum hauriant; quod ut facilius fiat, prædictum Catechismum typis mandari curavimus, singulis Parochis & Sacerdotibus hujus Diœces. exemplar unum oblaturi; quapropter DD. Archi-Presbyteri mittant aliquem, qui pro omnibus suis Confratribus sufficientia exemplaria gratis a Nobis accipient.

De Beneficiis.

COllatores tam laici, quam Ecclesiastici, non nisi duobus præsentibus testibus, & in minuta subscriptis Beneficia conferant.

Collatores laici Beneficiorum, qui nondum Cath. fidem amplexi sunt, dein-

deinceps conferent per Procuratorem Catholicum, juxta mandatum Christianissimi Regis nostri.

Summorum Pontificum & Conc. Oecumenicorum præsertim Lateranensis, Lugd. & Trid. Decreta, ut in conscientia obligamur, & Eccl. disciplina, nec minus hujus Diœc. necessitas postulat executioni demandantes, declaramus, nemini imposterum licere, plura Beneficia curam animarum habentia, aut alias residentiam exigentia, aut quomodocunque incompatibilia simul recipere aut retinere. Qui autem id facere præsumpserint, Beneficiis ipsis juxta prædictorum Pontificum & Concil. Constitutiones, ipso jure privati existent.

Quoniam studia commune bonum est Ecclesiæ. Ideo juniores Canonici, qui in Scholis aut Seminariis student, privilegiis omnibus, & Beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant & fruantur.

De Regularibus.

NUllus Religiosus extraneus sine commendatitiis Superiorum literis suscipiatur.

Abbates Regulares, qui usum mitræ & baculi habent, extra suum Monasterium in Pontificalibus celebrare etiam in locis exemptis hujus Diœceseos, sine Ordinarii licentia non præsumant.

Quilibet Christianus, quantum per suas facultates sibi licet, teste Apostolo, operari bonum ad omnes debet, & maxime ad domesticos fidei; sed inter hos sunt præcipue commendandi, qui relictis omnibus, frangendo fidelibus pane spirituali, se totos consecrant, quales sunt Religiosi mendicantes, & hos maxime pietati fidelium commendamus, sed eos solos, qui in hac Diœcesi inserviunt, extraneis vero sine nostra, & quidem scripto tradita licentia eleemosyn. colligere amplius non liceat.

Nulli Regulares sanctum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos deferre, & eos Sacro Oleo inungere sine nostra licentia audeant. De licentia tamen Parochi ipso absente poterunt prædicta Sacramenta administrare, sed semper accepta, quæ in Ecclesia Parochiali servatur, pyxide.

De Monialibus.

OMnes Religiosæ vagabundæ, omnes extraneæ, quæ sine nostra licentia mendicant, procul amandentur, & extra Diœcesim ejiciantur, si autem monitæ abire vel momento differant, exspectato super his nostro Mandato, in carcerem detrudantur. Idem etiam circa eos observandum, qui sub veste Eremitica absque ulla sibi concessa authoritate vagabundi, per Diœceses currunt.

Moniales etiam exemptæ ter in anno Confessarios extraordinarios habeant, juxta Concilii Tridentini Decretum.

De Sacramentis.

QUoniam in dies crescit Deo favente numerus Catholicorum, & quotidie Nobis nova redduntur Templa, ideo Archi-Presbyter satis sibi sumat Olei Sacri, ut possit reconciliatis Ecclesiis per annum suppeditare.

Nihil pro Sacramentorum præsertim Eucharistiæ & Extremæ Unctionis administratione accipiant Parochi; Si quid autem in Baptismo a patrinis & matrinis pie offertur, accipiant, sed nihil a parentibus infantis baptizati etiam offerentibus: si quid autem exegerint, sciant se suspensionis Nobis solis reservatæ vinculo innodatos.

Parochi sæpius visitent infirmos, nec illis nisi prævia aliqua, sed brevi adhortatione sacrum Viaticum, aut Extremam Unctionem porrigant, nec ad extremam usque vitæ periodum horum Sacramentorum administratio differenda.

Quoniam aliqui infirmi, cum a Medico suadeatur, ut de animarum salute disponant, in desperationem incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt: qua consideratione, ducti Medici, illis necessaria animæ remedia propo-

proponere differunt & negligunt: ideo præcipimus Medicis, ut statim atque ægrotum convenerint illum moneant, ut animæ suæ, quæ corpore pretiosior est, misereatur, & spiritualem Medicum convocet, reluctantes autem ægrotos non amplius conveniant.

De Baptismo.

NUllum infantem extra Ecclesiam nisi in necessitate abluant Parochi sine nostra licentia, nec unquam mulieres puerperæ, nisi in Templo purificentur.

Quantocius fieri potest, infantes baptizentur, nec eorum ultra tres dies differatur Baptismus.

Extra casum necessitatis obstetrices non baptizent, nec infanti ab obstetrice baptizato ullum nomen imponatur, antequam cæremoniis baptismalibus initietur.

Parochus in sua Parochia nullum infantem e sacro fonte suscipiat, multo minus eum, quem abluit.

Parochus nullum infantem abluat, nisi prius inquisierit, quibus parentibus sit ortus, si autem spurium baptizat, talem in registro designet, nec nomen patris & matris, quantum fieri potest, reticeat.

Ita in vasis Olea Sacra disponantur, ut aliud ab alio facile discernere queat.

Nutrices nullas proles lactandas suscipiant, nisi quas rite baptizatas constiterit.

De Pœnitentia.

PArochi pro solatio Parochianorum Confessarios extraordinarios certis anni temporibus convocent, & his, ut major inde percipiatur fructus, licentiam damus a casibus Nobis reservatis, excepta Clericorum suspensione, absolvendi.

Cum nemo sciat, utrum sit odio, an amore dignus, non possumus satis adhortari fideles, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ sæpius accedant, quæ secunda est post naufragium tabula; sciant tamen se ex præcepto Eccl. obligari, sub peccato mortali ad Sacramentaliter deponenda, saltem semel in anno, peccata sua Sacerdoti: cui præcepto, ut facilius satisfaciant fideles, omnibus Religiosis cujuscumque Ordinis a Nobis alias approbatis jurisdictioni nostræ subditis audiendi & absolvendi tempore Paschatis licentiam concedimus, hortamur tamen fideles, ut Parocho suo tanquam proprio Sacerdoti, qui de ipsorum anima Deo spondere debet, juxta Concil. Lateran. mentem confiteantur.

Puerperis tempestive necessario pœnitentiæ remedio succurratur.

In solo Templo, nunquam in sacristia, confessiones Laicorum, multominus mulierum, nisi necessitas postulet, audiantur.

Ad absolvendas Moniales necessaria est specialis licentia.

De Matrimonio.

NUllus Sacerdos eos, qui castris addicti sunt, tum milites, tum eos, quos Officiales vocant, sub pœna suspensionis Nobis reservatæ, Matrimonio jungere præsumat, quacumque etiam ab illis allegata causa: idem circa vagabundos observandum.

Nullus Sacerdos tum sæcularis, tum Regularis, personas suæ jurisdictioni non subditas sine nostra licentia & quidem scripto tradita, Matrimonio copulare audeat, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatæ, illaque Matrimonia juxta Sacrosanctæ Synodi Trid. Decretum invalida declaramus.

Nullum Matrimonium celebretur, nisi præviis juxta Trid. Synodi Decretum, tribus proclamationibus, quæ tribus distinctis diebus Dominicis & Festivis, & intra Missarum solemnia fieri debent, nec amplius bis eodem die proclametur Matrimonium, & circa prædictum Decretum, nunquam a se, sed a solo Ordinario dispensari posse, sciant Parochi.

Neminem ad secundas nuptias transire sinant Parochi, nisi testimoniis authenticis aut duobus probatæ fidei testibus oculatis de morte prioris conjugis

jugis constiterit. In Parochia utriusque partis Matrimonium proclametur, aut obtineatur dispensatio.

Nihil exigant Domini rurales aut Satrapæ pro concedenda sibi subditis Matrimonii ineundi licentia.

Inter illos non proclametur Matrimonium, inter quos iniri non potest, nisi prævia dispensatione, etiam si sit spes certa illius obtinendæ, sed expectetur obtenta.

Si quæ Matrimonio proclamato injecta fuerit oppositio, ulterius non procedatur ante auditam nostram sententiam aut acceptum mandatum.

De Ritibus & Cultu Divino.

IN Rubricis, universalis Eccles. servetur consuetudo, v. g. Aqua & vino mixtis abluantur digiti Sacerdotis sub fine Missæ &c. nec quicquam Ritui sacro, Officio Divino, & præcipue Canoni etiam ex pietate addatur, aut minuatur.

Magna cum modestia & reverentia semper ad Templum incedere debent, ut per incessus gravitatem, morum honestatem ostendant, præsertim, cum funus extollitur, vel infantes baptizandi, vel sponsi, conjungendi ducuntur, quapropter mittantur illi lusus, clamores & tibicines, & alia omnia, quæ histrionum mimorum choreas magis decent, quam Christianorum cœtum.

Semper servetur aqua lustralis in Templo, nunquam vero sal benedictum.

Processiones Parochus ducat & reducat, absque illo, nullæ fiant in Parochiis.

Qui spretis Parochi monitis Ecclesiam frequentare negligunt, brachio sæculari coerceantur: similiter & ii, qui ad Sacram Cœnam tempore Paschatis non accedunt.

De Collegiatis Ecclesiis & Horis Canonicis.

EA, qua decet modestia, Officium Divinum celebretur & modeste, lente, graviterque decantetur, sed imprimis in Altari meminerit Sacerdos ea mentis intentione, cordis puritate, nec non vocis & corporis gravitate Sacrum legat, qualem decet eum, qui colloquitur cum Deo, cum eoque Divina tractat & componit.

Ex fructibus Præbendarum, quibus soli residentes gaudebunt, tertia pars singulis horis in choro Canonicis & Vicariis manualiter distribuatur, ita ut absentibus nihil detur, & absentium portio in usum & bonum fabricæ applicanda sit, juxta Trident. Synodi Decretum.

Ut autem nemini damnum fiat aut injuria, punctator eligatur, isque Presbyter, qui singulis horis intersit, & absentes notet in tabula.

In Collegiatis Eccl. quæ bellorum & hæreseum injuria depauperatæ ita fuerunt, ut omnes Canonici ad residentiam nequeant admitti, illi,qui non resident, nullis fructibus, nec etiam corpore rurali fruentur.

Ab illa regula soli excipiantur, qui studiis operam dant, & quibus juxta Trid. Synodi Statutum pro Ecclesiæ viribus subveniri debet.

Pecunia publicis usibus, & commodis Eccl. applicanda in arca communi servabitur, duabus seris claudenda, quarum alteram habebit Decanus, alteram senior Canonicus.

Ex illa pecunia nihil nisi prævio Capitulari Decreto impendetur, & si quid erit reficiendum post publicationem factam, illud minus petenti committatur.

Cum sit Congregatio Capituli, quidquid statuitur, in protocollis inscribatur, ita in omnibus actibus capitularibus observandum, quæ alias nullam vim habitura sunt.

Canonici non residentes, etiamsi in alia Diœcesii beneficia residentiam requirentia habeant, Synodo quotannis habendæ aderunt.

De Capitulis ruralibus & Parochiis.

I. CApitulis ruralibus non liceat simul convenire, nisi expressa Ordi-

Ordinarii facultate, qui Commiſſarium illic præſidendi cauſa delegabit.

II. Camerarii afferant absque mora rationum libros, in quibus videamus, tum ea, quæ ab ipſis recepta eſt pecunia; tum in quibus capitulares reditus inſumantur.

III. Singulis annis ſuos Confratres conveniat Archi-Presbyter, nos moniturus, quid in ſingulorum Parochiis ſit emendandum. Parochus tectum & menſam Archi-Presbytero non denegabit.

IV. Cum quis ad Parochiam admiſſus eſt ab Ordinario, ſtatim adeat Archi-Presbyterum, cui notus eſſe debet.

V. Parochi nobis inſciis Parochias ſuas non deſerant; ſi autem propter urgentia negotia alibi deſiderentur, a Nobis licentiam expoſtulent, ſibi juſta cauſa concedendam. Si autem per unum aut alium diem alibi divertere teneantur, Archi-Presbyterum ſaltem moneant, aut vicinum Parochum, qui gregi provideat, abſente Paſtore.

VI. Cum quis ad Parochiam admiſſus eſt, ſtatim curet, ut quidquid in domo Parochiali erit reficiendum a Collatoribus, aut Decimatoribus ſecundum conſuetudinem loci reficiatur, nec non & de ſtatu locorum coram Decano & duobus teſtibus acta juridice exſcribat; ut eo cedente vel decedente, quæ ipſius culpa perierunt, ipſius ſumptibus reſtaurentur, & ſic commoditati Parochorum, & Patronorum bono conſulatur. Idem circa ædes capitulares in Collegiatis Eccleſiis obſervetur.

VII. A pauperibus pro ſepultura nihil exigatur.

De Concionibus.

NUllus ſæcularis ſive Regularis Sacerdos in locis etiam exemptis, etiam ſui Ordinis publice concionari, ſine accepta Epiſcopi benedictione, præſumat; Quapropter qui ſunt a Superioribus ſuis ad officium illud, vel jam deputati, vel impoſterum deputandi veniant, ut Nobis notum fiat, quibus ſint eloquia Dei in hac Diœceſi concredita.

In concionibus vitandæ quæſtiones illæ variæ inutiles & curioſæ, quæ generant lites, nec ullo modo ædificationi fidelium prodeſſe poſſunt: in explicandis Myſteriis puro Dei verbo, cogitationes humanæ non admiſceantur; ſacræ literæ ſemper ſecundum ſanctæ Matris Eccleſiæ ſenſum & ſanctorum Patrum interpretationem explicentur, nec unquam vanis allegoriis ad ſenſum alienum detorqueantur, Poeticas elocutiones, apocryphas hiſtorias, ſcurriles narrationes, & præſertim fabulas, quæ theatro magis quam Cathedræ veritatis conveniunt, devitent Concionatores: inſectentur vitia, parcant perſonis, neminem reprehendant, aut deſignent, hæretica dogmata firmiter oppugnent, hæreticos cum charitate commendent, nunquam conviciis afficiant eos, quos Divina providentia, ut ſperamus, votis totius Eccleſiæ Matris reddet: uno verbo nihil ſit concionibus fictum, ludicrum, futile, aut quod riſum movere poſſit, nihil niſi ſerium, niſi verum, niſi ſanctum, niſi quod fideles in vera fide & ſincera charitate poſſit obfirmare.

De Miſcellaneis.

LAniones diebus Dominicis & Feſtivis carnes non vendant, niſi cum calidior aura poſtulat.

Fora & nundinæ non habeantur in cœmeterio.

Diebus Dominicis & Feſtivis nundinæ & fora non habeantur, nec ulli liceat ſine noſtra licentia, in ſumma neceſſitate ſolum concedenda, operibus ſervilibus vacare.

Mendici a Templis arceantur.

Obſtetrices eligantur a communitate non niſi Catholicæ, & probatæ vitæ, prius juramento approbentur a Parocho, & ab ipſo cæremonias baptiſmales edoceantur.

Tempore Officii Divini ſacri, ſcilicet concionis, & Catechiſmi claudantur cauponæ & hoſpitia, nec ullus, niſi peregrinus ad illas admittatur: idem de ſaltationibus & choreis obſervandum.

Hora nona ſerotina, hyemali tempore, & decima æſtivali tempore, clau-

dantur cauponæ, & cessent choreæ & saltationes, pœnaque gravi contra his Mandatis inobedientes animadvertatur, adhibito, si necesse sit, brachio sæculari.

Nullus, sive intra, sive extra cœmeterium, inconsulto Parocho, sepeliatur infans, etiamsi ante Baptismum susceptum decesserit.

Cl. Lünig Contin. II. Spicileg. Eccl. P. II. a pag. 1007.

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Chr. MDCLXXXIX. Innocentii XI. PP. XIII. Leopoldi I. Imp. XXXI.

EX MANDATO

Revmi & Illmi Domini FRIDERICI CHRISTIANI, Monasteriensis Episcopi,

HABITA

DIE 7. MARTII.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

PRæprimis volumus, ut Officium Divinum majore cum reverentia & devotione, quam hucusque factum, in quibusdam Ecclesiis curæ nostræ commissis peragatur: grave admodum est, quod Scriptura dicit: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*; summa est non paucorum Clericorum in persolvendis laudibus Divinis negligentia, qui juxta Propheticum illud: *Labiis tantum Deum honorant, cor autem eorum longe est ab eo*, hi sunt isti, de quibus recte pronuntiatur a Blesensi: " Dum " psallunt, faciunt castella in animo, & " imaginantur vanitates & insanias fal- " sas, labia sunt in canticis, animus in " patenis." Volumus autem, ut laudes Divinæ juxta Concilium Basileense non cursim ac festinanter, sed tractim & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum, debitam tamen faciendo inter solenne ac feriale Officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvatur, cujus rigidam observantiam omnibus & singulis Clericis nostris per præsens Decretum inculcamus, adversus contraventores monitione prævia per pœnarum canonicarum declarationes procedant, ad quos hoc ipsum de jure vel consuetudine spectat, alioquin Nos ad illorum correctionem procedemus, & procedi faciemus, prout de jure fuerit procedendum. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus in Civitate nostra Monasteriensi 7ma Martii 1689.

Fridericus Christianus.

(L.S.)

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCXCI. Innocentii XII. PP. I. Leopoldi I. Imp. XXXII.

EX MANDATO

Revmi & Illmi Domini FRIDERICI CHRISTIANI, Monasteriensis Episcopi,

HABITA

DIE 15. OCTOBRIS.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

INter cætera volumus, ut Decretum Prædecessoris nostri FERDINANDI Episcopi fel. rec. contra abusum in compulsandis per hanc urbem nostram campanis promulgatum ad vigorem & observantiam debitam redigatur. In quem finem demandamus omnibus & singulis hujus urbis Campanatoribus, aut iis, ad quos spectare dignoscitur, ut sequentem in campanarum compulsatione ordinem accurate observent, & observari faciant: videlicet in vigiliis Festorum quorumcunque non protrahetur ista campanarum compulsatio ultra horam nonam vespertinam, similiter mane ipsis diebus festivis ante Officium matutinum non ultra horæ unius spatium, neque per diem ultra finem Officii Divini continuabitur, idque sub pœna decem florenorum aureorum huic Decreto contravenientibus infligenda. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus in Civitate nostra Monasteriensi 15. Octobris 1691.

Fridericus Christianus.

(L.S.)

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCXCIII. Innocentii XII. PP. III. Leopoldi I. Imp. XXXIV.

EX MANDATO

Revmi & Illmi Domini FRIDERICI CHRISTIANI, Monasteriensis Episcopi,

HABITA

DIE 2. MARTII.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

CUm nonnulli Pastores in assumptione Sacellanorum contractus cum ipsis maxime onerosos, & curæ animarum non parum perniciosos inire soleant,

ſoleant, ſic ſtatuimus, ut nulli poſthac a Paſtoribus noſtris Sacellani, niſi de noſtro, aut Archi-Diaconorum noſtrorum præſcitu aſſumantur, neque ſic aſſumpti, niſi cum cauſa a Nobis, aut Archi-Diaconis noſtris cognita & approbata ab ipſis dimittantur. Monemus quoque & in Domino hortamur Paſtores noſtros, ne ſine approbatione ad curam animarum in ſcripto obtenta & producta Sacerdotes ſæculares in Sacellanos, vel Regulares in auxilium ullo tempore aſſumere præſumant. In quorum fidem præſentes manu & ſigillo noſtris corroboratas dedimus in Civitate noſtra Monaſterienſi anno 1693. 2. Martii.

Fridericus Chriſtianus.

SYNODUS DIOECESANA BRUGENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCXCIII.

PER

ILLUSTRISSIMUM ac REVERENDISSIMUM DOMINUM,

D. GUILIELMUM BASSERY, (*)

ejusdem Diœceſis XIII. Epiſcopum, perpetuum ac hæreditarium Flandriæ Cancellarium,

CELEBRATA

DIE 16. JUNII.

GUILIELMUS BASSERY, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis gratia Epiſcopus Brugenſis, perpetuus ac hæreditarius Flandriæ Cancellarius &c. Univerſo Clero Civitatis & Diœceſis ſibi commiſſo & credito, Salutem in Domino.

MAgnam curam ac ſollicitudinem adhibuerunt Prædeceſſores noſtri, ut gregem ſuum, in quo poſiti erant Epiſcopi, tum verbo, tum exemplo, atque maxime ſaluberrimis legibus paſcerent; enixa in earumdem obſervantiam vigilantia toti incumberent, omnia quoque ad revocandam, ſtabiliendamque inconcuſſe diſciplinam, curarent. Nos pro viribus conantes tantorum Virorum veſtigia premere, ex quo tempore ad hujus Diœceſis regimen promoti ſumus (licet meritis impares) nihil avidius exoptavimus, quam ut feliciter utiliterque ſaluti animarum Nobis commiſſarum allaboraremus.

Et vero per ſedulas Parœciarum Viſitationes, aliasque notitias, perſpicue Nobis innotuit, quid in quaque Parochia deſideraretur: quæ proinde accurata cognitio induxit animum noſtrum, ut adhibito Conſilio peritiſſimorum Virorum nonnulla Statuta conderemus, & antiqua a Prædeceſſoribus noſtris ſanctiſſime conſtituta, renovaremus, quæ ad executionem ſanctorum Conciliorum, maxime vero Tridentini, ſpectarent.

Sed ut nihil, quod ad Eccleſiæ bonum, & ſanctam Cleri, plebisque inſtitutionem pertinere poteſt, Nos præteriret, Regiſtra Decretorum Epiſcopalium omnia evolvimus, ac in epitomen redegimus: ex quibus exoleta quædam ſepoſuimus, quæque hiſce temporibus nimis ardua videri poſſent, immutavimus, & minus clare poſita explicuimus: varia etiam Decreta addidimus (quæ videbantur apponenda) ac in ordinem digeſſimus, ut vobis faciliorem, ac commodiorem omnium (utpote antea in diverſis regiſtris diſperſorum) uſum redderemus, omnesque ſic paratas conjunctasque haberent leges, quas tum in animarum ſibi commiſſarum regimine, tum in formanda vita ſua ſequerentur.

Exploratum autem vos habere cupimus, Nos non dominandi nec poteſtatis exercendæ cupi-

(*) Vide ſub finem Synodi.

cupidine agi: Non quia dominamur fidei veſtræ, *ut ait Apoſtolus Paulus* 2. *ad Cor.* 1. ſed quia adjutores ſumus gaudii veſtri, *vos per hæc Statuta juvare contendimus, ut digne munere veſtro reſpective fungamini & per vias rectas in ſemitis mandatorum Domini etiam exemplariter ambuletis.*

Zelus iſte veſter (vos præcipue nunc alloquimur, qui in Diœceſi noſtra curam animarum geritis) zelus, inquam, iſte veſter animarum, quarum vobis cura Nobiscum communis eſt, abunde pollicetur Nobis, fore, ut non mercenariorum more, nauſeabundi haſce Ordinationes noſtras recipiatis, ſed potius lætabundi vos iis ſubmittatis, & a ſubditis veſtris reſpective ſervari curetis, ut veros animarum Paſtores decet; quippe quod vobis multiplicis luminis, fulcimenti & levaminis loco in muniis veſtris ſint futuræ.

Statuta hæc communia & generalia ſunt pro tota Diœceſi, quo etiam in multis Parochiis, una & eadem ordinatione, defectus communes corrigantur, vel forſitan alias committendi præveniantur.

Circa ea vero, quæ diverſimode & peculiariter in ſingulis Parochiis deſiderantur ſtatuenda, aut emendanda veniunt, per particulares noſtras Ordinationes ad ſingulas Parochias per Nos miſſas & mittendas, proviſum eſt & providebitur.

Faxit Deus! ut vos omnes induamini, Fratres colendiſſimi univerſum Clerum conſtituentes, virtute ex alto, in promptam & obedientialem executionem harum Conſtitutionum. Utinam zelo plane novo, & viribus ſtatu Clericali dignis, Nobiscum indefeſſe allaboretis inſtaurationi diſciplinæ Eccleſiaſticæ & reſpective ſanctæ animarum inſtitutioni! utinam, per JESU CHRISTI Domini noſtri merita, vos conformantes ad haſce Canonicas leges, efficiamini vos ipſi forma cæteri gregis! & utinam tandem, enixæ preces noſtræ & Sacrificia, vobis a JESU CHRISTO Paſtore bono, copioſam benedictionem & gratiam impetrare valeant, quo ſobrie, juſte & pie viventes in hoc ſæculo, digne Deo ambulantes in ſua quisque vocatione, ſecuri expectetis beatam ſpem & adventum gloriæ magni DEI.

JOANNES ROBERTUS CAIMO, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Brugenſis, perpetuus ac hæreditarius Flandriæ Cancellarius &c. Omnibus & ſingulis animarum Curatoribus, aliisque Presbyteris & Clericis tam Sæcularibus, quam Regularibus Diœceſis noſtræ Salutem in Domino.

SAnctam DEI Eccleſiam in terris militantem, electis & reprobis permixtam, Chriſtus Dominus Sanguine ſuo acquiſivit; Hierarchiam Eccleſiaſticam ex Epiſcopis, Presbyteris, & minoris ordinis Miniſtris compoſitam, Divina ordinatione inſtituit, & in opus Miniſterii, ad quod Nobiscum & ſub moderamine noſtro aſſumpti eſtis, tamquam caſtrorum aciem ordinavit; ut poſtmodum Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, exhiberet ſibi in Cælis triumphantem & in æternum glorioſam.

Videte igitur Fratres Chariſſimi, quale miniſterium Nobis tradatur, quam ſancta ſint quæ in eo tractantur, quam pretioſa diſpenſentur, & quantam quisque noſtrum rationem redditurus ſit pro animabus ſibi commiſſis, pretioſo Chriſti Sanguine redemptis. Quapropter cum Apoſtolo obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in Charitate, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Sit doctrina veſtra, ſpiritualis medicina populo Dei, & ſatagite, ut Evangelium quod ore nuntiatis, vivis quoque operibus exponatis, & tamquam lucernæ ſupra candelabrum poſitæ, luceatis omnibus, qui in domo Dei ſunt, ut imitationem ſanctam plebs acquirat.

Laus Deo Altiſſimo! non enim in Clero curæ noſtræ commiſſo, ea modo reperitur morum perverſitas, qualem olim Prædeceſſores noſtri in amaritudine animæ ſuæ conſpexerunt: attamen, quamquam hodiedum non niſi pauci, Nobis ſaltem ſcientibus, tales reperiantur, quorum converſatio inimicos Domini ad blaſphemiam provocat, plurium tamen agendi ratio & otioſa vita, in ſtatus Eccleſiaſtici vilipendium vergit; & aliorum frequens a Parochia abſentia (ſequentium malorum origo) in concionando & catechiſando negligentia, in audiendis confeſſionibus & viſitandis ægrotis acedia, ultionem Dei provocat, & veros Paſtores ſcandalizat. Væ illis, per quos ſcandalum venit! maxime ſi ſubditis, in ex

tremo mortis periculo panem petentibus, non præsto adsit, qui eis frangat. Quam infaustus, ex tam perniciosa se absentandi frequentia, ulterior timendus sit eventus, nemo non videt. Verum dum vigilantium numerum, pietate, zelo, & prudentia eminentium perpendimus, in Domino confidimus fore, ut eorum exemplo, eradicato malorum germine, priusquam altiores radices agat, qui usque modo fuerunt tepidi, assidui, ac vigilantes dispensatores fiant Mysteriorum Dei.

Sed quid, si nec bonorum exemplis moveantur, neque ad monitiones nostras resipiscant? nonne dissimulabimus, donec Dominus suscitet adversum Nos universa mala, quæ locutus est contra domum Heli, eo quod filios suos, quos noverat indigne agere, monuerat quidem, sed non corripuerat? nequaquam: nam Dominum magis quam homines honorabimus, nullisque prætermissis remediis, contumaces ad ea, quæ muneris sui sunt, compellemus.

Agite interim Fratres colendissimi, fideles ac providi Cooperatores Ordinis nostri, Confratres vestros confortate, somnolentos excitate, debiles roborate, socordes animate, lapsos erigite.

Decreta primæ Synodi Brugensis, una cum Prædecessorum nostrorum Statutis, quorum pauca exemplaria reperiebantur, typis mandari curavimus, ut nemo imposterum eorum ignorantiam prætexere valeat; & sub eorum respective Titulis nova quædam, postmodum tum a Prædecessoribus nostris, tum a Nobis emanata, adjecimus,(*) quorum omnium studiosam observationem cunctis strictissime injungimus.

Hortamur Christianitatis Decanos, ut memores oneris sibi impositi, non solum Statutorum particularium hujus Diœcesis, verum etiam utriusque Synodi Provincialis Mechliniensis observantiæ exacte invigilent; Pastores, & alios sibi subditos, quos defectuosos noverint, moneant, si opus sit, corripiant, & contentiosos ad Nos deferant; ne dum in adjutorio eis demandato & credito, eorumque vigilantia quiescimus, Pater familias, speculatores, quos in turri vineæ suæ assiduos & vigilantes esse voluit, absentes inveniat aut dormientes.

Qui potestati Decanorum resistit, Dei ordinationi resistit. Nemo igitur se seduci permittat inanibus susurronum verbis; & nolite, *ut monet Jac. Apost.* plures Magistri fieri, scientes, quod majus judicium sumitis. *Sit in omnibus cor unum & anima una; quod unus ædificat, alter non destruat, ut veniente Sponso, hora qua forte non putaverimus, ornatis lampadibus oleo charitatis Dei & proximi, introeamus cum eo ad nuptias in æternum duraturas.*

STATUTA SYNODALIA DIOECESIS BRUGENSIS.

TITULUS PRIMUS.

De Doctrina Christiana seu de Verbo Dei.

§. I.

Quandoquidem juxta Apostolum, animarum Rectores debeant prædicare verbum, instare opportune, importune, arguere &c. & nullo tempore opportunius concionari possint, quam illo, quo Parochiani ad Sacrum & Officium conveniunt, ac rebus Divinis speciatim vacare debent; Mandamus Parochis, ut singulis diebus Dominicis & Festivis per se, vel per alios si aliquando legitime impediti fuerint, (absit, ut per negligentiam per se illud principale suum officium tum omittant) plebem sibi commissam, mane per concionem vel Catechismum pro ejus capacitate pascant, docendo, quod sciri omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando etiam vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari debent.

§. II.

Singulis diebus Dominicis & Festis fiant in Ecclesiis Parochialibus ruri, Vesperæ post prandium hora secunda, nisi alia hora per Nos pro commoditate

(*) Nova Statuta Revmi CAIMO hic adjecta disces ex hoc signo: (†)

ditate aliquorum locorum determinetur. Poſt dictas Veſperas vel ante, fiat Catechiſmus per bonam mediam horam vel tres quadrantes, & deinde Laudes cum expoſitione & benedictione Venerabilis Sacramenti; ut ſic, qui mane non potuerint ad Catechiſmum vel Concionem venire, poſt prandium ſaltem inſtruantur; & præterea populus per inſtaurationem cultus Dei in Templo, poſt prandium a rebus vanis, otio & compotationibus ad ſalutaria ſuæ ſalutis æternæ negotia revocetur.

§. III.

(†) Ordinamus omnibus & ſingulis animarum Curatoribus, ut per totam anni decurſum ſingulis diebus Dominicis (paucis tempore meſſis exceptis) ſub Sacro, & ubi duo celebrantur ſub utroque, Concionem aut majorem Catechiſmum habendo, gregem ſibi commiſſum verbi Divini pabulo paſcant; atque parvulos, hora poſt prandium ſtatuta, in primis Fidei rudimentis erudiant.

§. IV.

Hortamur præterea in Domino Paſtores omnes & obſecramus, ut ſingularem curam gerant illorum, qui cuſtodiunt animalia, vel alias non ita ſæpe frequentare ſinuntur Eccleſias; illos ſtudeant, maxime privatim inſtruere, domi ipſorum, in campis, aut ubicumque opportunum fuerit, ad quod expediet, ut Parochiam ſuam aliquando circumeant, imitantes Apoſtolum, qui dicebat: *Vos ſcitis..... Quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice & per domos.*

§. V.

Et quia ſunt pagi, qui vicos vel appendices habent, in quibus ſita ſunt Sacella quædam, ubi diebus Dominicis & Feſtivis celebratur in commodum illorum, qui longius diſtant ab Eccleſia Parochiali; volumus, ut in his Sacellis ſæpe concio vel Catechiſmus habeatur, vel non amplius permittere poſſumus, ut in illis ſeparatis Sacellis celebretur illis diebus.

§. VI.

Ut autem unus & idem modus in docendo & diſcendo doctrinam Chriſtianam ubique teneatur, Mandamus, ut in omnibus Parochiis explicetur Catechiſmus Mechlinienſis, & præterea adultis Catechiſmus Concilii Tridentini ad Parochos.

§. VII.

(†) Pro inſtructione parvulorum, nullus utatur Catechiſmo niſi Mechlinienſi a Secretario noſtro ſubſignato; neque alio libello pro inſtituentibus primam Communionem, quam a Nobis in hunc finem edito, & hujusmodi typi, qui per Secretarium noſtrum ſit declaraturus conformis primæ editioni; pro adultis vero tam in concionibus, quam in majoribus Catechiſmis, explicent doctrinam Catechiſmi Concilii Tridentini, nec ab ea recedant.

§. VIII.

Singulariter tam in concionibus, quam in Catechiſmo, maxime parvulis inculcetur horror circa juramenta, blaſphemias, execrationes, imprecationes, nominationes membrorum Chriſti vel Dei, mendacia & quasvis ſcurrilitates, quæ ſi in tenera ætate aſſumantur, totam deinde vitam contaminant cum magno opprobrio profeſſionis & nominis Chriſtiani.

§. IX.

Moneantur ſerio & ſæpius Patresfamilias eos teneri ſub gravi peccato liberos ſuos aliosque domeſticos, ad Divinum Officium, Concionem & Catechiſmum mittere, aliosque ad cuſtodiam vaccarum & animalium procurare, ut bubulci ad Eccleſiam veniant, & ſi neceſſe ſit, etiam per Officialem noſtrum, aut per Magiſtratus ad hoc compellantur dicti Patresfamilias.

§. X.

Non dentur eleemoſynæ ex menſa pauperum non frequentantibus verbum Dei mane & a meridie, ac quorum liberi ignorantes ſunt; & ad Sponſalia & ad Matrimonium non admittantur, qui neſciunt neceſſaria ad ſalutem, etiam neceſſitate præcepti pro ſua conditione donec didicerint.

§. XI.

§. XI.

Perniciofam illam confuetudinem, qua folent quibusdam locis juvenes cum puellis, maxime diebus Dominicis & Feftivis, in, vel prope tabernam inverecunde potitare, choreas ducere, cum magno caftitatis periculo, vel potius detrimento, quod & ipfa experientia docet, omnino tolli cupimus: adeoque ejusmodi conventicula prohibeant Paftores, ficut etiam Nos in Vifitatione noftra publice pro concione fecimus: parentes & Patresfamilias fui officii admoneant, qui in filiis, filiabus, aut domefticis tantum honoris periculum diffimulant: delinquentes, tam caupones, quam parentes, Patresfamilias, fidicines, nec non juvenes ad Officialem noftrum deferant, implorato etiam (fi opus eft) adjutorio Magiftratus.

§. XII.

Confeffarii præterea tam fæculares, quam Regulares, ubi hujus delicti commiffi periculum animadverterint, reis, fe emendare & abftinere nolentibus, abfolutionis beneficium non impendant, fub pœna fufpenfionis ab officio Confeffarii, etiam ipfo facto incurrenda.

§. XIII.

Ad prædicationem verbi Dei non admittantur per Parochos Terminarii, aut alii Concionatores, nifi de admiffione fidem fecerint per legitimas literas, & quod de Concionatoribus hic dicimus, de Confeffariis fimiliter non admittendis fine fide facta fuæ admiffionis, dictum quoque efto. Concionatores non moveant difficiles, atque inanes quæftiones, unde fui ipfius potius, quam JESU CHRISTI Prædicatores videantur; vitia reprehendant, fed ita, ut peccatorum, non hominum odio id eos facere omnes intelligant; nec etiam in alios Prædicatores invehantur; fed fi contingat aliquos Prædicatores exceffiffe, fcandala aut errores prædicaffe, eos ad Nos deferant. Superiores & civiles Magiftratus non culpent aut taxent: fed potius populum admoneant, doceantque Præpofitis obedire: nec etiam Ordinem ullum, ftatum, aut vitæ genus ab Ecclefia receptum imprudenter impetant.

§. XIV.

Mandamus denique omnibus verbi Dei Præconibus, ut juxta Concilium Tridentinum *Seff.* 25. *Cap.* 12. fæpe doceant populum, decimas ex juftitia deberi, excommunicandos effe & teneri ad reftitutionem eas defraudantes, nec abfolvi poffe, qui eas reftituere noluerint, authoritatibus ad hoc adductis veteris & novi Teftamenti, Ss. Patrum & Canonum fententiis ac exemplis; & oftendant eas neceffaria effe media, quibus Ecclefiafticum Corpus ad Divinum cultum & inftructionem populi fubfiftere debet. Et inftructiones fibi in approbatione datas fæpius legant, & diligenter obfervent.

§. XV.

Inhærendo anteriori noftro Decreto, mandamus omnibus Paftoribus, aliisque Concionatoribus, ut fæpe inculcent Parochianis Regulam quartam indicis librorum prohibitorum, qua vetatur eis lectio aut detentio Bibliorum in lingua vernacula, nifi de licentia Epifcoporum, aut ab eis Deputatorum.

§. XVI.

Ordinamus Dominis Paftoribus Ecclefiarum ruralium, ut fingulis diebus Dominicis & Feftivis, fub Concione aut Catechifmo recitent præmiffo figno Crucis, lingua vernacula, tractim & intelligibiliter (populo per partes repetente) Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, præcepta Decalogi & Ecclefiæ, nec non feptem Sacramenta; (†) ac infuper, actus Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis, juxta normam ad calcem Catechifmi Mechlinienfis impreffam.

§. XVII.

Dies Fefti & jejuniorum a Paftoribus diebus Dominicis inter concionem vel Miffarum folemnia ea feptimana occurrentia indicentur.

§. XVIII.

(†) Quotannis tempore Quadragefimæ publicetur juxta Paftorale Mechlinien-

liniense, lingua vernacula, Constitutio Concilii Lateranensis: *Omnis utriusque sexus*, de annua Communione Paschali.

§. XIX.

(†) Ut fideles magis excitentur ad observanda Statuta ipsos specialiter concernentia, identidem exponant Pastores Flandricè puncta, quæ ab eis negligi, vel violari animadvertunt, ac ad illorum sedulam observationem eos hortentur.

§. XX.

Curent vero omnibus modis, ut diebus Dominicis & Festivis nulla servilia opera fiant, nulla judicia exerceantur, nullum forum aut mercatus rerum venalium habeatur: præterea populo frequenter inculcari volumus, quam indecens sit dies cultui Divino dicatos, seu dies Domini, potationibus, ebrietatibus, choreis, aliisque ejusmodi rebus contaminare, eosque quasi diaboli dies facere. Quæ omnia cultui & honori Deo debito vehementer repugnant, ejusque in Nos iram provocant, ac proinde omni conatu præcipimus aboleri, & severiori solito remedio curabimus emendari.

TITULUS II.

De Officio & Cultu Divino.

§. I.

UT Ordo sacer & ministerium Sacerdotale cunctis permaneat honorabile, scandalaque præscindantur, quæ Presbyteri alienigeni, ignari, desidiosi, vel moribus dissoluti possent causare; prohibemus Pastoribus aliisque tam Sæcularibus, quam Regularibus, ad quos id spectare potest quovis modo, ne peregrinos aut ignotos Sacerdotes admittant ad celebrandum in suis respective Ecclesiis, nisi ostensis testimonialibus competentibus & legitimis, & commendatitiis literis sui Ordinarii. Et prohibemus ullos tales admitti in Civitate nostra Cathedrali, absque eo quod ejusmodi literæ a Nobis, aut a facultatem specialem scripto ad hoc habente visæ & recognitæ fuerint.

§. II.

Nec etiam sinant Sacristæ ad Altare accedere Sacerdotes indecenter vestitos, non tonsuratos, præcipites in legendis Sacris, aut cæremoniarum negligentes: & ut hæc accuratius observentur, volumus, ut extractum hujus articuli affigatur in singulis sacristiis.

§. III.

Patres Concilii Tridentini, justissimis de causis ægerrime tulerunt varietatem orandi & Officium Divinum celebrandi: quocirca, cùm inferiores Ecclesiæ & illius supposita tam cantando, quam legendo, se conformare debeant ritibus, cæremoniis & usui Ecclesiæ suæ matricis Cathedralis, neque aliter Decreto Concilii Lateranensis videantur satisfacere, nisi secundum ritum & usum Ecclesiæ matricis horas canonicas dixerint: Mandamus omnibus & singulis nostris subditis, qui ad lectionem, aut decantationem horarum Canonicarum ratione Beneficii aut sacri Ordinis obligantur, ut deinceps tam privatim legendo, quam in Ecclesiis cantando, observent (titularibus aut specialibus aliquibus exceptis) directorium Ecclesiæ nostræ Cathedralis, quod eum in finem deinceps quotannis imprimi curabimus. Incipiet autem hæc obligatio in Circumcisione Domini, anni proximi futuri.

§. IV.

(†) In celebratione Divinorum Officiorum Dominicis & aliis diebus, quibus est obligatio audiendi Missam, semper servetur eadem hora statuta aut statuenda. Quod commendamus, ut etiam fiat diebus feriatis pro commoditate populi: quamobrem prohibemus, ne Pastor, & Vice-Pastor eodem tempore Missam celebrent; nisi in illa Ecclesia habeatur sufficiens numerus Sacrorum pro commoditate Parochianorum.

§. V.

In Parochiis, in quibus tantum fit unica Missa diebus Dominicis & Festivis, moneantur omnes teneri, ubi fieri potest, adire vicinam Ecclesiam ad Missam & verbum Dei audiendum, qui

qui aliàs ea non eſſent audituri: proinde per ſingulos Decanos in ſuis reſpective diſtrictibus ita diſponatur Divinum Officium, ut vicinam Parochiam ad Miſſam & verbum Dei adire poſſint & tempeſtive redire, ut cæteri in Parochia propria Miſſam audire queant.

§. VI.

Inhibemus, ne quis (viatoribus exceptis) potandi cauſa in popinis maneat tempore Divini Officii diebus Dominicis & Feſtis, ſive ante, ſive poſt meridiem, ſub pœna unius floreni pro ſingulis perſonis & duorum florenorum ad opus cauponis, ad uſum pium applicandorum.

§. VII.

Paſtores, qui habent fundatas Miſſas hebdomadarias de Venerabili, de Beata MARIA &c. faciant eas ſtabiliter hora certa communitati, vel viciniis commoda; & ubi fundationes ita imminutæ ſunt, ut non ſufficiant, quando ſine obloquio omitti non poſſunt, monemus & hortamur Paſtores, ut illas continuent ſalva ipſis libertate intentionis, & Miſſam applicandi ad alium finem ad ratam imminutionis proventuum per reductionem noſtram faciendam.

§. VIII.

Inhibemus auditoribus computuum, ne ſtipendium ſimilium fundationum, aut aliarum quarumcumque radient, niſi re mature examinata & ad Nos delata pro ordinatione prout juris.

§. IX.

In Eccleſiis, ubi nullæ ſunt Indulgentiæ plenariæ præter Confraternitatum, procurentur aliæ pro aliquibus certis diebus ſolemnioribus, ſcilicet Venerabilis Sacramenti, Aſſumptionis B. M., Feſtis Omnium Sanctorum, commemoratione Fidelium Defunctorum, Patroni loci, aut aliis, quibus populus ad frequentationem Sacramentorum induci poterit.

§. X.

Nullæ Indulgentiæ publicentur niſi prævie Decano Chriſtianitatis exhibitæ fuerint, qui ſi eas a Nobis placeratas viderit, ſubſignabit, *Vt.* & cum denique publicentur.

§. XI.

(†) Publicentur quotannis infra Octavam Feſti Corporis CHRISTI Indulgentiæ comitantibus S. Euchariſtiam, dum defertur ad ægrotos, conceſſæ.

§. XII.

Ubi nullæ ſunt Confraternitates, aliqua inſtituatur, veluti ſub titulo Venerabilis Ss. Crucifixi, Virginis Doloroſæ, Angeli Cuſtodis, aut Titularis Sancti, quem elegerint, vel cujus Reliquias habuerint &c.

§. XIII.

Ubi nullæ ſunt Reliquiæ, aliquæ procurentur, ut habeant Eccleſiæ præter Patronum, Tutelares alios, & Indulgentias plenarias in eorum commemoratione.

§. XIV.

Reliquiæ, præſertim notabiles & venerationi expoſitæ, ſi propter pericula ad Civitatem deferantur, in locis ſacris conſerventur, vel ſaltem in ædibus Presbyterorum honeſto loco reponantur.

§. XV.

Indecens eſt Officium Defunctorum non fieri uniformiter per totam Diœceſim, quare ordinamus, ut:

Officium primæ claſſis ſive majus, fiat integre cum Veſperis, Invitatorio, tribus Nocturnis &c. prout habetur in Paſtorali Provinciæ Mechlinienſis.

Officium ſecundæ claſſis ſive medium, fiet cum Veſperis, uno Nocturno, tribus Lectionibus, Laudibus, Commendationibus integris, Abſolutionibus etiam integris, prout in dicto Paſtorali.

Tertiæ claſſis, ſive infimum Officium, fiet ſine Veſperis & Invitatorio, cum uno Nocturno, Laudibus & cum una Commendatione ante Miſſam, ut ſequitur:

1. Cantabitur: *Subvenite* &c., *Kyrie* &c., *Tibi Domine commendamus*; deinde Antiphona: *Suſcipiat eas*; Pſalmus: *Miſe-*

Miserere, tono 7. repetitur Antiphona: *Suscipiat*; *Pater noster*; *Oremus pro Fidelibus* &c. Usque ad finem... Missa... post quam fiet una Absolutio, incipiendo: *Non intres*; *Libera me Domine* &c.

Cum Missa cantata, incipietur a Missa; post Missam cantabitur: *Libera* &c.

Ponatur in Sacristia tabula Fundationum, & Anniversariorum, & Dominica præcedenti publicetur populo, quo die celebranda sint.

Jura funeralia laudabili consuetudine probata, aut a nostris Prædecessoribus stabilita, pro statu & mutatione temporum non augeantur propria authoritate.

§. XVI.

(†) Inhibemus, ne in ulla Ecclesia, aut Sacello Sæcularium, vel Regularium fiant Exequiæ diebus Dominicis aut Festis in populo, nisi præsente corpore, juxta Rubricas Missalis Romani & Decreta S. Congregationis Rituum, neque unquam celebrentur aliis, quam paramentis nigris.

§. XVII.

Denique quia in domo Dei, quam decet sanctitudo, & in Templis Deo dicatis, ubi tantummodo Dei laudes personare deberent, ea tamen protervia & irreverentia peccatur a multis per confabulationes, gesticulationes (proh dolor!) etiam risus & cachinnos, ita ut toto habitu corporis nihil sæpe minus ostendant, quam credant honorem isti loco deberi: Nos ejusmodi abusibus occurrere volentes; omnes Superiores, Pastores, Confessarios & Concionatores monemus in Domino, ut subditis suis, vel auditoribus, vel pœnitentibus, reverentiam pro Templis inculcent, & in eos, qui irreverentiam in iis commiserint, districte animadverti volumus per Officialem nostrum; Clerus quoque in sacristiis profana colloquia non habeat: qui secus faxit, graviter puniatur.

TITULUS III.

De Administratione Sacramentorum, aliisque functionibus.

§. I.

In administratione Sacramentorum Rubricæ Pastoralis accurate serventur, nec quidquam omittatur cæremoniale, nisi necessitate urgente, & tum, collato Sacramento, quod omissum est suppleatur.

§. II.

Forma Sacramentorum, ac verba Rituum, clare, tractim, ac graviter pronuncientur, ut Ministrans & præsentes inde Divinæ Unctionis succum percipere possint; & licet verba non intelligant, majestate & decore cæremoniarum ac precum, ad actus Fidei & venerationem Mysteriorum moveantur.

§. III.

Nemo in Baptismo aut aliis Sacramentis conferendis, nec in cæremoniis alio idiomate uti præsumat, quam juxta præscriptum Pastoralis; quia in Sacramentis & Officiis Ecclesiasticis, linguam Ecclesiæ servari, ejus indubitata mens est: alias dum ipsa non administrantur Sacramenta, singulorum utilitas, necessitas & efficacia, sedulo & dilucide vulgari sermone merito explicentur.

§. IV.

(†) Interrogationes Baptizandorum: *Abrenuntias satanæ? Credis in Deum?* &c. idiomate fiant, quod Susceptores intelligunt; ut monet Pastorale Mechliniense.

§. V.

Inhibemus severe, ne Sacramentum Baptismi, nisi in extrema necessitate domi, vel sine cæremoniis conferatur. Prohibemus similiter, ne post hæc susceptores, susceptrix, vel parens, aliive cum infante recenter baptisato ad tabernas potorias potandi causa accedant, vel in eas ingressi cum infante alio etiam prætextu, v. g. eum calefaciendi, ibidem potitent, sub pœna trium florenorum applicandorum Ecclesiæ Parochiali, per violatores singulos solvendorum.

§. VI.

(†) Observavimus in decursu visitationum nostræ Diœcesis, obstetrices in pluribus Parochiis absque necessitate baptizare; quem abusum desideramus sustolli; sed prudenter in eo agendum est, ne hæ aut vices earum gerentes ab obligatione baptizandi in casu necessitatis avertantur.

§. VII.

Quilibet Pastor sedulo advigilet circa obstetricem suæ Parochiæ, an materiam & formam Baptismi probe norit, ac ignorantem debite instruat; & quia mulieres passim se invicem juvant in puerperiis, etiam absente obstetrice, doceantur sæpius, etiam exemplari exhibitione, mulieres formam Baptismi.

§. VIII.

(†) Ut superior Paragraphus rite observetur, & præscriptæ instructiones uniformiter fiant; Curavimus Regulamentum ab Illm. Dno BASSERY an. 1697. editum, denuo prelo dari & his annecti.

§. IX.

Pastores, qui Capellanos habent, vel alios, qui Missam celebrant matutinam, tempore ejusdem Missæ, ut & vicissim Capellani tempore summæ, sedebunt in confessionali toto tempore, & media hora ante ad minimum, ut sint parati peccata sua confiteri volentibus, & ita opportunitatem præbeant, qua ad Pœnitentiam subditi redeant, & frequentandæ Sacræ Eucharistiæ assuescant: ex multorum enim querelis didicimus, quod hæc Sanctissima Sacramenta rarius in Parochiis frequententur, eo quod Confessarios paratos non inveniant, & ab iis vocandis, timore vel verecundia retineantur.

§. X.

(†) Mandamus, ut Pastores & Vice-Pastores in Parochiis, ubi per observationem Paragraphi suprapositi non est sufficienter provisum confiteri desiderantibus, regulariter se sistant in confessionali diebus Sabbati & Vigiliis majorum Festivitatum, hora post prandium a Pastoribus statuenda, ac etiam aliis temporibus semper se ad id paratos exhibeant; alioquin districtam suæ acediæ rationem reddent in tremendo judicii die.

§. XI.

Adolescentes & puellæ, qui pro prima vice Eucharistiam sumere voluerint, ad eam non admittantur, nisi eos Parochus aut Catechista prævie aliquo tempore examinaverit, formaveritque, non tantum intellectum, sed etiam, cum Dei gratia, ipsam voluntatem; & de vi & dignitate Sacramenti diligenter instruxerit: Ordinamusque, ut pueri, qui sunt sub eadem Parochia vel sub eodem Catechista, uno eodemque die simul solemniter primam Communionem accipiant.

§. XII.

(†) Nemo quantumvis sufficienter instructus ad primam Communionem admittatur, nisi prævie in hunc finem ter quaterve confessus fuerit, ac ita ad confessionem generalem se disposuerit: Prima autem Communio semper solemniter fiat, & non nisi die Dominico vel Festo.

§. XIII.

Viaticum vicinis Ecclesiæ Parochiali, publice, cum lumine & tintinnabulo administretur, advocatis aliis vicinis & proximis consanguineis infirmi, si commode venire possint.

§. XIV.

(†) Ut sigillo confessionis & reverentiæ Sacramenti Eucharistiæ consulatur, semper, in quantum fieri potest, confessio delationi Ss. hujus Sacramenti præmittatur.

§. XV.

Remotis vero deferetur cum stola ante pectus patenter pendente, ut obvii Sacramento reverentiam exhibeant. Ante egressum ab Ecclesia ad infirmum, Custos aliquos tinnitus dabit cum majori campana, quod etiam faciet in reditu.

§. XVI.

(†) Synodus II. Provincialis Mechliniensis *Tit.* 7. *Cap.* 4. prohibet, ne umquam unica dumtaxat S. Hostia ad ægrotum

grotum deferatur. A quo excipimus casum, dum hoc Ss. Sacramentum in partibus hæreticorum administrari debet; extra hunc vero præcipimus, ut semper, lumine, nolaque sonante, præcedentibus, Sacerdos superpelliceo & stola desuper indutus (nisi ob aeris tempestatem, nimiam loci distantiam aut viarum difficultatem, stolam solam patenter pendentem adhiberet) duas ad minus consecratas Hostias deferat. Curent quoque, ut cubiculum ægroti sit nitidum, & juxta ejus capacitatem cum mensa mundo linteo strata, & Cruce, luminaribus ac vasculo aquæ benedictæ instructum.

§. XVII.

Circa delationem Venerabilis Sacramenti, & sacri Olei pro infirmis in civitate Cathedrali, speciale Decretum a Nobis dabitur.

§. XVIII.

Pastores serio & sæpius Parochianos publice moneant, ut quamprimum aliquem ægrotare contigerit, statim ipsis denuntient, ac de eo certiores facti, etiam non acciti ad eumdem visitandum (etiam post acceptum Viaticum & Extremam Unctionem) accedant, ægrotum a diabolicis insidiis, salutarium adjumentorum præsidio tueantur; nempe consilio in anxietatibus, quæ tunc maxime occurrunt, consolatione in doloribus & pusillanimitate spiritus, simulque, qua par est charitate & prudentia, ægrotum ad sacram Confessionem inducant, & si morbus ingravescat, tum ad alia Sacramenta extrema accipienda eum, (dum integra mente adhuc est) exhortentur, monebuntque Domesticos, instante periculo, se confestim vocari velle, ut in tempore præsto sint morienti: neque enim committere debent Pastores (quantum fieri potest) ut huic supremo erga subditum officio desint, tametsi ad aliud etiam subinde non esset, quam ut præsentes commendationis animæ morientis officium præstarent. Continget ita agendo præter Divinam mercedem, ut Pastores hac sedula opera, sibi etiam conciliaturi sint majorem suorum amorem & affectum, ad uberes fructus in animarum regimine necessarium.

§. XIX.

Et ne contingat, Christi-fideles absque Sacramentorum administratione e vita decedere, omnibus Pastoribus sub gravissima pœna arbitraria prohibemus, ne deinceps sine licentia Superiorum a Pastoratu absint; si vero necessitas urgeat, de licentia Domini Decani in scriptis, cum expressione causæ absentiæ, per quatuor dies & non amplius abesse licebit, nisi facultatem pro longiori tempore a Nobis petierint & obtinuerint. Licentia autem non dabitur, nisi constet de capace & approbata persona substituta; quæ omnia tamen non ita intelligenda sunt, quasi citra quatuor dies, pro libitu Pastores abesse possint; volumus etenim, ut Decani in tales frequentes absentias inquirere debeant, & ad Nos referre eos, qui hac in parte excedent, licet etiam tum Substitutum haberent.

§. XX.

(†) Serio animadvertant omnes Curati, hunc Paragraphum graviter obligare, cum agat de transgressione legis plurimum conducentis ad finem gravem Legislatoris. Verumtamen, ut omnis ambiguitas anxietasque tollantur, & improvisæ necessitati, quantum licet, consulatur, Declaramus, quod sufficiet in repentinis casibus, dum tempus non suppetit, ad supradictam licentiam petendam, vel dum non datur facilis ad Nos, vel ad Decanum accessus, per literas secunda saltem ab exitu die destinandas, absentiæ causam indicare, atque quod neque nostro, neque sui Decani indigeant consensu, ad tempore diurno vel per unam dumtaxat noctem sese a Pastoratu absentandum; dummodo aliquis ibidem adsit, qui eorum vices supplere valeat, vel Parochiani sciant, quo, occurrente necessitate, pro Sacramentorum administratione facilem recursum habere possint.

§. XXI.

(†) Claves Tabernaculi, capsulæ in qua Ss. Olea occluduntur, ac Baptiste-

 rii,

rii, ſic ſerventur, ut promiſcue non pateat ad illas acceſſus.

§. XXII.

(†) Adminiſtratione Extremæ Unctionis peracta, S. Oleum directe ad Eccleſiam referatur, vel ſaltem in loco Sacramentalibus congruo reponatur.

§. XXIII.

Qui ſacris Ordinibus initiandi erunt, præter teſtimonia ætatis, ſtudii & morum, aliud de denuntiatione & proclamatione banni in Eccleſia Parochiali facta, & exercitiis ſpiritualibus, ſaltem ſex dierum in aliquo Monaſterio vel Collegio factis, adferant. Forma autem, quam in ejusmodi & Matrimonii denuntiationibus obſervari volumus a Parochis, eſt: ut in Eccleſia Parochiali die Dominico & Feſto, populo congregato, inter Miſſarum ſolemnia aut concionem, publice proponant clara & intelligibili voce, ordinandum intra breve tempus ſacrum Ordinem ſuſcepturum, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, aut Presbyteratum, vel Matrimonium contracturum: quare omnibus & ſingulis, ſub gravi peccato mandari volumus, ut, ſi quod noverint legitimum impedimentum, ob quod a ſuſcipiendis Ordinibus vel Matrimonio, repelli debeant, ſive ob malos mores, ſive ob aliquid aliud, ſtatim illud denuntient Paſtori, vel Nobis.

§. XXIV.

(†) Omnes ad S. Subdiaconatus aut Diaconatus Ordines admittendi, examinabuntur circa hiſtorias in Pentateuchi, quatuor Evangeliorum & Actuum Apoſtolorum Libris contentas, ac etiam circa ſex priora Sacramenta; ad Presbyteratus vero Ordinem promovendi, circa hiſtorias utriuſque Teſtamenti & circa communia ex tractatibus de Virtutibus Theologicis, Religione & peccatis ac de Sacrificio Miſſæ; Confeſſarii autem, circa ſcientiam Theologicam & S. Scripturæ intelligentiam ſpecialius examinabuntur.

§. XXV.

Ubi proclamationes antiquiores fuerint tribus menſibus (computatis iis non mathematice, ſed Eccleſiaſtice juxta ritum Eccleſiæ,) novæ proclamationes fieri debebunt.

§. XXVI.

(†) Inhibemus, ne tempore Adventus & Quadrageſimæ, ac diebus feriatis, proclamentur banna ſine noſtra ſpeciali licentia.

§. XXVII.

(†) Tres bannorum proclamationes fiant ſemper per Parochum aut Sacerdotem ejus vices gerentem, clara & intelligibili voce, cum expreſſione nominis, pronominis & Parochiæ, in qua deſponſati habitant.

§. XXVIII.

(†) Mandamus, ut proclamationes bannorum tam Sponſi, quam Sponſæ, qui in aliis Parochiis habitaverunt, etiam ibidem fiant, niſi eas per annum integrum, ultimo elapſum, deſeruerint.

§. XXIX.

(†) Teſtetur Paſtor in libello ſupplici pro diſpenſatione in uno aut duobus bannis, in prima proclamatione populum fuiſſe monitum, aut eum monitum iri de intentione diſpenſationis petendæ; niſi ob urgentem cauſam, primæ proclamationi ſupervenientem, diſpenſatio foret petenda.

§. XXX.

(†) Dum banna proclamantur in Parochia, ubi neuter Deſponſatorum habitat, non exigatur ratione proclamationis & teſtimonii deſuper expediti ultra duos ſolidos monetæ cambialis.

§. XXXI.

Doceant etiam iidem ordinandi, ſe titulum ſufficientem pacifice poſſidere, jam ante ab Officiali noſtro approbatum, coram quo jurabunt, ſe illum vere & ſine ulla fraude poſſidere, nec dimiſſuros absque noſtro expreſſo conſenſu, ea forma, quæ in Concilio Provinciali Mechlinienſi ultimo refertur; & licet rariſſime ſuper titulo patrimoniali ſimus aliquos ordinaturi, ſi tamen eo caſu titulus patrimonialis in reditu annuo redimibili conſiſtat, jurabunt inſuper, ſi contingat eum redimi aut

extin-

extingui, se nummos capitales quamprimum numeraturos in manibus ejus, quem tum designabimus, ut citissime alius reditus creari possit, in cujus creatione idem, quod prius jurabunt.

§. XXXII.

Sponsalia contracta non dirimant Parochi, etiam de consensu partium, sed rei cognitionem ad Nos vel Officialem nostrum remittant.

§. XXXIII.

(†) Non admittant Pastores ad Sponsalia viduas, nisi octo aut novem menses in viduitate fuerint elapsi; vel nisi ex testimonio obstetricis, viduam cognescentis, aut aliunde ipsis constet viduam non esse gravidam.

§. XXXIV.

(†) Decentia & praxis communis exigunt, ut Sponsalia & Matrimonium contrahantur coram Parocho sponsæ; cui impostcrum omnes se conformare tenebuntur. Verum cum in hac Civitate consuetudo obtinuerit, ut Sponsalia contrahantur coram Parocho Sponsæ & Matrimonium coram Parocho Sponsi, permittimus ob rationes animum nostrum moventes, ut, dum utraque pars est hujusce Civitatis, consuetudo præfata servetur, donec aliter ordinatum fuerit.

§. XXXV.

(†) Priusquam Parochus Sponsalibus assistat, diligenter indaget, an nullum subsit impedimentum dirimens, præcipue cognationis naturalis & spiritualis, affinitatis & publicæ honestatis: nec non (si quædam subsit suspicio) etiam inquirat circa impedimentum criminis.

§. XXXVI.

Prohibemus Matrimonium contrahi seu solemnizari illo die, quo ultima proclamatio facta erit, sed ut minimum expectari oportabit ad diem sequentem, nisi ultima proclamatio facta esset in die festive pridiano primæ Dominicæ Adventus, aut feriæ Cinerum.

Hortamur unice conjuges, ut antequam contrahant Matrimonium uno alterove die ante, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Eucharistiam accedant, & ipsi Parochi, non nisi ante confessos, ad solemnizationem Matrimonii recipiant.

§. XXXVII.

Inhibemus, ne Matrimonium extra Ecclesiam, aut Vesperi celebretur.

§. XXXVIII.

Post celebratum Matrimonium, Missa celebretur pro Sponso & Sponsa, adhibitis omnibus cæremoniis, quæ in dicta Missa habentur, post Missam vero, vocabit Sacerdos Sponsos, remotis omnibus aliis, ad sacristiam vel alium locum idoneum, illisque exponet obligationem thori & debiti conjugalis, quando excusentur, & quando in eo vel circa illud graviter peccetur.

§. XXXIX.

Nemo sive Sæcularis, sive Regularis, cujusvis Ordinis vel Monasterii sine licentia in scriptis præobtenta (quam tum Pastori loci prævie exhibere tenebitur) exorcizare præsumat Energumenos, maleficiatos, animalia, stabula, domos, terras, fructus, &c. & præterea, revocamus tenore præsentium, omnes & quascunque licentias a Prædecessoribus nostris desuper concessas, ita ut, si qui absque prædicta facultate nostra publice vel privatim exorcizaverint intra terminos Diœcesis nostræ, quovis etiam Ordinis vel Monasterii sui facultatis & privilegii Nobis non exhibiti prætextu, statim atque denuntiati fuerint, pro temeritate, graviter & exemplariter puniendi sint. Decani Christianitatis vero Nobis proponent singuli in suis districtibus aliquos, qui illud charitatis officium non temere & sine suspicione turpis lucri Proximo præstent, ubi id necessarium judicabitur.

§. XL.

(†) Prohibemus sub pœna suspensionis a Divinis & revocationis, jurisdictionis approbationisque Confessariis & Concionatoribus ad tempus concessæ, ipso facto incurrenda, ne quis sive Sæcularis sive Regularis prætextu cujus-

cujuscumque privilegii, fine expressa nostra aut Successorum nostrorum licentia, exorcizare præsumat, aut quovis modo exorcizare simulet, Energumenos, maleficiatos, animalia, stabula, domos, aliaque similia.

TITULUS VI.

De registris Pastoralibus, aliisque libris, Sacellanis, Custodibus & Scholis.

§. I.

OMnes Pastores (ut meminerint, pro quot animabus rationem Deo reddituri sint,) habeant catalogum seu registrum sibi semper familiariter ad manum, in quo descripti sint omnes Parochiani, cum nota etiam particulari Communicantium & illorum, qui tantummodo catechizantur, per vicos, domos & familias; ut sic mores & ingenium singulorum facilius cognoscant & agnoscant, sciantque non tantum, quomodo regere ipsam multitudinem, sed etiam, quomodo instruere debeant singulos: nam Pastor, inquit Christus: *Proprias oves vocat nominatim.*

§. II.

Circa extraneos & aliunde accedentes, multa opus etiam est diligentia, ut cujus fidei ac morum sint, agnoscatur: quare merito curandum est, ne etiam sine Parochi sui ultimi bono testimonio admittantur, nequidem famuli & ancillæ aliunde adventantes. Quod tanto diligentius curandum erit, ubi Parochiæ vastiores & numerosæ erunt.

§. III.

Præfigatur singulis registris Ecclesiæ, & (si unum sit) singulis capitibus proœmium, cum nomine Ecclesiæ cui servit, Pastoris, qui confecit aut continuavit, & annus, quo cœpta sunt; & Pastor singula folia subscribat: si vero Vice-pastor, aut alius Sacerdos adhibitus fuerit, vel scribet in charta a Pastore registranda & ea suo mandato facta, aut si Vice-Pastor in registris scripserit singulos articulos subsignabit.

Dum intelligimus, quod in aliquibus Parochiis non annotentur defuncti, ordinamus, ut singuli Pastores etiam habeant registrum, in quo notentur defuncti, tam parvuli quam adulti, cum annotatione loci & diei quo sunt sepulti.

In registris Baptismi exprimatur, an baptizatus sit legitimus an non, & si illegitimus sit, etiam notetur nomen obstetricis, seu ejus qui infantem detulit ad Baptismum.

In registro Matrimonii etiam notentur Sponsalia cum testibus & data.

§. IV.

Fiant registra duplicata, quorum unum in archivis propriæ Ecclesiæ maneat, alterum ad Archi-Presbyterum Civitatensem deferatur.

Si Magistratus laici tertium habere voluerint, poterit illis concedi suis expensis.

§. V.

(†) Mandamus, ut, observata registrandi forma a Nobis 11. Februarii 1755. præscripta & ad calcem hujus libelli denuo addita, singulis decenniis, ab anno 1760. incipiendis, duplicata baptizatorum, Matrimonio junctorum & defunctorum registra, debite a Pastoribus vel Deservitoribus subsignata, ad Episcopatum deferantur.

§. VI.

Ut autem Pastores privato studio doctiores evadant, ac doceant commodius, volumus, ut bibliothecam habeant instructam libris pastorali officio accommodis. Habeant igitur imprimis omnes, sacra Biblia, in quibus præ aliis sæpissime delicientur tamquam in suavissimo Mysteriorum omnium fonte, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum ejusdem Concilii ad Parochos, Catechismum Mechliniensem, item aliquos pro sua quisque facultate libros, sacræ Scripturæ interpretationes, Homilias Ss. PP. & Sermones, aliasque Theologiæ partes complectentes. Insuper procurent omnes sibi Synodos Provinciales Mechlinienses, præsertim ultimam, quarum Statuta & Ordinationes debent ab omnibus

nibus exacte obſervari, iis exceptis, quæ in hac Diœceſi peculiariter ordinata ſunt, quæ etiam omnes ad manum habeant, & a quibus neminem recedere permittimus quovis prætextu, ne harmonia ſacri Regiminis perturbetur.

§. VII.

In Parochiis, ubi Sacellanus vel Vice-Paſtor eſt, ejus etiam officium erit in celebratione Divini Officii D. Paſtori auxilio adeſſe, ejusque ægroti vel abſentis nomine, ubi id neceſſitas poſtulet, neceſſaria Sacramenta adminiſtrare, imo & præſente, ubi ille id exiget: Paſtorum vero officiis, contra voluntatem eorum, nullatenus Sacellanum immiſcere volumus, ſed iis plane ſubeſſe, nec per unum diem abeſſe a Parochia, niſi Paſtore præmonito & conſentiente.

§. VIII.

(†) Volumus, ut Vice-Paſtores ſeu Capellani curati Civitatenſes ſeſe numquam abſentent a Civitate & Rurales a Parochia ſine licentia ſui Paſtoris, quam illis raro concedi cupimus, præſertim ad extra eas pernoctandum: numquam autem contingat Paſtorem & Vice-Paſtorem eodem tempore abeſſe.

§. IX.

Sacellanus nullus admittatur a Paſtore, niſi a Nobis pro Parochia illa approbatus & admiſſus per literas noſtras.

§. X.

Invigilent vero Paſtores, in vitam & mores Sacellanorum, curentque, ut ſtudiis incumbant, & Catechiſmi & concionis munia inter ſe partiantur, mutuas vices impediti ſuppleturi; ut ita paulatim aſſueſcant concioni & cæteris primariis functionibus Paſtoralibus, quo poſſint ita exercitati a Nobis aliquando ad altiora promoveri.

§. XI.

Ad Cuſtodis officium non admittantur, etiam ii, ab aliis jus eos ſtatuendi habentibus conſtituti, niſi fuerint a Decanis Chriſtianitatis in cantu examinati, de vita & moribus fidem fecerint, juramentum præſtiterint & ex teſtimonio Decani a Nobis fuerint confirmati.

§. XII.

Etiam non admittantur aut tolerentur, qui Ballivi, Satellitis, Cauponarii, vel Tabernarii officium exercent, aut vilis profeſſionis ſunt: ſed ad ejusmodi miniſterium admittantur tales, de quorum probitate, religione & laudabili converſatione conſtet, quique de conſervandis bonis Eccleſiæ præſtare poſſint & præſtent cautionem, Paſtoris, aliorumque judicio, ſufficientem.

Cuſtodes ſubſint, obediant & ſerviant Paſtori in iis, quæ ſui muneris ſunt: a Parochia ſua non abſint ſine Paſtoris licentia: imo quoties Eccleſia vel domo ſua abeſſe ob negotia coguntur, domeſticis aut vicino ſignificent quo vadant, ut ſi neceſſitas ingruat, ſtatim accerſiri poſſint.

§. XIII.

Cuſtodes etiam dum Divino Officio inſerviunt, aut publicæ & ſolemni adminiſtrationi aſſiſtunt, togam nigram ad medias tibias infra ſuperpellicium dimiſſam induant.

§. XIV.

Strictiſſime præcipimus, ut quæ in Concilio Provinciali Mechlinienſi, de inſtituendis Scholis Dominicalibus & de jam inſtitutis conſervandis, utiliter ſtatuta ſunt (quantum fieri poterit) obſerventur: rogeturque Magiſtratus, ut pro ſumptibus neceſſariis contribuat & procuret: caveatque, ne eo tempore, quo juventus catechiſatur vel docetur, ullæ choreæ vel luſus publici fiant, neque ulla ratione, a tam neceſſario officio avocetur, vel per plateas divagari aut ludere permittatur.

§. XV.

Ad omnem petulantiam cohibendam & pericula vitanda ordinamus, ut in diverſis Scholis maſculi, quantum fieri poteſt, a puellis ſeparatim inſtruantur: ubicumque tamen id obtineri non poterit, ſaltem locis & interſtitiis, maſculi a puellis ſeparentur.

§. XVI.

Scholas in civitate Brugensi, Archi-Presbyter diligenter visitabit; foris vero Pastores, circa quas etiam Decani in sua visitatione sedulo inquirent, audientes non tantum Pastores, sed etiam alios.

§. XVII.

(†) Ordinamus, ut, literæ negotia Diœcesis concernentes, iis exceptis, quæ Nobis privative sunt communicanda, inscribantur Secretario Episcopatus Brugensis, sine expressione ullius nominis; ne Episcopo absente, expeditio negotiorum quandoque urgentium retardetur.

TITULUS V.

De vita & honestate Clericorum.

§. I.

PAstores & Capellani rurales, in omnibus functionibus in Ecclesia, toga talari utantur infra superpellicium: extra Ecclesiam vestem habeant ut minimum ad medias tibias dimissam, cingulo cinctam, nec alio colore, in materia vestium, quam nigro utantur: formam vero vestimentorum, ad Laicorum imitationem non mutent, nec vilitatem habitus sæcularis, quam in Clericatu deposuerunt, resumere præsumant, sed vita & habitu probent sese seniores.

§. II.

Ad prævenienda scandala, & evitanda Sæcularium dicteria, inhibemus, ne Pastor, Sacellanus, aut alius Ecclesiasticus, ancillam suam ad convivia, sive publica sive particularia secum ducat, sub pœna sex florenorum: conformiter ad ea, quæ aliquando ordinavit Reverendissimus Dominus DIONYSIUS CHRISTOPHORI (*) Episcopus Brugensis. Sub ancillarum tamen nomine non comprehendimus matres, sorores aut materteras, uti tales notas cohabitantes, peculiariter & nominatim invitatas. Inhibemus etiam, ne in privatis suis ædibus ancillam non consanguineam ad mensam secum admittant, præsertim extraneo quovis præsente.

§. III.

Nullus in sacris Ordinibus constitutus ullam mulierem equo post se vehat sub pœna sex florenorum.

§. IV.

Nullus Ecclesiasticus in Parochia sua, potus aut lusus causa tabernas intret, sub pœna trium florenorum; in remotis autem locis ab omni excessu in potu in tabernis abstineant; ad civitatem autem venientes, eas tantum domos hospitii causa accedant, quæ vel Clero destinatæ sunt, vel ad quas honestioris conditionis homines confluunt.

§. V.

(†) Inhibitiones a Prædecessoribus nostris in distributione Ss. Oleorum sæpe iteratas sub pœna suspensionis a Divinis, ne Ecclesiastici, potitandi causa tabernas accedant, sub eadem pœna renovamus & extendimus ad omnes tam Regulares, quam sæculares Diœcesis nostræ Clericos, qui si Confessarii aut Concionatores sint ad tempus admissi, ipso facto revocamus eorum jurisdictionem & approbationem; exceptis tamen casibus, quibus prandendi, cænandi, hospitandi aut itineris causa, tabernam intrarent.

§. VI.

Ecclesiastici, a venatione & ab aleæ & chartarum quibusvis lusibus abstineant, nec non choreis tam publicis, quam privatis; nec in locis publicis pila palmaria aut globis ludant, nec ad psittacum aut scopum jaculentur.

§. VII.

(†) Prohibemus, ne Pastores aut Vice-Pastores eundo aut redeundo comitentur suos Parochianos ad aliam Parochiam ibidem ad psittacum jaculaturos; neque ea occasione, aut quovis alio prætextu, statutam Divini Officii horam in aliam transferant.

§. VIII.

Quanto magis Clericos decet mansuetudo, & spiritus lenitatis, tanto gravius scandalum patitur populus, si eos ad verbera venire contigerit: eapropter districte mandamus omnibus &

(*) Fuit dignissimus hic Præsul, Brugensium VI. Episcopus, verus pauperum Pater, ut eum nominat *de Castillion in Sacr. Belg. Chronolog.* Part. II. pag. 522.

& singulis Beneficiatis, vel in sacris Ordinibus constitutis, ut ab omni percussione abstineant, sub pœna gravis & exemplaris correctionis pro qualitate delicti.

§. IX.

(†) Cum sacri Canones, Statui Ecclesiastico indecens ac spiritui lenitatis & mansuetudinis contrarium esse moneant, Clericos justitiæ vindicativæ executioni assistere; hinc est, quod utrique Diœcesis nostræ Clero inhibeamus, ne quis, dum personæ utriusvis sexus virgis excipiuntur, gravioribus pœnis puniuntur aut morte plectuntur, intueatur aut intersit.

§. X.

Nullis in sacris Ordinibus constitutis, annulum aureum aut argenteum gestare liceat, nisi iis, quibus propter gradum aut Ecclesiasticam dignitatem hoc competit.

§. XI.

Eremitæ degere in nostra Diœcesi non permittantur, nisi expresso nostro consensu in scriptis obtento: & si quis eum a Prædecessoribus nostris obtinuerit, viribus carere volumus, donec a Nobis denuo visitetur, & confirmetur.

TITULUS VI.

De Bonis Pastoratuum & aliorum Beneficiorum conservatione, & onerum persolutione.

§. I.

Etsi nemo ad possessionem Beneficii alicujus admittatur, nisi jurejurando promittat bona sui Beneficii fideliter conservare, & alienata pro virili recuperare: attamen quia multorum a sui Beneficii loco absentia aut supina negligentia plurima quotidie deperdi, aut obscurari reperimus: huic malo ut obviam eatur, quæ sequuntur, statuenda esse duximus.

§. II.

Habeant Decani copiam authenticam registri omnium Beneficiorum sui districtus, cum cura & sine cura, adscriptis nominibus Possessorum & ubi habitent, cum specificatione bonorum, redituum, sylvarum, pratorum, terrarum & limitum, ac terminorum & onerum annexorum: registrum vero originale in Episcopatus archivis reservabitur. Capitula vero, quibus Beneficia subsunt, habeant etiam simile registrum eorum: quod quidem singulis decenniis renovetur cum specificatione supradicta.

§. III.

Ut autem hoc executioni mandetur, præcipimus, ut omnes Beneficiati nostræ Diœcesis intra annum a publicatione horum Statutorum, Beneficiorum suorum bona, terras, reditus & proventus quoscumque, jura, item & onera omnia, quibus illa subjecta sunt, integre & per partes minutissime descripta, atque a Ballivo loci & Scabinis subsignata, Decanis suis, & Decani Nobis transmittant.

§. IV.

Hoc idem se facturos intra annum jurejurando promittent, quotquot in Beneficii alicujus possessionem de novo inducentur. Dies vero præstiti juramenti, inscribet Decanus registro suo, & si quis Beneficiatus intra annum promisso non satisfecerit, eum denunciabit citandum, & prout juris puniendum: & ne quis ignorantiam prætexere possit, volumus, ut Decani, quisque in suo districtu, eos, qui extra Diœcesim morantur, per literas admoneant hujus nostri Decreti: elapso autem anno, iidem Decani Officiali nostro denuntiabunt eos, qui nondum satisfecerint, ut juris remediis & fructuum arrestatione id facere compellantur, aut Nos illud illorum expensis fieri curabimus.

§. V.

Pastores vero omnes, per idoneos Geometras faciant registrum fundorum, decimarum, redituum cum hypothecis, ad Beneficium suum pertinentium, sub pœna quod post sex menses ab horum publicatione, illud per Decanos aut alios idoneos, deficientium expensis fieri curabimus.

§. VI.

Noverint Paſtores & Beneficiati, ſe non eſſe Dominos fundorum beneficiorum ſuorum; proinde prohibemus, ne quis beneficii terras paſcuales aut prata, aratro proſcindat, ceſpites effodiat, inutilibus foſſis aut piſcinis faciendis corrumpat, ſub pœna reſtituendi omnes fructus perceptos, & mulcta centum florenorum in menſuram, & omnibus expenſis ad onus delinquentis remanentibus, quæ pro arbitrio Epiſcopi ad Paſtoratus utilitatem, aut alias pias cauſas applicabuntur. Idem de bonis Eccleſiarum, Diſci, Sacellorum & Confraternitatum ordinamus, quoad illos qui ejusmodi adminiſtrationem habent.

§. VII.

Nemo arbores amputet ſub pœna reſtituendi duplex earum pretium; proinde injungimus Decanis, ut adveniente novo Paſtore inventarium faciant arborum in fundis inventarum, & ex nunc incipiant in proxima ſua viſitatione ſingularum Parochiarum.

§. VIII.

Nemo in ædibus Paſtoralibus ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis obtenta, quidquam evertat circa muros, aut ædium formam, ſub pœna reſtituendi in formam priorem.

§. IX.

Non ſperent Paſtores a ſuis ſucceſſoribus pretium arborum a ſe plantatarum, meliorationis fundorum, ſæpium, foſſarum, aut ædificiorum præſertim voluptuariorum, niſi ea de conſenſu Epiſcopi facta fuerint, & appretiatio illis in ſcriptis fuerit addicta. Fructus tamen in fundis vel arboribus repertos, migrantibus ad alia loca, vel hæredibus defunctorum, Succeſſores, arbitrorum judicio & æſtimatione ſolvent.

§. X.

Paſtores Beneficiati, quotannis aquagia, reditus & alia quævis onera ſuis beneficiis incumbentia, accurate ſolvent, & Decano viſitanti quitancias exhibebunt; cui etiam injungimus, ut has ſibi exhiberi curet; & ſi poſſeſſores contumaces fuerint, Nobis denuntientur.

§. XI.

Habeant etiam Paſtores & Beneficiati librum manualem, in quo receptam & ſolutionem ſcribent, qui Succeſſoribus relinquendus erit, ad probandam poſſeſſionem, ſalvo quod hæredibus ſerviet in quantum opus ad compellendos ſuos creditores.

§. XII.

Defunctis aut migrantibus Paſtoribus, habeant Decani diligentem curam eorum, quæ ad inſtructionem Decanorum circa reparationem ædium Paſtoralium, regiſtra & documenta, præſertim in prima Synodo Brugenſi (quam his ſubjunximus) ſtatuta ſunt.

§. XIII.

Cum inter cætera damna, quæ bellorum perturbatio intulit diſciplinæ Eccleſiaſticæ, unum ſit, neque minimum, quod reſidentia Beneficiatorum in ſuis reſpective beneficiis per Diœceſim noſtram fuerit, & in multis locis ſit interrupta: unde contingit, ad impletionem onerum dictorum beneficiorum ſæpe intermitti, & proventus eorum obſcurari ac perdi in Divini cultus, & piarum voluntatum Fundatorum dictorum beneficiorum non modicum præjudicium: hinc eſt, quod Nos dictis incommodis quantum in Nobis eſt, prout tenemur, occurrere cupientes, Prædeceſſorum noſtrorum antiquis Statutis inhærendo, & notanter Illuſtriſſimi Domini REMIGII DRUTII, felicis recordationis, de anno 1571. & Illuſtriſſimi Domini ANTONII TRIEST, piæ memoriæ, de anno 1618. volumus & declaramus, licentias abſentiæ, gratiam & conſuetudinem non reſidendi, nemini ſuffragari, qui non Procuratorem, & quidem Virum Eccleſiaſticum Nobis ſubjectum, cum electione domicilii alicujus intra Civitatem Brugenſem conſtituerit, ad Nos vel Decanum, quotannis ante feſtum S. Donatiani ſeu 14. Octobris, ſufficienter docendum, de fructibus Beneficii, Miſſarum & aliorum onerum adimpletione, ac de cenſibus & reditibus, quibus bona ipſius bene-

 ficii

ficii gravantur, aliisque similibus, plene persolutis.

TITULUS VII.

De administratione temporali Ecclesiarum, Discorum, Sacellorum & Confraternitatum.

§. I.

IN Ecclesiis nullæ fiant notabiles mutationes circa ædificia, Sacristias, campanilia &c. nisi Episcopi consensu desuper obtento.

§. II.

(†) Prohibemus, ne intra limites hujus Diœcesis, Crucifixi Icones, præterquam in cœmeteriis, erigantur, Sacella quantumlibet parva ædificentur, neque illa aut altaria consecrata destruantur, sine nostro aut Successorum nostrorum consensu in scriptis præobtento.

§. III.

Nullæ moveantur, aut suscipiantur lites ad onus Ecclesiarum, aut mensæ pauperum (exceptis ordinariis diligentiis receptorum pro recepta sua) nisi consulto prius Decano Christianitatis, & si graves fuerint, etiam Episcopo.

§. IV.

Fiat in omnibus Ecclesiis inventarium munimentorum, jocalium & præcipuorum utensilium, cum expressione loci, ubi tempore belli ad securitatem deposita sint; & ad Palatium Episcopale deferatur.

§. V.

Magistri fabricæ & mensæ pauperum non sint perpetui, sed singulis trienniis aut quadrienniis renoventur; utiliores tamen poterunt pro altero termino denuo eligi.

§. VI.

In auditione computuum aliisque, accurate servetur Edictum Regium, Concordatum inter Illustrissimum Dominum TRIEST & Magistratum Franconatensem: item Regulamentum, ab Illustrissimo Domino BAILLENCOURT a sua Majestate impetratum, quoad statutos dies & locum, personas admittendas, formam vocandi, vel invitandi, neque ulla novitas admittatur, nisi consensu Episcopi desuper obtento.

§. VII.

Receptores, quotannis vel bienniis juxta veterem morem, suæ Ecclesiæ reddent rationes, & adducent omnia, quæ receperint & solverint, usque ad diem redditionis computus sui, ut status Ecclesiarum ex liquido patescat.

§. VIII.

Clausura præcedentis computus semper purgetur ultimo reddito: & ubi id factum non est, modernus cogat omnes præcedentes ad purgandam suam clausuram.

§. IX.

Auditores non dabunt Receptoribus ullum interesse aut fœnus, ratione clausuræ, nisi de consensu Episcopi in scriptis obtento, per apostillam super libello ad hoc confecto.

§. X.

Computus originales ad Archivia Ecclesiarum deferantur, nec permittantur ab ipsis quidem Auditoribus auferri; & eo ipso quo audiuntur, duplicatum ab aliquo præsentium apostilletur. Copiæ vero, quæ aliis gratis vel suis expensis dandæ sunt, ad computum Receptoris conferantur. Receptoribus vero, stipendium scripti computus non extrahatur, nisi duplicatis ad mensam in auditione positis, & donec omnes computus a se factos ad Ecclesiæ archivia detulerint.

§. XI.

(†) Committimus Christianitatis Decanis, ut in suis respective districtibus, non obstante quacumque possessione contraria, nomine nostro audiant omnes computus fabricarum Ecclesiarum Parochialium & quarumcumque piarum fundationum, etiam ubi Pastores illos audire solebant; conformiter ad duplex Decretum in hunc finem obtentum, quorum tenor, uti & Edicti Regii de anno 1608. in illis reclamati, ad calcem hujus habetur impressus.

§. XII.

§. XII.

Habeant Paſtores & Magiſtri pauperum curam, ne eleemoſynæ excedant annuos proventus; & ſi exceſſus notabilis fuerit, clauſura non poterit extrahi ad onus menſæ pauperum, ſed ad illorum onus manebit, nec in ſequenti computu extrahetur.

§. XIII.

Bona fundationum à bonis Eccleſiarum ſeparentur, ne fundationes inſufficienter bona Eccleſiarum (quod variis locis contigiſſe reperimus) conſumant, & ubi proventus fundationum non ſufficiunt, Nobis præſententur reducendæ.

TITULUS VIII.

De Decanis Chriſtianitatis.

Diœceſis Brugenſis in Archi-Presbyteratum & ſeptem Decanatus eſt diviſa.

§. I.

ARCHI-PRESBYTERATUS BRUGENSIS continet

Intra muros:	*Patroni ſunt:*
Paſtoratum Laicorum Eccleſiæ Cathedralis S. Donatiani.	Decanus ejusdem Eccleſiæ.
Tres Paſtoratus ſeu portiones parochialis Eccleſiæ Collegiatæ & parochialis B. Mariæ Virginis, quarum primæ, aureæ nuncupatæ, eſt præbenda annexa, ſecunda dicitur argentea & tertia plumbea.	Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ.
Tres Paſtoratus ſeu portiones parochiales Eccleſiæ Collegiatæ & parochialis S. Salvatoris, habentes ſingulas præbendam annexam, quarum prima ſimiliter vocatur aurea, ſecunda argentea & tertia plumbea. Paſtoratum S. Walburgis. - - S. Jacobi	Epiſcopus Brugenſis.
- - S. Annæ	Capitulum Cathedrale Brugenſe.
- - S. Ægidii - - S. Catharinæ olim extra muros	Præpoſitus Eccleſiæ B. M. V. Brugis.
Hoſpitalia & Sacella publica.	
Extra muros:	
Paſtoratum S. Crucis. - - S. Michaëlis	Capitulum Cathedrale Brugenſe.
- - S. Andreæ	Abbas S. Andreæ juxta Brugas.
- - S. Bavonis, cujus Eccleſia eſt deſtructa, annexum paſtoralibus portionibus S. Salvatoris. - - S. Petri ſuper aggerem.	Epiſcopus Tornacenſis.
- - de Coolkercke	Præpoſitus B. M. V. Brugis.
Et Sacella intra limites dictarum Parochiarum.	

§. II.

DECANATUS ARDENBURGENSIS *continet:* (*)	*Patroni ſunt:*
Paſtoratum Ardenburgenſem ſub Provinciis fœderatis.	Epiſcopus Gandavenſis.
- - de Lembeke	Epiſcopus Tornacenſis.
- - S. Georgii ad Carduum	Epiſcopus Brugenſis.
- - Eecloo	Capitula Cathedrale Tornacenſe & Collegiatum Harlebecanum alternatim.

Paſto-

(*) Ordo locorum nonnihil variat in edit. prima horum Statutorum, facta Brugis, typis Gregorii Clouwet 1693. in 8. min.

Paſtoratum Caprycke habet duas portiones paſtorales.	Capitulum Cathedrale Tornacenſe.
- - S. Joannis in Eremo.	
- - S. Laurentii	
- - S. Margaritæ	Capitulum Cathedrale Gandavenſe.
- - S. Catharinæ ſub Provinciis fœderatis. Eccleſia eſt deſtructa.	
- - Heyle ſub provinciis fœderatis. Eccleſia eſt deſtructa.	
- - S. Crucis ſub provinciis fœderatis.	
- - Waetervliet	Abbas S. Petri Gandavi.
- - S. Nicolai in den Oudenman.	
- - Waeterlant. Eccleſia eſt deſtructa.	
- - Beernem	Præpoſitus S. Amandi Cortraci.
- - de Lapſchure	Abbas S. Quintini in Veromandia.
- - Moerkerke	
- - Maldegem	Capitulum Harlebecanum.
- - Adegem	
- - Syſſeele	Præpoſitus B. M. V. Brugis.
- - Oedelem	
- - Middelburgh	Princeps d'Iſenghien.
- - Aſſebrouck	Princeps de Croy.
Et Sacellum de Bentille ſub parochia S. Joannis in Eremo.	

§. III.

DECANATUS TORHALTENSIS *continet:*	*Patroni ſunt:*
Paſtoratum Torhaltenſem	Præpoſitus Capituli Torhaltentenſis.
- - de Poucke	Epiſcopus Tornacenſis.
- - Ooſtcamp	Epiſcopus Brugenſis.
- - Lichtervelde	
- - Ichtegem.	
Paſtorat. Lophem	Capitulum Cathedrale Brugenſe.
- - Aertryck	
- - Zedelgem	Abbas S. Petri Gandavi.
- - Vladſloo	
- - de Cortemarck	Abbas Eenamenſis.
- - Handtſaeme	
- - Wynghene	Præpoſitus S. Amandi Cortraci.
- - Wardamme	Decanus Capituli Cathedralis Brugenſis.
- - Ruddervoorde	
- - Swevezeele	
- - Werckene	Abbatiſſa de Petegem juxta Aldenardam.
Hoſpitale Torhaltenſe & Sacella intra hunc diſtrictum ſita.	

§. IV.

DECANATUS ROLLARIENSIS *continet:*	*Patroni ſunt:*
Paſtoratum Rollarienſem cum duabus Capellaniis curatis.	Abbas B. M. V. de Zonnekeke.
- - de Ooſt-Nieuwkercke	
- - Rumbeke	Epiſcopus Brugenſis.
- - Ouckene	
- - Cachtem	
- - Staden	Capitulum Cathedrale Tornacen.
- - Rooſebeke	
- - de Beveren	Abbas S. Martini Tornaci.
- - Eeghem	
- - Zarne	
- - Hoochlede	Præpoſitus S. Amandi Cortraci.
- - Coolſcamp	Capitulum Harlebecenſe.
- - Gidts	Capitulum S. Petri Inſulis.
- - Hardoye	Abbatiſſa S. Auſtrebertæ Monſtrolii.
- - Pitthem	Princeps de Croy.

§. V.

§. V.

Decanatus Gistellensis *continet:*	*Patroni sunt:*
Paſtoratum Giſtellenſem - - de Sevekote - - Moere - - S. Petri Capellæ - - Sande	Epiſcopus Tornacenſis & Abbas S. Andreæ juxta Brugas alternatim.
- - Couckelaere - - Eernegem - - Bovekercke - - Lombarſyde	Epiſcopus Brugenſis.
- - de Beerſt - - Stuvekenskercke. - - Keyem - - Leke - - Schoore	Abbas S. Petri Gandavi.
- - Mannekenſvere. - - Leffinge - - Slype - - Willekenskercke	Commendator de Slype Ordinis Melitenſis.
- - Middelkercke - - Weſtende	Comes Palatinus Rheni.
Hoſpitale & Sacellum Giſtellis.	

§. VI.

Decanatus Oudenburgensis *continet:*	*Patroni ſunt:*
Paſtoratum Oſtendanum.	Magiſtratus urbis Oſtendanæ.
- - Oudenburgenſem - - de Zantvoorde	Abbas S. Petri Oudenburgi.
- - Jabeke	Epiſcopus Tornacenſis.
- - Snellegem - - Ettelgem - - Snaeskercke - - Weſtkercke - - Roxem unitum paſtoratui de Weſtkercke	Epiſcopus Brugenſis.
Paſtoratus de Bekegem	Præpoſitus S. Amandi Cortraci.
- - Zerckeghem	Abbas S. Vedaſti Atrebati.
- - S. Catharinæ. Eccleſia eſt deſtructa.	Abbas S. Richarii.
- - Vaſſenaere	Abbatiſſa B. M. V. Burburgenſis.
- - Mariekercke	Comes Palatinus Rheni.
- - Steene	Commendator de Slype Ordinis Melitenſis.

§. VII.

Decanatus Dammensis *continet:*	*Patroni ſunt:*
Paſtoratum Dammenſem. - - de Ooſtkercke - - Houcke - - Weſtcappelle - - S. Annæ ter muyden ſub provinciis fœderatis	Abbas S. Quintini in Veromandia.
- - Vliſſeghem - - Stalhille	Epiſcopus Tornacenſis.
- - Cnocke - - Heyſt - - Liſſeweghe	Epiſcopus Brugenſis.
- - de Ramscappelle - - Dudzeele - - Uytkercke - - Blanckenberghe - - Wendune - - Clemskerke - - Suwenkerke - - S. Joannis ſuper aggerem. Eccleſia eſt deſtructa.	Capitulum Cathedrale Brugenſe.
- - Nieumunſter - - Houtave	Abbas S. Andreæ juxta Brugas.
- - Meetkercke	Abbas S. Bartholomæi Brugis.
- - Bredene	Abbas S. Richarii in Pontico.
Hoſpitale S. Joannis Dammis & Sacellum in Molendorp ſub parochia de Bredene.	

§. VIII.

§. VIII.

Decanatus Sluſanus *ſub Provinciis fœderatis continet*:	*Patroni ſunt*:
Paſtoratum S. Joannis Sluſis - - B. Mariæ V. ibidem. - - B. Mariæ extra urbem. Eccleſia eſt deſtructa. - - Ooſtvliet. Eccleſia eſt deſtructa. - - Nieuvliet. Eccleſia eſt deſtructa. - - Suyt-ſande - - S. Petri - - Cadzandt - - Wulpen. Eccleſia eſt deſtructa. - - Ooſtburg	Capitulum Cathedrale Gandavenſe.
- - Iſendyke - - Groede - - Nieukercke - - Breskens - - Schoondycke - - Noormans Cappella. Eccleſia eſt deſtructa. - - Gaterneſſe. Eccleſia eſt deſtructa. - - Heykewerve. Eccleſia eſt deſtructa. - - Coxie. Eccleſia eſt deſtructa. - - Biervliedt.	Abbas S. Petri Gandavi.

Hanc tamen Patronorum ſeriem narramus, potius quam definimus; nolentes per hoc alicui creari præjudicium prætendenti in contrarium ſe jus habere.

§. IX.

Sacra Olea quotannis Decani (ſi per ſe non poſſint ea quærere, ubi conſecrata ſunt) non per alium quam Sacerdotem, vel alium in Sacris conſtitutum quærent, qui ea recta ad illorum ædes deferat.

§. X.

Singulis annis, feria quinta poſt Paſcha, ea Decani Paſtoribus ſuis diſtribuent in loco titulari ſui diſtrictus, exceptis Dammenſi, ubi fiet in Liſſeweghe, & Ardenburgenſi in Maldegem.

§. XI.

Imprimis, tenebuntur omnes Paſtores eſſe in loco diſtributionis, hora nona præciſe, ſub mulcta unius floreni. Quadrante poſt, Sacra Olea ex ædibus Paſtoris loci proceſſionaliter cum lumine & cantu, omnibus Paſtoribus præcedentibus cum ſuperpelliceis & tædis, quoad fieri poterit, ad Eccleſiam deferentur cum pulſu campanarum.

§. XII.

Ut autem hoc, ea reverentia peragatur, quæ his Sacramentalibus debetur, quæ D. N. Jeſus Chriſtus juxta Eccleſiæ traditionem Apoſtolos benedicere & conſecrare docuit, & deinde per ſolos Epiſcopos eorum Succeſſores conſecrari voluit, hunc modum in eorum diſtributione ſervari volumus.

1. Decanus erit indutus alba, ſtola & pluviali, comitantibus Diacono & Subdiacono. In proceſſione cantabitur Hymnus: *Veni Creator Spiritus.*

2. In choro parata ſit menſa ſtrata tapete, & cooperta mappa munda & pulchra, cum duobus cereis ardentibus: ubi Sacris Oleis repoſitis, ante Altare dicetur Verſus: *Emitte Spiritum &c.* & Oratio: *Deus, qui corda fidelium, &c.*

3. Deinde, per Decanum vel alium Paſtorem ad hoc paratum, fiet brevis concio per mediam horam; (populo ad ſolemnitatem hanc in Paſchate e ſuggeſtu invitato) in qua agetur de Sacrorum Oleorum conſecratione, dignitate, veneratione, fructu, &c. & de Sacramentis, in quibus ſunt materia, vel adhibentur.

4. Poſt, ſequetur Miſſa ſolemnis, quam DD. Paſtores cantabunt celebrante D. Decano, & aſſiſtentibus Paſtoribus turnatim.

5. Finita Miſſa, ſedebit Decanus ad menſam in ſede majori, indutus alba

ba & ſtola, habebitque mantile mundum paratum, ut ante ſe ponat.

6. Paſtores ſedebunt, facientes duo latera tendentia verſus Altare a dextris & ſiniſtris, facie ad faciem, ordine ſenii in Paſtoratu ſui Decanatus: unusque poſt alterum reverenter Sacra Olea recipiet, fabulis & omni levitate remotis.

7. Finita diſtributione, D. Decanus latine graviter admonebit communitatem ſuam de reverentia, qua hæc tractanda, vigilantia circa oves ſuas, pro quibus rationem ſunt reddituri, ſi aut eorum incuria, aut (quod abſit) eorum malo exemplo quempiam cadere aut perire contigerit; imo & *ſervum nequam* fuiſſe a Domino vocatum, & in tenebras exteriores projectum, qui talentum tantum abſconderat, licet integrum, tamen ſine lucro reſtituiſſet.

9. Illuſtriſſimus Dominus concedit omnibus (etiam Laicis) huic Officio vel ſaltem Proceſſioni aut Miſſæ præſentibus, Indulgentias 40. dierum.

10. Si quos Decanus ſciat, vel circa ſe ipſos, vel circa ſuas defectuoſos, illos privatim & ſecreto admonebit, aut ſi fructum non ſperet, vel aſpere quis contradixerit, ad Epiſcopum cum inſtructione ſcripta deferet.

§. XIII.

In Congregatione, omnes Paſtores reſpective comparebunt ſub pœna ſex florenorum, niſi in caſu inexcuſabili & clare probato; neque ullus Paſtorum pro altero Sacra Olea deferet, aut ab alio, quam proprio Decano recipiet, ſub pœna prædicta, ad utilitatem convivii.

§. XIV.

Finito Officio, habebunt frugalem menſam in domo Paſtoris loci, ſi fieri poſſit, alias in honeſtiori hoſpitio loci, a qua abeſſe volumus omnes omnino Laicos, etiam Cuſtodes, excepto uno vel altero neceſſario ad ſerviendum; ad quod Decanus diſcretiores eliget. Omnes autem Paſtores etiam legitime excuſati & infirmi, ſymbolum ſuum ſolvent; & eodem die, omnes ad Parochias ſuas remeabunt, ſub pœna ſex florenorum ad arbitrium noſtrum applicandorum.

§. XV.

Meminerint Decani ſe ſuorum Paſtorum veros Paſtores eſſe, ſciantque ſe ita in Epiſcopalis oneris partem vocatos, ut omnium Eccleſiarum ſuarum, Rectorumque earum, nec non temporalium regiminis, quoad in ipſis fuerit, rationem Deo ſint reddituri. Quare Paſtores ſuos obſecrent ut Patres, moneant ut filios, arguant ut ſubditos, prout in Domino judicabunt.

§. XVI.

Singulariter autem curabunt obſervari, quæ ſuperius ordinavimus de abſentia Paſtorum a ſua Parochia, ut nullus extra eam pernoctet, niſi idoneæ perſonæ cura commiſſa: in quo etiam hoc volumus obſervari, ut Paſtores, qui Vice-Paſtores habent, ſi alium præterea Sæcularem ſive Regularem a Nobis approbatum in loco conſtituere voluerint, id fiat cum ſubordinatione, ut Vice-Paſtor habeat primariam directionem & authoritatem, Paſtoris abſentis, infirmi aut alias impediti locum & prærogativas tenendo; nec præfatus ſecundarius aliquid attentabit, niſi ſub placito & conſenſu Vice-Paſtoris; cum id Vice-Paſtori ex officio competat, & ne contumelioſe in proprio officio, extraneo aut Regulari ſubjiciatur.

§. XVII.

Decani omnia acta ſua in ſcriptum redigent in regiſtro ad hoc deſtinato. Necnon ſingulis annis Eccleſias ſuas viſitabunt, juxta inſtructionem Decanorum a Prædeceſſoribus noſtris in ſcriptum redactam, quam ſibi omnes procurabunt & ſæpius relegent, ut omnia emendentur, quæ in ſingulis locis particulariter emendanda ſunt. Quare etiam ſingulis annis ſecum ferent cujusque Eccleſiæ viſitationem anni præteriti, ut cognoſcant, an quæ in ea ordinarunt, executioni ſint mandata.

§. XVIII.

Dum viſitabunt, advocabunt etiam Æditues fabricæ, Magiſtros pauperum, Altarium, &c. aut notabiles Parochia-

rochiarum, quos audient singulatim, eisque indicabunt, eos sub pœna gravioris offensæ coram Deo teneri aperire, si quos sciant notabiles defectus in Rectore, qui bono communi animarum obsint, præsertim in administratione Sacramentorum, verbo Dei, Catechismo, visitatione infirmorum, scandalosa vita, &c.

§. XIX.

In visitationis actis, semper accurate annotabunt clausuras omnium computuum, & difficultates, quæ circa temporalia Ecclesiarum occurrunt.

§. XX.

Diligenter observabunt ea, quæ in Synodo Diœcesana Brugensi quoad illorum officium ordinata sunt; quam Synodum hic etiam junximus.

§. XXI.

Singulis annis intra mensem, incipientem currere a Dominica *in Albis*, Nobis acta visitationis anni elapsi subsignata exhibebunt, & puncta singularia, quæ in singulis parochiis notatu magis digna sunt, in compendium redigent.

CONCLUSIO.

PRædicta omnia & singula, sicut præmittuntur, Statuta & Ordinata, ab omnibus, quorum interest, pro ratione cujusque status & Ordinis observari mandamus sub pœnis in iisdem contentis, & aliis pro qualitate transgressionis arbitrariis.

Lecta & publicata fuerunt hæc Statuta in Congregatione Decanorum Christianitatis, præsidente Reverendissimo Domino D. GUILIELMO BASSERY *Episcopo Brugensi, per me* Andream Mendez *Secretarium. Brugis in Palatio Episcopali die* 16. *Junii* 1693.

A. MENDEZ, *Secret.*

Eadem Statuta, cum adjunctis novis Articulis, prævia indictione per affixionem in locis consuetis, denuo publice lecta & publicata fuerunt coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino JOANNE ROBERTO CAIMO *Episcopo Brugensi; præsentibus Reverendis admodum ac Venerabilibus DD. Archi-Diacono & Archi Presbytero, nec non Reverendis admodum DD. Christianitatis Decanis specialiter ad hoc convocatis; per me infrascriptum Secretarium, Brugis in Palatio Episcopali die mensis anno* 1765.

C. BEERENBROEK, *Secret.*

Edit. Brugis, typis Viduæ Francisci Beernaerts.

GUILIELMUS BASSERY Bruxellis perhonesta natus a. 1642. familia, patre *Judoco*, Mercatore, matre *Catharina* van *Donckerwolcke*, uti clarebat Lovanii tum virtutibus tum scientiis adolescens: ita provectior ætate varias administravit provincias, variis quoque titulis & iis perhonorificis auctus fuit. Anno 1662. in Pædagogio Lilii quintum primæ lineæ, ut vocant, inter AA. LL. candidatos locum obtinuit. Fuit postmodum J. U. *Licentiatus*, & Regius Lovaniensi in Academia Professor; Canonicus pariter Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri in Anderlecht; dein Lovanii in Ecclesia D. Petri, Academiæ Rector, Collegii S. Donatiani per plures annos Præses; tum designatus a. 1681. ab INNOCENTIO XI. Pont. Vicarius Generalis & Apostolicus Diœcesis Sylvæducensis, per obitum Judoci Houbraken S. T. L. Canonici Cathedralis Eccl. Antverp., recens vacantis: quod quidem fat arduum munus per annos novem ingenti nominis fama, visitans non pagos modo Diœceseos & vicos, sed & ipsam, conniventibus Batavis, urbem Sylvæducensem, gessit. A. 1690. nominabatur a CAROLO II. Hispaniarum Rege ad Episcopatum Brugensem, & ab ALEXANDRO VIII. Pont. confirmatus, cam dignitatem a. 1691. die 7. Jan. adibat: qua exornatus, quidquid in gnavo, probo ac prudente animarum Pastore requiri potest, quindecim annorum spatio adamussim implevit. Obiit Brugis a. 1706, lethali suffocatus catarrho in Ecclesia PP. Augustinianorum, cum exequiis Georgii d'Ostiche urbis Brugens. Gubernatoris interesset. Sepulcro, quod in choro Ecclesiæ Cathedralis ibidem est, sequens apposuerunt hæredes epitaphium:

ILLUSTRIS. ac REVERENDIS. DOMINO
D. GUILIELMO BASSERY
olim Lovanii
Regio Canonum Professori,
Vicario Sylvæducensi,
inde
BRUGENSIUM EPISCOPO XIII.
vere Apostolico;
Perpetuo Fland. Cancellario
Qui funeri assistens,
Ipse funus fit
Mœrentibus omnibus
XVIII. Junii anni MDCCVI.
Ætatis LXIV.
Heredes posuerunt.

Vid. Joan. Bapt. de Castillion Sacr. Belg. Chronolog. P. II. pag. 524. & Histor. Episcop. Sylvæduc. in 4. pag. 126. edit. Bruxellis, Typis Franc. Foppens a. 1721.

STATUTA SYNODALIA (*) DIOECESIS AUGUSTANÆ,

CONDITA OLIM

a Revmo Domino HENRICO *V. a* KNÖRINGEN, *August. LXII. Episcopo,*

NUNC RURSUS PUBLICATA

Eodem anno Christi MDCXCIII.

PER SERmum & REVmum DOMINUM,

D. ALEXANDRUM SIGISMUNDUM, (**) *Comitem Palatinum, Bavariæ Ducem, Episcopum Augustanum LXV.,*

DIE 10. MARTII.

ALEXANDER SIGISMUNDUS, DEI GRATIA EPISCOPUS AUGUSTANUS, COMES PALATINUS RHENI, BAVARIÆ JULIÆ CLIVIÆ ET MONTIUM DUX, COMES VELDENTIÆ, SPONHEMII, MARCÆ, RAVENSPURGI ET MOERSIÆ, DOMINUS IN RAVENSTEIN, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS ET CAPITULIS, PRIORIBUS ET CONVENTIBUS, ATQUE RECTORIBUS ECCLESIARUM, CÆTERISQUE CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ AUGUSTANÆ CLERICIS ET PERSONIS ECCLESIASTICIS, TAM REGULARIBUS, QUAM SÆCULARIBUS, GRATIAM ET PACEM IN CHRISTO JESU.

SIcut nullum est tempus culpa vacuum, ita nullum esse vacuum debet cura Rectorum: hos quippe Divina Bonitas in tanto rerum fastigio posuit, ut propriis virtutibus sæculorum vitia sustentarent, & docenda facientes quandam per universos vivendi formam præscriberent: quod enim de sola

(*) HENRICI V. Statuta vide Tom. præc. a pag. 23.

(**) ALEXANDRI SIGISMUNDI elogium, quod fuse descripsit *in Hierarchia sua Augustana* Vir cl. plur. Rev. P. *Corbinianus Khamm* celeberrimi Ord. S. Bened. a pag. 455., hic damus compendio:

Natus is fuit serenissimis parentibus *Philippo Wilhelmo*, Electore Palat., & *Magdal. Elis. Amalia*, Landgravia Hassiæ, Neoburgi 16. Aprilis 1664. Inter Canonicos Constantienses, Eystettenses, Monasterienses & Augustanos resplenduit, designatus a. 1681. *Joannis Christophori a Freyberg*, Augustani Episcopi, Coadjutor, Præposi-

la ſtat ſcientia Magiſterium, habet quidem doctrinæ veritatem, ſed non habet efficaciam exempli, & compendioſior eſt diſciplina, quæ vivitur, quam quæ aurium gyris ſinuatur. Verum utut etiam præſularis vita univerſum colluſtret, nequeunt tamen multorum crimina unius aut paucorum reprimi virtutibus communicatis, cum e diverſo multitudinis innocentia ſæpe unius viſo crimine corrumpatur, eo, quod, minoris negotii ſit deſtruere, quam facere, velut in creatione beatiſſimi Job totum utraque manu Deum legimus operatum, cujus ad ruinam diabolus unicam laxavit, nec totam, Divinæ inhibitionis fræno coercitus. Eapropter cuncti orbis Magiſtratus cernentes quorundam probitatem ad univerſorum imitationem non proficere, ea, quæ contineri Religione mentium opportuiſſet, legum voluerunt periculo cuſtodiri, nulloque hodie ſub dominatu non legum minæ, quia rara admodum eſt innocentia ſine neceſſitate, quanta igitur hac in parte pro Clero habenda eſt cura ſolertior? quem ſors divina laicæ imitationi affectandum propoſuit, cujus diſciplina, ſi culpatur, ſine dubio mores cæterorum majori damno periclitantur. Ea ex cauſa piæ mem. Prædeceſſor noſter HENRICUS peregrinantem forte ſub laicis moribus Cleri ſtatum reducturus, habitis anno hujus ſæculi Xmo ſacris Auguſtæ Comitiis totam edidit in his Sanctionibus diſciplinam, quæ citra dubium eo noſcuntur eſſe pleniores, quo in perſonis tot aſſiſtentium Prælatorum præſtitit Deus conſilium, Succeſſores obſequium. Verum ut præ vilioribus optimis quibusque rebus proniores inſidiæ ſunt, quoque neſcitur pacto, velocius ad ſui conſummationem perveniunt, ita exemplarium numerus bellorum injuriis, uſu aſſiduo, edacique rerum tempore jam bis abſumptus eſt, ut novo rurſum prælo ſubdi neceſſe fuerit, apud conſcientiam noſtram læſionis genus reputantes, tam pretioſum Clericalis vitæ commeatum laudabili majorum diligentia conquiſitum noſtra demum injuria deperire.

Vos igitur Chariſſimi in Chriſto Filii curam veſtri præcipuam hac etiam in parte cognoſcite, dum leges lapſæ ætati confectas vobis typo perennamus, illi cauſæ invidia, vobis beneficio remanente, dulcia namque remedia ſunt, quæ ad uſum correctionis aliena ex calamitate procedunt, & compendioſa felicitas alterius periculo diſcere, quid debeas devitare. Nemo itaque hoc libro, cui cum ætate dignitas & pondus accedet, deſtitutus appareat: an enim Viſitatoribus noſtris fidem quis faciet, eam ſe vivere vitam, cujus negligit in Authore doctrinam? His proinde non omittimus admonere, ne poſtea cogamur exigere: paris autem

poſitura etiam Conſtantienſi condecoratus. Regimen Epiſcopale auſpicabatur die 1. Aprilis a. 1690. Princeps tam corporis majeſtate verendus, quam virtute mentis, dotibusque Principe dignis ſane quam ſpectabilis. Mirabantur in eo omnes angelicam ad aras ſolertiam, heroicam in rebus adverſis conſtantiam, facilitatem in levandis pauperum miſeriis ſingularem. *S. Antonio Paduano* erat cultu eximio addictus; cliens quoque Virginis Deiparæ piiſſimus: Confraternitatem SS. CORDIS JESU a. 1705. inſtituendam curavit Cathedrali in Eccleſia, aliaque annis aliis pia Sodalitia propagavit. Sub ipſo ornatus Eccleſiæ Cathedralis, & ſacri theſaurus Sacrarii magnis fuit incrementis auctus. In functionibus quibuscunque Eccleſiaſticis elucebat Sereniſſimi Epiſcopi zelus domus Dei, nec non indefeſſum ſtudium honorem Divini Numinis promovendi, ſalutem proximi & communia ejus bona procurandi, parta tuendi, ac mala toti Diœceſi Auguſtanæ, imo univerſo orbi Chriſtiano impendentia amovendi. *Ita laudatus Khamm ferme ad verbum*, qui & *Hierarchiam ſuam* eidem Alexandro Sigismundo inſcripſit, & in eodem clauſit Epiſcoporum Auguſtanorum catalogum ac deſcriptionem.... Obiit Princeps virtute non minus, quam Sermæ Domus faſtigio magnus, & animo ad virtutes comparato, ſacer myſta ſolertiſſimus, anno Chriſti 1737. die 24. Jan. anno ætatis 73. Reg. 46.

Videri etiam poteſt Hiſtor. Eccleſ. German. Epiſcopat. edit. Bruxellis apud Franc. Foppens a. 1724. *Tom. I. pag.* 126. Addi meretur *moderna Eccleſia Auguſtenſis*, ſive *Diœceſis Auguſtana* breviter deſcripta a Cl. Domino *Joanne Leonardo Mayr* t. t. Regiſtratore Vicariatus, & edita Auguſtæ Vindel. impenſis Joh. Bapt. Burkhard, 1762.

autem indignitatis eſt, ſi domi quidem, ſed pulvere ſordibus extra uſum conſiſtat, cum frequenti potius ſit lectione terendus, ut, quod in illo ſenſibus invenitis, vita teneatis, & cui navatis operam, præſtetis affectum, perditurus alias fructum ſui, ſin aſpici tantum, nec coli contingeret: in Domini ergo ſortem tranſlati, ſitis cum ſtatus veſtri ratione concordes, Clericalis nominis ſignificantiam actus vitæ conſumment, & cum ſe ratio propriæ neceſſitatis expleverit, alienis, quod ſupereſt, partibus impendatis; exiguum namque eſt meritum Clericorum, niſi profectibus cumuletur aliorum, & jam eorum fama laborat, cum Laici eam vitæ honeſtate non honorant, quorum vitia, licet Clericalis conſcientia non recepit, ad veſtri tamen ſcelus relegantur, & propriæ innocentiæ laudem detrahit crimen alienum. Quare ſanctitas ſtatus veſtri æmula conſcientiæ magis ac famæ memor, omni ſe in actu ita foris oſtendat, ut propria ſalute firmata, etiam viſa tantum alios pertrahat in ſequelam, vosque ſtipati tam glorioſo ſyrmate comitantium Laicorum deſtinata utrisque æternitatis præmia recepturi inceſſabiliter exultetis.

In Palatio noſtro Epiſcopali Auguſtæ Vindelicorum VI. Idus Martii anno poſt Chriſtum natum MDCXCIII.

Cl. Lünig Spicil. Eccleſ. Cont. II. pag. 433.

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS, Anno Chriſti MDCXCIV. Innocentii XII. PP. IV. Leopoldi I. Imp. XXXV.

HABITA

per Revmum & Illmum Dominum FRIDERICUM CHRISTIANUM, Monaſterienſem Epiſcopum,

DIE 22. MARTII.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

CUm dolenter animadverterimus, quod Clericorum non pauci in Civitate & Diœceſi noſtra vel Prælatorum, vel temporum impunitate & indulgentia allecti, in tot Synodalium Decretorum ſucceſſive, præſertim vero in utraque Synodo anno 1692. celebrata publicatorum non levem contemptum, ſpretoque Clericali honore, veſtibus laicalibus, & a præſcripto ibidem colore atro diſcrepantibus adhuc paſſim utantur, atque in illis cum maximo Laicorum ſcandalo, propriæque ſalutis diſpendio quotidie & publice incedere non reformident, hinc fatis Decretis, nec non Conciliis generalibus & maxime Tridentino firmiſſime inhærentes vobis diſtricte mandamus, ut ſupratactis Clericis Diœceſis noſtræ inter alia accuratiſſimam Decreti noſtri Synodalis 12. 8bris fati 1692. anni quoad geſtationem habitus Clericalis nigri ſciente & aſſentiente Capitulo noſtro Cathedrali promulgati obſervantiam quam ſedulo inculcetis, alioquin ipſos, & ipſorum quemlibet, cujuscunque etiam dignitatis vel conditionis fuerit, qui lapſo trium ſeptimanarum ſpatio, noſtro huic mandato, & veſtræ monitioni nunc & inpoſterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediverint, primo per ſuſpenſionem ab officio & beneficio, nec non ſi una vel altera vicibus correpti, nihilominus contumaciter in hoc ulterius delinquere perrexerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coerceri faciatis.

Inſu-

Inſuper cum Nobis non minori cum mœrore innotuerit, in nonnullis animarum Curatoribus ſufficientem ad animas rite paſcendas ſcientiam deficere, ejusque loco tam in myſteriorum fidei propoſitione, quam Sacramentorum adminiſtratione ſat magnam inſcitiam & ruditatem non absque animarum ipſis concreditarum notabili detrimento, aut etiam æterni excidii periculo apud eos irrepere, eo quod aut parum forſan inſtructi ad Paſtoralia munera acceſſerint, aut quod ſcientiæ habuerunt, id ulterioris ſtudii neglectu & otio, nimiaque ad res œconomicas cura potiori ex parte ſibi paſſi ſint elabi, idcirco & malo huic ex Epiſcopalis Officio debito tempeſtive occurrere volentes, omnes & ſingulos animarum curam in Diœceſi noſtra exercentes ad ſtudia vocationi & muneri ſuo exequendo conformia recolenda ac continuanda hiſce ſerio adhortamur, atque præcipimus, ut ii, de quibus id Nobis videbitur, toties quoties ad examen ſine ullo perſonarum reſpectu aut diſcrimine revocari, ac ſi in illo ſcientia neceſſaria ipſis deeſſe judicatum fuerit, ab officio ſuſpendi, aut omnino removeri poſſint & debeant. In quorum fidem præſentes manu & ſigillo noſtris corroboratas dedimus in Civitate noſtra Monaſterienſi 22. Martii 1694.

Fridericus Chriſtianus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS, Eodem anno Chriſti MDCXCIV.

HABITA

per eundem Rev. & Illmum D. FRIDERICUM CHRISTIANUM, Monaſt. Epiſcopum,

DIE 10. OCTOBRIS.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

QUoniam multipliciter ad Nos refertur plures, eosque publico & privato bono nocivos abuſus irrepere in defunctis terræ mandandis, idque propter enormem & exceſſive ſumptuoſum luxum ipſorummet, qui ſepeliri curant, vires & fortunas ſæpe numero ſuperantem, volumus & ſerio præcipimus, ut in pravam hanc & defunctis quidem inutilem, viventibus autem ſumme noxiam conſuetudinem ſedulo inquiratur, & omnibus, quæ ad pompam iſtam funebrem inutiliter conferunt, uti primario ac præcipue eſt conſuetus poſt funus terræ mandatum ad domum mortualem reditus, ibidemque inſtitui ſolita copioſa miniſtratio vini, præciſis & abolitis, ea ſolum retineantur, quæ ad honeſtam ſepulturæ decentiam conferre, & animabus defunctorum prodeſſe dignoſcuntur. In quo quidem, quoniam plura particulariter ſtatuenda ac determinanda veniunt, quæ hac noſtra commiſſione diſtincte comprehendi non queunt, illa proximis diebus prævia cum Capitulo noſtro Cathedrali, aliisque publicæ rei ac boni gnaris ac ſtudioſis deliberatione ſpeciali edicto evulgabimus. Has manu & ſigillo noſtris corroboratas dedimus in arce noſtra Ahuſana 1694. 10. Octobris.

Fridericus Chriſtianus.

NOTA-

NOTATIO SCRIPTORIS.

I. Nihil equidem publicatum fuit a FRIDERICO CHRISTIANO DE PLETTENBERG, Monasteriensi Episcopo, ab annorum superiorum Statutis diversum hinc in usque proximum Sæculum XVIII.; mos tamen perquam laudabilis, bis in anno Synodum celebrandi, ex ejusdem mandato constitit: quem vel hodie ea in Diœcesi vigere intelligo.

II. Est mihi in manibus Epitome Mandatorum & Ordinatorum per fel. m. Dominum LUDOVICUM ALPHONSUM DE VALBELLE, Audomarensem Episcopum, in Synodis ab a. 1694. ad a. 1703. editorum; sed cum ob linguam gallicam, qua scripta est, dubitem, an sit archetypum; expectabo, donec solutum meum hoc dubium fuerit, daturus tunc eam cum aliis de Audomarensi Diœcesi omissis ad annum 1583. Decretis Synodalibus in Supplemento.

III. Quæ hic sequuntur *Acta selecta Congregationum* &c. communico non in suos divisa annos, sed sub eo, quem in fronte habent, titulo & annorum serie.

SYNODI DIOECESANÆ NAMURCENSES,

AB

Anno Christi MDCXCVIII. Innocentii XII. PP. VIII. Leopoldi I. Imp. XXXIX.

AD MDCCI.

SUB ILLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO,

D. FERDINANDO Comite de BERLO, de BRUS, (*) *Namurcensi XI. Episcopo,*

IN PALATIO EPISCOPALI NAMURCI

CELEBRATÆ

FERIA IV. MAJORIS HEBDOMADÆ.

Acta selecta Congregationum,

Sub Illustrissimo ac Reverendissimo D. FERDINANDO Comite de BERLO, de BRUS, Episcopo Namurcensi, Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonico, in eadem Majoris Campiniæ Archi-Diacono &c. &c.

In Palatio Episcopali Namurci habitarum Feria quarta Majoris Hebdomadæ Annis 1698. 1699. 1700. 1701. *Assistentibus RR. Admodum DD. de Vicariatu nostro & Decanis Ruralibus.*

I.

NOtum sit omnibus, quod nuper receperimus Regis nostri fœlicis memoriæ CAROLI II. iterata Mandata pro plena observatione Brevis INNOCENTII XII. de data 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii transmissi ad exigendum juramentum & subscriptionem super formulario ALEXANDRI VII. contra famosas V. Propositiones Cornelii Jansenii.

II.

(*) Vide sub finem Actorum.

II.

Stricte prohibemus, ne quis præsumat conferre Sacramentum Baptismi, prætermissis cæremoniis Ecclesiasticis: nisi aliter necessitas exigat, aut appareat de nostro consensu in scriptis habito. De quo monendæ sunt obstetrices a Pastoribus.

III.

Meminerint Pastores perlegere & observare ea, quæ de Sacramento Confirmationis habentur in Synodo: insuper moneant diligenter adultos, ut non se præsentent ad suscipiendum illud Sacramentum absque prævia confessione recenter facta, ut in statu gratiæ illud recipiant. Denique indicent populo, quod uxoratis sit prohibitum se se invicem assumere in Patrinum seu Matrinam suarum respective prolium.

IV.

Nullus Confessarius præsumat audire confessiones, præsertim mulierum, in Sacrariis sine necessitate.

V.

Præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & quantum fieri potest, inducant, ut Medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmis provisum de spirituali salute, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Ut habetur Cap. 13. x. *De Pænit. & Remiss.* Constitutionem PII V. diligenter servando.

VI.

Clerici ad sacros Ordines promoveri cupientes, deinceps nullis officiis seu piis fundationibus pro titulo uti poterunt, nisi prius fuerint spiritualizata, aut aliter a Nobis ob bonas rationes disponatur.

Nec admittentur ad Subdiaconatum, nisi prius, præter alia, per duos annos Studiis Theologicis vacaverint; de quibus fidem facere tenebuntur testimoniis authenticis.

VII.

Diligenter advigilent Pastores, ne literas testimoniales ad relaxationem bannorum ad Nos transmittant, nisi prævio diligenti examine, tum de sufficienti contrahere volentium doctrina Christiana, tum de eorum libertate ab impedimentis dirimentibus, vel etiam impedientibus, ne nulliter aut illicite contrahant, ut sæpius contigit defectu examinis, & negligentia Pastorum, suas porro literas testimoniales claudant & sigillent.

VIII.

Insuper cum intelligamus personas conjugia ineuntes in plerisque locis male tractari, tum verbis, tum aliis molestiis, & vexationibus continuis, nisi pecunia, potu, aliisque sumptibus ejusmodi vexationes redimant, ut hujusmodi abusus efficaciter tollantur, & contrahendi Matrimonii libertas integra remaneat, in Domino monemus Pastores & locorum Officiarios, ut illis se intrepide opponant, & contravenientes ad Nos deferant, ut remediis opportunis mederi possit.

IX.

Experientia detegitur abusus, quod plurimi præsertim pauperum mendicantium, tum communem fidei regulam in sacro Apostolorum Symbolo expressam, tum Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam lingua solum latina calleant: ita ut non raro contingat prædictos, quid in particulari credere, quidve orare debeant, ignorare: cum gravi suæ salutis præjudicio, ut ejusmodi tollatur abusus, mandamus Pastoribus & aliis Catechisticis, ut serio moneant patres & matresfamilias, atque Scholarum Magistros & Magistras, ut sibi subditos, imo ipsimet Pastores dictos mendicantes lingua vernacula doceant supra specificata, ut mente, & sensu verborum intelligant, quid credere & orare debeant ad vitam æternam consequendam.

X.

Ne Sacerdotes ruri commorantes celebrando Missas diebus Dominicis & Festivis avocent Parochianos a Missa parochiali, & instructione Christiana; Pastores, & curam animarum habentes præscribent illis horas, quibus celebrabunt

brabunt Sacrum, ſub quo catechiſticam ſeu moralem lectionem facient ſub pœna arbitraria.

XI.

Renovamus noſtrum Decretum, quo prohibetur omnibus noſtræ Diœceſis Sacrariorum Directoribus, ne quempiam ignotum Sacerdotem ad celebrandum admittere præſumant, niſi ipſis conſtet celebrare volentes, noſtra in ſcriptis licentia munitos eſſe.

XII.

Quicumque panem & vinum pro Sacrificio Miſſæ miniſtrare debent, ſolicite advertant, ut pura ſint & ſufficienter conditionata.

XIII.

Sacerdos celebrans in fine ultimarum Collectæ, Secretæ, & Poſtcommunionis ſuperaddat, (exceptis Feſtis primæ & ſecundæ claſſis) clauſulam: *Et Famulos tuos*, paſſim in Belgio dici ſolitam, omiſſis omittendis, quam hic ſubjungimus: *Et famulos tuos N. Papam, N. Antiſtitem noſtrum, N. Regem, Reginam cum prole Regia, exercitibus, & populo ipſis commiſſis, & nos ab omni adverſitate cuſtodi, pacem & ſalutem noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, gentes paganorum, & hæreticorum dexteræ tuæ potentia conterere, & fructus terræ dare & conſervare digneris. Per Dominum* &c.

XIV.

Prohibemus, ne laicæ perſonæ tangant vel geſtent res ſacras, inter quas ſunt Olea ſacra, quæ nonniſi a perſonis Deo ſacratis contractari oportet: & Parochi advigilent, ne obſtetrices ſuperſtitioſe & vane utantur rebus Sacramentalibus.

XV.

Nullus præſumat exorciſare ſine noſtra licentia, qua obtenta ſingulis trimeſtribus, quid in hoc contigerit, referatur.

XVI.

Omnes DD. Archi-Presbyteri quotannis viſitabunt Eccleſias ſui diſtrictus ante Congregationem annuam hebdomadæ ſanctæ, ut in ea referre poſſint defectus, quos annotaverint, ut tunc opportuno remedio provideatur.

XVII.

Renovamus Statuta cujusque Decanatus pro reſumenda, & ſingulis annis continuanda Congregatione omnium Paſtorum ejus; in qua non ventris, ſed Dei, mutuæ charitatis, ac ſalutis animarum ratio habeatur; qui vero ſe abſentabunt ſine legitima excuſatione, & venia prævie obtenta a Domino Decano, mulctam ſtatutam & conſuetam ſolvere tenebuntur.

Reſumantur etiam claſſes menſtruæ, in quibus de caſibus conſcientiæ, Sacramentorum adminiſtratione, & aliis Parochorum munus concernentibus agatur.

XVIII.

Curam animarum habentes ſingulis trimeſtribus accurate renovent publicationem Decretorum tam noſtrorum, quam hujus Synodi populum ſibi commiſſum concernentium.

XIX.

Cum nonnulli Matricularii alios ſuo loco vili & exiguo ſtipendio ſubſtituant, unde fit, quod munia illis incumbentia negligenter perſolvantur. Præcipimus ſimilibus, ut perſonaliter reſideant, aut ſuis Subſtitutis, vita, moribus & ſcientia idoneis ad hoc repertis, & legitime approbatis, tantam fructuum partem cedant, ut Superiorum judicio pro honeſta ſuſtentatione ſufficiat: alias providebitur.

XX.

Nullus Clericus audeat inpoſterum cuicumque Confraternitati: vulgo *Serment d'Arc, Fuſil*, & ſimilibus nomen dare, & conſcripti ejusmodi ſocietatem abdicent.

XXI.

Omnes Beneficiorum Rectores onera ſuorum Beneficiorum diligenter exonerent, & exactam faciant diſquiſitionem piarum fundationum, ratione quarum tenentur Anniverſaria celebrare, quibus advigilabunt Paſtores, ut ſi qui ſint, qui eas juxta Fundatoris diſpoſitionem perſolvere nolint, aut negli-

negligant, eos quamprimum ad Nos deferant.

XXII.

Noverint Rectores Pastoratuum ac Beneficiorum, & fabricæ ac mensæ pauperum Mamburni, ideo tantum Nos exigere rescriptiones ejusmodi exactas, & authenticas, ut opportuno usui ipsorum esse possint, tum ne deperdantur bona Ecclesiastica, tum ut amissa recuperari possint; quas singulis quinquenniis renovare tenebuntur modo & forma prærequisitis.

XXIII.

Pastores singulis Dominicis inter Missarum solemnia consueto more, sigillatim exponent Anniversaria per sequentem proxime hebdomadam celebranda.

XXIV.

Cum DD. Decani ad Nos detulerint nonnullos recusare jurium obsonii & cathedratici, atque placetorum absentiæ solutionem, nisi intra trimestre doceant de sua exemptione, prout requiritur in Synodo *Titulo* 18. *Cap.* 5. inposterum non audientur, & contra recusantes procedetur.

XXV.

Nullus, qui Anachoretarum more indutus vivere volet, in ullo Diœcesis nostræ loco residere poterit sine nostra in scriptis licentia.

Admissi & inposterum admittendi visitentur frequenter per DD. Decanos & Pastores loci, & ubi aliquid grave corrigendum deprehenderint, ad Nos diligenter deferant.

Nec poterunt tales ex Decanatu, aut etiam ex propria Parochia quocumque prætextu exire sine nostra expressa vel Decani, & Pastoris facultate.

Ubi plures cohabitant a propriis Pastoribus, serio moneantur, ut fraternam charitatem, bonorum communicationem, pacem & concordiam servent sub pœna expulsionis ejus, qui dissidium scandalose moverit.

XXVI.

Advigilabunt Pastores & Officiarii locorum, ne qui per modum Quæstorum eleemosynarum percurrant Diœcesim non obstantibus quibuscumque privilegiis, & similes tanquam vagabundos expellant, nisi specificam in scriptis signatis & sigillatis nostram habeant licentiam. Similiter advertant sedulo, ne tales, aut alii, vulgo *Sabaudi*, divendant libros prohibitos, lascivos, orationes vanas, imagines turpes & difformes, cantilenas impuras & similia, & ne quis futura prædicere præsumat.

XXVII.

DD. Decani moneant Pastores, quatenus diligenter perlegant Synodum & Decreta omnibus distributa, ut in eis contenta tempore & loco exequantur.

XXVIII.

Supervenit quædam quæstio super reservatione potestatis absolvendi complicem in peccato carnali externo; quapropter jussimus imposterum exprimi id non licere, prout habetur in commissione ad excipiendas confessiones, & in omnibus expeditionibus ad curam animarum.

XXIX.

DD. Decani monebunt Pastores, quatenus habeant curam colligendi consueta legata a Testatoribus fabricæ S. Albani relicta, & per eorumdem manus D. Magistro dictæ fabricæ singulis annis transferant.

XXX.

Declaratur, quod facultas alias concessa DD. Decanis absolvendi a casibus Nobis reservatis, cum potestate illam delegandi ad singulos casus tantum, tribus quatuorve Pastoribus sui districtus in suo robore permanere debeat, nempe quod quotiescumque cuilibet Pastori casus accidet reservatus, semper pro singulis recurret ad D. Decanum pro auctorisatione & absolvendi potestate habenda.

XXXI.

Cum ſæpe oriatur dubium, quis Paſtorum cenſeatur legitimus perſonarum, quæ intuitu ineundi Matrimonii ſe recipiunt in quasdam Parochias animo quidem contrahendi ibidem Matrimonium, & paulo poſt migrandi in alium locum, ex quo naſci poſſet quæſtio invaliditatis ejusmodi Matrimonii, quapropter monemus omnes & ſingulos Parochos noſtræ Diœceſis; quatenus inpoſterum exprimant in ſuis teſtimoniis, ad effectum obtinendi diſpenſationem bannorum, ſimiles perſonas ea intentione ſibi ſubditas eſſe, minutas etiam deſuper circumſtantias recenſendo.

XXXII.

Si quæ mulier libera, ex operibus liberi pariat cum ſcandalo Parochiæ, in qua moratur, non admittatur ad Communionem Paſchalem, aut aliam quamcunque extra caſum neceſſitatis, niſi prius a Nobis obtinuerit licentiam, pro qua obtinenda tenebuntur Paſtores ipſius conditionem, vivendi modum, ac motiva, ſi quæ ſint, ſpecificare in ſcriptis. Idem etiam ſtatuimus in omnes peccatores publicos.

XXXIII.

Cum ad notitiam noſtram pervenerit, quosdam Eccleſiaſticos etiam Regulares ex alienis Diœceſibus plerumque expulſos, ad hanc Diœceſim confugere, ibidem domicilium figere, aut per eandem vagari, qui munia Eccleſiaſtica ſine noſtris licentia & aſſenſu in contemptum noſtri Decreti de data 25. Auguſti 1700. obeunt.

XXXIV.

Hinc eſt, quod iterato mandemus & ſtricte præcipiamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ut ullos Eccleſiaſticos non Diœceſanos recipiant ad quæcumque munia Eccleſiaſtica perſolvenda, niſi prius muniti ſint legitimis teſtimoniis viſis & approbatis; & ut jam recepti melius dignoſcantur, volumus, ut ſinguli noſtræ Diœceſis Rectores infra menſem Aprilis proximi ſcripto referant ad DD. Decanos reſpective ſuos, qui deinde ad Nos ſtatim transmittent ſingulorum Eccleſiaſticorum non Diœceſanorum nomina, cognomina, patriam, functiones, mores, capacitatem, moram temporis quo reſident, adeo ut ejusmodi extranei, quamvis etiam antehac per Nos approbati, a feſto S. Joannis Baptiſtæ proximo non poſſent ullum munus Eccleſiaſticum etiam Miſſæ Sacrificium exercere, ſine prævia noſtra in ſcriptis licentia, ſub pœna ſuſpenſionis incurrendæ.

XXXV.

Audivimus pleroſque Parochos interdum ſuas teſtimoniales literas pro bannorum diſpenſatione ſubditis relaxare absque eorum prævio diligenti examine circa doctrinam Chriſtianam, ita ut ſæpius contrahentes etiam præcepta fidei ad ſalutem neceſſaria ignorent, quare ſerio monemus omnes & ſingulos curam animarum gerentes, quatenus diligenter ejusmodi ſuos ſubditos contrahere Matrimonium volentes examinent, & ſi quos reperiant rudes, rudimentorumque fidei ad ſalutem præcipue neceſſariorum ignaros inſtruant, petitas teſtimoniales denegent, donec ſufficienter inſtructi reperiantur.

XXXVI.

Advigilent ſinguli Paſtores, ne ſui Parochiani excurrant ad vendendum & emendum indiſtincte diebus Dominicis & Feſtis.

XXXVII.

Cum ratione Articuli 32. præmentionati poſſent aliqua inconvenientia evenire, relinquitur facultas Paſtoribus inducendi mulieres, de quibus ibidem quæſtio, in acceptationem alicujus pœnitentiæ & in reparationem ſcandali dati, dummodo tamen non ſint recidivæ, pro quibus dictus Articulus manet in ſuo robore.

XXXVIII.

Injungimus DD. Decanis, ut omnes Paſtores ſui reſpective diſtrictus ſerio moneant, quatenus populum ſibi commiſſum diligenter inſtruant, alias ſi quis eorum tribus Dominicis ſeu Feſtivis

ſtivis ſolemnioribus continuis prædicationem verbi Dei & Catechiſmum facere neglexerit, denuntietur Domino Officiali noſtro.

XXXIX.

Nullus Paſtorum noſtræ Diœceſis ex Parochia diſcedat quacumque cauſa niſi urgentiſſima, absque noſtra, aut ſui Decani licentia, modo tamen prævie providerit muneri Paſtorali.

XL.

Mandamus cuilibet Paſtori, quatenus ſæpius legant Titulum decimum Synodi noſtræ nuper renovatæ, & populo exponant præcipue obligationem frequentandi Parochias.

XLI.

Advigilent, ne Confeſſarii excipiant confeſſiones, præſertim mulierum, extra caſum neceſſitatis, in locis privatis & ſacrariis, & contravenientes deferantur, ut indilate eorum admiſſiones revocemus.

XLII.

Qui poteſtatem binandi habent in hac Diœceſi, ſciant ſe ea uti non poſſe, dum eodem die aliquis Sacerdos celebravit, aut celebraturus eſt in deſtinato binationis loco.

XLIII.

Notum facimus, quod brevi ſtatuemus (ſtatutum enim fuit) inſtructiones pro Confeſſariis, in quibus ſpecificabitur, Confeſſarium quemlibet & quocumque tempore admiſſum, ex nunc non poſſe ſecum complicem in actu venereo externo mortali abſolvere.

XLIV.

Renovamus ultimæ Congregationis Articulos, ſexto præcipue inhærentes, quapropter ſtatuimus inſtructiones pro Paſtoribus, aliisque Confeſſariis per Nos approbatis, & inpoſterum approbandis obſervandas, & cuilibet per DD. Decanos diſtribuendas, præcipiendo ſtricte, quatenus ejusmodi inſtructiones integras obſervent.

XLV.

Monemus inſuper Paſtores noſtros, ut in ſuis literis teſtimonialibus ad effectum obtinendi relaxationem bannorum exprimant, ſi Sponſæ frequentaverint publice, extra caſum neceſſitatis aut itineris popinas ſerio hac ipſis prohibitas, ut dicta relaxatio retardetur conformiter ad illarum pertinaciam.

XLVI.

Renovamus licentiam binandi Paſtoribus quibuslibet conceſſam poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ proximum.

XLVII.

Audivimus etiam nonnullos eorum recuſare Baptiſatorum nomina ſuis regiſtris inſcribere, dum patrini nihil eis contribuunt, quare ſtricte prohibemus, ne hoc impoſterum faciant ſub pœna arbitraria.

XLVIII.

Plurimi Beneficiorum ac piarum fundationum Collatores eorundem proviſiones diſtrahunt, & ſæpe in eorum utilitates tamdiu convertunt, ut exinde Fundatorum defraudetur intentio, proviſique non raro negligunt onera prædictis Beneficiis & fundationibus piis incumbentia, idcirco injungimus omnibus Parochis noſtræ Diœceſis, quatenus prætactas fundationes ſub Parochia qualibet reſpective ſitas, obligationes annexas, & nomina poſſidentium ſuis propriis Decanis notificent ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ proximum, quorum ſpecificationem indilate ad Nos transmittent, ut cito hujusmodi abuſui provideatur.

XLIX.

Injungimus DD. Decanis ruralibus facultatem habentibus diſtribuendi diſpenſationes bannorum, ſubſignatas a Graffæo Curiarum noſtrarum, quatenus nullæ expediantur pro nobilibus perſonis, pro extraneis, qui per annum non habitaverint in hac Diœceſi, & niſi ſint omnes de diſtrictu reſpectivo.

L.

Caveant Paſtores omnes, ne diſtribuant teſtimonia ad effectum obtinendi

nendi ſimiles bannorum diſpenſationes absque præciſa ſpecificatione conditionis, ſtatus, & vacationis perſonarum Matrimonium inire volentium.

LI.

Relatum fuit in hac Congregatione plurimos Diœceſis noſtræ fideles ſacro Miſſæ Sacrificio diebus Dominicis & Feſtis non raro, hoc miſerrimo præſertim tempore, inde privari, quod nulli Paſtores ſibi invicem vicini non conveniant inter ſe de hora populo ſibi commiſſo favorabiliter ad hoc convenienti, quapropter omnibus ejusmodi Paſtoribus injungimus, etiam derogando Diœceſanæ Synodo *Tit.* 11. *Cap.* 10. habitæ anno 1659. ut tempus ad hoc opportunum inter ſe metiantur.

LII.

Accuſantur etiam quidam Paſtores de negligentia in inſtruendis ſubditis, quare niſi cito reſipiſcant vocaturi ſunt ad Seminarium noſtrum Epiſcopale, & deputandi erunt Alumni ejusdem Seminarii eorum loco, donec de negligentia eos pœnituerit ſatis.

LIII.

Dolenter etiam accepimus interdum ſuffocari proles, aut in moribus corrumpi ratione concubinatus cum parentibus, inculcent hoc igitur Paſtores Parochianis ſuis, ut ejusmodi malum evitetur.

LIV.

Serpit in hac Diœceſi quædam corruptela verborum, quæ per ſyncopen & alia verba topica aut alias ſumitur nomen Dei in vanum, etiam ſæpius per Eccleſiaſticos, quare ut in deſuetudinem abeat, ſæpiſſime arguant, increpent, & obſecrent Paſtores deſuper ſubditos ſuos.

LV.

Cum ſæpius conquæſti ſint ad Paſtoratus ſeu Beneficia Eccleſiaſtica vacantia promoti, quod hæredes Prædeceſſorum tamdiu ſemper vindicent regiſtra & documenta ejusmodi Paſtoratuum, ſeu Beneficiorum concernentia, ut inde patiantur difficultates, & non raro quædam eorum diſſipentur in magnum præjudicium Eccleſiæ vacantis, ſeu Beneficii. Idcirco mandamus Dominis Decanis, quatenus habita notitia mortis, aut etiam morbi periculoſi alicujus Eccleſiaſtici ſibi ſubditi, ad ædes ejusdem ſe transferant, ut regiſtra & documenta Beneficium defuncti, aut defuncturi concernentia in loco tuto includant, aut ſecum aſportent, præfatis poſtea promotis integre conſignanda, & dictis hæredibus, opus ubi erit inſpici & per copiam haberi permittenda. Et ut præfatum novum Mandatum ſuos in promptu ſortiatur effectus, tenebuntur Paſtores vicini aut vicinior eorum ſuo reſpective Decano mortem aut morbi periculum Confratris aut Rectoris etiam Beneficii ſimplicis notificare.

LVI.

Curent Paſtores hoc tenore dirigere literas teſtimoniales ad effectum obtinendi diſpenſationem Bannorum Illmo ac Rmo Domino FERDINANDO Epiſcopo Namurcenſi.

LVII.

Caveat quilibet Sacerdos quacumque auctoritate fultus intervenire Matrimoniis non confeſſorum, nec intervenire poſt meridiem, niſi allegatis in ſcripto rationibus; obtentaque a Nobis licentia.

LVIII.

Miramur nonnullos eouſque ſpreviſſe Decreta Synodalia a Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris ſæpius repetita, quibus prohibitum eſt cuiquam aquam luſtralem ad manum præbere, etiam in quavis dignitate conſtituto, unde ſæpe ſæpius ſemen diſcordiæ ſuſcitatum eſt. Quapropter ut ejusmodi diſcordiis finis imponatur, ſtricte prohibemus omnibus & ſingulis Presbyteris, ne aquam luſtralem ad manum cuiquam præbeant, ſed omnes aſpergant. Sequitur Decretum Illmi ac Rmi Domini WACTENDONC.

JOAN-

JOANNES, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS NAMURCENSIS, OMNIBUS HAS VISURIS SALUTEM IN DOMINO.

" CUm eousque ascendat quorundam arrogantia, ut etiam in Ecclesiis parochialibus pagorum, ubi illi Domini, vel Toparchæ sunt, audiant insinuare, ut Parochiani in Templo existentes iisdem dictas Ecclesias intrantibus assurgere, & reverentiam facere teneantur, quo medio & populi devotio, & honor (qui uni Dei debetur) notorie patitur, & languescit, & quas Divinis operibus jugiter decet esse intentos, per divagationes dignoscuntur, velut in cloacam distractionum immergi, quod etiam quidam Domini sibi a Pastore seu Celebrante aspergillum porrigi, & aquam benedictam propriis sibi manibus applicare præsumant, in vilipendium eorum, quos Apostolus vocat *Genus electum, Gentem sanctam, regale Sacerdotium.* Nos ne abusus ille ulterius prorepat, inhibemus singulis Parochianis in Ecclesia sua orantibus ullam assurrectionem, prout etiam eorum Pastoribus ullum illis aspergillum porrigere quocumque prætextu, bene conveniat illis aquam ante omnes alios accipere postea distribuendam reliquis Missæ interessentibus; quod si dicti Pastores contra dispositiones sacrorum Canonum aliter fecerint, Nos contra eos per censuras, & alia media procedemus. Datum Namurci 3. Februarii 1665. sub Sigillo nostro & Secretarii nostri signatura. *Sign.* DE ZUERENDONQ.

LIX.

Ægre admodum audivimus plurimos Sæculares, non raro abusos fuisse licentia laborandi diebus Dominicis & Festivis hoc miserrimo belli tempore concedi solito, quapropter volumus omnes esse monitos inposterum ejusmodi facultates fore nullas, si inconsulto Pastore iisdem uti velint.

LX.

Adulti sacro Confirmationis Sacramento nondum insigniti a suis respective Pastoribus nostræ fidei præcepta recte doceantur, & Confessionem Sacramentalem instituant, antequam ad hoc Sacramentum suscipiendum accedant.

LXI.

Cum ante hac sæpius conquesti sint Decimatores & alii interesse habentes, quod in anterioribus nostris visitationibus ad onus eorumdem inauditorum diversa decrevimus, propterea volumus, ut inposterum Pastores visitationis nostræ diem iisdem indicent, ut tempestive adesse valeant.

LXII.

Convocentur Justitiarii & Mamburni locorum, ut ex ipsis diligenter inquiri possit status mensæ pauperum & fabricæ in diversis locis multum neglectarum, & male administratarum.

LXIII.

Renovetur Processio Dominicalis, ut devotio populi augeatur.

LXIV.

Graviter accepimus diversos Ecclesiasticos sæculares, & præsertim Regulares ita contemnere Regulas Ecclesiæ in administrandis Sacramentis præscriptas, se seque temere ingerere in nonnullis muneribus pastoralibus, ut renovare teneamur Decretum nostrum in Congregatione habita anno 1706. Art. 4. latum.

LXV.

Et ut hoc Decretum inconcussum nunc existat, nullus Sacerdos sæcularis vel Regularis audeat excipere confessiones in quacumque Ecclesia rurali, nisi prius exhibeat suas admissiones pro excipiendis confessionibus Pastori loci, alias sciat ejusmodi Confessarius suas admissiones ipso facto esse revocatas, prout per præsens revocamus, dummodo tamen ad notitiam ejus pervenerit hoc nostrum Decretum.

LXVI.

Prohibuimus antehac prout iterum prohibemus, ne quis præsumat administrare Sacramentum Eucharistiæ, benedicere aquam lustralem, aliasque

que functiones paſtorales in locis privatis, niſi obtenta licentia prius a Paſtore loci, ſub pœna ſuſpenſionis poteſtatis excipiendi confeſſiones & prædicandi verbum Dei incurrenda.

LXVII.

Viſum Nobis erat initio adventus noſtri ad Epiſcopatum Namurcenſem proviſum ſufficienter fuiſſe pro eradicandis certis concionabulis, quæ conſuete in cœmeteriis fiebant contra loci ſancti honorem & cum periculo ſæpius prophanationis ejusmodi; verum cum intelligamus illa iterum reviviſcere in diverſis locis, recte cenſuimus talia denuo prohibere, prohibitionemque tunc latam renovare.

LXVIII.

Injungimus DD. Decanis ruralibus, ut hoc anno Acta viſitationum ſuarum ſui reſpective diſtrictus conficiant, & ad Nos transmittant, & inpoſterum ſingulis trienniis eadem obſervent.

LXIX.

Animadvertimus in diverſis locis computus menſæ pauperum non obſtantibus noſtris reiteratis monitionibus a pluribus annis negligi; quare ne Dominus Deus de negligentia nos deſuper arguat, iterum ſerio injungimus DD. Paſtoribus, quatenus ad Nos deferant in ejusmodi adminiſtratione tædioſos, ut remedio opportuno ad impletionem muneris ſui compelli poſſint.

LXX.

Tam alte irrepſit in certis locis quisdam ſtudioſus error contra acta Epiſcopalia antehac emanata, quibus prohibetur, ne quis Sacerdos celebret, aut alia officia paſtoralia exerceat in locis privatis non conſuetis, ſeu reluctantibus Paſtoribus etiam tempore officiorum parochialium, quod in præjudicium jurium parochiarum & maxime animarum ſalutis vergit, ut iterato omnes & ſingulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares monere teneamur, prohibereque, ne inpoſterum ſimilia peragant absque noſtra in ſcriptis obtenta licentia, & Dominis Paſtoribus prius ſignificata; alias remedium ejusmodi abuſibus præſcriptum adhibere non deſinemus.

LXXI.

Dolenter didicimus quasdam proles recenter natas ob diſtantiam a parochia in ductu ad Baptiſmum absque regenerationis lavacro fuiſſe morte præoccupatas defectu ſæpe aquæ naturalis ad validitatem Baptiſmi neceſſariæ, eapropter ne aliquid negligentiæ vel præcautionis a Nobis deſuper requirat Dominus Deus, ſerio monemus & injungimus ejusmodi proles ad Baptiſmum deferentibus, quatenus ſecum ſemper habeant & portent vaſculum aquæ eadem utendi ergo adveniente aliqua baptiſandi in itinere neceſſitate.

LXXII.

Didicimus etiam plurimis in locis modos larvarum tribus diebus Bachanalium & prima Dominica Quadrageſimæ nondum penitus obolitas eſſe, quamvis plurimum bonos mores depravent, quibus antidotum adhibere volentes, conceſſimus, prout per præſentes concedimus omnibus in ſtatu gratiæ Miſſæ Sacrificio aſſiſtentibus præfatis diebus quadraginta, & veſperi Litaniis & Sacramentali Benedictioni ſubſequenti viginti dies de vera indulgentia conſueta, penitus tamen excluſis omnibus perſonis larvis utentibus.

LXXIII.

Cupimus etiam in noſtra Diœceſi unum labium & unum docendi modum Chriſtianam Doctrinam, quapropter mandamus omnibus Paſtoribus, Vicariis, & Ludimagiſtris, ut ſolis & unicis noſtræ Diœceſis Catechiſmis utantur.

LXXIV.

In decurſu viſitationum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis perſpeximus diverſa pauperum bona oppignorata fuiſſe ad certum tempus, & etiam indeterminate in favorem totius communitatis reſpective; & cum æquum ſit hoc tempore pacis illa a dictis communitatibus repignorari, eapropter injungimus Paſtoribus locorum ſimilium, ut moneant eorum Juſtitiarios, quatenus

tenus media procurent ad redintegranda præfata bona, & si ulteriorem dilationem desuper prævideant, illico Nos de hoc certiorent, ut promptum adferamus remedium.

LXXV.

Irrepsit certus irregularis modus distribuendi redditus quarumdam fundationum piarum, videlicet panum seu granorum certis diebus, qui communiter & indifferenter distribuuntur etiam non pauperibus, quod non solum rectæ rationi, sed etiam rectis Fundatorum intentionibus repugnat: quare ut abusui ita pauperibus præjudicabili finis imponatur, decernimus ejusmodi distributiones solis pauperibus esse elargiendas, juxta ordinationes nostrorum Principum & Juris dispositionem.

LXXVI.

A plurimis filiis iniquitatis obedientiam vix ullam nostris Decretis adhiberi dolentes sane audivimus, cum tamen omnis spes affulgeret, fore ut omni alacritate in eis observandis proclives fuissent, pretioso Ecclesiæ Dei thesauro participes nostra dispensatione effecti. At cupientes & summopere desiderantes malos mores penitus aboleri & eradicari, renovandum duximus nostrum Decretum de Data 28. *Martii* 1714. Quapropter denuo monemus & inhibemus larvas diebus Bachanalium, similesque se mentiendi modos, tamquam nativam juventutis innocentiam corrumpentes. Et ut facilius ad observantiam Decreti a Nobis lati omnes nostri subditi alliciantur, continuamus ad revocationem nostram omnibus, qui in statu gratiæ Sacrosanctæ Missæ Sacrificio Quadraginta, & Vesperis, Litaniis & Sacramentali Benedictioni interfuerint, viginti dies de vera indulgentia consueta; larvatos tamen, uti indignos donorum Dei, iis favoribus privatos declaramus; utque præsens nostrum Decretum imposterum effectum prætensum fructuosius sortiri possit, omnes Pastores & Vicarios in Domino hortamur, quatenus iis diebus larvarum non prorsus a suis Parochiis & locis, quibus præsunt, absint, cum eorum præsentia multum efficere possit ad avertendos abusus servorum ad oculum.

LXXVII.

Enimvero ad augendum magis ac magis devotionem, & pietatem nostrorum subditorum, extendimus præfatas ejusmodi Indulgentias, assistentibus omnibus Officiis Divinis diebus Dedicationis & Sancti Patroni cujuslibet loci, & similiter Officiis Divinis feriæ sequentis.

LXXVIII.

Injunxeramus etiam in nostro Decreto Congregationis anni proxime elapsi Pastoribus locorum nostræ Diœcesis, ut monerent eorum Justitiarios, quatenus media procurarent ad recuperanda bona pauperum in favorem suarum communitatum respective tempore belli oppignorata; quod iterum mandamus, comprehendendo bona fabricæ etiam similiter alienata, nulla ulteriori adhibita mora, non parentes vero ad Nos deferant, ut contra negligentes procedatur indilate, computusque eorum similiter debitis modis reddantur.

LXXIX.

Cum advertamus observationem dierum Dominicorum & Festorum non esse talem qualem decet juxta Dei & Ecclesiæ præcepta, Principum nostrorum Ordinationes & nostræ Synodi Statuta sæpius repetita tam malitia temporum, quam belli calamitatibus irreptam, ideo iis abusibus obviare volentes pro debito muneris nostri mandamus Pastoribus, Officiariis locorum, & nostris quatenus advigilent, ejusmodi dies sanctos inviolabiliter observari, alias contravenientes venient puniendi juxta rigorem Canonum & Legum.

LXXX.

Relatum Nobis fuit in aliquibus locis die omnium Defunctorum pulsari campanas per totam noctem, quod aliquo modo inducit dissolutionem juvenum, qui petulanter pulsando causant fractionem campanarum, quapropter inhibemus imposterum, ne ultra nonam vespertinam pulsus conti- nuetur,

nuetur, & ante quartam matutinam denuo resumatur sub pœna fiscalizationis in similes petulantes.

LXXXI.

Cum multi a Prædecessoribus nostris, & Nobis licentiam exonerandi Missas suorum Beneficiorum extra locum, in quo sita sunt, sibi incumbentes obtinuerint, propter belli calamitates aut alias ejusmodi rationes, iis mandamus, quatenus de ejusmodi licentia infra tres menses Nos doceant, alias nunc pro tunc illas revocatas esse decernimus.

LXXXII.

Attento, quod aliqui DD. Decani negligant exactionem placetorum absentiæ, monitos esse volumus, ut imposterum ea diligentius colligant, ne similia jura depereant.

LXXXIII.

Iterato didicimus bona pauperum nondum esse a Justitiariis diversorum locorum recuperata, & eorum computus nondum esse redditos nec purgatos, non obstantibus nostris Decretis *de Annis* 1714. *de Data* 28. *Martii*, & 1715. *de Data* 17. *Aprilis*, quibus injunxeramus præfatis Justitiariis, quatenus media adinvenirent pro iis restaurandis & repignorandis, quare denuo mandamus Pastoribus, ut ultimo moneant dictos Justitiarios, ut sine mora hocce nostrum Decretum & præcedentia executioni mandent sub pœna &c. Et ut mentionatæ alienationes penitus cognosci possint, injungimus præfatis Pastoribus, ut diligenter perquirant, ante factas in suis respective Parochiis, copiamque ejusmodi actorum, alienationum indilate ad Nos remittant, & resciant omnes, quod imposterum similia bona non alienabuntur, nisi ad tempus fixum; quo finito, finietur alienatio.

LXXXIV.

Audivimus indignanter plures Beneficiatos recusare solutionem placetorum absentiæ, aliquorumque habitationem esse ignotam, quare præcipimus præfatis DD. Decanis, quatenus tales ad Nos deferant, ut suorum Beneficiorum fructus arrestari curemus, eoque medio ad solutionem ejusmodi adigantur, & ignoti noscantur.

LXXXV.

Mandamus insuper Pastoribus & Beneficiatis nostræ Diœcesis, ut conficiant rescriptiones suorum Pastoratuum & Beneficiorum respective, & DD. Decanis tradant infra tres menses; postea ab iis ad Nos transmittendas, quod singulis quinquenniis observabitur, specificentque dicti Pastores Beneficia fundata in suis Ecclesiis, faciantque mentionem, utrum Beneficiati sint instituti, & in loco Beneficii Missas exonerent, & alia sibi incumbentia diligenter subministrent.

LXXXVI.

Cum etiam ad Nos referatur, plebem Nobis commissam hinc inde vagari ad tribunalia confessionis, unde fit, ut Pastores ignorent, an eorum subditi Sacramentum Pœnitentiæ frequentent, quare volumus, ut nullus ad Communionem Paschalem admittatur, nisi doceat se confessum.

LXXXVII.

Attento, quod nunc suspectis temporum angustiis irretiti existamus, monemus locorum Superiores & Justitiarios nostræ Diœcesis, iisque injungimus, ut nullas personas extraneas ad habitationem admittant, nisi prius professionem fidei emiserint.

LXXXVIII.

Præcipimus etiam Pastoribus Nobis subditis, ne literas in ordine ad Matrimonium pro talibus extraneis personis expediant, vel eas Matrimonio jungant ante similem fidei professionem emissam.

LXXXIX.

Ex Decreto nostro emanato in ultima nostra Congregatione 8. *Aprilis* 1716. non dubitaveramus, quin vigilantia & diligentia Pastorum Nobis subditorum, omnes alienationes bonorum pauperum notificatæ Nobis fuissent, verum cum id a plerisque neglectum sit, mandamus, quatenus Nobis declarent & exhibeant modum, quo & ratio-

rationes, ob quas oppignorata ſunt, & cur nondum ſint repignorata, copiam actorum, ejusmodi alienationum ad Nos ſimul transmittant, intra duos menſes, aliis ex officio agere curabimus contra negligentes.

XC.

Cumque Nobis relatum ſit plures, ut præfertur, alienationes ad tempus fuiſſe conceſſas a Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, quæ finito tempore repignorabantur, & alienationes penitus ceſſabant, quare præcipimus RR. Paſtoribus præfatis & locorum Juſtitiariis, ut ab effluxo termino ſoluta repetant, ut ad minus pro quota pauperum in diminutionem ſortis cedant, & ut noſtrum præſens Decretum omnibus notum ſit, volumus illud per prædictos Paſtores publicari tribus Dominicis a concione habita, conſequentibus.

XCI.

Moleſtum etiam Nobis fuit audire per multos tam Sæculares, quam Regulares, tam Curatos, quam Beneficiatos non confeciſſe reſcriptiones ſuorum reſpective Paſtoratuum & Beneficiorum, non obſtante noſtra deſuper ordinatione, quare iterato iis injungimus, ut omnes indiſtincte eas ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ proximum ad Nos transmittant, ſub pœna, quod negligentes ad id officio Promotoris noſtri adigentur, & contra extraneos per arreſtum fructuum ſuorum Beneficiorum procedetur, & ne quis hujus noſtri Decreti ignorantiam fingat, ordinamus, ut publicetur eo quo ſupra modo.

XCII.

Audivimus deſuper ſummo cum dolore ſcandala permulta oriri, eo quod ſexus fœmineus ſine ulla neceſſitate popinas audeat frequentare, unde indicandum omnibus Paſtoribus noſtris duximus conformiter, & juxta noſtrum Decretum *de* 20. *Aprilis* 1717. ne ullas literas teſtimoniales in ordine ad Matrimonium puellis contravenientibus relaxent ante ſufficientem ſatisfactionem & notariam emendationem Nobis ſignificandam.

XCIII.

Plurimum denuo hortamur ſimul & præcipimus, ut ad removendas a Provinciis noſtris facilius perſonas de hæreſi ſuſpectas, & pernicioſa illa labe infectas, Profeſſio fidei a ſingulis extraneis pro obtinendis quibuscumque actis, teſtimoniis, aut in locis noſtræ Diœceſis habitatione figenda, ſecundum noſtras anni præcedentis Ordinationes, emitti curetur.

XCIV.

In præcedenti noſtra Congregatione mandaveramus bona pauperum de noſtra, & Prædeceſſorum noſtrorum licentia ob neceſſitates ſubditorum noſtrorum oppignorata eſſe recuperanda; verum intelligimus noſtrum Decretum nondum ubique ſortitum eſſe effectum: quapropter ultimo monemus Paſtores noſtros, quatenus omnem diligentiam adhibeant, ut Juſtitiarii locorum ſine ulteriori mora media perquirant, ut dicta bona pauperum repignorentur, vel ſaltem ſi quæ ſint cauſæ id impedientes, ſcripto per libellos ſupplices intra trimeſtre exhibeantur, ut de earum ſufficientia vel inſufficientia cognoſcamus, alias contra communitates deficientes officiis Promotoris noſtri, etiam invocato, ſi opus ſit, Procuratoris Regii auxilio agere curabimus.

XCV.

Et ne noſtri hujus Decreti ignorantiam quis ſimulet, volumus, ut Paſtores de manu ad manum illud ſibi mutuo communicent, per totum reſpective ſuum diſtrictum ac copiam deſcribant, ſub pœna citationis ad onus penes ſe retinentis.

XCVI.

Cum plurimi Beneficiati pergant recuſare jura placetorum abſentiæ, præcipimus contra eos ad ejusmodi ſolutionem indilate procedi.

XCVII.

Nobis relatum eſt a juvenibus petulantias maxime ſcandaloſas fieri ratione Matrimoniorum, præcipue viduorum, & exactionum panum cornutorum in Natalibus, vulgo *Cougnioux*, unde

unde clamores, tripudiationes, cœtus nocturni oriuntur; præcipimus Pastoribus, quatenus suos Parochianos moneant, Nos desuper querimonias ad Procuratorem Regium delaturos, ut contra tales imposterum delinquentes rigorose officium suum exerceat, nisi huicce nostræ monitioni se submittant, & a similibus ac eorum consequentiis abstineant.

XCVIII.

Antehac ad majorem Dei cultum ac gloriam in Processionibus arma deferri prohibuimus, quam prohibitionem denuo renovamus.

XCIX.

Licet choreas, quarum centrum est diabolus, ac lusus publicos Ecclesiastici maxime abhorrere debeant, nihilominus audivimus quosdam Pastores, Presbyteros, Terminarios ita muneris sui oblivisci, ut non vereantur iis præsentes esse ac immisceri; quare ad tanto scandalo medendum prohibemus Pastoribus, cæterisque Presbyteris sub pœna citationis, & Terminariis sub pœna revocationis admissionum &c., ne in dictis locis publicis tempore chorearum se audeant præsentare.

C.

Sciant DD. Decani facultatem per Synodum iis concessam deputandi duos Pastores in suo respective districtu ad absolvendum a Casibus Nobis reservatis, eam potestatem sic subdelegatam singulis annis esse renovandam.

CI.

Omnes tam Sæculares, quam Regulares pro confessionibus excipiendis præsentandi nonnisi die Martis cujuslibet hebdomadæ, duorum ad minus DD. Examinatorum Synodalium examini sistendi, accedant.

CII.

Habita relatione Articulum primum præcedentis nostræ Congregationis nondum ubique sortitum esse effectum, ideo illum renovandum esse duximus, denuoque mandamus bona pauperum de nostra, & Prædecessorum nostrorum licentia ob necessitates subditorum nostrorum oppignorata, esse recuperanda; quapropter iterato & absolute ultimo monemus Pastores nostros, quatenus omnem diligentiam adhibeant, ut Justitiarii locorum sine ulteriori mora media perquirant, ut dicta bona pauperum repignorentur, vel saltem si quæ sint causæ id impedientes, scripto per libellos supplices intra trimestre exhibeantur, ut de earum sufficientia vel insufficientia cognoscamus, alias contra communitates deficientes officio Promotoris nostri, etiam invocato, si opus sit, Procuratoris Regii auxilio agere curabimus, & ut omnibus nostrum Decretum notum sit, volumus a Pastoribus tribus Dominicis & Festis intra Missarum solemnia publicari.

CIII.

Requirimus DD. Decanos, quatenus prosequantur solutionem jurium placeti absentiæ, nolentes vero solvere deferantur, quamprimum ut via juris contra eos agatur.

CIV.

Mandamus Pastoribus, ut ad Nos deferant insolentias suorum Parochianorum viduis in solemnizatione secundarum Nuptiarum illatas, specificentque, an in sacro seu profano loco commissæ sint.

CV.

Prohibemus iterum ac denuo arma in Processionibus deferri, sub pœna, quod contra ferentes via juris procedetur.

CVI.

Cum antehac pluries fuerit ordinatum, Presbyteros in Civitate residentes superpelliceis indutos Processionibus assistere debere, eandem ordinationem iterato renovamus, sub pœna fiscalizationis, idem volumus observari in Parochiis ruralibus.

CVII.

Omnibus officiis parochialibus Presbyteris ruri degentibus, prout antehac injunctum fuit, adesse præcipimus.

CVIII.

Renovamus *Articulum* 49. *Tit.* 21. Synodi Namurcensis *habitæ* 1639. quo inhi-

inhibetur, neminem præter Paſtorem, vel nonniſi de ejus mandato & conſenſu mulieres poſt partum purificare poſſe, quem volumus a Regularibus exacte obſervari, ſub pœna prout juris.

CIX.

Ordinationibus Synodalibus noſtris, & Prædeceſſorum noſtrorum decretum & mandatum fuit, Paſtores & Vicarios noſtræ Diœceſis habere debere Synodum Diœceſanam, ad quem effectum de novo imprimi curabimus.

CX.

Paſtores tam ſæculares, quam Regulares, quantocius ſatisfaciant Ordinationi noſtræ de transmittendis Reſcriptionibus Paſtoratuum ſuorum, quam incurie hucuſque neglexerunt.

CXI.

Renovamus *Cap.* 24. *Tit.* 21. Synodi præfatæ, quo permittitur Paſtoribus, ut relaxandi animi gratia vel occurrente aliqua rationabili cauſa abeſſe poſſint a ſua Parochia ad tres dies alteri idoneo, cura ſuorum commiſſa, quod ſi juſta cauſa eos diutius abeſſe poſtulet, id non faciant, niſi a ſuo Decano obtenta licentia, quam non concedat, niſi pro ſex diebus; quod ſi diuturniori indigeant, illam a Nobis petant, vel a Vicario noſtro, quæ nonniſi in ſcriptis dabitur, aliter vero facientes, ad Nos per Decanos præfatos deferantur.

CXII.

Nullus Paſtor relaxet literas in ordine ad Matrimonium pro ſubdito in ſua Parochia noviter habitante, niſi ſuæ libertatis teſtimoniales a Paſtore, a quo obtinuerit, de quibus mentionem in ſuis præfatis literis faciet.

CXIII.

Omnes Presbyteri in Sacellis particularibus ſeu caſtralibus ruri celebrantes ibidem catechiſent, aut januis clauſis celebrent, alias revocabimus licentiam in illis celebrandi Miſſam, ſub eadem pœna prohibemus in iis aquam benedici, Sacramenta adminiſtrari, & alia Sacramentalia peragi.

CXIV.

Decretum renovamus, quo prohibitum eſt, ne ullus Presbyter in noſtra Diœceſi in qualitate Vicarii in appendicibus Parochiarum & Sacellani in caſtris conſtituantur, niſi a Nobis admiſſi & approbati fuerint, & ſi quis non admiſſus nec approbatus, ut ſupra, ſit conſtitutus, mandamus, ut ſe quamprimum præſentet, ſub pœna ſuſpenſionis.

CXV.

Audivimus plurimos Paſtores ſine veſtibus talaribus ad altare accedere non vereri; ideo præcipimus, ne aliter, quam veſte talari induti, in Miſſa & Veſperis ſe præſentare præſumant, alias &c.

Datum Namurci in Congregatione ultima menſis Aprilis die 5. Anno Domini 1719.

De Mandato Illmi & Rdmi Dni

F. WILMART Secret.

FERDINANDUS Comes de BERLO, recuſante *Alberto Trazegnies* Vicecomite de *Bilſteyn*, Præpoſito Illuſtris Capituli Nivellenſis, ſacratus fuit Epiſcopus Namurcenſis anno 1697.... Erat antea Canonicus S. Lamberti Leodii & Archidiaconus Campiniæ. Hæc pauca de Viro præſtantiſſimo, in quo & ſeriem Epiſcoporum Namurcenſium abſolvit, utpote tum temporis ſuperſtite, *Joannes Baptiſta Ludovicus de Caſtillion* Sacr. Belg. Chronolog. *Part. II. pag.* 454. & 455. Opuſculum: *ACTA Eccleſiæ MECHLINIENSIS, anni MDCCXVIII. circa Bullam UNIGENITUS*, inſcriptum teſtatur ſatis, qualis Ferdinandus, quantusque Præſul fuerit. Certe ut noverat, quæ ſummo in terris Paſtori, ejusque Conſtitutionibus deberetur obedientia: ita & ſuæ, & ſui gregis erga Sedem Apoſtolicam obſervantiæ inconcuſſum ſtudium, ceu reverens, piusque Filius ſimul & Paſtor ſolicitus, ſemper declaravit. A nova pariter *Decretorum Synodalium Namurcenſium* editione, quam a. 1720. fieri curabat, laude haud modica commendari meretur.

Plura ſi obtinuero de eodem Antiſtite memoranda, dabo alias.

SYNO-



SYNODUS DIOECESANA (*) METENSIS,

Anno Chrifti MDCXCIX. Innocentii XII. PP. IX. Leopoldi I. Imp. XL.

AB

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. HENRICO CAROLO du CAMBOUT de Coislin, (**) S. R. I. Principe, Epifcopo Metenfi,

HABITA

DIE MERCURII I. JULII A. 1699.

HENRICUS CAROLUS du CAMBOUT de COISLIN, Miferatione Divina, & Sanctæ Sedis Apoftolicæ gratia, Epifcopus Metenfis, Sacri Romani Imperii Princeps, Regi a Confiliis & primus ejus Eleemofynarius. Univerfis & fingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, five Decanis ruralibus, Rectoribus Parochialium Ecclefiarum, feu eorum Vicariis, Capellanis, Presbyteris, & Clericis Civitatis ac Diœcefis Metenfis, Salutem in Domino.

TAnta ineft hominibus ad ea, quæ vetita funt, propenfio, ut Apoftolus legem veterem hujusce pravæ indolis occafione, peccandi defiderium in Judæis operatam fuiffe affirmare non dubitaverit. Novarum aliunde legum conftitutione nihil aliud effici quotidiana docet experientia, quam augeri prævaricationum numerum, fanctiora Majorum inftituta liberius contemni, atque iis transgrediendis fenfim fine fenfu homines affuefcere. Quo fit, ut raro admodum, idque non fine aliqua neceffitate, leges fanciendæ fint. Hæc ferio cogitantibus Nobis, vifum eft longe fatius antiqua hujus Diœcefeos Statuta obfervanda commendare, quam vos onerare novis. Poft integram Diœcefim, quanta præ temporis anguftiis potuimus diligentia, luftratam, noftrum hoc propofitum non mediocriter confirmavit attenta lectio Synodorum, quæ à centum & amplius annis hic fuerunt celebratæ. Quæcunque in his præfcripta funt, cum neceffitatibus & incommodis, quibus nonnifi prævia matura deliberatione providere æftimatum eft neceffarium, contulimus & mirari fubiit Decefforum vigilantiam, fimulque providentiam; ex his enim omnibus, quæ ad optimum Ecclefiæ Metenfis regimen, pro temporum, quibus ftatuebant, opportunitate, vel voto concipi fas eft, fagaciffimis & prudentiffimis illis Viris nihil prorfus excidiffe animadvertimus. Nonnulla addidimus, quæ præfentis temporis habita ratione, fuppleta oportuit. Sed tamen cum inter antiquas illas leges plures occurrant, vel iterum atque iterum variis in Synodis repetitæ, vel his temporibus minime convenientes aut neceffariæ, vel Clero, cujus mores nunc, quam olim, caftigatiores, parum honorificæ, idcirco non omnes, fed præcipuas & felectas, paucis duntaxat adjectis, renovare, atque noftra auctoritate confirmare ac reprobare decrevimus. Speramus, cum non alias ferme Leges, quam Patrias, quæ tam a Sereniffimis, quam Eminentiffimis & Illuftriffimis Decefforibus conditæ funt, vobis proponamus, futurum effe, ut eas religiofiffime obfervetis. Ad id, quantum in Nobis eft, vos hortamur, ut dum populis obedientiæ, Nobis debitæ exemplo prælucebitis, ipfi vos tanquam Dei Miniftros colant, venerentur, veftris monitis ac præceptis ftudiofe obtemperent, veftramque vocem non fecus ac ipfius Chrifti audiant; Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram fe, per JESUM CHRISTUM, cui eft gloria in fæcula fæculorum.

INDEX

(*) Typo vulgata fub hoc titulo: *CODEX felectorum Canonum Ecclefiæ Metenfis, quos obfervari mandavit &c.*

(**) Vide ad calcem Synodi.

INDEX OMNIUM TITULORUM ET CAPITUM.

Codex selectorum Canonum
ECCLESIÆ METENSIS,

Quos observari mandavit Illustrissimus & Reverendissimus Dominus D. HENRICUS CAROLUS du CAMBOUT de Coislin, Episcopus Metensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Regi a Consiliis & primus ejus Eleemosynarius. In Synodo Metis congregata, die Mercurii 1. *Julii anno* 1699.

TITULUS I.

De Officio Divino, ubi de Missæ Sacrificio.

I.

Prohibemus, ne tempore, quo Divina peraguntur Officia, spatiari in Ecclesia, vel otiosis vacare fabulis ulli liceat, sub pœna nostrorum Officialium arbitrio rationabiliter infligenda. Idem 1633. *Stat.* 3. *Tit.* De Templis.

II.

Ut in Ecclesiis omnia cum ordine fiant & sine confusione, viri separati a mulieribus sedeant. Nullæ mulieres in cancellos & chorum irrepant, vel designata viris loca occupent, vel econtra. Idem 1633. *Stat.* 4. *eod. Tit.*

III.

Divina Officia non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte, studiose pronuntient. Idem 1679. *Stat.* 10.

IV.

Præcipimus omnibus Parochis, eorumque Parochianis, ut Antiphonalia & Gradualia, ubi non habentur, intra sex vel octo menses ad summum comparari procurent. Ubi etiam Missalia præ vetustate vel obliterata, vel lacerata existunt, intra tres menses subministrent, qui ea procurare tenentur.

V.

V.

Sit idem in tota Diœcesi cantandi modus, & omnes volumus in hoc esse uniformes, ut ubique Deus eodem omnino modo laudetur, atque benedicatur.

VI.

Videant Parochi, ne quid inter sacras Ecclesiæ cæremonias irrepat superstitionis, vel irreverentiæ. Idem 1633. *Stat.* 6. *Tit.* De observatione Festorum.

VII.

Dierum, qui ex Festis Profesti facti sunt, Officia peragantur, nihilque pro eorum celebratione exigant Parochi.

VIII.

Sacerdotes, qui publice & notorie criminosi sunt, a Missæ celebratione arceantur.

IX.

Ad celebrandum Missæ Sacrificium nemo admittatur, nisi sit probe notus, aut a proprio Episcopo testimoniales habeat & exhibeat. Dum concio habetur, vel supplicationes fiunt in Ecclesia, nemo in quocumque ejus Altari celebret.

X.

Observetur diligenter, ut ad tremendum Missæ Sacrificium nonnisi recens haustum vinum adhibeatur; eidem quoque panes singulis saltem mensibus provideantur. Idem 1633. *Stat.* 8. *eod. Tit.*

XI.

Sacerdotes omnes, etsi iis animarum cura non incumbat, neque teneantur ratione Beneficii celebrare certo tempore, juxta Sacrosancti Concilii Tridentini Decreta celebrent, saltem præcipuis anni Festivitatibus.

XII.

Pastores, eorumque Vicarii, aliquoties in hebdomada, etsi non occurrat dies Festus, Sacrum facient ad augendam & conservandam populi devotionem. Idem 1679. *Stat.* 8. & similia 1628. *Stat. etiam* 8. quo ita præcipitur: Quilibet Parochus frequentius, quo fieri poterit, immo quotidie, si possit, Sacrum faciat.

XIII.

Sacrum fiat attente, graviter, & devote, stetque in Altari Sacerdos erecto corpore, non cubitis innixus, nisi dum actu versatur in consecratione tam hostiæ, quam calicis, caveatque maxime, ne inusitatis & peregrinis utatur cæremoniis, sed iis duntaxat, quæ in Missali Romano præscribuntur. Similia 1604. *Stat.* 9.

XIV.

Gradibus Altaris nemo hæreat, aut prope Altare sit, dum Sacrum fit; neve pueri, vel alii illis insideant dorso ad Altare verso, mulieres etiam ad Altaris latera ita maneant, ut a Celebrante ad Altare converso videri non possint.

XV.

In qualibet Ecclesia, ubi plures Missæ celebrandæ sunt, illæ per æqualia temporis interstitia celebrentur, ita ut nec ante diluculum, nec post meridiem ulla dicatur; nisi ubi forte ex fundatione matutinales Missæ dici consueverunt, quo casu etiam eas tantum, & non alias, ante diluculum celebrari permittimus. Vetamus quoque in eadem Ecclesia plures Missas simul celebrari, nisi tantus sit Sacerdotum numerus, ut hoc Decretum commode servari nequeat.

XVI.

Prohibemus, ne Missæ Sacrificium in Sacellis castralibus, & aliis ad Divinum cultum duntaxat dedicatis Oratoriis a quovis Sacerdote celebretur, priusquam constet de licentia his in locis celebrandi, a Nobis, vel Vicariis nostris data. Illa tamen excipimus, quæ dotata sunt; eo quod in iis, ut fundationibus satisfiat, celebrandum sit.

XVII.

Tanta binandi, ut ajunt, id est uno eodemque die Dominico vel Festivo duas Missas celebrandi, crevit in hac Diœcesi licentia, ut quoties aliquis Parochus, vel leviter ægrotat, vel minimo quopiam negotio præpeditur, aliquis ex vicinis, ad ejus instantiam, Sacrum in illius Parochia, ejusque nomine, facere soleat, postquam celebravit

vit in propria. Hanc indebitam & indevotam libertatem penitus extirpare cupientes, inhibemus strictissime, ne quis inposterum id facere præsumat, quantacumque etiam data necessitate, absque nostra in scriptis obtenta licentia. Quod si quis Parochus tam subita & gravi ægritudine, die Festivo vel Dominico corripiatur, ut ad Nos recurrendi illi tempus non sufficiat, eo casu, qui raro admodum continget, ejus Parochiani ad aliquam vicinam Ecclesiam Sacrum audituri se conferant. Idem 1666. *Art.* 6. *eodem Tit.* & 1679. *Statut.* 11.

XVIII.

In Missis novis cessent sumptuosa convivia, cæterique abusus, qui hactenus irrepserunt.

XIX.

Qui Missas solemni ritu celebrando, Hymnum glorificationis, vel Symbolum Nicænum, vel Præfationem detruncant, aut illam immutant, & decantato duntaxat initio, cætera submissa voce prosequuntur, abstineant inposterum ab hac inaudita & indebita consuetudine; curent autem Archi-Presbyteri singuli in suo Capitulo hoc nostrum Decretum servari, sub pœna gravissimæ correctionis. Idem 1616. *Stat.* 6. & 1666. *Art.* 8. *eodem Tit.*

XX.

Diebus Dominicis & Festis Missæ Confraternitatum loco Missæ diei in Ecclesiis, quibus unus tantum deservit Sacerdos, nunquam celebrentur: neque etiam Officium extra chorum in ullius Confraternitatis gratiam fiat.

XXI.

Ne diebus Dominicis aut Festis agantur Anniversaria pro defunctis, licet defuncti ipsi præscripserint, sed proximo præcedente die, quo pro ratione Officii licuerit, celebrentur.

XXII.

In Parochiis & annexis Missa solemnis diebus Dominicis & Festis semper celebretur.

XXIII.

Collectiones fieri incipiant a tempore, quo Epistola legitur, & desinant toto temporis spatio, quod fluit ab Offertorio usque ad Communionem Sacerdotis inclusive.

XXIV.

Cum Missæ Parochiales sint uniuscujusque Parochiæ propriorum fidelium, ad Sacrificium Domini incruentum, publici conventus, quibus omnes diebus Festis tenentur adesse, ut ex voce proprii Pastoris quid singulis septimanis agere debeant, eis intimetur, & tamen in plerisque hujus Diœcesis locis, maxime vero in hac Civitate Metensi, multi sint adeo circa hoc Religionis debitum negligentes, ut nequidem ter in anno Missam Parochialem audiant; ideo stricte mandamus omnibus Parochianis, præcipue Capitibus familiarum, quatenus Missæ Parochiali, saltem ex tribus Dominicis uno adsint. Alias occasionem præbebunt Pastoribus eos negligendi in extremis, cum ille non possit juste debitum exigere a Pastoribus, quorum vocem in vita contempserit. Idem 1629. *Stat.* 5. sub censuris incurrendis præcipitur.

XXV.

Patresfamilias, qui suorum, maxime domesticorum, curam gerere tenentur, moneantur a Pastoribus, ut Missam audiendi, & verbum Dei suis servis & ancillis facultatem concedant, etiam iis, qui in pascendis animalibus occupantur, quod etiam de cæteris communitatum opilionibus & bubulcis curabunt.

XXVI.

In Parochialibus Ecclesiis statis horis Missæ celebrentur, nemine quavis de causa expectato. Hoc est a Paschate usque ad festum S. Remigii, (ut explicatur *Statuto* 8. *Synodi* 1671.) hora sesqui-octava matutina. Et a die festo S. Remigii usque ad Pascha, hora nona. In aliis vero Ecclesiis, nempe annexis, probata servetur consuetudo.

XXVII.

Dato ultimo signo Missæ, statim sine mora Parochi illam inchoabunt, ne ex expectatione devotio populi refrigescat.

XXVIII.

Moneant diligenter & ſæpe Paſtores parochianos ſuos, ut ſtatim initio Miſſæ adſint, neque ex Eccleſia ante finem diſcedant.

XXIX.

Inpoſterum inter Miſſarum ſolemnia, vel alias, in Templo aut cœmiterio promulgationes locationum & cæterorum hujusmodi nec faciant Parochi, nec ab aliis fieri patiantur; ſed ea, abſoluto Divino Officio, loco publico fiant per deſignatum a Magiſtratu. Idem 1633. *Stat.* 1. *eodem Titulo.*

XXX.

Nulla deinceps fiat in parochialibus Eccleſiis Miſſarum fundatio ſine noſtra expreſſa licentia, ne novo ſervitio ſine cauſa graventur.

XXXI.

Parochus quisque omnium Beneficiorum, Capellaniarum & Altarium in parochia ſua ſitorum & fundatorum notam faciat exactam, eamque intra ſex menſes ad Nos deferri curet.

XXXII.

Advertant Parochi in Eccleſiis ſuis, ac etiam inter viſitandum Archi Presbyteri, num qui Capellanias, ſeu fundata Altaria obtinent, fundationum oneribus ſatisfaciant; ſi quos negligentes compererint, ea de re Officiales noſtros certiores reddant. Idem 1633. *Stat.* 6. *Tit.* De Parochis & Divinis Officiis.

XXXIII.

In unaquaque Eccleſia ſingulis Dominicis Anniverſaria, quæ per hebdomadam proxime ſequentem celebranda erunt, fidelibus denuntientur.

XXXIV.

Singuli Parochi Veſperas decantent hora ſolita omnibus diebus Dominicis & Feſtis, itemque diebus Sabbati, & ſaltem in vigiliis majorum Feſtorum. Qui ſecus fecerit, ab Archi-Presbyteris pœna modo negligentiæ debita coerceatur. Idem 1633. *Stat.* 2. *Tit.* De Parochis & Divinis Officiis, & 1679. *Stat.* 10. Optandum eſſet, ut in locis, ubi id commode fieri poteſt, ſolemnioribus anni Feſtis matutinæ Preces, cum reliquis Officii partibus decantarentur.

XXXV.

Hortamur Parochianos, ut interſint veſpertinis precibus ſingulis Dominicis ac Feſtis diebus, & maxime in pervigiliis Feſtorum ſolemniorum.

XXXVI.

In Supplicationibus, Litaniis, & Proceſſionibus, quæ ex ſolemni ritu Eccleſiæ inſtituuntur, videant Parochi, ne quidpiam indecenter fiat. Inobedientes unius libræ ceræ mulcta, in uſum Eccleſiæ, coerceant. Eidem pœnæ ſubjaceant choriſantes aut ludis vacantes tempore Divini Officii.

XXXVII.

Nulla poſthac fiat ejusmodi ſupplicatio extra parochiæ fines. Excurſiones enim illæ ad duo vel tria milliaria, ſuſpicione & occaſione ſcandali non carent: ut monet *Statut.* 8. *Synodi* 1633. *eodem Tit.*

XXXVIII.

Parochi reducant parochianos ſuos, nec, illis redeuntibus, remorentur in loco, ad quem eos proceſſionaliter duxerunt.

XXXIX.

Confraternitates absque confirmatione Sanctæ Sedis, vel noſtra, de novo erigi prohibemus; ubi vero erectæ & nondum confirmatæ viſuntur, ex iis deſignetur aliquis earum confirmationem a Nobis, vel a Vicariis noſtris petiturus. In aliis omnibus teneantur uti regulis, quas in eum finem fieri curabimus, ubi tamen aliis a Sancta Sede confirmatis non utentur. Idem 1633. *Stat.* 1. *Tit.* De Confraternitatibus.

XL.

Die ſancto Paſchæ Crux Domini populis adoranda deinceps non proponatur; neque ullæ unquam Sanctorum Reliquiæ, quæ certa auctoritate non comprobantur.

TITU-

TITULUS II.

De Sacramentis.

CUm in Ecclesia Dei nihil sanctius, & utilius sit Sacramentis, quæ ad humani generis salutem a Christo Domino instituta sunt; decernimus & ordinamus, sub pœnis juris, ut omnes Parochi, ad quos Sacramentorum administratio pertinet, receptos & approbatos Ecclesiæ ritus, in omni eorum administratione, juxta Rituale Metense, servent; omniaque verba, quæ ad illorum formam spectant, attente, distincte, & clara voce pronuntient; similiter & alias orationes & preces devote & religiose dicant, omnesque cæremonias decenter gravique actione peragant, ut astantes ad cœlestium rerum cogitationem erigant, & attentos reddant. Item in quacumque diei ac noctis hora ad illa administranda vocentur, nullam officio suo præstando, præsertim si necessitas urgeat, moram interponant, antequam vero ea administrent, virtutem eorum, usum ac utilitatem, & cæremoniarum significationem, ut Concilium Tridentinum præscribit, diligenter explicent; & in illis conferendis semper superpelliceo & stola induantur.

TITULUS III.

De Baptismo.

I.

NUlli Parocho, seu obstetrici, aut alteri puerum domi baptisare, aut, quod ajunt, assecurare liceat, etiamsi sint pueri quorumcumque Nobilium, nisi adsit puero præsens periculum mortis, aut dubitetur, ne puer moriatur, antequam possit ad Ecclesiam baptisandus deportari. Idem 1633. *Stat.* 8. *Tit.* De Baptismo, & 1666. *Art.* 1. *eodem Tit.*

II.

Ubi Parochus alicujus pueri parentes diutius distulisse Baptismum animadverterit, graviter eos increpet. Et, si adhuc neglexerint, significet Nobis, ut huic malo remedium afferre possimus.

III.

Unctiones ne faciat intincto pollice, sed stylis seu bacillis ex stanno vel argento in eum usum comparatis, qui singuli in singulis Unctionum sacrarum vasculis recondantur. Idem 1633. *Stat.* 2. *eodem Tit.*

IV.

Nomina barbara, vel incognita, vel paganorum in Baptismo non imponantur, sed Sanctorum, & eorum, præcipue qui a Christo nato extiterunt, ut Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, quo eorum, quorum nominibus insigniti fuerint, virtutes imitentur. Idem 1666. *Art.* 1. *eodem Tit.* ubi etiam prohibetur, ne imponantur nomina, quorum cum cognominibus conjunctio ridicula est.

V.

Ad suscipiendum non admittantur, qui rationis usum non habent, multo minus de hæresi suspecti. Excluduntur etiam ab hoc munere, qui præcipua Religionis mysteria ignorant *in Synodo* 1666. *Art.* 5. *Tit.* De Baptismo.

VI.

In Baptismo nemo compater sit, qui sacro Chrismate confirmatus non fuerit, proinde Parochi de hoc inquirere non omittant.

VII.

Parochus in sua parochia, & sacris Ordinibus initiatus in suæ Residentiæ, vel Beneficii loco pueros de sacro Fonte ne suscipiant; nunquam vero Monachus, vel Monialis ad hoc suscipiendi munus admittantur.

VIII.

Unus tantum sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una baptisatum de sacro Fonte suscipiant.

IX.

Obstetrices a Parochis Baptismi ritum edoceantur, ut infantes in mortis periculo constitutos possint baptisare.

X.

Quilibet Parochus librum habeat, in quo baptisatorum simul & parentum,

tum, susceptorumque nomina, nec non Baptismi diem & annum designet & annotet, ut ad Successoris manus integer deveniat. Idem 1633. *Stat.* 8.

In eodem libro dies nativitatis à Baptismi die accurate distinguatur.

TITULUS IV.

De Confirmatione.

I.

Ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum eos, qui nondum illud susceperunt, hortentur & dispo-nant Parochi, simulque moneant, Nos illud feria sexta Quatuor temporum, tam æstate, quam autumno, collaturos iis, qui in decursu visitationum nostrarum non potuerunt confirmari. Similia 1633. *Stat.* 1. *Tit.* De Confirmatione.

II.

Nonnisi jejuni, & confessi ad hoc Sacramentum accedant.

TITULUS V.

De Eucharistia.

I.

Hortentur Parochi suos subditos, ut ad Eucharistiæ Sacramentum sæpius accedant, quo vires animæ recreantur, tanquam leones ignem spirantes efficimur diabolo terribiles, mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur, recolitur memoria Passionis Christi Domini, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

II.

Singulis saltem mensibus sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum renovetur, ac novarum Hostiarum consecratione peracta, veteres, & earum fragmenta a Sacerdote reverenter sumantur.

III.

Hortamur omnes Parochos & Scabinos, ut ante Venerabile Sacramentum curent suspendi lampadem die, noctuque lucentem; nec de paupertate excusationem prætendant, cum pauperrimi Religiosi id præstent, & Deus, ut credimus & speramus, sit aliunde remuneraturus hoc Religionis officium. Idem 1633. *Stat.* 27. *eod. Tit.*

IV.

Inhibemus omnium Ordinum Religiosis, curam animarum non habentibus, ne ulli Sacram Eucharistiam in Paschate, hoc est a die Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, administrare præsumant, nisi de expressa nostra, aut proprii Pastoris licentia, pro legitimis causis concedenda.

V.

Communicanti populo purificationis vinum non ex calice, sed ex scypho vel cratere inposterum, quacumque consuetudine non obstante detur. Idem 1633. *Stat.* 25. *eodem Tit.*

VI.

Non admittant prima vice ad Communionem, nisi quos prius de ejus fructu, ac Sacratissimi Sacramenti virtute ac dignitate instruxerint.

VII.

Decentissime ac summa veneratione asportetur Eucharistiæ Sacramentum ad eos, qui ægritudine ad patriam anhelantes, viatico refici debent, & cupiunt, præcedentibus scilicet facibus & campanella, comitantibus aliquibus; & super expanso super illud tentorio, præsertim in hac & aliis hujus Diœcesis Civitatibus, in quibus hæc commode possunt haberi.

VIII.

Comparetur in singulis Parochiis vas parvum, rotundum, argenteum, vel saltem eburneum, in quo decentius custodiatur Sanctissimum Sacramentum, & asservetur in Ecclesia, dum in ciborio asportatur ad infirmos, ut tunc ab introeuntibus in Templum adorari possit. Ubi huic Decreto nondum satisfactum est, ei fiat satis intra tres menses, sub pœna gravissimæ animadversionis. Idem 1629. *Stat.* 2.

IX.

Portentur multæ Hostiæ simul ad ægrotos, ut postquam Sacram Communionem susceperint, aliquæ remaneant in ciborio, quas populus, obviam factus

factus Sacerdoti redeunti, possit adorare. Idem 1629. *Stat.* 3.

TITULUS VI.

De Pœnitentia.

I.

In singulis Parochiis unum saltem fiat confessionale, ut & hujus Sacramenti reverentiæ, & Sacerdotis simul & confitentium commoditati consulatur, omniaque fiant cum ordine & decenter. Nec noctu, nisi accensa lucerna, seu candela, confessiones, etiam in Ecclesia, audiantur. Idem 1633. *Stat.* 5. *Tit.* De Sacramento Pœnitentiæ, ubi & hæc subjunguntur: Nec alio modo Parochus eas excipiat, quam pileo quadrato, & superpelliceo indutus.

II.

Mandamus, ut omnes Christi fideles, saltem semel in anno, secundum sanctissimam Constitutionem, proprio Curato confiteantur, quod si quis hoc neglexerit, & in Paschate sacram Eucharistiam accipere contempserit, sic decedens Ecclesiastica careat sepultura, & vivus ab Ecclesiæ ingressu arceatur. Ipsorumque Curati Nobis rebelles hujusmodi scripto indicare tenebuntur, ut vel canonice puniantur, vel rubore suffusi salubriter resipiscant. Idem præcipitur 1629. *Stat.* 1. & 1666. *Art.* 1. *Tit.* De Confessione & Communione.

III.

Qui noluerit proprio Parocho confiteri in Paschate, petat ab eo, vel a Nobis facultatem, sine ulla difficultate à Parochis concedendam, conveniendi alium Sacerdotem a Nobis approbatum, a quo testimonium confessionis suo Parocho exhibendum accipiat. Alioquin ad sacram Communionem non admittatur, & contra eum tanquam non confessum procedatur. Hocque Decretum ipsi Parochi per dies Dominicos Quadragesimæ suis Parochianis sedulo & diligenter insinuent: quatenus sibi provideant, & ex ignorantia non peccent. Similia 1666. *Art.* 1. *eodem Tit.*

IV.

Tempore Paschatis tarde venientes, exhortentur Confessarii, ne amplius hebdomadam sanctam expectent ad confitendum, maxime si raro confiteri consueverint.

V.

Frequenter moneant populum Parochi, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum, tanquam ad tutissimam salutis anchoram, quam sæpissime confugiant.

VI.

Simili modo eumdem moneant populum, ut quoties aliquis ægrotaverit, Parochum advocet ad infirmum invisendum, quo tempestive Sacramenta necessaria ei administrare possit.

VII.

Prohibemus universis & singulis Parochis, & Sacerdotibus ad Confessiones audiendas deputatis, ne, sub pœna suspensionis ab Ordine, ullo unquam tempore, quovis quæsito prætextu, plures pueros septennes in confessione simul, sed seorsim singulos audiant; hortamurque in Domino, ut, quoniam omnium animarum sibi creditarum rationem in districto judicio sunt reddituri, eas ne negligant, neve sinant item pueros majores septennio sine confessione decedere, moneantque sedulo parentes, ut quando contigerit aliquem ex suis decumbere, mature Parochum advocent, ejus confessionem auditurum. Relinquimus autem discretioni, prudentiæ & conscientiæ Parochorum curam advertendi ex probabilibus conjecturis, aliquisne ex sibi commissis pueris, ante septennium discretionis usum habeat; quod si adverterint, ita se gerant cum eo, quemadmodum cum iis, qui essent majores septennio. Idem 1633. *Stat.* 6. *eod. Tit.*

VIII.

In hac Diœcesi nullus Sacerdos, sive Sæcularis, sive Regularis, etiam alibi approbatus, absque nostra approbatione in scriptis obtenta, immiscere se audeat confessionibus audiendis, etiam puerorum, etiam in necessitate, quamdiu copia proprii Sacerdotis ha-

beri poterit, aut alterius approbati, etiam de consensu proprii Parochi, vel Archi presbyteri, nisi habeant ad hoc speciale mandatum. Idem 1604. *Stat.* 28. & 1629. *Stat.* 20.

IX.

Qui approbati fuerint ad confessiones audiendas, formam mandati seu licentiæ non excedant, si fuerit limitata certo loco, tempore, casibus vel personis.

X.

Ad januam Sacristiæ Ecclesiarum Collegiatarum, aut Conventualium habeatur catalogus Confessorum inibi approbatorum, si plures approbati fuerint.

XI.

In domibus privatis non audiant Confessores, cujuscumque conditionis existant, confessiones, nisi infirmorum; &, si mulieres fuerint infirmæ, ostio cubiculi aperto.

XII.

Nemo verbo vel signo aliquid petat, pro confessionibus audiendis.

XIII.

Ubi pro pœnitentia injunxerint Confessores eleemosynas, Missas, aut aliud simile, & ubi agetur de restitutione incertorum, vel commutatione votorum, nihil sibi, vel Ecclesiæ suæ applicent.

XIV.

Diligenter examinent pœnitentes, an contractus usurarios aut alios illicitos fecerint, & eo casu ante satisfactionem non absolvant. Ubi audierint peccatum restitutioni obnoxium, ne expectent finem confessionis, ad eam injungendam, ne forte interim obliviscantur.

XV.

Eos, qui sæpe mutant Confessarios, graviter redarguant.

XVI.

Quantuscumque sit pœnitentium concursus, nunquam nisi integre confessi absolvantur.

De Casibus reservatis.

IN Synodo Metis congregata anno 1604. sexdecim casus Eminentissimus CÆSAR A LOTHARINGIA, Metensis Episcopus, sibi reservavit: viginti vero supra unum Illustrissimus & Reverendissimus MARTINUS MEURISSE, Madaurensis Episcopus, Metensis Ecclesiæ Suffraganeus, & Administrator generalis, in Synodo authoritate Serenissimi Principis HENRICI BORBONII anno 1633. congregata. Nos vero eos tantum, qui post casus Summo Pontifici reservatos subjicientur, Nobis reservavimus.

CASUS SUMMO PONTIFICI RESERVATI.

Et hi omnes habent annexam Censuram.

1. Exustio Templorum, nec non & domorum profanarum procurata, dum incendiarius est publice denuntiatus.

2. Simonia realis in Ordinibus & Beneficiis, & confidentia dummodo sit publica.

3. Occisio seu mutilatio membrorum cujuscumque in sacris Ordinibus constituti.

4. Percussio Episcopi, seu alterius Prælati.

5. Delatio armorum ad partes infidelium.

6. Falsificatio Bullarum, seu Literarum Summi Pontificis.

CASUS RESERVATI D.D. EPISCOPO METENSI.

1. Maleficium, sortilegium & divinatio.

2. Confidentia & Simonia, etiam occultæ.

3. Homicidium voluntarium, ad quod procurationem aborsus, vel ante fœtus animationem, sicut & puerorum suffocationem revocamus.

4. Duellum & crimen eorum, qui duelli sunt quasimodo consortes.

5. Percussio Clerici in sacris Ordinibus constituti, Religiosi, professi, atque patris vel matris.

6. Sodomia & bestialitas.

7. In-

7. Inceſtus intra ſecundum gradum conſanguinitatis aut affinitatis, concubitus Confeſſarii cum pœnitente, aut pœnitentis cum ipſo, fornicatio tam ab iis, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati, quam a perſonis Religionis voto aſtrictis, vel cum ipſis commiſſa, abſolutio complicis in peccato carnis tantum, raptus virginum atque mulierum honeſte viventium, & Matrimonium clandeſtinum.

8. Uſura publica.

9. Ebrietas Clericorum ſacris Ordinibus initiatorum.

10. Cauponæ frequentatio.

Monita ad Confeſſarios.

MEMINERINT

1mo: Se literis, quibus fideles Diœceſis noſtræ abſolvendi poteſtatem ipſis impertimur, neque Monialium confeſſiones excipiendi, neque a caſibus reſervatis quemquam abſolvendi facultatem accipere.

2do: Abſolutionem negandam eſſe iis omnibus, qui odio habent proximum, & cum eo nolunt reconciliari, qui injuſte ablata reſtituere, atque proximo læſo ſatisfacere recuſant, qui ſe a peccandi occaſione ſejungere renuunt, quique neceſſaria ad ſalutem ignorant.

3tio: Differendam abſolutionem iis, qui peccandi conſuetudine ſunt implicati, uſque dum operibus ſe eſſe vere converſos probaverint.

4to: Pœnas ſatisfactorias peccatorum gravitati commenſuratas injungere, & quæcumque Sancti Caroli Borromæi inſtructionibus ad Confeſſarios directis continentur, inter miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum diligenter obſervare.

5to: Nullum peccatum reſervari, niſi ſit opere externo completum, vel a maſculis poſt annum 14. vel a puellis poſt 12.

6to: Nullum caſum Nobis reſervatum eſſe pro ægrotis, quamdiu ſunt in Xenodochiis, neque etiam pro mulieribus prægnantibus, quæ tribus leucis diſtant a loco, in quo reſidet ille, cui facultas conceſſa eſt abſolvendi a reſervatis.

ADMONITIO SYNODI 1588. *ad eosdem Confeſſarios.*

In Confeſſionibus Sacramentaliter audiendis, tantum Nobis perſuademus eſſe momenti, ut nusquam alibi melius ſeminare, nec aliunde ſuæ villicationis Paſtores fructus percipere poſſint majores aut certiores: nam ibi ſingulorum conſcientiæ tam prudenter ſunt examinandæ, ut pœnitentes ſalutari pudore ſuffuſi, inter confitendum peccata ſua, percutiant ſua pectora, fideleque conſilium, monitiones ac pias objurgationes, quas a ſuis Paſtoribus ſeparatim atque ſigillatim accipiunt, imis præcordiis recondant, gratiæ hujus Sacramentalis beneficio chriſtianius victuri.

TITULUS VII.

De Extrema Unctione.

I.

Sacramenti Extremæ Unctionis efficaciam populum doceant Parochi, exhortenturque, ut, quando ex ſuis aliquis decumbet, mature, juxta morem Chriſtianorum, Parochum advocent, qui hoc Sacramentum miniſtret.

II.

Vaſculis ſaltem ſtanneis ſacras Unctiones conſervent, non vero æneis, quæ rubiginem facile aut nidorem contrahunt.

III.

Vaſcula ſacrarum Unctionum, ubi commode fieri poterit, extra tabernaculum, ſeu repoſitorium Sanctiſſimi Sacramenti, loco tuto & honeſto conſerventur.

IV.

Sacratis Oleis unctionum, in ſingulis earum locellis Parochi inpoſterum, pro recepto more Diœceſis noſtræ Metenſis, goſſipium ſubſternant, non vero cannabem, ſtuppam, aut aliud quidpiam.

V.

In vaſcula ſacrarum Unctionum, ter aut quater in anno, Paſtores inſtillent unam aut alteram guttam olei olivarum,

varum, non autem alterius cujuscumque, ne frequenti usu exhauriantur.

TITULUS VIII.

De Ordine.

I.

Satisfacere cupientes Decreto Concilii Tridentini, in quo mandatur Episcopis, ut in suis Diœcesibus erigant Seminaria, ad institutionem Clericorum in disciplina Ecclesiastica, ut inde exeant boni operarii in vinea Domini, præcipimus & mandamus omnibus, qui ad sacros Ordines promovendi sunt, vel literas petunt dimissoriales, ut quisque repræsentet se ad examen coram Nobis, cum literis testimonialibus, & dispositionibus requisitis, specialiter cum veste talari, capillis modeste compositis, & corona capitis, ordini congruenti, ut postea approbatus vadat cum scripto ad Seminarium nostrum, in hac urbe Metensi apud Sacerdotes Congregationis Missionis, cum superpelliceo, bireto, & breviario, per exercitia spiritualia & doctrinam Ecclesiasticam, ad Ordinis susceptionem præparandus. Ibi maneat per novem menses integros, ut ad Subdiaconatum; tres ut ad Diaconatum; tres etiam ut ad Presbyteratum se præparet. Si quis inopiam causetur, ibi gratis provideri curabimus. Nisi vero Seminarium nostrum ingrediatur, per dicta temporis spatia, quibus se ad sacros Ordines præparet, exercendus modo supra explicato, ejus promotio ad aliam ordinationem differetur. Hortamur præterea omnes Parochos, Sacerdotes & Clericos, pro nostro in eos affectu, ut ad majorem emendationem morum, & in virtutibus progressum, identidem per dies aliquot, abjecta omni rerum temporalium cura, cœlestium & æternarum meditationi vacent, quod facile & majori suo commodo præstare poterunt in nostro Seminario, ubi magna cum charitate excipientur, & tractabuntur, & ut inde fiant magis idonei ad erudiendam plebem tum doctrinæ verbo, tum sanctimoniæ exemplo.

II.

Nemo ex Diœcesanis nostris ad examen accedat, nisi Parochi sui saltem testimonium in scriptis habeat de natalibus, ætate & moribus. Et, si Sacris initiandus fuerit, etiam de beneficio, pensione, vel patrimonio, & eorum valore, ab ipso Parocho & Archi-Presbytero. Testimonia autem in literis rite obsignata contineantur. Ipsi vero Sacris ordinandi juramento firmabunt, se nullam pactionem vel promissionem fecisse de retrocedendis Beneficiis, pensionibus, seu aliis bonis pro titulo patrimonii sibi assignatis. Neve fraus ulla circa hujusmodi pensionum aut patrimonii assignationem committi possit, literæ ipsius assignationis ante ordinationem in Ecclesia parochiali, in cujus territorio bona ipsa sita sint, die Dominico inter Missarum solemnia publicentur a Parocho, qui publicationis ipsius fidem in scriptis faciat, quam ordinandus ipse Nobis exhibere teneatur.

III.

Qui sub titulo alicujus Beneficii aut patrimonii ad sacros Ordines promotus fuerit, hujusmodi Beneficio aut patrimonio nullo modo cedere queat, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii aut patrimonii titulum sit promotus. Neque ea resignatio aut cessio admittatur, nisi prius constet, quod aliunde habeat, unde commode vivere possit.

IV.

Literæ dimissoriæ ad Ordines nemini concedentur, nisi debite examinatus, & pro Ordinum, ad quos dimittendus fuerit, qualitate idoneus reperiatur.

V.

Interstitia a sacro Concilio Tridentino præscripta servabuntur.

VI.

Minorum Ordinum exercitia, quoad fieri poterit, in hac Diœcesi restituantur.

VII.

Sacros Ordines suscepturi, quoniam in Missa ordinationis Eucharistiam sumpturi sunt, prius confiteri debebunt,

bebunt, Clericali vero tonsura, ac minoribus Ordinibus initiandi, ut idem præstent, & optamus & hortamur.

TITULUS IX.

De Matrimonio.

I.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Idem 1666. *Art.* 2. *Tit.* De Matrimonio.

II.

Matrimonio jungendos Parochi severe admoneant, ne, post Sponsalia de futuro in iisdem ædibus degere incipiant, ante Matrimonium contractum: neve ita se gerere audeant, ac si per verba de præsenti contraxissent, si secus a quopiam factum fuerit; prohibetur Parochus eorum adesse Matrimoniis, ante pœnitentiam peractam. Idem 1633. *Stat.* 10. *eod. Tit.*

III.

Denuntiationes a Parochis ne fiant, nisi de expressa eorum, qui contracturi sunt, voluntate.

IV.

Denuntiationes minorum ne fiant, antequam certus sit Parochus de parentum, Tutorum & Curatorum consensu.

V.

Famuli & famulæ, quorum parentes vivunt, curabunt, ut bannorum suorum denuntiationes fiant in parochia, quam habitant parentes, qui vero parentibus orbati sunt, in parochia, in qua trium continuorum mensium spatio manserunt, ea tamen lege, ut sistant se coram Parocho loci, quem actu incolunt, Benedictionem nuptialem ab eo recepturi.

VI.

Statim atque factæ fuerint illæ denuntiationes, Parochi Archi-presbyteris, Archi presbyteri vero Nobis, intra duos menses, testimonium in scriptis consignare teneantur, sub pœna arbitratu nostro negligentibus infligenda.

VII.

Omnibus autem Matrimonii denuntiationibus absolutis, si Matrimonium ipsum absque legitima causa, intra duorum mensium spatium, non contrahatur, Parochus Sponsos Matrimonio ne jungat, antequam ejusdem Matrimonii denuntiationes rursus factæ sint.

VIII.

Eodem die, quo postrema fiet Matrimonii denuntiatio, Matrimonium absque nostra licentia minime celebretur: nisi is novissimus sit dies ante Quadragesimæ, aut Adventus initium.

IX.

Prohibitum est omnibus & singulis Parochis, ne ullos ad Sacramentum Matrimonii admittant, qui non sciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Dei & Sanctæ Matris Ecclesiæ, numerumque Sacramentorum. Idem 1633. *Stat.* 9. *eodem Tit.*

X.

Affinitas per fornicationem contracta, ultra secundum gradum, Matrimonium postea contractum deinceps non dirimat.

XI.

Publicæ honestatis impedimentum jam nullum extet, si Sponsalia invalida præcesserint: si vero valida fuerint, primum gradum non excedat.

XII.

Cognationis spiritualis impedimentum inter suscipientem ac susceptum, susceptique patrem & matrem. Rursusque inter baptisantem & baptisatum, baptisatique patrem & matrem tantummodo, & non ulterius, locum habeat.

XIII.

Qui autem accedunt ad Sacramentum Matrimonii, si fieri potest, sint confirmati ab Episcopo, & confessi apud proprium Sacerdotem necessario, aut apud alterum, ex proprii Pastoris licentia.

XIV.

A nemine præter Parochum alterutrius partis contrahentium, vel eum, qui a Nobis, vel ab ipso Parocho licentiam accepit, fiat Benedictio nuptialis. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ Sponsos Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure suspensus maneat: a qua censura non nisi a Nobis, vel a Vicariis nostris Generalibus poterit absolvi.

XV.

Caveant Parochi, ne vagos Matrimonio jungant, nisi forte de mandato nostro expresso, & scriptis edito.

XVI.

Caveant, ne alienæ parochiæ Sponsum, Sponsamve Matrimonio jungant, antequam ab illius, qui intra parochiæ suæ fines non habitat, Parocho scriptum acceperint fidem faciens denuntiationum aut factarum, aut voluntate Ordinarii remissarum, nullumque legitimum impedimentum fuisse significatum, quominus rite contrahi liceat.

XVII.

Viduæ Matrimonio non conjungantur, nisi prius de mariti morte constet, neque etiam partes, quarum una Religionem Catholicam, altera vero hæresim profitetur, aut professa est, quoties poterit dubium suboriri, tam de hæresis detestatione, quam ab eadem absolutione.

XVIII.

Nullus peregrinus & extraneus parochianus ullius loci censeatur, ante saltem sex continuorum mensium commorationem. Nullus vero miles sine nostra licentia Matrimonio jungatur, idque prævia diligenti inquisitione de ejus vita, moribus, religione, patria, & loco, in quo postremo fuit commoratus. Si alteruter contrahentium est alienæ Diœcesis, testimonia, quæ exhibebit, Episcopi, cujus est, sigillo sint munita.

XIX.

Neque ante Solis ortum, neque etiam post ejus occasum Matrimonia celebrentur, & nunquam extra parochialem Ecclesiam alterutrius contrahentium.

XX.

Ne Archi-Presbyteri aut Parochi literas deliberatorias Extra-Diœcesanis pro Matrimonio contrahendo dare præsumant: sed eos ad Nos, ut moris est, remittant. Neve super denuntiationibus bannorum, aut aliqua earum dispensent, quocumque prætextu.

XXI.

Habeant Parochi librum aliquem penes se, quem ad Successorem transmittant, in quo eorum nomina, qui Matrimonia contrahunt, eorumque parentum, testiumque designent, annotentque tempus, & an præmissæ sint tres denunciationes, an vero omissæ ex dispensatione nostra, aut Vicarii nostri. Item sintne in aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis cujuscumque, & cujus dispensatione contraxerint: eorum transsumptum singulis annis ad Nos mittant, tradantque Vicario nostro Generali. Idem 1633. *Stat.* 11. & 12.

XXII.

Postridie Nuptiarum nihil indecens fiat, nihil futile, nihil leve in Ecclesia fiat sub pœna unius libræ ceræ, in usum Ecclesiæ solvendæ a contraveniente. Idem 1604.

XXIII.

Neutri conjugum liceat ab altero, etiam quoad thorum, discedere, nisi ex causa legitima, prius a Nobis, vel ab Officialibus nostris approbata. Quod si eas quoad thorum, vel etiam cohabitationem separari contigerit; sciant nihilominus neutri eorum licere ad novum Matrimonium convolare. Si autem concubinam vir alere comperiatur, vel uxor adulterum, nisi ter moniti resipuerint, excommunicentur, &, si nihilominus perseveraverint, pœnis severissimis coerceantur.

XXIV.

XXIV.

Et quoniam plerumque, levibus etiam ex causis, maritus ab uxore, & hæc ab illo sua sponte separantur: Pastores sæpius & accurate tam seorsim, quam conjunctim, & adhibitis, si opus sit, testibus, illos admonebunt talem separationem non fieri sine contumelia Sacramenti, & ejus Institutoris Dei: sic separatos indignos esse, nisi reconcilientur, Communione Sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ charitatis & unionis est Sacramentum. In hoc autem pium pacis ac reconciliationis studium Pastores incumbant ante sanctam Quadragesimam, aut saltem initio Quadragesimæ: neque negotium illud rejiciant ad biduum aut triduum ante Pascha, quo maxime tempore Judices spirituales aliis in rebus gravissimis occupantur.

TITULUS X.

De vita & honestate Clericorum.

Monitio I.

Monemus igitur vos, Fratres & Filii in Christo charissimi, ut perpetuo vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster JESUS CHRISTUS decorare, memores sitis; & ea recordatione excitati sic curetis mores, vitam conversationemque vestram componere, ut omnibus fidelibus exhibeatis vos speculum sine ruga & macula, in quo quidem se speculantes, normam & exemplum sanctimoniæ accipiant & imitentur. Estis enim Mundi lumina; &, si lumen ipsum avaritiæ, aut lasciviæ nocte tenebrescat, quantæ ex isto tenebrosi luminis exemplo in toto Ecclesiæ corpore tenebræ inesse videbuntur; eam ergo vos virtutem induite, ut videant alii vestram sanctitatem elucere, quæ si magna in quolibet Christiano requiritur, certe in vobis, qui Mysteriorum Dei, Divinæque gratiæ dispensatores estis, major esse debet & præstantior.

Monitio II.

Cœlestem in terris vitam, tanquam Angeli Dei, degite; &, si quid temporis ab Ecclesiasticis vestris functionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, neque in rerum inutilium curiositatibus illud conterite, sed in orationibus, in lectione librorum spiritualium, aliisque piis exercitationibus totum impendite.

Monitio III.

Sit vester oculorum aspectus simplex & pudicus, aurium sensus castus & prudens, casta mens, vita, mores, atque conversatio casta, atque spiritualis.

I.

Sint omnes Clerici graves & modesti, eorumque sermones, actiones, incessus, vultus, & oculi, nihil leve, vanum aut vagum redoleant. Idem anno 1629. *Stat.* 13.

II.

In vestibus nihil indecorum, nullus color contra receptum Ecclesiasticum morem, nihil leve aut vanum appareat in toto vestimento, nihilque, quod modestiam Ecclesiasticam non redoleat.

III.

Ferant collaria simplicia, parva, & ad collum honeste reclinata.

IV.

Deferant omnes Clerici beneficiati vel in Sacris constituti habitum Clericalem, id est vestimenta nigri coloris, habeantque duas tunicas, unam talarem, cum qua Divina persolvant Officia, & aliam ruralem, non tamen nimis brevem & curtam, sed ad medietatem tibiarum usque protensam, qua semper & ubique induantur. Quicumque Sacerdos celebraverit, vel alius Beneficiatus Divina Officia persolverit sine toga talari, mulctetur irremissibiliter ab Officiali nostro. Eidem pœnæ suberit omnis Clericus in Sacris constitutus, qui sine aliqua toga domo exire præsumpserit. Idem anno 1671. *Stat.* 1. & 1679. *Statutis* 1. & 2. Similia anno 1604. *Statutis* 42. & 43.

V.

Præcipimus nihilominus omnibus tam sacris Ordinibus initiatis, quam Beneficia obtinentibus, in urbe commorantibus, ut vestem talarem, non-nisi

nisi itineris faciendi causa, deponant. Hoc jam in Synodo congregata anno 1666. *Art.* 2. *Tit.* De viris Ecclesiasticis, statutum fuerat, de omnibus, tam ruri, quam in urbe commorantibus, sed cum ruri vix nonnunquam id possit observari, idcirco Clericos sacris Ordinibus initiatos, aut Beneficia obtinentes, qui ruri manent, ad vestem talarem, semper & ubique, quoad fieri poterit, deferendam hortari satis esse visum fuit.

VI.

Gestent omnes crines ad modestiam compositos, non longos, neque calamistrosos: deferantque omnes tonsuram Clericalem, quam vocant coronam. Idem 1671. *Stat.* 1. Similia 1629. *Stat.* 13.

VII.

Quemadmodum non decet eos, qui in sortem Domini allecti sunt, vanitates vestimentorum, & novitates sectari: ita etiam convenit eosdem honeste vestiri. Ne, quod inde facile evenire solet, in causa sint, ne a populis vituperetur eorum ministerium; si quem ergo ex Parochis, cæterisque Sacerdotibus aut Clericis viderint Archi-Presbyteri sordidius vestitum, eum primo arguant & increpent, non obedientem vero deferant ad Officiales nostros castigandum. Idem anno 1633. *Stat.* 4. *eodem Tit.*

VIII.

Prohibemus, ne quis ex Sacerdotibus, vel Clericis sclopetos vel catapultas unquam deferat, vel cum iis venationi vacet, Archi-Presbyteri autem deferant non obedientes, ut omni excusatione remota castigentur. Idem anno 1633. *Stat.* 18. *eod. Tit.* & similia 1697. *Stat.* 5.

IX.

Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, inquit Apostolus, quod tamen minus observatum, a quibusdam ex hac Diœcesi Sacerdotibus audivimus, qui familias amplas, servos, ancillas detinent, & multa, nescio quo prætextu, pecora pascunt: idem ne de cætero fiat sub pœnis gravibus arbitratu nostro, vel Officialium nostrorum imponendis severe prohibemus, volumusque, ut singuli Archi-Presbyteri non obedientes statim ad eosdem Officiales deferant. Idem anno 1633. *Stat.* 13. *eod. Tit.* & 1679. *Stat.* 6.

X.

Aliena prædia lucri causa ne conducant Clerici, neve alienam tutelam aut curam, sine nostra expressa licentia suscipiant, nec pro aliis fide jubeant. Similia 1679. *Stat.* 6.

XI.

Prohibemus omnibus & singulis Sacerdotibus in hac nostra Diœcesi consistentibus, ne unquam Procuratores aut Oeconomos ullorum Laicorum, quacumque dignitate fulgeant, agant, neve iis (sic enim recta ratio & dignitas Sacerdotalis postulat) inserviant. Idem 1633. *Stat.* 15. *eod. Tit.*

XII.

Si quis in sacris Ordinibus constitutus, aut Beneficiatus, compertus fuerit usuram exercuisse, sive nomine proprio, sive alieno, juxta Nicæni Concilii sententiam, a Clero dejiciatur, & ab Ecclesiastico gradu alienus habeatur.

XIII.

Choreas neque publicas, neque privatas spectent, Prophanis spectaculis, neque etiam minus honestis conviviis intersint, neve turpes personas ad convivandum apud se convocent. Ebrietatem omnino effugiant, neque alios ad immoderate bibendum provocent.

XIV.

Tabernas & cauponas, nisi in itinere constituti, ne ingrediantur, sub pœna arbitrio nostro, vel Officialium nostrorum imponenda. Idem 1604. *Stat.* 46. 1629. *Stat.* 15. 1666. *Art.* 4. *eodem Titulo.* 1671. *Stat.* 1. & 1679. *Stat.* 3.

XV.

Si quis, quod Deus avertat, status sui oblitus cum scandalo, & summa offensione populi Christiani immoderate biberit, & ipsum ebrium esse constiterit, citetur & ab Officiali nostro, jejunio, eleemosynis & aliis pœnis mulctetur.

XVI.

XVI.

Quoniam eos, qui in sortem Domini vocati sunt, & Sancta tractare debent, non solum crimine incontinentiæ, sed ejus etiam suspicione carere oportet, re multum discussa & deliberata, universis & singulis Clericis beneficiatis, vel in sacris Ordinibus constitutis, districte præcipiendo interdicimus, ne prætextu servitii, mulierculas ullas ætate aut forma suspectas teneant: sed si quas ancillas habuerint, sint illæ saltem quinquagenariæ. Nec ullo modo de incontinentia, & lenocinio suspectæ. Quod si qui forte juniores aut suspectas jam habeant, eas protinus abjiciant, aliis pœnis a sacro Concilio Tridentino contra concubinarios latis omnino subjaceant, ad cujus Decreti severam executionem omnibus & singulis Archi-Presbyteris mandamus, ut studiose ac serio invigilent, &, si quos ex sui districtus Ecclesiasticis contravenientes resciverint, eos protenus ad Nos deferant, quibus etiam præcipimus, ut serio & absque illa personarum acceptione, inobedientes præfatis pœnis plecti curent. Quod si ad hoc Archi-Presbyteri negligentes fuerint, ipsimet tanquam peccantium fautores, arbitraria pœna mulctentur. Eo ipso vero hac in parte negligentes fuisse & esse censeantur, si quis ex sui Archi Presbyteratus Ecclesiasticis ab alio, priusquam ab ipsis delatus fuerit.

Nota in Concilio Metensi circa finem Sæculi noni coacto, prohibitum esse *Canone 5to*: Ne Sacerdotes ullam in suis ædibus fœminam, ne quidem sororibus, vel etiam matribus exceptis, haberent. In Synodo vero Metis congregata anno 1604. *Statuto* 49. Viris Ecclesiasticis concessum est, ut eorum matres, sorores & neptes, & nullæ aliæ cum ipsis habitare possent.

XVII.

Statuimus, ut si quis eo impudentiæ devenerit, ut mulierem sibi inservientem ad nundinas, convivia, nuptias, cauponasque, vel alia quævis loca publica duxerit, vel in sui ipsius ædibus cum aliis fecerit mensæ assidere, ab Archi-Presbytero statim ad Nos deferatur. Idem anno 1633. *Stat.* 11. *Tit. eod.* & similia 1679. *Stat.* 4.

XVIII.

Si quis ea unquam abusus deprehendatur, quam falso asseruerit suam seu sororem, seu neptem aut cognatam, in quocumque gradu, pœnis contra incestuosos ex rigore Canonum statutis puniatur.

XIX.

Prohibemus omnibus & singulis Parochis, Vicariis, Religiosis, Capellanis & Clericis nostræ Diœcesis Metensis, ne unquam in suas ædes admittant, aut recipiant ullas cujusvis Ordinis Moniales, seu Religiosas; præcipimusque Archi-Presbyteris ejusdem Diœcesis, quatenus sedulo & studiose curent hanc nostram Constitutionem executioni demandari.

TITULUS XI.

De Archi-Presbyteris.

I.

Quoties continget Archi-Presbyterum aliquem e vivis cedere, omnes Parochi illius Capituli legitime moneantur a Procuratore Capituli ruralis, quatenus data die simul conveniant ad alium illi substituendum, una vero congregati, præmissa Missa de Spiritu Sancto, Dei timorem præ oculis habentes, ex Parochis eum eligant in Archi-Presbyterum, qui vitæ probitate & scientia cæteris prælucere, quique morum gravitate, sermone, & exhortationibus cæteros in officio continere possit. Illud autem maxime caveant, ne quem impudicitiæ suspectum assumant. Idem 1604. *Stat.* 104.

II.

Electionem factam Superioribus, ut moris est, repræsentent & personam, quo ab iis, juxta sacras Constitutiones, discussio diligens & exacta super moribus & doctrina electi fieri possit. Idem 1633. *Stat.* 2. *eod. Tit.*

III.

Archi-Presbytero, ut par est, confirmato, Parochi obediant, alias casti-

gandi pro meritis ab Officialibus. Idem 1633. *Stat. 4. eodem Tit.*

IV.

Poſtquam ab Archi-Diacono approbatus fuerit, non etiam conveniet, quisquis ille fuerit Archi-Presbyter, noſtram benedictionem accepturus, & quod illi a Nobis, ſive ſuper noſtra viſitatione, ſive ſuper emendatione & reformatione ſui Capituli intimandum & ſignificandum videbitur, auditurus.

V.

Sciant Archi-Presbyteri ſe ideo illis Presbyteris eſſe Prælatos, ut eorum ſaluti Nobiscum invigilent; utque eorum mores, actiones, verba, immo & omiſſiones, quo viciniores illis ſunt, diligentius obſervent, ac delinquentes ad Nos, aut Officiales noſtros deferant. Idcirco officii ſui memores caveant, ne delinquentibus ipſis ullo pacto, ullove prætextu conniveant: ſed ſi quis ex Parochis, aliisque ſubditis ſuis adverſus Decreta hæc noſtra, vel eorum aliquod aut egerit, aut agere omiſerit, eum omnino deferant, alias negligentiæ pœnas arbitrarias luant: cujus negligentiæ, immo potius conniventiæ toties rei habeantur, quoties ab alio aliquo, priuſquam ab ipſis, criminoſos deferri, & crimina probari contigerit.

VI.

Mandamus Archi-Presbyteris, ut, bis ſaltem in anno, ſingulis ſcilicet bimeſtribus, ad Nos reſcribant, & de eorumdem ſuorum Capitulorum ſtatu Nos certiores reddant.

VII.

Penes ſe habeant Archi-Presbyteri regiſtrum, in quo Parochorum, Capellanorum, omniumque Sacerdotum in ſuo Archipresbyteratu conſiſtentium nomina deſcripta ſint, annoteturque, quibus Eccleſiis & Beneficiis præſint vel inſerviant, a quibus ea obtineant, vel approbati ſint ad iis inſerviendum aut confeſſiones audiendum: neque liceat cuiquam, quocumque prætextu, Beneficiis ullis inſervire quoquo modo, priusquam nomen ſuum Archi-Presbytero dederit, inſcriptusque fuerit in ejus catalogo. Idem 1633. *Stat. 5. eodem Tit.*

VIII.

Viſitent ſingulis annis & luſtrent ſibi ſubditas Parochias Archi-Presbyteri, comitante Procuratore Capituli, vel alio, quem elegerint, idoneo & perito Sacerdote, inquirantque diligenter de vita & moribus ſubditorum, ac advertant ſedulo, num aliquid deſit Eccleſiis, & illud ſtatim ſuppleri curent. Item num omiſſa vel neglecta fuerint, quæ in viſitatione noſtra ordinavimus, ut illa executioni demandari ſtudeant.

IX.

Agant Archi-Presbyteri ſerio tam cum Parochis, quam cum Scabinis, atque aliis piis viris cujuscumque loci, ut fractæ, quæ paſſim occurrunt, cruces reſtituantur, & in locis celebrioribus novæ defigantur. Idem 1633. *Stat. 7. eodem Tit.*

X.

Nullum jurisdictionis a noſtra authoritate dependentis actum, quacunque cauſa vel occaſione exerceant, ſub pœna depoſitionis, & gravioris ulterius correctionis.

XI.

Inquirant Archi-Presbyteri ſedulo, an Fabricarum, Hoſpitalium, & locorum piorum reditus in alios uſus, quam debeant, convertantur: ſi quem ab uſum repererint, ad Officiales deferant, qui reliquam pecuniam in locorum reparationes, vel ornamenta converti curent.

XII.

Si qua ſacra loca belli vel temporis injuria diruta reperiantur, curent Archi-Presbyteri eorum ſtatum, ſitum, nuncupationes, bona, reditus, & onera notare, Nobisque quamprimum, ſaltem intra tres menſes, ſignificare, ut de translatione Beneficiorum ſimplicium in iis locis exiſtentium decernamus, & contra illicitos bonorum Eccleſiaſticorum detentores procedamus.

XIII.

Præcipimus Archi-Presbyteris, & eorum ſingulis, quatenus in ſuo quisque Archi-Presbyteratu quoties & quam-

quamprimum Curatorum aut Vicariorum aliquem e vivis excedere contigerit, statim & infra spatium viginti quatuor horarum diligentissime curent certos & indubitatos Nuntios ad Nos, vel Vicarios destinare & mittere, qui illius obitum & decessum Nobis, vel Vicariis Generalibus veniant intimare & notificare, ne quid in præjudicium ipsius Ecclesiæ Parochialis, aut jurium nostrorum, vel ad alios spectantium, ex defuncti morte fieri & attentari possit.

XIV.

Singuli Archi-Presbyteri significabunt tempus, quo celebraturi sunt sua Capitula ruralia, ut, dum vacarit, eis adesse possimus.

XV.

Singulis annis, die Mercurii, qui proxime sequetur quindenam Paschalem, veniant omnes Archi-Presbyteri in hanc Civitatem Metensem, sacras Unctiones petituri, secumque deferant Acta visitationis, quam supra decrevimus quotannis in unoquoque Archi-Presbyteratu diligenter ac sedulo ab omnibus Archi-Presbyteris fieri. Si vero ægritudine aut alio impedimento legitimo detineatur Archi-Presbyterorum quispiam, veniat ejus vice Capituli ruralis Procurator, eademque visitationis acta, quæ ipsi ab Archi-Presbytero committentur, Nobis afferat.

TITULUS XII.

De Capitulo rurali.

I.

Singulis annis fiat Capitulum rurale, a quo nemo absit sine causa legitima, eaque Archi-Presbytero probata. Idem 1633. *Stat.* 1. *Tit.* De Capitulo rurali.

II.

In Ecclesiis, ad quas ex antiquo convenire solent Parochi celebraturi suum Capitulum rurale, a Collatoribus, Scabinis vel Parochianis tot Altaria decenter instruantur, totque sacræ vestes & ornamenta Missæ necessaria parentur, ut singuli Parochi Missam dicere possint: hoc nisi factum fuerit, liberum sit Archi-Presbytero & Parochis aliam Ecclesiam sibi bene visam commodam eligere, & ad eam convenire. Idem 1633. *Stat.* 4. *eodem Tit.*

III.

In Ecclesia suo quisque loco sedeat, cum gravitate & modestia, superpelliceo indutus decenter, cum pileo quadrato, & tonsura Clericali, quam coronam vocant. Nemo ex Ecclesia discedat, absque Archi-Presbyteri licentia, & ut omnes bini & bini in Ecclesiam convenire debuerunt, sequente Archi-Presbytero, ita & egrediantur eodem ordine, subsequente Archi-Presbytero, qui stolam deferet. Idem 1633. *Stat.* 5. *eod. Tit.*

IV.

In Missa cantent omnes modeste, præeuntibus Cantoribus, nemo nimium festinet. In celebranda item Missa, quam omnes, ubi commode fieri poterit, celebrabunt, is ordo servetur, quem designaverit Archi Presbyter ex scripto affixo loco conspicuo Ecclesiæ. Similia 1633. *Stat.* 3. *eod. Tit.*

V.

Convocatis omnibus, deferat unusquisque suas difficultates in scriptis ad Archi-Presbyterum, isque illas, quæ erunt gravioris momenti, referat ad Superiores. Similia 1633. *Stat.* 7. *eodem Tit.*

VI.

Liceat unicuique, servata modestia, si quid habeat, quod correctione vel mutatione egeat, illud proponere, neque ullam inde timeat sibi conflandam invidiam. Similia 1633. *Stat.* 7. *eod. Tit.*

VII.

Quod propositum erit, si tale sit, quod expediri possit, extemplo illud ex consilio Capituli, vel peritorum expediatur. Si vero res maturiori examine egeat, eam referant ad Superiores, quodque ii definierint, exequantur.

VIII.

Librum habeat Archi-Presbyter, in quo statim describi curet resolutiones, monitionesque factas, ut supra dictum

dictum eſt, ſuoque ſigno & Procuratoris ſui, item & Secretarii, quem elegerit, totum roboret & confirmet. Idem 1633. *Stat.* 8. *eodem Tit.*

IX.

Novos Parochos ne ſumptibus gravent in ingreſſu Capitulares, neve ab iis aliquid ultra decem francos exigant, ubi hactenus conſuevit aliquid exigi, ubi tamen ea conſuetudo non fuit, nihil omnino exigatur.

X.

Aſſidente menſæ Archi-Presbytero, omnes aſſideant, ſurgente ſurgant, nemo ad æquales hauſtus provocet ſocium, vel importunis ſermonibus lectorem impediat aut aſtantes. Similia 1633. *Stat.* 6. *eod. Tit.*

XI.

Caveant diligenter Parochi, ne, quo tempore ipſi in unum convenientes debent efficacius ad virtutem populis præbere exemplum, ruinæ anſam præbeant. Longe ergo abſint omnes crapulæ, ebrietates, diſcordiæ contentiones; inter convivandum ſit unus ſemper Lector, qui toto prandio ſelecta aliquot ex ſacris Literis capita, alta & intelligibili voce legat, quem nemo interturbet. Similia 1633. *Stat.* 6. *eod. Tit.*

XII.

Omnibus exacte conſideratis, abſolutisque omnibus, dimittat omnes Parochos in pace Archi-Presbyter; neque cuiquam ante dimiſſionem exire liceat. Data & accepta exeundi licentia, recedant unusquisque in ſuas Parochias.

TITULUS XIII.

De Procuratoribus Capituli.

I.

Is eligatur, qui & ſcientia & vitæ probitate polleat, prudentiaque in negotiis adminiſtrandis valeat. Idem 1633. *Stat.* 3. *Tit.* De Procuratoribus Capituli.

II.

Procuratores Archi-Presbytero adſint induſtria, opera, diligentia, &, ſi quid advertant, mutandum aut corrigendum, illud ſtatim deferant Archi-Presbytero, ut mature ſcandalis occurratur. Idem 1633. *Stat.* 1. *eod. Tit.*

III.

Quas ex antiqua conſuetudine ſolvunt in ingreſſu Parochi pecunias, in communem uſum recipiat Procurator Capituli, earumque rationem coram omnibus, qui intereſſe voluerint, reddat; videritque Archi-Presbyteri, ne ſuperfluis ſumptibus conſumant, quod pro neceſſitatibus reſervatum oportuit.

IV.

Si quid pecuniæ in commune conferatur & ipſi adminiſtrent Procuratores, id fideliter faciant; ſingulis annis in Capitulo rationem reddant coram Archi-Presbytero & Parochis aſtantibus. Idem 1633. *Stat.* 2. *eodem Tit.*

TITULUS XIV.

De Parochis, Vicariis, & Sacellanis : ubi etiam de aliis Beneficia obtinentibus.

I.

Univerſim monemus in Domino, ac præcipimus, ut omnes & ſinguli Metenſis Diœceſis Paſtores Paſtorali ſuæ dignitati, quæ graviſſimum onus habet adjunctum, quantum in ipſis eſt, ſtudeant reſpondere. Hanc autem perfectionis metam is ſolus attinget, qui talem ſe ſe primum vitæ purioris exemplo, deinde Catholica verbi Dei prædicatione exhibuerit, ut totus Paſtor, tam interior, quam exterior, nihil aliud videri poſſit, quam doctrina & efficax inſtitutio ovium curæ ſuæ commiſſarum.

II.

Parochi, Canonici Nobis ſubditi, & alii Beneficiati ad reſidentiam obligati in Canonicatibus, Eccleſiis, Parochiis & Beneficiis ſuis omnino reſideant, Officiisque Divinis ſedulo interſint, alioqui pœnas a Sacroſancto Tridentino Concilio ſancitas ſe noverint incurſuros. Ut autem hoc Decretum debitæ facilius executioni mandetur, ſtatuimus, ut in Collegiatis hujus Diœceſis Eccle-

Ecclesiis, ab earum Capitulis, singulis sex mensibus, absentium nomina & cognomina, & Beneficiorum ab iis obtentorum qualitates Nobis scripto intimentur. Archi-Presbyteri vero idem faciant de Parochis, & aliis Beneficiatis intra districtus suos ad residentiam obligatis.

III.

Nemini Beneficiato, etiam studiorum causa, nisi de nostra licentia, a Beneficio residentiam requirente abesse liceat.

IV.

Severe prohibemus, statuimusque, ut in posterum nullus vestrum, nisi ob aliquam urgentem necessitatem, e Parochia decumbat, neque ab illa post triduum, absque nostra in scriptis licentia, discedere præsumat. Et, si reperiatur quispiam in hac urbe inutilis, per plateas deambulans, diligentia Promotoris ad Officialem citetur, pro hac absentia prohibita puniendus irremissibiliter.

V.

Per se ipsos deserviant propriis Parochiis, & nullos suo loco sufficiant, ut aliorum Curatorum Parochias administrent.

VI.

Diebus Dominicis, finita concione, quam in Missa ad populum habere debent, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, fidei Symbolum, Decalogum, & Ecclesiæ Præcepta, per se aut per puerum aliquem, clare, aperte & distincte proferant ac recitent, ut hoc saltem modo rudiores ea sic repetita discere valeant.

VII.

Omnes Parochialium Ecclesiarum Rectores, singulis diebus Dominicis, a vesperis per horam Catechismum doceant familiariter. Pueros item formare signum Crucis; curentque, ut singuli ex sibi subditis sciant ea omnia, quæ Christianos scire necesse est, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Dei & Ecclesiæ, Sacramenta eorumque numerum, præcipua Mysteria Religionis Christianæ. Neque contenti sint in solis Ecclesiis matricibus id præstare, sed etiam in annexis, ut vocant, seu Capellis sibi subditis, bis saltem singulis mensibus, eandem navent operam. Idem 1604. *Stat.* 37.

VIII.

Strictissime mandamus omnibus Parochis, ut in posterum suis annexis per se ipsos inserviant, nisi in casu necessitatis, & de nostra licentia super hoc dispensentur, alias ab eorum matre Ecclesia quamprimum resecabuntur, ut alteri uniantur.

IX.

Parochi populum sibi commissum ad leges Ecclesiasticas accurate & pie observandas hortentur sæpe, at novas ne adinveniant, neve ad illas populum obligare præsumant. Idem 1588.

X.

Crebris cohortationibus in id maxime incumbant, ut populus sibi commissus ad Confessionem & Communionem frequenter accedat.

XI.

Bonorum Auctorum lectioni diligenter incumbant, sciantque Visitatores diligenter inposterum inquisituros, utrum ex studiis profecerint, processurosque, contra incapaces, ex Decretis sacrosancti Concilii Tridentini *Sess.* 21. *Cap.* 6. *de Reform.*

XII.

Catechismum Tridentinum assidua manu versent, hortamur: hinc enim, ut infinita cognitu necessaria prætereamus, Sacramentorum efficaciam, ac legitimam administrationem docebuntur, intelligentque, quibus potissimum armis expugnanda sit hæresis, & quanta cautione ac prudentia uti debeant in dijudicandis conscientiæ casibus, audiendisque pœnitentium confessionibus.

XIII.

Prohibeant authoritate nostra universis & singulis Parochianis suis, ne quibusvis superstitionibus utantur. Inobedientes ab ingressu Ecclesiæ, & Sacramentorum usu arceant. Aboleantque profana tonitrualia festa, cum paga-

paganiſmum redoleant, cæterasque vanas obſervationes, quas procurandis & conſervandis pecoribus hactenus a plerisque adhibitas accepimus. Inobedientes vero ab Eccleſia & Sacramentis arceant. Prohibeant quoque Paſtores Parochianis ſuis, eadem authoritate noſtra, ne ſuperſtitioſe ceſſent ab operibus ſervilibus, Sabbato poſt meridiem certis anni temporibus; illis, qui non paruerint, Eccleſiæ ingreſſu, & participatione Sacramentorum interdicatur, & morientes, Eccleſiaſtica careant ſepultura. Idem 1633. *Stat.* 7. De fidei Chriſtianæ profeſſione.

XIV.

Ægrotos, etiam non vocati, inviſant: ut eos ad Sacramentorum ſuſceptionem mature inducant.

XV.

Sacerdotes vagos & peregrinos ad celebrandum aut concionandum Parochi ne admittant, niſi prius a Vicario noſtro Generali, vel ab Officialibus noſtris, ſi id iis demandatum fuerit, admiſſi fuerint.

XVI.

Videant Concionatores, ne verbum veritatis, contra Eccleſiæ receptiſſimum ſenſum, & Apoſtolicam traditionem privatis ſuis judiciis ſervire compellant: ſed potius Catholicis, Apoſtolicis, Eccleſiaſticisque interpretationibus per omnia ſeſe conforment.

XVII.

Inhibemus, ne aliquam Religionem profeſſus Parochialis Eccleſiæ regimen accipiat, niſi de noſtra licentia in ſcriptis habita.

XVIII.

Regularia Regularibus, ſæcularia ſæcularibus Beneficia conferri, ex præſcripto ſacrorum Canonum, & ſacroſancti Concilii Tridentini, debent. Idcirco præcipimus omnibus & ſingulis Monachis & Religioſis, qui Parochias in hac Diœceſi obtinent, absque diſpenſatione legitima, neque eorum ſunt Ordinum, quibus id a Sancta Sede conceſſum eſt, ut ad ſua Monaſteria infra duos, a publicatione præſentis Conſtitutionis, menſes ſe recipiant.

XIX.

Quoties Parochum ad aliam Eccleſiam tranſire contigerit, antequam a priore migret, libros tradat, in quibus eorum, qui baptiſati, confirmati, Matrimonio juncti & ſepulti fuerint, nomina deſcribi ſolent.

XX.

Prohibeant Parochianis ſuis, ſub excommunicationis pœna, ne libros ſuſpectos habeant aut revolvant: libros videlicet quoscumque, qui aliquid contra fidem vel bonos mores continent, atque ſupra id ſummopere invigilent Confeſſarii.

XXI.

Sint Vicarii & Sacellani Parochis ſubditi, eorumque fraternam amicitiam promereri ſtudeant, ne eorumdem Parochorum & Vicariorum contentionibus populo ſcandali potius, quam ædificationis præbeatur occaſio.

XXII.

Parochi habentes annexas, niſi eorum reditus ſint nimis exigui, provideant ſibi de Vicariis vel Sacellanis, qui eisdem annexis inſerviant, quo populum ſibi concreditum uberius paſcant & nutriant.

XXIII.

Nulli Vicario, vel Sacellano, vel alii Presbytero liceat inpoſterum confeſſiones audire, Miſſam celebrare, vel Sacramenta adminiſtrare in hac Diœceſi, niſi expreſſam in ſcriptis a Nobis licentiam acceperit.

XXIV.

Cum ii, qui Beneficia Eccleſiaſtica ſine canonica inſtitutione occupant, ſibi damnationem conſciſcant, eam ſtatim a Nobis impetrare ſatagant.

XXV.

Præcipimus Parochis & aliis Viris Eccleſiaſticis, ut Confratres ſuos, ſtatim atque acceperint eos decumbere, viſitent; & viciniori, ut ei Sacramenta neceſſaria miniſtret. Quod ſi contingat aliquem e vivis excedere, omnes Archi-Presbyteratus Parochi ejus exequiis adeſſe tenebuntur, Miſſæ Sacrificium, pro

pro ejus animæ requie, offerre, & paulo post ejus exequias, die ab Archi-Presbytero indicta, congregabuntur, & pro eo feriales, non omisso Missæ Sacrificio, precationes fundant.

TITULUS XV.

De Ecclesiis & Ecclesiarum supellectili, ubi etiam de Sepulturis & Cœmeteriis.

I.

Templa de novo non erigantur, neque Altaria e suis locis submoveantur, ut alio transferantur, neque quidpiam, in locis sacris, a Parochis & Parochianis in profanos usus immutetur, Nobis inconsultis.

II.

Parochi chorum, Collatores seu Decimatores navim, & Parochiani turrim, seu campanile reparari vel conservari procurent.

III.

Mundent frequenter Æditui templa, aranearum telas abstergant, canes abjiciant, nihilque in eis sordidum vel indecorum patiantur. Negligentes in hoc, primum Parochi corripiant, deinde etiam, si opus fuerit, expellant.

IV.

Nullæ cistæ aut supellectilia in Templis tolerentur, nisi ob hostiles incursus, aut alias urgentes necessitates, quibus casibus cessantibus inde statim auferantur.

V.

Pauperes non sinantur ingredi Templa ad eleemosynas colligendas, sed ad valvas Templorum sistere ab Æditis compellantur.

VI.

In omnibus Parochialibus Ecclesiis sit unus saltem calix argenteus.

VII.

Monstrantia, & Ciborium sint honesta, & ubi, propter Ecclesiæ vel Parochianorum penuriam, haberi non poterunt argentea, saltem ænea vel stannea decentissime deaurentur; & in Ciborio vas parvum, rotundum, argenteum includatur, in quo reponatur Christi Domini Corpus.

VIII.

Urceoli stannei vel vitrei, thuribulum æneum cum navicula & cochleari, & candelabra ubique habeantur sufficientia, decentia, & honesta, mundenturque sæpius, ne squaliditatem aut rubiginem contrahant.

IX.

Vasis, quibus Christi Corpus continetur, corporale mundum semper substernatur.

X.

Tria saltem provideantur corporalia in qualibet Parochiali Ecclesia, quo sæpius renovari & mundari valeant: eaque sint ex subtilissima & tenuissima tela, nec ea squaliditatem, immunditiem, aut maculas contrahere patiantur Parochi, sub pœna gravissimæ correctionis.

XI.

Ad calicem post sumptum Sacramentum & vinum ablutionis, decenter abstergendum, parentur sudariola, seu purificatoria ex albo linteo firmo, comburanturque ea, quæ jam præ vetustate sunt olida aut putrida, & cineres vel in piscinam Altari vicinam, si capax sit, effundantur, vel in scrobe Ecclesiæ vel cœmeterii recondantur. Idem 1633. *Stat.* 5. *eodem Tit.*

XII.

Habeantur in qualibet Parochia duæ saltem casulæ, & totidem cappæ, una alba vel rubea, & alia nigra pro Defunctorum Officiis celebrandis: duæ item albæ, quas non ex crassa nimium tela, sed subtiliore & decenti; easque rugatas circa collum, neque nimium laxas aut strictas, manicis non ita amplis, sed oblongis fieri, easque sæpius lavari curent Parochi. Similia 1604. *Stat.* 11.

XIII.

Habeant etiam singuli Parochi duo ad minus superpellicea honesta & decentia, eaque sæpius mundari & lavari studeant.

XIV.

Scabini & Adminiſtratores omnes redituum Eccleſiæ, eos primo in comparandam neceſſariam ſupellectilem impendant.

XV.

Ad omnia Templorum oſtia ſint aliqua vaſa lapidea vel lignea, cum aqua luſtrali, ut, pro antiqua & laudabili Eccleſiæ conſuetudine, ingredientes & exeuntes illa ad ſalutarem effectum poſſint ablui.

XVI.

Cum in Eccleſiis loca, ſeu ſcamna vacabunt, ſive morte, ſive deſertione, die Dominica poſt Veſperas licitatio fiat, & plus offerenti adjudicentur. Attamen ſi idem pretium a defuncti hæredibus offeratur, cæteris præferantur.

XVII.

Quandoquidem in quibusdam hujus Diœceſis Eccleſiis multas imagines ligneas & lapideas adeo inhoneſte & indecenter effigiatas deprehendimus, ut riſum potius, quam devotionem excitent; ideo inhibemus, ne inpoſterum ullæ novæ imagines ligneæ vel lapideæ in Eccleſiis collocandæ ſculpantur, Nobis inconſultis.

XVIII.

Exuantur etiam imagines veſtibus illis inhoneſtis & indecoris, quibus, præſertim in partibus Germaniæ, ſolent indui, nimiam enim ſimplicitatem & ruſticitatem redolent.

XIX.

Invigilent quoque diligentiſſime Parochi ſuper ſimplicem & indoctam plebeculam, ne in cultu ſacrarum imaginum ſuperſtitioſe ſe gerant, eumque modum ac rationem cultus illarum juxta doctrinam ſacroſancti Concilii Tridentini, frequentius doceant.

XX.

Ubi in circuitu Eccleſiarum incaſtellatarum ſunt cœmeteria, quæ inſtar viarum publicarum patent curribus & pecoribus, non ſine earum profanatione; detur diligenter opera, ut vel pars cœmeterii aliquo muro ſepiatur, in eaque inpoſterum ſola mortui inhumentur; vel, ſi id ob loci anguſtias fieri minime poſſit, locus alius in eum finem eligatur & benedicatur, ut non deinceps in loco uſibus profanis obnoxio mortui ſepeliantur.

XXI.

Si quæ cœmeteria adhuc exſtent non clauſa, quamprimum, diligentia & expenſis Parochianorum, muris ſepiantur. Oſſaria ſimiliter, quæ plerisque in locis collapſa ſunt, & ruinæ proxima, iiſdem diligentia, & expenſis reparentur.

XXII.

Ante Solis ortum, & poſt ejus occaſum mortuos efferri, & ad ſepulturam recipi, absque noſtra licentia, prohibemus.

XXIII.

Ne quiquam, niſi Parocho proprio, liceat locum ſepulturæ aſſignare, aut, in ejus abſentia, Parocho viciniori.

XXIV.

Omnes Chriſtiani præſertim Laici, in cœmeteriis, non autem in Eccleſiis ſepeliantur, niſi de conſenſu Superiorum.

XXV.

Parochi ne patiantur ullum ex ſuis inhumari in Cœmeteriis Eccleſiaſticis, ſine ſtatis & ſolitis cæremoniis Chriſtianorum, neque ipſi officio deſint, ſed pro ea, qua pollere debent, charitate in oves ſibi commiſſas, quos charos habuerunt viventes, mortuos ne deſerant; pauperibus vero ſepulturam & alia extrema, prout moris eſt inter Chriſtianos, gratis perſolvant. Humata ſemel corpora fidelium exhumari & in alia quantumvis pia & religioſa loca transferri, ſine licentia noſtra, prohibemus.

XXVI.

Qui autem ſunt publici Simoniaci, fiduciarii, hæretici, ſchiſmatici, venefici, ſortilegi, uſurarii, & qui ſibi manus violenter attulerunt, aut in duello ſuſcepto mortui ſunt, & qui, ſubita morte præventi, Paſchali tempore nec confeſſi ſunt, nec Euchariſtiæ Communionem ſuſceperunt, omnes denique infi-

infideles & excommunicati Chriſtianæ ſepulturæ honore, locoque priventur. Qui autem eos ſepeliendos quacumque ratione procuraverint, excommunicatione feriantur.

XXVII.

Pueri morientes ante Baptiſmum, ne omnino in cœmeteriis Eccleſiaſticis ſepeliantur, ſed in aliquo loco ſeparato, & in eum uſum deſtinato. Idem 1633. *Stat.* 8. *eodem Tit.* cui & hoc ſubjungitur: Ubi vero in aliqua Cœmeterii parte vel angulo ſepeliri conſueverunt, illa pars vel angulus a reliquo cœmeterio muro quamprimum ſecernatur, alioqui nec ibi ſepeliantur.

TITULUS XVI.

De legitima Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione, ubi de Scabinis.

I.

Eccleſiarum & locorum piorum indemnitatibus providere cupientes, ſtatuimus, ut omnes & quicumque Canonici Nobis ſubditi, Parochi, Capellani, & quocumque alio nomine cenſeantur, tam ſæculares, quam Regulares Beneficiati, etiam in dignitatibus conſtituti, omnes item Eccleſiarum Scabini, Hoſpitalium, Fratriarum, & aliorum locorum piorum Adminiſtratores, ſeu Gubernatores, omnium & ſingulorum bonorum, tam mobilium, quam immobilium, Jurium, redituum, ædificiorum, nominum quoque debitorum, & aliorum quorumcunque ad eorum Capitula, Dignitates, Canonicatus, Eccleſias parochiales, Capellanias, Hoſpitalia, Fraternitates, & alia quocumque nomine nuncupentur, Beneficia & pia loca pertinentium declarationes authenticas faciant intra tres menſes, easque Nobis, aut Archi-Presbyteris tradant, qui eas ad Nos deferant in Camera Epiſcopali ſervandas, ad futuras neceſſitates. Earum autem declarationum copiam ſeu exemplar ipſi ſinguli Beneficiarii aut Officiarii penes ſe aſſervent, ut in ſingulis viſitationibus conferantur, ne quid, quod in eis deſcriptum fuerit, deſit, &, ſi quid forte deerit, Eccleſiæ reſtitui curetur. Si quid acceſſionis vel mutationis, præſertim circa mobilia, contigerit, id quotannis annotetur, &, cum opus fuerit, declarationes ipſæ, maxime quoad mobilia, renoventur. Similia 1604. *Stat.* 78.

II.

Si quis Clericus aut Sacerdos cujusvis generis ſcripta ad Eccleſiæ rationem pertinentia occultarit, vel eadem ſuppreſſerit, iisdem, quibus bonorum Eccleſiaſticorum alienatores, pœnis ſubjiciatur.

III.

Ubi, vel fundationis jure, vel alio probato inſtituto, Hoſpitalia, vel alia loca ad pauperes, peregrinos, aut ſenes, aut ægros, aliosve hoſpites excipiendos erecta extant, & fundationes & inſtituta ſerventur, quatenus per loci facultates licebit. In excipiendis autem & alendis hujusmodi hoſpitibus, & diſtribuendis eleemoſynis ſincere omnino, & extra omnem favoris ſpeciem ſe gerant Adminiſtratores. Neque id quoad unum aliquem pium uſum deſtinatum eſt, ullo modo in alium, etiam pium uſum, absque licentia noſtra in ſcriptis obtenta, convertant; alias expenſarum contra hæc factarum ratio nulla habeantur. (*)

IV.

Turpe eſt eos, qui bonorum Eccleſiæ fideles debent eſſe Adminiſtratores, ea vel bonam eorum partem in convivia & compotationes impendere; id ergo ne fiat inpoſterum, diſtricte prohibemus. Quare in locatione bonorum Eccleſiæ is modus ſervetur: quando aliquid Eccleſiæ locandum erit, illud indicet Parochus populo, & omnia plus offerenti, pro more, locentur; neque liceat vina, ut vocant, addere, vel quidpiam aliud, quocumque prætextu, quod in compotationes vertatur. Idem 1633. *Stat.* 2. *eodem Tit.*

V.

Scabini, & alii Adminiſtratores bonorum Eccleſiæ, ſingulis annis, coram Parocho acceptorum & expenſorum rationem reddant, ſub pœna arbitrio noſtro

(*) *Videtur ſic legendum:* factarum ratio nulla habeatur.

nostro imponenda. Idem 1633. *Stat.* 4. *eodem Tit.*

VI.

In redditione rationum, per Scabinos, & alios bonorum Ecclesiæ Administratores, nullæ fiant expensæ, nulla convivia instituantur; Parochi exemplo sint aliis, neque conviviis hujusmodi intersint, caveantque, ne hujusmodi conviviorum expensas concedant Administratoribus bonorum Ecclesiæ. Idem 1633. *Stat.* 5. *eodem Tit.*

VII.

Statuimus, ut inposterum non plures sint, quam quatuor Scabini, quorum duo singulis bienniis ab hoc munere liberabuntur, & duo alii majorum suffragiorum numero a Parochianis in eorum locum sufficientur. Prædicta electio fiat die Dominica immediate sequenti festum Patroni cujuslibet Ecclesiæ.

VIII.

Ipso die Sanctissimi Sacramenti bonorum Ecclesiæ fieri ratiocinium quibusdam in locis audivimus. Id ne inposterum fiat, præcipimus Archi-Presbyteris & Parochis.

IX.

Nulli Parochorum liceat, quocumque prætextu, bona Ecclesiæ, seu prædia sui Beneficii, cum quovis alio seu Sæculari, seu Regulari permutare, aut ad multos annos locare, nisi nostra expressa in scriptis licentia.

TITULUS XVII.

De Festorum, Jejuniorum, & abstinentiæ observatione.

I.

Qui die Festo cujuscumque generis ludis vacarit, vel in caupona aut alibi compotationibus indulserit, dum sacrum Missæ Sacrificium peragitur, vel decantantur Vesperæ, unius libræ ceræ, Ecclesiæ applicandæ, pœna plectetur. Idem 1633. *Stat.* 1. *Tit.* De observatione Festorum.

II.

Qui diebus Festis ab Ecclesia præceptis absque licentia Officialium, vel Parochorum, laboraverit, libra ceræ, prout ab antiquo assolet, mulctetur. Idem 1633. *Stat.* 3. *eodem Tit.*

III.

Quando in diem, quo fieri solent nundinæ vel mercatus, incidet Festum aliquod ex præcepto servandum, in diem alium, qui festus non sit, ad arbitrium eorum, ad quos spectat, transferantur.

IV.

Nundinæ ne uspiam, sub quocumque prætextu, fiant die Parasceves, ante meridiem; neque ad eas ullus convenire audeat sub pœna unius libræ ceræ, in usum Ecclesiæ applicandæ. Idem 1633. *Stat.* 2. *eodem Tit.*

V.

Qui cibis prohibitis tempore Quadragesimæ, & diebus jejuniorum & abstinentiæ præscriptis ab Ecclesia, sine necessitate Nobis, vel Parochis manifesta, & sine nostra & eorumdem Parochorum in scriptis obtenta licentia, vescuntur, post unam vel alteram monitionem, tanquam canes cadaveribus saginati, pane filiorum priventur in Paschate.

VI.

Quæcumque tam de Festorum, quam Jejuniorum observatione in Synodis congregatis tam anno 1671. quam anno 1679. sancita confirmamus.

Catalogus Festorum, quæ sub Præcepto servari debent in Diœcesi Metensi.

1mo: Omnes, qui occurrunt per annum, Dominici dies, additis festis Paschatis, Pentecostes & Trinitatis.

2do: Feria secunda & tertia, quæ sequuntur Dominicam Paschatis immediate: & feria secunda, quæ sequitur Dominicam Pentecostes.

3tio: Festum Ascensionis Domini.

4to: Festum Augustissimo Corporis Domini nostri JESU CHRISTI Sacramento consecratum.

5to: Dies octava ejusdem Festi matutino tempore, usque ad finem Officii tantum.

Mense

Menſe Januario.

Die 1. Feſtum Circumciſionis Domini.
6. Feſtum Epiphaniæ.
20. Sancti Sebaſtiani.

Menſe Februario.

2. Feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis.

Menſe Martio.

25. Feſtum Annuntiationis B. MARIÆ Virginis, ſi hoc Feſtum inciderit in Dominicam Palmarum, aut in ferias Hebdomadæ ſanctæ (excepta feria ſecunda, in qua celebrabitur) aut in totam hebdomadam Paſchæ, transferetur, quoad Officium, & quoad Feſtum, in feriam ſecundam, poſt Dominicam in Albis.

Menſe Aprili.

25. Feſtum S. Marci Evangeliſtæ, uſque dum finita Proceſſio generalis, tota vero die abſtinetur ab eſu carnium. Si contigerit in Dominica, ipſum quidem Feſtum eodem die celebretur, abſtinentia vero, Litaniæ & proceſſiones transferantur in ſequentem diem, & tunc uſque ad proceſſionis finem, ab operibus ſervilibus ceſſetur. Si vero incidat in hebdomadam Paſchæ, vel in Dominicam in Albis, ſi ea dies alio digniori Feſto impedita non fuerit, & celebretur eodem modo ac ipſum Feſtum, nempe uſque ad finem proceſſionis, cum dicta abſtinentia per totam diem.

Menſe Majo.

1. Feſtum Ss. Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

Menſe Junio.

24. Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, in cujus vigilia, jejunium eſt de præcepto.
29. Feſtum Ss. Petri & Pauli Apoſtolorum, in cujus pervigilio, jejunium eſt de præcepto.

Menſe Julio.

25. Feſtum S. Jacobi Apoſtoli & S. Chriſtophori, in vigilia, jejunium eſt de præcepto.

Menſe Auguſto.

3. Feſtum Inventionis S. Stephani Protomartyris, hujus Diœceſis Patroni.
10. S. Laurentii Martyris, in vigilia, jejunium eſt de præcepto.
15. Feſtum Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis, in pervigilio, jejunium eſt de præcepto.
25. Feſtum S. Ludovici Regis Galliæ.

Menſe Septembri.

8. Feſtum Nativitatis B. MARIÆ Virg.
21. S. Mathæi Apoſtoli, in cujus vigilia, jejunium eſt de præcepto.

Menſe Octobri.

28. Feſtum Ss. Simonis & Judæ Apoſtolorum, in vigilia, jejunium eſt de præcepto.

Menſe Novembri.

1. Feſtum Omnium Sanctorum, in vigilia, jejunium eſt de præcepto.
2. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, ſed matutino tantum tempore, uſque ad finem Officii, Feſtum extenditur.
11. S. Martini Epiſcopi.
23. S. Clementis I. Epiſcopi Metenſis.
30. S. Andreæ Apoſtoli, in vigilia, jejunium eſt de præcepto.

Menſe Decembri.

6. Feſtum S. Nicolai Epiſcopi.
8. Feſt. Conceptionis B. MARIÆ Virg.
25. Feſtum Nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI, in vigilia, jejunium eſt de præcepto.
26. S. Stephani Protomartyris.
27. S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Præter hæc Feſta ſervari debet Feſtum S. Tutelaris & principalis Patroni cujuſcumque Eccleſiæ parochialis, ſed intra parochiam tantum.

Feſtum vero Dedicationis Eccleſiæ, uno eodemque die in omnibus hujus Diœceſis Eccleſiis celebretur, nempe die Dominico, qui proxime ſequetur Kalendas Julii.

Jejunia ſervanda, præter ea, quæ in Pervigiliis Feſtorum ſupra notatis indicantur.

1. Quadrageſimæ.
2. Quatuor temporum, quæ ſemper incipiunt:

Prima

Prima, quarta feria immediate post Dominicam primam Quadragesimæ.
Secunda, post festum Pentecostes.
Tertia, post festum Exaltationis S. Crucis.
Quarta, post festum S. Luciæ Virginis & Martyris.

3. Vigilia Pentecostes.

In Rogationibus, id est, tribus diebus ante festum Ascensionis Domini, a carnibus abstinendum est.

Præceptum autem de Festorum sanctificatione, ut Illustrissimus Decessor noster, Mandato suo, *Dato anno* 1670. *die* 22. *mensis Julii*, duabus ultimis Synodis inserto, optime animadvertit, duo continet: Alterum quidem, *inquit*, ut diebus Festis atque Dominicis, plebs Christiana vacet ab omni labore operoso & mercenario, commercioque civili abstineat, in signum quietis æternæ, nobis in cœlesti patria repromissæ: Alterum vero, ut, omissis ac spretis vanis ac ludicris occupationibus; totum suum tempus, Dominicis ac Festis diebus, operibus pietatis impendat: per has quippe sacras ferias oportet fideles ad Templa convenire, Divinisque Officiis interesse; Sanctissima Sacramenta frequentare, verbi Divini prædicationi aures præbere, iis demum, quæ Christianos decent, rebus operam dare, & quibus non augustissima solum Religionis nostræ Mysteria, sed etiam Sanctorum quoque Festum agitur, cœlestem vitam imitentur. Ex quo videre est, quam prava, quamque pernitiosa sint prophanorum Christianorum exempla, qui dies Deo consecratos, vitiis mancipant; Laudes Divinas vertunt in materiam probri, &, cum pietati studere debuissent, cauponantur, ludunt, saltant, magno certe cum publicæ devotionis impedimento & fratrum suorum scandalo: hic Nos Magistratuum sæcularium imploramus opem, ad avertendam hanc sæculi nostri labem atque pernitiem, & pœnis etiam coercendam vim, quam hactenus intulere Christianis Ecclesiæ ritibus & festis homines improbi.

TITULUS XVIII.

De Ludimagistris, Æedituis, & Obstetricibus.

I.

In singulis Parochiis sit Ludimagister, qui & Æditui officium agat, stipendioque assignato pro Æedituo fruatur, nisi pro utroque stipendium sufficiens assignatum sit. Parochi neminem ad hoc munus obeundum admittant, qui probatæ vitæ non sit, & integræ famæ, habeatque in scriptis a Parochis, in quorum parochiis habitavit, de vita & moribus testimonium, ab eoque professionem Fidei Catholicæ omnino Parochus exigat, antequam Scholas aperire sinatur. Idem 1633. *Stat.* 2. *Tit.* De Ludimagistris & Æedituis.

II.

Ubi Magistri duntaxat erunt, providebunt Parochi, ut alio puellæ, alio pueri doceantur loco, vel certe horis aliis: si secus fiat, Nos monebunt aut Vicarios nostros Generales.

III.

Teneantur omnes pueros suos mittere ad Scholas. Itaque e publico stipendium Ludimagistro solvatur, ut vere pauperes ab eo gratis & sine stipendio doceri possint; prudentiæ autem Superiorum erit curare, ne, sub prætextu paupertatis, sinant a quoquam fraudari Ludimagistros suo minervali. Idem 1633. *Stat.* 7. *eodem Tit.*

IV.

Ludimagistri singulis diebus matutino tempore congregatis discipulis curent recitari per unum aut plures ex pueris, alta & intelligibili voce, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Dei & Ecclesiæ. Item antequam lectiones pomeridianas auspicentur, brevi aliqua oratiuncula implorabunt Dei opem, Scholasque alia etiam oratiuncula terminabunt, ad gratias DEO Opt. Max. agendas. Idem 1633. *Stat.* 3. *eodem Tit.*

V.

V.

Singulis Feriis ſextis aut Sabbatis matutina lectio erit de Catechiſmo, quem curabunt diligenter mandari memoriæ a diſcipulis, crebroque repeti, & ſuper eo diſputationibus frequentius eosdem exercebunt. Idem 1633. *Stat.* 4. *eod. Tit.*

VI.

Sub pœna anathematis & expulſionis prohibemus, ne Ludimagiſtri prælegant Catechiſmos, & alios libellos prohibitos, pueris hæreticorum, qui Scholas eorum frequentant & adeunt.

VII.

Parochiani convivium ne extorqueant, ſub pœna arbitraria, ab Æditituis aut Cuſtodibus Eccleſiæ, ſed ii gaudeant integro ſtipendio ſibi aſſignato: ſalvo tamen quod ſupra dictum eſt, de hoc officio committendo Ludimagiſtris. Idem 1633. *Stat.* 8. *eod. Tit.*

VIII.

Ludimagiſtros, qui hoc muneris rite exercent, ad bonum publicum non mediocriter conducere nemo negat; ut ergo in hanc rem diligentius incumbant, hortamur Parochianos, ut eos vectigalium & tributorum reddant immunes.

IX.

In ſingulis pagis & urbibus ſit una ſaltem obſtetrix bonæ & illibatæ famæ, ea, priuſquam officio fungatur, juramentum præſtet ſolitum in manibus Paſtoris loci, doceaturque miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, & cætera, quæ ei incumbent aliquando, munia rite præſtare. Quod idem fiet in iis locis, in quibus plures conſtitui ſolent: atque eæ in obſtetrices eligantur, quæ Catholicæ ſint & integris moribus: quod, ubi non fiet, electam ne admittant Parochi. Idem 1633. *Stat.* 1. *Tit.* De Obſtetricibus.

X.

Omnibus & ſingulis obſtetricibus diſtrictiſſime prohibemus, ne quorumcumque hæreticorum infantes, ad eorum Baptiſmum deferant, neve eorum prædicationibus interſint.

TITULUS XIX.

De Parochorum Honorario.

MONITIO I.

Qui Altari deſerviunt, ut monet Scriptura, cum Altari participant: & dignus eſt operarius mercede ſua: hortamur igitur Parochianos, ut corde magno & animo volenti ſuum præſtent Parochis honorarium. Parochos vero ipſos, ut ne moroſi in eodem petendo, moleſtique ſint, neve ullam præ ſe ferant avaritiæ ſpeciem.

MONITIO II.

Quamvis optemus, ut idem honorarium, mox a Nobis, pro locorum conditione, decernendum, Parochis ubique præſtetur. Si tamen aliter laudabili & pacifica conſuetudine, quibusdam in locis, inſtitutum fuerit, nihil volumus immutari.

MONITIO III.

Cum urbium Cives pagorum incolis ditiores vulgo ſint, idcirco majus, in quibusdam, decernendum honorarium duximus pro urbanis, quam pro foraneis Parochis. Ubi ergo ea ratio ceſſabit, ceſſare volumus & honorarii diſcrimen: quapropter humiliores artifices, agricolæ, vinitores, cæterique infima fortuna homines, qui forte in urbibus habitabunt, nihil ſolvent, ultra id, quod pro foraneis ſtatuemus.

Decretum de Parochorum urbanorum Honorario.

Pro celebratione Baptiſmi dabitur, quod patrino & matrinæ viſum fuerit.

Pro inſcriptione ſingularum Baptiſmi adminiſtrationum in regiſtro facienda, tres aſſes, ſeu tria ſolida, cum denariis octo.

Pro Benedictione fontium in Paſchate & Pentecoſte, nihil.

Pro Sacro Viatico, nihil.

Pro Pœnitentiæ Sacramento, nihil.

Pro Extrema Unctione, nihil.

Pro Sponſalibus, bannorum proclamationibus, benedictione Nuptiarum & Miſſa, tres libræ Turonenſes ſeu gallicæ. (*) Digi-

(*) Libra Turonenſium (das Pfund kleiner ſchwarzen Turnoſen) olim faciebat Metis 15. tantum ſolidos denariorum *Metenſium* antiquorum. Papa exprimens in literis Apoſtolicis libram illam cenſetur exprimere *Ducatum auri de Camera.*

Digitalia vero ſeu chirotecas donare, liberum id permittitur.

Pro tribus bannorum proclamationibus, & ſcripta earumdem teſtificatione, quando ſcilicet extra Parochiam erunt celebrandæ nuptiæ, triginta aſſes. Quæ ſumma tunc etiam a conjugibus proprio Parocho conferetur, cum proclamationum diſpenſationem, & matrimonii extra Parochiam celebrandi licentiam obtinuerint.

Pro Benedictione puerperæ, ſex aſſes.

Si vero Miſſa inſuper petatur, honorarium Miſſæ privatæ adjicietur.

Pro Miſſa ſolemniter cantata, absque Diacono & Subdiacono, quindecim aſſes.

Pro Miſſa privata, ſeptem aſſes cum ſenis denariis.

Pro humatione pueri, octodecim aſſes.

Pro adulto ſepeliendo, cum Miſſa, Vigiliis & Reſponſorio *Libera* &c. tres libræ Turonenſes.

Si vero ſolemniores poſtulentur Exequiæ, id eſt Sepultura & Miſſa pro defuncto, poſtera autem die, Miſſa altera, Commendatio animæ, Vigiliæ, Reſponſorium: *Libera*, &c. &c. novem lib. Turon. ſeu tres nummi. Penes ditiores erit aliquid dare honeſtius.

Pro ſepulchro effodiendo, in cœmeterio, quidem nihil. In Eccleſia, ſed extra chorum, duæ libræ Turonenſes, inter Parochum & fabricam, pro locorum conſuetudine dividendæ. In choro, quatuor libræ Turonenſes, itidem dividendæ.

Pro anniverſario Sacro cum Vigiliis, obſequiis & Reſponſorio *Libera*, tres libræ Turonenſes: ac præterea panis & vini oblatio, ubi id in more poſitum eſt.

Reliquiæ cereorum ſuper Altare majus, & circa præſentiam accenſorum, ſive in funere, ſive in anniverſario ad Parochum, ubi contraria non retinetur conſuetudo, pertinebunt: quemadmodum & dimidia fundationum pars, quando aliter a Fundatoribus ſtatutum non erit.

Egeni gratis humabuntur, nec ab eis ullo ſumptu parentandum cogi eorum propinqui poterunt.

Pro Commendatione animæ facienda, ſi petatur, ſingulis diebus Dominicis, inter Miſſarum ſolemnia, tres libræ Turonenſes ad annum integrum.

Pro literis extractis e Baptiſmorum, Matrimoniorum, & funerum regiſtro, quinque aſſes.

Pro Monitorii denunciatione, ejusdem fulminatione, & inſtrumento data teſtimonia vel indicia exhibente, duæ libræ Turonenſes cum aſſibus decem.

Pro matutinis horis, extra ordinem cum cantu recitatis, undecim aſſes.

Pro Veſperis pervigilii ac feſti, extra ordinem cum cantu pariter recitatis, quindecim aſſes.

Decretum de Parochorum foraneorum Honorario.

Pro Baptiſmi adminiſtratione, quod patrino & matrinæ viſum fuerit.

Pro inſcriptione ſingularum Baptiſmi adminiſtrationum in regiſtro facienda, tres aſſes, ſeu tria ſolida, cum octo denariis.

Pro Benedictione fontium in Paſchate & Pentecoſte, nihil.

Pro ſacro Viatico, nihil.

Pro Pœnitentiæ Sacramento, nihil.

Pro Extrema Unctione, nihil.

Pro Sponſalibus, bannorum proclamationibus, Benedictione nuptiali & Miſſa, triginta aſſes.

Digitalia vero ſeu chirothecas donare, liberum id permittitur.

Pro tribus bannorum proclamationibus, & ſcripta earundem teſtificatione, quando ſcilicet extra Parochiam erunt celebrandæ nuptiæ, octodecim aſſes. Quæ ſumma tunc etiam proprio Parocho a conjugibus perſolvetur, cum bannorum diſpenſationem, & Matrimonii extra Parochiam celebrandi licentiam obtinuerint.

Pro Benedictione puerperæ, duo aſſes. Si vero Miſſa inſuper petatur, honorarium Miſſæ privatæ erit adjiciendum.

Pro Miſſa ſolemniter cantata, absque Diacono & Subdiacono, undecim aſſes, quando celebrabitur in Parochia vel Eccleſia, ubi Parochus habitat.

Si

Si vero celebretur in annexa vel alia Ecclesia, longe a domicilio Parochi sita, quindecim asses.

Pro Missa privata, sex asses, in Ecclesia juxta quam degit Parochus.

In Ecclesia vero longe a Parochi domicilio sita, septem asses cum senis denariis.

Pro Sepultura puerorum, ubi habitat Parochus, sex asses.

In Ecclesia vero longe a Parochi domicilio sita, novem asses.

Pro Sepultura adultorum & cæteris funerum cæremoniis, nempe pro Officio Defunctorum bis cum cantu recitato, pro duabus Missis solemnibus & Responsorio *Libera*, quinque libræ Turonenses cum denis assibus.

Si minuantur Exequiarum cæremoniæ (quod omnibus liberum erit) hoc est, si unica celebretur Missa, nec nisi semel cantetur Defunctorum Officium, tres libræ Turonenses cum assibus quindecim.

Si Diaconus & Subdiaconus Sacerdoti pro defuncto facienti ministraverit, sex singulis asses dabuntur.

Si iidem Diaconus & Subdiaconus Missam insuper pro defuncto celebraverint rogati, sex alios asses accipient.

Pro sepulchro effodiendo, in cœmeterio, nihil. In Ecclesia, sed extra chorum, triginta & septem asses, inter Parochum & fabricam, pro more locorum, dividendi. In choro, tres libræ Turonenses cum quindecim assibus, itidem dividendæ.

Pro Anniversario Sacro cum animæ commendatione, viginti duo asses. Ac præterea panis & vini oblatio, ubi is mos obtinet.

Reliquæ cæreorum super Altare majus, & circa præsentiam accensorum, sive in ipso funere, sive in Anniversario, ad Parochum, ubi contraria non retinetur consuetudo, pertinebunt: quemadmodum & dimidia fundationum pars, quando aliter a Fundatoribus statutum non erit.

Egeni gratis humabuntur, nec ad ullum, pro eorum funere sumptum cogi eorum propinqui poterunt.

Pro Commendatione animæ facienda, si petatur, singulis diebus Dominicis inter Missarum solemnia, duæ libræ Turonenses, ad annum integrum.

Pro literis extractis e Baptismorum, funerum & matrimoniorum registro, quinque asses.

Pro Monitorii denuntiatione, ejusdem fulminatione, & instrumento data testimonia vel indicia exhibente, duæ libræ Turonenses cum assibus decem.

Pro matutinis horis, extra ordinem cum cantu recitatis, decem asses.

Pro Vesperis pervigilii ac festi, extra ordinem cum cantu pariter recitatis, duodecim asses.

TITULUS XX.

De Archi-Presbyterorum & Parochorum expensis, occasione sacrarum Unctionum.

Cum Sacerdotalem characterem nihil fœdius dedecoret, quam turpis lucri cupiditas; tantam sordem procul a nostra Diœcesi amandare cupientes, prohibemus sub pœna gravissima, ne Archi-Presbyteri a Parochis, & Parochiarum Scabinis, aut Parochi vel Scabini a Parochianis quidpiam, ob factas impensas eo tempore, quo sacræ Unctiones distribuendæ sunt, reposcant, præter id, quod iidem Archipresbyteri, Parochi vel Scabini reipsa expenderint. Ne vero crescant ultra modum expensæ hujusmodi, operæ pretium duximus, eas hic certo & accurate definire.

Primo igitur, diurna Archi-Presbyterorum, dum sacras Unctiones quæsitum venient, impensa non excedet summam librarum trium Turonensium.

Secundo. Nullus Archi-Presbyter plures sive itineris, sive commorationis dies in expensarum rationes inducet, quam a Nobis mox præscribetur, habita ratione distantiæ locorum.

Archi-Presbyter a Civitate Metensi nullum neque sumptum, neque diem computabit.

Archip. de Valle, duos itineris dies, unum vero commorationis, novem libras Turonenses.

Archip. de Nosvilla, idem, novem libras.
Archip. de Rombaco, idem, novem libras.
Archip. de Theonisvilla, idem, novem libras.
Archip. de Kedangia, idem, novem libras.
Archip. de Vatiſia, idem, novem libras.
Archip. de Nomencio, idem, novem libras.
Archip. de Montione, ſeu Muſſone, idem novem libras.
Archip. de Gotzia, idem, novem libras.
Archip. de Hatriſia, idem, novem libras.
Archip. de Delma, idem, novem libras.
Archip. de Sancto Nabore tres itineris dies, unum vero commorationis, duodecim libras.
Archip. de Mothangia, idem, duodecim libras.
Archip. de Habudangia, idem, duodecim libras.
Archip. de Marſallo quatuor itineris dies, ûnum vero commorationis, quindecim libras.
Archip. de Vargavilla, idem, quindecim libras.
Archip. de Sarburgo, quinque itineris dies, unum vero commorationis, octodecim libras.
Archip. de Bukenemo, ſeptem itineris dies, unum vero commorationis, viginti quatuor libras.
Archip. de Sancto Arnuali, idem viginti quatuor libras.
Archip. Bittenſis, ſeu de Hornebacho, idem viginti quatuor libras.
Archip. de novo Monaſterio, idem, viginti quatuor libras.

Tertio. Jura omnia, quæ ſive annuatim, ſive ſingulis trienniis poſſent ad Nos pertinere, omnino remittimus: quapropter vetamus, ſub pœna graviſſima, ne quidpiam, pro ejusmodi juribus noſtris, exigant Archi-Presbyteri.

Quarto. Si Archi-Presbyteri alia quæpiam, præter communes iſtas itineris & commorationis expenſas, contulerint impendia, pro ſuo Archi-Presbyteratu, prohibemus, ne eadem a Parochis aut Scabinis rependi ſibi poſtulent, priusquam eisdem Parochis palam oſtenderint apocham, qua impendiorum hujusmodi acceptorum fidem faciat, quia ea ab eisdem Archi-Presbyteris exegerit. Quam quidem apocham penes ſe Archi-Presbyteri aſſervabunt, ut Nobis, ſi opus fuerit, repræſentetur.

Quinto. Vetamus, ne Parochi aut Scabini a Parochianis quidquam exigant, tanquam datum Archi-Presbytero, pro factis impenſis occaſione ſacrarum Unctionum, niſi prius præcipuis Parochianis oſtenderint apocham Archi-Presbyteri, qua acceptæ ſummæ fidem chirographo faciat. Quam etiam apocham penes ſe Parochi, aut Scabini aſſervabunt, ut Nobis, ſi opus fuerit, repræſentetur.

Sexto. Nihil a Parochianis ſuis exigant Parochi, pro ſumptibus ſive itineris, ſive commorationis a ſe factis in Capitulo rurali, ad ſacrarum Unctionum diſtributionem, præter aſſes triginta.

TITULUS XXI.

De quibusdam abuſibus tollendis.

I.

Conſuetudo Hoſtias in vigilia Paſchatis oſtiatim deferendi, a Scabinis inducta, ut infantibus ætatem ad Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum nondum adeptis, ſumendæ porrigantur, omnino aboleatur.

II.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, quod frequentius in quibusdam Eccleſiis exponitur, exceptis duntaxat feria quinta majoris hebdomadæ, & Octava feſti Corporis Chriſti, ſine noſtra expreſſa & in ſcriptis obtenta licentia, deinceps non exponatur.

III.

Cum Parochus Sacrificii Miſſæ, quod offert diebus Dominicis, fructum Parochianis applicare ratione beneficii, teneatur, diebus prædictis á nemine pro Miſſæ celebratione, eleemoſynam ſeu ſtipendium accipiat.

IV.

IV.

Ne Regulares ornamenta aliis ab iis, quibus in suis Ecclesiis utuntur, deinceps benedicere præsumant; si quæ sint benedicenda, iis offerantur, qui a Nobis illa benedicendi facultatem acceperint.

V.

Religiosi mendicantes aliarum Diœceseon, in nostra Diœcesi collectiones, sine nostra licentia, non faciant. Hoc in Synodo anno 1666. congregata, de quibusdam mendicantibus jam statutum est, *Art.* 7. *Tit.* De consuetudinibus abusivis.

VI.

Prohibemus, ne Catholici hæreticorum templa, ad eorum audienda dogmata ingrediantur, nec eorum funeribus aut aliis cæremoniis adsint, nec veneno aspidum, quod est sub labiis eorum, quodque, etiam privatis colloquiis contra Religionem Catholicam sæpius effundunt, aures præbeant, sub pœna anathematis.

VII.

Christiani Sabbato Judæorum ædes non ingrediantur, eorum rem domesticam curaturi; multo minus eorundem Synagogam, ut in ea cereos aut lychnos componant & emungant; Neve, sub pœna excommunicationis, aut privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, & Sacramentorum, ulli ex Christianis eosdem Judæos, lectionem librorum ab iis audituri, adire ulla ratione audeant.

VIII.

Parochi vehementer hortentur Parochianos suos, ut abstineant *Primo:* a quibuscumque spectaculis & choris offensionem habentibus, præsertim illis profanis & impiis, intolerando quodam abusu, die Cinerum, & diebus Dominicis Quadragesimæ, in hac Diœcesi duci solitis & repræsentari. *Secundo:* A nocturnis cœtibus, ad quos plures hyemis tempore de more conveniunt, qui sæpius sunt occasio proxima peccati lethalis. *Tertio:* A publicis saltationibus, & nescio quibus pravis consuetudinibus, quæ vulgo *Valentinæ* nuncupantur. *Quarto:* A vociferationibus, strepitibus, & vasorum æneorum pulsationibus fieri solitis, ubi dispar conjugium celebratur. Inobedientes & contumaces post trinam monitionem ad Nos deferant.

Hæc Statuta vos omnes & singuli, quorum interest, quanto poteritis amore & pietate non amplectamini solum, & attendite, sed mente, animoque comprehendite, servate, atque solicita semper executione præstate. Quod, ut facilius fieri possit, unum exemplar præsentium quisque sibi comparet, illudque sæpissime revolvat. Interim dirigat reditus vestros in omni sancta obedientia Dominus noster JESUS CHRISTUS, & confirmet vos in omni opere bono, ita ut digne semper ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes. Amen.

Datum Metis die prima Julii, anno Millesimo sexcentesimo nonagesimo nono.

Signatum HENRICUS CAROLUS DU CAMBOUT DE COISLIN, Episcopus Metensis.



Appen-

Appendix ad Codicem Canonum
ECCLESIÆ METENSIS,

Quos observari mandavit Celsissimus & Excellentissimus Dominus, D. HENRICUS CAROLUS du CAMBOUT, Episcopus Metensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Dux de Coislin, Par Franciæ, &c.

IN SYNODO METIS CONGREGATA DIE MERCURII 13. JUNII ANNI 1714.

HENRICUS CAROLUS du CAMBOUT, EPISCOPUS Metensis, S. Rom. Imp. Princeps, Dux de Coislin, Par Franciæ, Baro antiquarum Baroniarum de Pont-Chateau & de la Roche-Bernard, Par & natus Præses Comitiorum Britanniæ, primus Campaniæ Baro, Comes de Crecy, & aliorum locorum, primus Regis Eleemosynarius, Ordinis Spiritus Sancti Commendator. Universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archi-Diaconis, Archi-Presbyteris, sive Decanis ruralibus, Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, seu eorum Vicariis, Capellanis, Presbyteris & Clericis Civitatis ac Diœcesis Metensis, Salutem in Domino.

Sæpe & graviter Juris Justitiæque Consulti & in tenendo regimine exercitati homines questi sunt, si Legum custodia negligatur, non solum veterem & optime constitutam labefactari disciplinam, sed & consuetudinum morumque depravationem continenter induci novam, atque in dies invalescere. Quod cum Antecessores nostri intelligerent, usuque frequenti comperirent, nihil esse tam sapienter institutum, quod non aliquando rescinderet proclivis ad licentiam & laxamentum humana desidia: erumpentes vitiorum surculos nove sancitis Legibus extirpare conati sunt, & antiqua Decreta desuetudine obtrita identidem renovarunt. Horum Nos vestigia persequentes, quæ mala diuturnis belli vix tandem sedati calamitatibus, atque inde progressa incuria, in Diœcesi nostra, sensim increverunt, sequentibus Statutis evellere destinavimus.

I.

Eucharistiam decentissime ac summa veneratione asportandam ad ægrotos sacro Viatico reficiendos, Divina tanti Sacramenti Majestas postulat, & Diœcesis nostræ Statuta jubent: Quod ut religiose servetur, prohibemus omnino, ne quis Parochus, Vicarius, aut alius Presbyter Divinum Viaticum ad ægrotos, etiam remotius habitantes, deferat, nisi publice & patenter. Si quis autem latenter & in sacculo seu pera vestibus assuta gerere illud præsumpserit, ab Ordinum suorum muniis & functionibus suspensus ipso facto sit.

II.

Missa parochialis in præcipuo Ecclesiarum Altari diebus Dominicis celebretur: non obstante cujusvis Sodalitatis seu Confraternitatis solemnitate cum eisdem diebus concurrente. In eo itidem præcipuo cujusque Ecclesiæ Altari, nec unquam in sequiore, Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum exponatur.

III.

Inter Missarum parochialium solemnia Evangelium singulis diebus Dominicis, exponant Parochi & Vicarii, aut Symbolum Apostolorum, Præcepta Dei & Ecclesiæ, Orationem Dominicam, Sacramentorum naturam, vim, institutionem, finem, & requisitas ad ea recipienda dispositiones ex ordine demonstrent. Post Vesperas autem vel ante ipsarum initium, Catechismum pueros & adolescentes doceant in Ecclesia, etiam æstivis mensibus: quantumvis exiguus sit puerorum in pagis eo tempore residentium numerus.

IV.

IV.

Quandoquidem pueri ſeptennes ratione uti incipiunt, curabunt Parochi, ut quotquot ad hanc ætatem pervenerint, ad Pœnitentiæ Sacramentum quamprimum recipiendum inſtituantur.

V.

Ut Canoni Concilii Lateranenſis, qui incipit: *Omnis utriusque ſexus*, ſine dolo obtemperetur, quo pacto intelligi & obſervari ſolet, ubicumque vigent Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges; Confeſſarii regulares, cæterique curam animarum ordinariam non habentes, nulli Parochiano, qui præcepto annuæ, ſeu ut conſuetudo communis & Statuta noſtra declararunt, Paſchalis Confeſſionis non ſatisfecerit, Sacramentum Pœnitentiæ ſine Parochi licentia in ſcriptis habita, etiam extra quindenam Paſchalem, adminiſtrent. Qui ſecus fecerit, quavis approbatione & facultate Sacramentum hocce adminiſtrandi a Nobis, aut a Vicariis noſtris Generalibus ipſi conceſſa, ipſo facto ſe noverit interdictum.

VI.

Ne difficilis aditus ad frequentationem Sacramenti Pœnitentiæ fidelibus ſit, mandamus Parochis & Vicariis, ut aſſidui ſint in Sacramenti hujus tribunali, præſertim matutinis horis dierum Feſtivorum & Dominicarum, & in eorumdem dierum pervigiliis, atque ita ſe deinceps facturos plebem ſuam quamprimum in publica concione admoneant, nec expectaturos, donec a Parochianis, qui timidi plerumque ſunt, advocentur & rogentur.

VII.

Supplicationem ullam ſeu Proceſſionem fieri extra Parochiæ fines, Statutis noſtris dudum vetuimus. Ut autem nonnulli, quos ea in re minus obſequentes accepimus, coarceantur; ac peſſimi exempli offenſione cæteri liberentur: edicimus, ut ſi quis Parochus, Vicarius, aut alius Presbyter ſupplicationi ejusmodi cuipiam præfuerit, aut etiam adfuerit, extra ejus Parochiæ fines, cujus incolæ ad ſupplicationem ſic procedent, a ſuorum Ordinum functionibus ſit ipſo facto ſuſpenſus.

VIII.

Nullæ ſupplicationes, nullæque preces, aliæque cæremoniæ publicæ, absque noſtra in ſcriptis accepta licentia, fiant: exceptis iis, quæ aut legibus Eccleſiaſticis aut diuturna conſuetudine, in omnibus Parochiis conſtitutæ reperiuntur.

IX.

Venditiones quarumcumque rerum (his exceptis, quæ ad Divinum cultum & victum neceſſarium pertinent) nundinæ publicæ, mercatus, & auctiones diebus feſtis ne fiant, ſub pœna excommunicationis, a Parochis in concione publica, inter Miſſarum ſolemnia, ſingulis annis, ante diem feſtum Patroni cujusque Parochiæ, denuntianda.

X.

Diebus Dominicis & Feſtivis nulla opera ſervilia, absque noſtra, aut Parochorum licentia fiant. Ne autem de induſtria quæratur ficta neceſſitas, vindemiæ, cæteraque opera continuis diebus peragi ſolita, ſemper quoad fieri poterit, initio hebdomadæ & poſt diem Dominicam incipiant.

XI.

Ut parati ſint Paſtores ad munia ſua rite ſemper obeunda, habeatur in ſingulis Parochiis & annexis Rituale nuper a Nobis editum: omniaque in illo contenta, quemadmodum & Statuta noſtra Synodalia, frequenter & ſedulo legant Parochi, Vicarii, cæterique Presbyteri ad regimen animarum admoti aut deſtinati.

XII.

Diligenter invigilent Archi-Presbyteri, ut quæ *Statuto XII. Tit. XII.* De Capitulo rurali, in prima Synodo noſtra præcipimus, fideliter ſerventur, quod ut efficacius præſtent, curabunt, ut Capitula ad ſancti Chriſmatis, ſacrorumque Oleorum diſtributionem, ſingulis annis in eadem Parochia celebrentur, aut certe in oppido vel pago ad centrum Archi-Presbyteratus ſito.

Mode-

Moderatum autem convivium, & ab omni luxu & commeſſatione alienum, quod inibunt omnes tunc Parochi, nunquam agatur illius ſumptibus, apud quem conventus habebitur, ſed communis omnium ſit impenſa, ſymbolo a ſingulis dato.

XIII.

Choreæ & ſaltationes, inter perſonas utriusque ſexus, agitari nequaquam poſſunt absque graviſſimis Dei offenſis: idque, ut docet S. Carolus, (*) ob turpes cogitationes, obſcœne dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernitioſas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo conjunctas. Tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia ſæpiſſime. Meminerint ergo Paſtores non minimam officii ſui partem eſſe, ut a grege ſibi credito peſtem adeo exitioſam avertere moliantur: tum deſerto protinus Officio Divino, & occluſis Eccleſiæ januis, ſtatim, ut perſpectum erit apparari in pago vel oppido omnia ad promiſcuam illam utriusque ſexus ſaltationem: tum crebris & vehementibus e ſacro pulpito increpationibus; tum etiam remotis a Sacramentorum participatione iis omnibus, qui periculoſis ejusmodi ludis operam dederint. Eisdem etiam remediis uti debent ad probroſam *Valentinarum*, ut vocant, conſuetudinem, amplam illam peccatorum occaſionem, abolendam.

XIV.

In Parochiis foraneis ſolent plures ſimul Parochi, aliique Presbyteri ad funerum Sacra celebranda e locis vicinis accerſiti, iis peractis, ad lautum convivium in ædibus Parochialibus, aut in aliis excipi, ſuppeditato ſumptu ab hæredibus defunctorum: quod ne inpoſterum fiat, gravibus de cauſis prohibemus.

XV.

Nuſquam frequentius ullæ ad Nos deferuntur querelæ, quam adverſus quosdam Parochos, modum in exigendis honorariis intoleranda aviditate excedentes: qui abuſus ne diutius perſeveret: univerſis curam animarum gerentibus mandamus, ut Decreta duo inter Statuta noſtra Synodalia *Titulo XIX.* poſita, de Parochorum cum urbanorum, tum foraneorum honorario, ſtricte obſerventur: donec aliter a Nobis poſt Diœceſis noſtræ proximam viſitationem quam cito faciendam, ſtatutum fuerit. Interdicimus autem ſub pœna ſuſpenſionis Ordinum ipſo facto incurrenda, ne quidquam præter id, quod præfatis Decretis præſcribitur, a quoquam Parocho petatur: non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quæ in tali re plerumque corruptela eſt: nec magis obſtante ejusdem *Tituli XIX. Monito II.* quod propterea revocamus.

XVI.

Cum Paſtorum reſidentia Jure Divino præcipiatur, nunquam a ſua Parochia diſcedant Parochi, licet ad breve tempus, niſi evidentis neceſſitatis aut utilitatis cauſa. Cæterum quidquid *Tituli V. Statutis* 23. & 4. decernitur, accurate obſervetur.

XVII.

Vaſcula ad aſſervandum ſanctum Chriſma, & ſacrata Olea, non ita ſecum ſint connexa & coagmentata, ut pyxis olei infirmorum a duabus aliis abjungi non poſſit, & apud ægrotos ſeorſum deferri.

XVIII.

Adoleſcentuli ad ſuſcipiendam prima vice Euchariſtiam, niſi in propria Parochia & approbante proprio Parocho, nusquam unquam admittantur.

XIX.

Quoniam in ipſis etiam Laicis non ebrietatem ſolum, & immodicam omnem potationem graviſſime & cum execratione vetat Scriptura ſacra, dicens: *Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum.* Diſtricte prrohibemus omnibus Clericis, multoque diſtrictius univerſis Parochis, Vicariis, cæterisque Presbyteris, ne immoderato potui unquam indulgeant, neve ad plures horas convivia producant, quod absque nimio vino raro fit, nunquam autem absque Laicorum ſcandalo.

XX.

(*) Notatur ad marginem: *In Synodo III. Mediol. Tit. I. Vid. S. Chriſoſt. Hom.* 48. *in Matth.*

XX.

Archi-Presbyteri in visitationibus suis quidquid adversus ista, atque alia prius edita Diœcesis nostræ Statuta delictum fuerit, pro munere suo diligenter notabunt: & contumaces, si quos invenerint, Nobis sine personarum acceptione denunciabunt, ut possimus arguere, obsecrare, increpare, in omni patientia & doctrina. Datum Metis die 13. Junii, anno Domini 1714.

HENRICUS CAROLUS du Cambout, Episc. Metensis, Dux de Coislin.

De Mandato DD. Episcopi
C. H. Dolze.

Appendix altera ad Codicem Canonum *ECCLESIÆ METENSIS.*

HENRICUS CAROLUS du CAMBOUT, EPISCOPUS METENSIS, S. Rom. Imp. Princeps, Dux de Coislin, &c.&c. Universis et singulis Archi-Presbyteris, sive Decanis ruralibus, Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, seu eorum Vicariis, cæterisque Presbyteris et Clericis Civitatis ac Diœcesis Metensis, Salutem in Domino.

Gravissimas & frequentes multorum querelas, in quosdam Parochos, qui modum in exigendis honorariis excederent, compescere cupientes, in anni præteriti Synodo statueramus, ut Decreta duo inter Statuta nostra Synodalia anni millesimi sexcentesimi nonagesimi noni, *Titulo decimo nono* posita, de Parochorum cum urbanorum, tum foraneorum Honorario, stricte observarentur: sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ: donec aliter a Nobis post Diœcesis nostræ proximam visitationem, quam cito faciendam, statutum fuisset. Jam autem peragratis, in ultima nostra visitatione, plerisque Diœcesis ejusdem nostræ regionibus, auditisque & mature ponderatis Archi-Presbyterorum plurium, aliorumque Pastorum monitis, perpensis etiam variarum super ea re consuetudinum rationibus & incommodis: statuendum duximus, ac per præsentes statuimus, universos tam foraneos, quam urbanos Parochos idem omnino Honorarium percipere inposterum posse, quod in Decreto Parochorum urbanorum honoraria spectante, præfato Statutorum nostrorum Synodalium *Titulo decimo nono*, præscripseramus. Non obstante contraria quavis consuetudine, quæ & ipsa in tali re plerumque corruptela est, & locum innumeris scandalis, offensionibusque præbet. Non obstante pariter mox dicti *Tituli decimi noni Monito secundo*, quod propterea denuo & in perpetuum revocamus. Datum Metis die 27. Aprilis, anno Domini 1715.

HENRICUS CAROLUS du Cambout, Episc. Metensis, Dux de Coislin.

De Mandato DD. Episcopi
C. H. Dolze.

Edidit Metis, Bricius Antoine, *Regis Christ. & Illmi D. Episc. Metens. Typographus* 1699. 1714. & 1715.

HENRICUS CAROLUS du CAMBOUT, Dux de COISLIN, Doctor Facultatis Parisinæ Theologus, Abbas S. Georgii (*de Bauquerville*) primus Regis Eleemosynarius, Par Franciæ & natus Præses Comitiorum Britanniæ, &c. Sedi Metensi statim ab obitu Georgii Aubussonii dabatur a. 1697. Princeps Episcopus XLI. Inde Ordinis Spiritus Sancti Commendator a. 1701. & Membrum Academiæ Gallicæ a. 1710. renuntiatus fuit.

Hæc deprompsi fere ad verbum ex Hist. Eccles. Germ. gallice edita a. 1724. *Bruxellis per Franc. Foppens, Tom. I. pag.* 243. & 244.

SYNODUS DIOECESANA EICHSTETTENSIS,

Anno Chriſti MDCC. Innocentii XII. PP. X. (*) Leopoldi I. Imp. L.

SEU

PUNCTA SYNODALIA,

JUSSU

REVERENDISSIMI & CELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

D. JOANNIS MARTINI, (**) *Eichſtettenſis LXII. Epiſcopi,*

UNIVERSO EJUSDEM DIOECESIS CLERO CURATO PRÆSCRIPTA

DIE 10. NOVEMBRIS.

Puncta Synodalia & Principia practica

pro Paſtoribus animarum, quæ de ſpeciali Mandato Reverendiſſimi & Celſiſſimi S. R. I. Principis ac Domini, D. JOANNIS MARTINI, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Eyſtettenſis, Domini Domini noſtri Clementiſſimi, ab univerſo ejusdem Diœceſis Clero curato obſervanda præcipiuntur.

CUm Parochis & Curatis fidelium animæ ea ratione commiſſæ ſint, ut illas & recte cuſtodiant, & ſalutari pabulo ad beatam æternitatem alant; ad ea facilius impetranda, ſibi ſequentia cordi habebunt:

De Cura animarum.

I.

PAſtorale officium & ſtatus Clericalis per ſe a Clericis poſtulat, ut converſationem ſuam ad extra bonam faciant, & præter ſalutem ſuam in lucrum animarum ex animo ſe effundant, mediaque ſalutaria eum in finem practice applicent.

II.

Cum ſtatui Clericali per ſe conveniat adminiſtratio Sacramentorum; proinde ſolicitudine magna & charitate indefeſſa infirmis affecti, hos etiam non vocati, frequenter, & non primum tunc, quando in agone conſtituti ſunt, inviſant, præſertim poſtquam ſalutaris Pœnitentiæ, ſacræ Synaxis, & Extremæ Unctionis Sacramentis eos communiverint, aſſiſtant, verbum ſalutis opportunum ingerant, excitando in illis fidem vivam, ſpem firmam, & charitatem in Deum perfectam, denique honore ultimo ſepulturæ proſequendo. Quæ omnia, quatenus curæ animarum addicti ſunt, fidelibus præſtare tenentur. Caveant autem

III.

Ne in emungendis juribus Stolæ nimium duri & exacti ſint, ex quo non raro fit, ut metu hujusmodi exactionum fideles non ſolum a frequentandis, verum etiam ſuſcipiendis Sacramentis deterriti, absque his, cum animarum irreparabili damno decedant; & ſuper his diligenter ſuas oviculas de anno ſæpius

(*) Anno illo, primos duntaxat menſes duos & medium numerante, occubuit Pontifex.
(**) Vide ſub finem.

fæpius ex cathedra moneant, ut pauperculi cordate petant Sacramenta, quæ gratis adminiftrari debent &c. Volumus vero, ut quivis confuetam taxam fuæ Parochiæ etiam notet in proxima defcriptione fuæ Parochiæ.

IV.

Publica blafphemiæ, adulterii, ufuræ, fuperftitionum, magiæ, fodomiæ & his fimilia crimina & fcandala quæcunque ne diffimulent, & ubi paternas admonitiones fæpius quidem repetitas, fruftra tamen adhibuerint, Magiftratus etiam civilis operam ad coercendos contumaces, cum omni modeftia & cautela implorent.

V.

Nullus Parochorum deinceps præfumat, qualescunque tandem perfonas absque licentia fpeciali Epifcopalis Vicariatus in privatis ædibus Sacramentaliter copulare, multo minus in denunciationibus a Ss. Concilio Tridentino præceptis per fe difpenfare.

VI.

Inter gradus de induftria accuratum computum faciant, ne forte hujusmodi vel affinitatis vel confanguinitatis impedimentis irretitos incaute ac nulliter convolare permittant. Si quod vero horum impedimentorum perfcrutati fuerint ac repererint, fchema confanguinitatis aut affinitatis Officio Ecclefiaftico dignofcendum fubmittant; & fi contrahentes defuper difpenfari velint ac poffint, allegent. Pariter

VII.

Sine præfcitu & ratificatione Epifcopalis Officialatus promiffiones matrimoniales, etiam cum interventione partium confenfus & mutua inter fe condonatione facta, propria fua auctoritate, fub pœna fex Imperialium non remittent, fed de his omnibus prætactum Officium informare, ejusdemque mandato obedienter acquiefcere ftudebunt.

VIII.

Claves pro facra Euchariftia, facris Oleis & baptifterio miniftris fecularibus non committant, fed eas apud fe quisque Curatus diligenti cuftodia retineat.

IX.

Ex cancellis Ecclefiæ in cœmeteriis aut aliis locis facris, nihil ex præfcripto Magiftratus fecularis promulgent profanum, nihil forenfe aut judiciale, nec alia fimilia promulgari permittant, fed illa duntaxat, quæ facra ac pia funt, & ad cultum Dei, pietatisque opera pertinent. Quod fi cuipiam vis inferretur, id ftatim ad Vicariatum referat. Noverint etiam jus in- & deftituendi Ludimoderatores & Æditoos, ut & jus inventandi de fe foli Vicariatus Generalis officio competere, non vero poteftati feculari.

X.

Nemo ex Parochis aquam Baptifmatis, poftquam facrum Chrifma tempore confecrationis fuit admixtum, alicui pro medicina vel alia quacunque de caufa præbeat.

XI.

Quoniam non fine admiratione accepimus, laudabilem ac piam confuetudinem benedicendi mulieres poft partum, in quibusdam locis & Parochiis in defuetudinem, Parochorum utique injuria, veniffe: ad eam autem denuo inducendam ferio mandatur, ut Parochi nullam puerperam poft exactum faltem unum menfem purificationis fuæ ad Ecclefiam venire permittant, nifi prius benedictionem a Sacerdote juxta ritum in Diœcefano Rituali fignanter defcriptum acceperit.

XII.

Cum proprium vigilantis Paftoris fit, pafcere gregem fuum, eique ita femper adeffe, ut oves vocem ejus audiant: perperam proinde illi Paftores vigilant, qui cura animarum fuarum neglecta, poft fua abeunt defideria, dum per plures dies noctesque extra domos Parochiales otio, lufibus, compotationibus, venationibus, jaculationibus vel certe domefticis fuis obfequiis impigre vacant. Hujusmodi igitur diffolutionibus ac negligentiis ferio & ex munere noftro obviantes, diftricte & fub pœna non folum arbi-

traria infligenda, sed sub privatione Beneficii mandamus, quatenus curati Sacerdotes in suis Parochiis continuo, ut decet, residеant, nullusque, nisi gravium negotiorum causa, & cum præscitu Decani sui, ultra duos dies & noctem unam a Parochia se absentet, in sua vero absentia unum fidelem & vigilem Sacerdotem in vices constituat. Quod si autem aliquis diutius abesse cogitet, licentiam ab Officio Vicariatus generalis, causa prius absentiæ ibidem expressa, in scriptis impertiendam impetret.

XIII.

Injungitur etiam hisce omnibus & singulis Parochis sub gravissima pœna certo certius infligenda, ut quilibet eorum librum baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum, nec non defunctorum, ad manum in promtu habeat & pro majori facilitate utantur saltem in libro baptisatorum schemate usitato; reliquos vero bono & digesto ordine in suis quibusque locis annotabunt & describent juxta formam in Rituali Diœcesano expressam.

De Doctrina Christiana.

Quoniam fides est ex auditu, illud Clericis curatis sollicite commendatur, ut universæ juventutis curam in animo & opere jugiter habeant, eam per Doctrinam Christianam ad lucem veritatis fidei & in viam sanctæ conversationis traducendo, in quo radix spiritualis generationis consistit. Hinc ad minus singulis Dominicis, vel his impeditis, subsequentibus Festis diebus in Ecclesia propria cujusque loci Christiana doctrina quam diligentissime pro populo & juventute instituatur, in qua edocenda talis ratio habeatur:

I.

Ut de capitibus ad capita, de fidei articulis ad articulos facili bonaque methodo procedatur, & ad altiora prius non ascendatur, quam de inferioribus juvenes, saltem numero potiores satis instructi sint. Si juventus sit copiosa & parochialis Ecclesiæ filiales distantes, unus ex Clericis curatis ibidem catechesin habeat.

II.

Tempus pro Doctrina Christiana sit ad summum integra hora, & ordinarie pomeridianum; majorque fructus erit, si unus catechizans constanter erudiat: frequens enim mutatio multum nocet.

III.

Ut Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ ab omnibus rite suscipiatur, alia extraordinaria Catechesis paschalis instituatur, singulis diebus per certum tempus aliquam juventutis turmam ex iis, qui prima vice confitebuntur, ante paschalem Confessionem ad ædes parochiales destinando, & in susceptione Sacramentorum & aliis articulis scitu necessariis bene instruantur.

IV.

Judicium de habilitate, ætate, usu rationis ad Parochum loci spectat, cujus est singulis annis mandare parentibus, quos ex suis prima vice ad Confessionem & Communionem mittere teneantur, ne sine Sacramentis necessariis decedant.

V.

Modus catechizandi sit dexterrimus, suavis, planus & facilis, præmisso signo S. Crucis, Oratione Dominica, cum Salutatione Angelica & Symbolo Apostolorum.

VI.

Omnes parvuli & puellæ cum sufficienti distantia sedilia suo ordine occupantes silentium & modestiam servare assuescant.

VII.

Primo turmæ constitutæ puerorum, deinde puellarum propositum caput Christianæ Doctrinæ tarde & clare recitare jubeantur. Tum materiam antecedente Dominica vel Feria a Catechista in certa puncta divisam & ad discendum propositam per modum quæstionum & responsionum, suum caput Catechismi repetentes, tenacius memoriæ mandabunt, & nulla Cathesis transeat, in qua non audiantur etiam juniores, & informentur de mysterio & beneficiis Sanctissimæ Trinitatis, Incarna-

carnationis & aliis principiis ſcitu neceſſariis.

VIII.

Munuſculis diſtributis alia materia ſecundum ordinem Catechiſmi Romani pro ſequente Dominica per modum brevis ſermonis populo proponatur, & tum Catecheſis, præmiſſo ſigno S. Crucis & Salve Regina, claudatur, omnesque in ſilentio & modeſtia diſcedant, niſi aliæ devotiones ſolitæ ſequantur.

IX.

Ad uberiorem fructum & alliciendos parvulos, ut cum guſtu Doctrinam Chriſtianam frequentent, Catechiſta diligenter hæc obſervet: 1. Caveat, ſub gravi pœna, ne parvulos torvo vultu aſpiciat, aſperis verbis & geſtibus (uti ab aliquibus fieri Officium Eccleſiaſticum non ſine magna indignatione intellexit) invadat. 2. Non facile reprehendat, ne ad triſtitiam aut abjectionem eos adducat, omnes de præſenti, præterito & futuro ita laudet, ut ad diſcendum alliciantur, & ad æmulationem ſubinde unus inter cæteros multum laude extollatur. 3. Eos nullo modo præferat, qui indole, ingenio, moribus &c. valde amabiles ſunt, ſed moroſos & duriores ingenii ſine acceptatione perſonarum magis excolere, ac ſignis, affectibus excitare ſtudeat, ut omnia omnibus efficiat, & omnes Chriſto lucrifaciat, ipſeque ſe fidelem miniſtrum & diſpenſatorem probare poſſit, ac veluti ſervus bonus & fidelis dignus ſit, qui ſupra multa conſtituatur a Domino. 4. Munuſcula, ſine perſonarum acceptatione, bene meritis diſtricte ſic diſtribuat, ut non vileſcant quaſi. Omni Dominica eos, qui prima vice Catecheſin frequentant, ad aliquid recitandum vel ſaltem ad formandam crucem præ cæteris inſtituat, & munuſculis ac verbis animum illis adjiciat, ad frequentandam doctrinam.

X.

Catechiſta porro juventutem in tres claſſes dividat: primæ claſſis parvuli curſum ordinarium Doctrinæ Chriſtianæ habeant; ſecundæ claſſis uberioris ſcientiæ adhuc incapaces erudiantur in iis, quæ omni homini ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt; tertiæ claſſis in formanda Cruce, addiſcenda Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo, Decalogo, Sacramentis &c. bene eruditi in una claſſe cum certo præmio ad alteram glorioſe manumittantur.

XI.

In Catecheſi nec longæ vel peregrinæ & ad propoſitam materiam impertinentes quæſtiones, nec alia carioſa & inutilia juventuti proponantur, ſed doctrina ſana, parvuliſque magis addiſcenda puncta coerceantur, ad quod facilitandum doctrina ſimilitudinibus & per res ſenſibiles pro captu parvulorum declaretur.

XII.

Quilibet etiam Parochus in promtu habeat numerum catechizandorum, & ſiquidem parentes aut patres familiarum in mittendis ſuis negligentiores appareant, ad Magiſtratus ſeculares eos deferent compellendos.

XIII.

Ut vero hæc ſacra juventutis inſtituendæ rudimenta rite ac fructuoſe peragantur, quilibet loci Parochus de menſe bis, terve Scholas publicas adibit, experturus potiſſimum, num edocta ſemel Chriſtiana doctrina per ſe aut Ludimagiſtrum repetatur, & repetitis vicibus ignorantibus tandem inculcetur.

De Scholis.

I.

Cum ab exercitio Scholarum tam politia civilis, quam doctrina Chriſtiana, ut cum fructu fiat, plurimum dependeat, perutile erit, ſi Parochi pro poſſibili laborent, ut tam ruri, quam in civitatibus Scholæ inſtituantur, in quibus parvuli in principiis fidei, morum, in legendo & ſcribendo pro ſingulorum capacitate informentur, & inſtitutas ad utilitatem perpetua cura dirigant.

II.

Si modo temporalia pro dictis Scholis erigendis deficiant, ex quibus

Ludimagiſter ali poſſit, Parochus communitati illius loci Scholarum neceſſitatem exponet, & ad media neceſſaria ſubminiſtranda perſuadebit: ſi vero id efficere non valeat, competentes Superiores informabit, ut eorundem authoritatem interponant, & coerceant renuentes.

III.

Ludimoderator vitam immaculatam agat, qui juxta Parochum juventuti & populo Chriſtiano ſine crimine præluceat; ſimiliter cæteri, Cantores, Æditui & quivis alio modo Miniſtri domus Dei exiſtunt, ſobrii ſint, caſti, modeſti, moribusque integris: delinquentes ad Vicariatum deferantur, ut eliminari poſſint, niſi ex animo pœnitentiam agentes reſipiſcant.

IV.

Exercitium Scholarum, quod horas duas & dimidiam ordinarie ante & poſt meridiem durabit, inſtitui ſic poterit, ut mane duabus horis ante meridiem finiatur; poſt meridiem vero tardius præſertim in ætate incipiatur & finiatur. Parochi ſæpe viſitantes curam habeant, ut tempus illud utiliter in juventute ſedulo inſtruenda impendatur.

V.

Modus docendi communis eſſe poteſt, ut duas lectiones ſinguli habeant & quidem pomeridiano tempore litteras ſcriptas addiſcant, lectionem, quam domi diſcere debebant, in Scholis, elapſo circiter uno quadrante, quo ſecum repetentes reviderint, ordine recitent, & alia ipſis in Schola addiſcenda diſcrete determinentur.

VI.

Auditis vero & iterum præſcriptis ſingulorum lectionibus, ſcriptiones ſuas ordine oſtendant, quorum errata Ludimagiſter corrigat & parvulorum manum ad meliorem characterem formandum traducat. Recepta ſua ſcriptione, quisque in ſilentio & loco ſuo præſcriptam lectionem addiſcat, & dum Ludimagiſter eos didiciſſe credit, denuo audiat.

VII.

Juxta litteras tradendas Parochi & Ludimagiſtri ſedulo virtutes inſtillent in animos parvulorum, maxime modeſtiam, veritatem, pietatem in Deum & Sanctos, obedientiam erga Parentes & Præceptores, venerationem Clericorum & Superiorum ſecularium, virginitatis cuſtodiam, & primam innocentiam &c. Contra delinquentes diſcreta correctio utilis eſt, nimis ſevera Ludimagiſtris interdicatur.

VIII.

Ut Catecheſis fructum ſuum uberius conſequatur, cum exercitio Scholarum innitatur, die Veneris tota juventus in addiſcendo capite ex Catechiſmo propoſito & tradita materia ſecundum diverſitatem claſſium & parvulorum capacitatem occupabitur; unde Ludimagiſter in Catecheſi ſit præſens & puncta propoſita ſibi notet, ut juventuti in memoriam revocare poſſit.

Quater in anno univerſa juventus in Eccleſia ordine confiteatur, capaces abſolvantur, ob ætatem incapaces dextre informentur, & ita dimittantur.

De Prædicatione verbi Dei.

Præcipuus finis, in quem prædicatio verbi Dei inſtituta fuit, eſt ſalus animarum, ut in fide & moribus homines informentur; ad quod præſtandum vocatio paſtoralis per ſe obligat. Vitanda ſunt in ea duo extrema: nimia ſublimitas conceptuum & nimia ruditas ſermonis. Hinc

I.

Paſtores ſatagant, ut ſalutem animarum zelantes cum ſuavitate populo ea proponant, ex quibus in fide inſtrui, in moribus reformari, ad virtutes & perfectionem Chriſtianam, charitatemque accendi poſſit. Si auditores a potiori ſubtiles fuerint, ſubtile; ſi rudes, rude condimentum ſermonis adhibeant & conciones ad captum auditorum accommodent.

II.

Seriem materiæ in concionibus tractandæ in tres curſus utiliter divident, in quorum primo de virtute fidei Theo-

Theologicæ, de Symbolo Apoſtolorum, quæ ſunt veluti fidei Apoſtolicæ decreta, de ſeptem Sacramentis & de univerſis doctrinalibus, quæ vel tanquam articuli, vel tanquam doctrina aliquo modo neceſſaria articulos circumſtant, ex fundamentis ordine tractent.

III.

In ſecundo curſu ad moralia deſcendentes, agant de ultimo fine hominis, & de eo, per quod ab hoc fine receditur, ſcilicet de peccati gravitate, de pœnitentia, de timore Dei, per quem charitas inchoetur in cordibus eorum, de Decalogo, univerſaque lege & moribus; denique de quatuor noviſſimis &c. quibus peccatorum corda reſipiſcant, & ad ſeriam abſtinentiam de peccatis perducantur.

IV.

Si Prædicatores ad ſublimes conceptus, relictis doctrinalibus & moralibus, aliiſque ſalutaribus rebus convertantur, aut ſi Clerici ob ruditatem hæc debito modo proponere neſciant, fit, ut doctrina fidei in oblivionem veniat, Divina præcepta ignorentur, mores mali irrepant, vita Chriſtiana ita exulet, ut Chriſtiani non crederentur, niſi nomen Chriſtiani portarent.

V.

Prædictos curſus Prædicatores non ſolum prædicent, dum de uno loco in alium vocantur, ſed etiam ad minimum ſingulis decenniis denuo repetant; quatenus populus & ſuccreſcens juventus per continuam culturam ſufficienter in fide & vita ſancta edoceantur.

VI.

Neminem puncturis ex induſtria in particulari concutiant, ſed in manſuetudine & charitate cum liberalitate ita ſingula proferant, ut omnes bonam Concionatoris affectionem agnoſcant. Quapropter diligenter ad omnem concionem ſe præparent, ne quo minus deprehendantur deſides in hoc tam ſacro munere eſſe, aut etiam negligentiæ vel craſſæ ignorantiæ ab ipſis rudibus auditoribus arguantur & ſugillentur: in quibus brevitati ita ſtudeant, ut expoſitio verbi Dei neſcientibus fiat quidem cognita, nec tamen ſua prolixitate nimium ſit oneroſa.

VII.

Hoc Evangelicum officium tanto fructuoſius ſubibunt, quanto ipſi Parochi diligentiores reperti fuerint in compilandis & conſcribendis concionibus, annotantes ad finem cujuslibet concionis diem & annum, quibus ad populum dixerunt, atque has ſcriptas conciones teneantur deinceps in viſitationibus exhibere.

VIII.

Concio in diebus feſtivis ſequatur Miſſæ Sacrificium, vel ſi locus ita exigit, præponatur concio, ut alias impediti facilius & ſuavius Miſſæ Sacrificio intereſſe poſſint; aſcendendo cathedram inſufficientiam ſuam agnoſcant, & Spiritus S. gratiæ ac voluntati præſentem concionem humiliter offerant.

De Communione & Confeſſione.

I.

Remedium, quo populus a peccatis ad honeſtam vitam perduci poſſit, vix efficacius eſt, quam frequens Confeſſio & Communio: ad quod ut Clerici curati populum Chriſtianum efficaciter inducant, obtenta debita facultate inſtitui poterit Confraternitas Ss. Roſarii, ubi occaſio hoc permittit & locorum diſtantia: cujus tenore non ſolum inducetur cultus Beatiſſimæ Virginis, ſed etiam Confeſſio & Communio in feſtis principalioribus Chriſti & Sanctorum a populo frequentabitur.

II.

Remedium alterum eſt ipſa Clericorum vita immaculata, in quam reſpiciens populus bono exemplo ad pœnitentiam & peccatorum gravium fugam inducetur, ſi videat caſte omnes vivere, familias ſine ſuſpecto conſortio mulierum inſtitui, & quod verbo prædicatur, opere ipſo a Clericis exerceri, ad quod plurimum addet bonorum temporalium in pios uſus applicatio, per quam avaritiæ ſuſpicio juxta & ſcandalum malæ vitæ tollatur. Et cum

III.

Hactenus notabiliter defectus tam in Scholis confessionum, quam etiam tempore Paschali in numero Parochianorum suorum exhibendis apparuerint, ideo Celsissimi & Reverendissimi Ordinarii mens est, ut singuli Parochi tam schedas propriarum confessionum, quam etiam numerum paschali tempore communicantium, item acatholicorum & a se conversorum, infideliumque Decano suo transmittant, subnotando Æditorum & Ludimagistrorum diligentiam & capacitatem, qui dein negligentes ad Episcopalem Vicariatum deferet, infallibiliter puniendos.

IV.

Parochi & Curati Sacramentaliter confiteri, ultra mensem unum non differant, memori mente retinentes, non sufficere contritionem, sed requiri Confessionem Sacramentalem ad Missam rite celebrandam, ubi quis in peccatum mortale (quod Deus longe avertat) prolapsus esset: quod bene notandum est.

V.

Ut vero debita disciplina in Clericali statu ad populi ædificationem constanti fervore progressum suum habeat, necesse erit, aliqua circa mores subnectere.

De Moribus.

I.

Quam turpe ac Clericorum nomine, qui se Divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus versari, satis res ipsa testatur & indignitas. Ut igitur eam, quam decet, continentiam ac vitæ integritatem Clericus teneat & illibatam conservet, volumus, ut ruralis Decanus cum Camerario, aut alii ad munus visitationis specialiter deputati, exactissime invigilent, ne Clerici vel Parochi ullas suspectæ impudicitiæ fœminas domi forisque retinere, pravum consortium cum illis habere audeant, & si in his aut similibus suspecti reperti fuerint, Nobis nulla habita personarum ratione sine mora significent, ut contra eos ad avertenda scandala & tempestive evitanda alia exinde promanantia gravissima incommoda canonicis pœnis aliisque mediis conducibilibus procedere possimus. Ad hanc vitæ innocentiam eo facilius conservandam & firmandam maxime proficua erunt remedia, quotidiana meditatio de Ss. Passione Domini nostri JESU CHRISTI, quotidianum examen conscientiæ, annua recollectio spiritus per dies aliquot instituenda, uti &. fuga otii per honestas occupationes, & non nisi rara conversatio cum fœminis, etiam œconomiæ honestæ necessariis, quam sibi præsente ad servilia electo honesto juvene, velut Achate fidissimo, imperative peragant. Neque vero tota honestatis Clericorum summa in eo posita est, ut ipsi de sua persona caste, pieque vivant; verum ad conservandum Cleri decorem plurimum interest, quam honestam penes se alant familiam, ne si ista pro suspecta ab aliis habeatur, ipsi etiam innocentes, suorum domesticorum deturpentur flagitiis. Sollicitam propterea suorum curam gerant, ne per cohabitationem & tolerantiam perversorum hominum aut ipsi pervertantur, aut sæcularibus ansam præbeant, exinde de se sinistram concipiendi opinionem: super his pariter, ut Decanus & Visitatores sedulo inquirant, & Vicariatui deferant, iterum ac serio præcipitur.

II.

Monentur omnes, ut habitum gestent decentem & clericalem, in quo non solum omnis illicita vanitas fugienda, sed etiam superfluus nitor cavendus, cum plane dedeceat, in cilicio quærere superbiam. Hinc sub pœna & mulcta gravi, serio monentur singuli, ut intra quadrantem anni, si portant, suas amplas manicas, grossos nodos cum apertis pectoralibus & aliis sæcularibus vanitatibus, de suis togis removeant & reforment.

III.

Coronam suo Ordini convenientem gerant & maxime vitent inter se jurgia & rixas, præsertim ubi inter sæculares homines vel etiam acatholicos

cos versantur, qui ob hujusmodi contentiones vitam & æstimationem Clericalem plurimum obfuscantes graviter scandalizantur.

IV.

Nec inter se solos Clerici mutuam habeant charitatem, & noxias devitent dissensiones, sed etiam inter suos Parochianos, & quibuscum conversandum est, ipsis pax sit.

V.

Hospitia publica, nisi id necessitas aut humanitas exigat, declinabunt & in eis scandalosas compotationes cane pejus vitabunt. A choreis autem & puerperarum conviviis sibi omnimode cavebunt, uti & a nuptiis, nisi obtenta prius facultate a Decano suo cum expressione rationabilis causæ, ob quam nuptias frequentare ipsos oporteat. Decanus vero non habeat potestatem talem licentiam ultra trinas vices ampliandi. Patrinos etiam non agant in Sacramento Baptismi &c. Si quis autem nostram prohibitionem transgredi ausus fuerit, noverit se mulctam decem imperialium irremissibiliter, atque etiam nostram indignationem esse incursurum, quin immo pro qualitate excessuum suo beneficio fore destituendum.

VI.

In Dedicationum celebratione & publicis conviviis dicuntur nonnulli Parochi se se invicem invitare, scurriles jocos & cantilenas inter hæc exercere, & ita largioribus potibus indulgere, ut vix incedere queant: id quod cum intuentium oculos, animosque gravissime offendat, sibi quoque ab hujusmodi ingurgitationibus, in quibus luxuria est, sub pœna sex imperialium vel etiam, si sæpius in hoc peccaverint, sub privatione sui beneficii maxime caveant.

VII.

Usum bombardarum & sclopetorum, quæ a quibusdam Parochis in equis secum vehi visa sunt, nisi in itinere longo & periculoso, omnibus omnino Sacerdotibus interdicimus; præter enim, quod arma ferre, a jure Clericis prohibeatur, facile etiam graviora inde mala exoriri, eventus sæpe docuit. Si quis vero Clericorum hanc nostram inhibitionem temere neglexerit, & contra eam venerit, sciat hujusmodi arma Fisco Ecclesiastico caduca fore, retenta Nobis pœna arbitraria in transgressores statuenda.

Indigna prorsus res est & Sacerdotem deturpans tam frequens haustus tobaci e fistula, unde tales ita immoderate huic potui vacantes, stomachose fœtent, ut honesti viri cum talibus Sacerdotibus tractantes merito inde horrorem concipiant, nedum quod sacra paramenta fœtore suo repleant & contaminent: quare ii, qui hactenus turpissimam hanc consuetudinem imbuere & imbibere, monentur serio, ut ab ejusmodi luridissimis haustibus abstineant, vel certe sibi ab iis temperent, atque ita se componant, ut quod verbo docent, exemplo non reprobent, sed confirment.

De Testamentis, Fabricis & his similibus.

Etsi Reverendissimus ac Celsissimus Dominus noster Clementissimus BERTHOLDIANO (*) Privilegio, virtute cujus Clerici hujus Diœceseos de bonis suis & ab Ecclesia partis testari (intellige ad pios & non profanos usus, quia patrimonium Christi & eleemosynas pauperum, Ecclesiæ vel pauperibus restituere tenentur Clerici, quæ superflua sunt) & in hunc finem Testamentarios, seu ultimæ voluntatis Executores constituere possint, per hanc reformationis chartam nihil derogare intendat: Quoniam vero usus docet, plurimos in hoc tam Constitutionis Privilegio, cujus tenor hic adjectus est, quam executionis munere committi defectus; proinde sequentia exacte deinceps observanda constituuntur.

PRI-

(*) *Hæc Constitutio Bertholdiana*, edita a BERTHOLDO XLV. Eichstettensium Episcopo A.C. 1364. in favorem Cleri, *habetur* Tom. CC. IV. a pag. 409, quo benevolum Lectorem remittimus, dantes heic, quam *JOANNES MARTINUS*, *Episcopus* adjecit, *explicationem*.

PRIVILEGII *seu* CONSTITUTIONIS BERTHOLDIANÆ EXPLICATIO

A JOANNE MARTINO, EPISCOPO DATA ET PUBLICATA.

I.

Ac primum quis Capitulum ingressus, inibi pacificam sui beneficii possessionem obtinuerit, se coram Decano & Camerario sistat, & ab Episcopali Vicariatu concessam iisdem *Commendam* exhibeat, ad effectum, ut nomen suum libro libertatis propria manu inscribere, suosque Testamentarios nominatim huic inserere valeat, pro quo ingressu & inscriptione consueta capitularia Camerario absque mora exsolvat.

II.

In Testamentarios autem duos de Confratribus Capituli adsciscat, coram quibus testator suam ultimam voluntatem oretenus exprimat, vel se ad suum chirographum remittat. Ad evitandas tamen quam plurimas difficultates & odiosas contentiones, designati Testamentarii sedulo incumbent, ut ubi de vitæ discrimine laborare confratrem compererint, ante omnia animæ saluti per Sacramentorum perceptionem consulant, dein, si forte nullam suarum facultatum constitutionem in scriptis confecisset, eam, dum vires adhuc integræ sunt, viva voce conficiat, suaque syngrapha & suppresso sigillo confirmet, & in firmius robur hanc suam constitutionem ultimæ voluntatis a Testamentariis subscribi & subsignari faciat: memores vero sint Ecclesiarum suarum, uti & pauperum. Notandum vero singulis bene, ut in vivis exsolvant salaria suis domesticis sibi servientibus & deinceps a legatis in suas focarias se abstineant, sub pœna confiscationis legati tam pretiosi.

III.

Et cum quotidiana comprobat experientia, inter prædictas personas & defuncti hæredes contentiones & jurgia oriri, prætendentes massam hæreditariam ab illis pro parte esse spoliatam: Ideo huic de futuro obviare volentes mandat Celsissimus & Reverendissimus Dominus Ordinarius omnibus & singulis, ut accuratam suarum facultatum designationem conficiant, & confici faciant per suos Testamentarios & dein manu propria subscribant, eandemque suis Testamentariis extradant, vel ultimæ voluntati adjiciant, coram Episcopali Officio suo tempore exhibendam.

IV.

Vita functo justa animæ, ad Ecclesiæ laudabilem morem, vel propriam post se relictam dispensationem diligenter & decenter persolvantur, intermissis conviviis & aliis minus necessariis expensis, & donec ab Officio Vicariatus de novo prospiciatur Curato Ecclesiæ viduatæ, curam cum jurisdictione semel pro semper, si socius Divinorum non sit in loco, committimus Decano, si possit per se præesse; secus proximiori Curato, minus impedito ex singulis; sub hæc autem Testamentarii bona mobilia defuncti dato obsignent, & tam Testamentariorum & testamenti constitutiones, quam ipsam confectam super facultatibus relictis designationem, sine mora ad Officium Vicariatus transmittant, rogantes sibi diem dici pro confirmatione. Neque manus in bona testatoris prius mittant, quam informationem & instructionem rerum deinceps gerendarum ab eodem Episcopali Officio una cum confirmatione obtinuerint. Ipsæ vero citationis literæ e suggestu publice promulgentur, quatenus interesse habere putantes confirmationis sententiæ adesse possint, obtenta autem confirmatione obsignationem refigant, & reliqua juxta instructionem ipsis a Vicariatu Episcopali

pali dandam fideliter exequantur, ac denique de acceptis & expensis diligentem computum faciant. Qualiter vero & quo ordine tum inventarium, tum rationes super acceptis & expensis instruere debeant, de his a Vicariatu specialiter instruentur. Moneantur ad extremum Testamentarii, ut in hujusmodi testamentorum executione fideliter procedant. Caveant etiam Testamentarii, ne ad similes actus obsignationis, refixionis, inventarii confectionis, aut cujuscunque executionis testamentariæ sæculares Officiales, vel Magistratus civiles admittant, & si in his similibus ab iis violentiam pati eos contingat, id sine mora Vicariatus Officio denuncietur.

V.

Observandum porro est, quod si Parochi in Diœcesi nostra obtinentes Beneficia, libros Parochiarum seu Beneficiorum reditus continentes & similia documenta secum discedentes abstulerint, vel negligenter prædictorum Beneficiorum reditus annotaverint, vel eos annotare omnino neglexerint: quod cum in Successorum, atque etiam ipsorum Beneficiorum detrimentum ac ruinam cedat; ideo inposterum quilibet accuratam omnium & singulorum proventuum suorum descriptionem in annos singulos faciet, nec non inventarium de libris Parochialibus, actis, registris, scripturis &c. conficiet, atque illud, retentis sibi copiis, ad Decanum suum transmittet, ut si contingat ipsum, ex quocunque tandem casu, conditionem suam mutare, similia documenta ad Beneficia spectantia, a futuris Successoribus fideliter consignari queant. Hisce annectimus singulis singulorum Capitulorum Camerariis, ut omnium acceptorum & expensarum rationes de anno in annum submittant Vicariatus generalis Officio ad revidendas & approbandas.

VI.

Ut sæpius antehac, ita nunc quoque serio omnes monentur, ut in exsolvendis juribus Episcopalibus, seu primis & mediis fructibus sub pœna dupli deinceps accuratiores sint; quod in his expendendis nonnulli hactenus admodum tardi & negligentes reperti sint, existimantes, ex sua voluntate & beneplacito stare, annuatim quotam assignare: quod cum in præjudicium Suæ Celsitudinis cedat, omnibus in universali & cuique in particulari severe interdicitur. Harum collectio singulis Decanis in suo Decanatus districtu per suos cursores facienda erit, qui Decani in aliqualem suorum laborum capitularium recognitionem a cujusvis defuncti testamentariis unum aureum recipiant deinceps. Quod si vero aliquis futuro tempore de loco in locum mutetur, & talis de dictis fructibus adæquatam solutionem nondum præstiterit, noverit ad possessionem alterius Beneficii prius admittendum non fore, quam de residuis in primo Beneficio non solutis satisfecerit; fiet autem proxime nova taxatio singulorum Beneficiorum.

VII.

Cum ad oculum pateat, Parochos pro conservandis ac reparandis ædibus parum aut nihil solicitos esse; unde factum, atque etiam hodiedum fit; ut in quam pluribus locis similibus fabricæ ad extremam prope ruinam sint deductæ; eapropter quilibet Parochus aut Beneficiatus pro conservatione & restauratione earum in singulos annos tantum expendat & ad Vicariatus Officium, aut quod deponere jussus fuerit, numeret, quantum ab hoc cuilibet designatum fuerit. Curam autem habeant maximam, ut in Ecclesiis omnia nitide & munde conserventur paramenta & utensilia, & cum ex Visitatorum protocollis sæpius & non sine justo dolore notatum fuerit, quosdam Curatos sacra Ciboria, Calices, Monstrantias, pallas, corporalia & purificatoria, immunda, maculata, & tractando Ss. Eucharistiæ Sacramento & Missæ Sacrificio indignissima sine ullo horrore exhibere, nitorem altarium & totius supellectilis curam prorsus negligere, veluti mercenarios sola temporalia curantes: hinc serio & sub pœna privationis Beneficii mandantes, præcipimus singulis præfatorum accuratum studium, curam & diligentiam primam; & uti quorundam temerario ausui

ausui obvietur efficacius, declaramus & statuimus, hos & similes negligentes, avaros aut male diffamatos, & suæ curæ animarum minus sufficientes, quacunque de causa, si solummodo a Nobis commendati sint, ad distinctionem investitorum, qui singulari gratia & privilegio digni habiti sunt, omni momento temporis via permutationis, prout Nobis in Domino melius fore videbitur, etiam sine culpa & crimine in jure expresso, a loco in locum etiam minus æstimatum moveri posse aut debere. Quod bene singulis tepidis hisce Pastoribus notandum erit.

VIII.

Ad extremum monentur omnes, ut si deposita habeant, illa non manibus Laicorum tradant custodienda, multo minus ex Diœcesi transferant, ne post mortem sæculares aut alii Magistratus, cum magno hæredum detrimento illis manum injiciant; ipsi vero Clerici penes se retineant ad cavendas lites & sinistras opiniones; cum non raro accidat, plus per hæredes a depositario exigi, quam in depositum traditum sit.

In fine serio præcipitur singulis Parochis, ut deinceps per totam Octavam Corporis Christi singulis diebus Augustissimum Sacramentum exponant, Missam celebrent & ante & post consuetam benedictionem populo ad hoc suavissime invitato impertiantur: in instituendis Processionibus publicis cauti sint & non nimis parci, nec liberales nimium, cum multum peregrinantes raro salventur & plurimi a Parochianis Missa defraudentur.

Atque hæc sunt, quæ pro tempore & exigente necessitate omnibus & singulis Parochis & Curatis in Diœcesi Eystadiana existentibus vel declinanda vel observanda præcepta sunt. Quomodo vero Monasteria Nobis subjecta atque Collegiatæ Ecclesiæ nostræ deinceps regendæ sint, atque earundem annuæ rationes Nobis exhibendæ, chartæ reformationis plenius dabunt.

In quorum omnium fidem ac firmius robur hæc Synodalia monita & Principia practica propriæ manus subscriptione & Pontificalis nostri sigilli appressione communita dedimus.

Eystadii in Monte S. Willibaldi solita Episcopali nostra Residentia, die 10. mensis Novemb. in Vigilia S. Martini Episcopi & Confessoris, Anno Domini 1700. Anno Regiminis nostri quarto.

JOHANNES MARTINUS
Princeps S. R. I. & Episcopus Eystettensis.

(L. S.)

Lünig Cont. II. Spicil. Eccl. Part. II. a pag. 687. *& Cl. Joh. Henr. de Falckenstein inter Episcopatus Eichstadiensis Statuta Diœcesana, post Cod. Diplom. Antiquitatum Nordgaviens.* (Francofurti & Lipsiæ apud Pet. Conr. Monath 1733.) *a pag.* 47. *item a pag.* 114.

NOTA.

JOANNES MARTINUS ex equestri familia Dominorum ab EYB, Henrico Conrado patre & Margarita Susanna de *Thierheim* matre procreatus, Augustani jam simul atque Eichstettensis Præpositi clarebat dignitate, cum in locum Joh. Eucharii Comitis *Schenk* de *Castel*, die 6. Mart. anno ætat. 72. vita functi, eligitur Sedis Eichstettensis, olim *Aureatensis* Episcopus die 16. April. A. C. 1697. Obiit die 7. Dec. A. C. 1704. æt. 74. Reg. 7.

Vid. Cl. Jac. Wilh. Imhofii Notitia S. Rom. Germ. Imp. Procerum Lib. III. Cap. VI. de Episcop. Aichstettensi pag. 103. *& Histor. Eccles. Germaniæ de erect. progress. & statu V. & N. Archiepiscopatuum & Episcopatuum Tom. I. pag.* 75.

CON-



CONCILIA GERMANIÆ SÆCULI XVIII.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCII. Clementis XI. PP. II. Leopoldi I. Imp. LII.

HABITA

per Revmum & Illmum Dominum FRIDERICUM CHRISTIANUM, Monasteriensem Episcopum,


DIE 17. OCTOBRIS.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum nonnulli ex Clericis ordinariæ jurisdictioni nostræ subjectis, pro dolor! reperiantur, qui dum ad chorum psallendi gratia convenire, ibidemque per consuetam & a Ss. Canonibus præscriptam Divini Officii, horarumque decantationem Nomen Domini laudare deberent, muta aut clausa labia teneant, imo quod tamen non absque horrore referre possumus, exposito etiam Venerabili inter sese de rebus profanis tractare, in circulum coeuntes, & terga Sanctissimo quandoque vertentes, de novellis & nugis, ne quid gravius dicamus, commentari, mussitationes, colloquia, risus & cachinnos intermiscere, auresque pariter & oculos ad vanitatem convertere non erubescant, illud ipsum autem Deo abominabile, hominibus scandalosum, loco isti vel maxime indecorum & animabus perniciosum existat, nedum quod per hæc ea, quæ choro alias debita sunt, non sine gravi inju-

ria ſubtrahantur, cæteri pſallentes vel pſallere volentes interturbentur, & a pſallendo impediantur, adeoque totus chorus cunctorum opprobrio publice exponatur. Hinc Nos malo huic occurrere volentes, Pontificum Conſtitutionibus, & Oecumenicis Conciliis vel maxime autem Trident. firmiter inhærendo, omnibus & ſingulis ad chorum deſtinatis ſub pœna arbitraria a Decanis vel Chori Præſidibus citra ullam conniventiam infligenda, & ſub interminatione Divini Judicii quam diſtrictiſſime præcipimus, ut ab hujusmodi ſcandaloſis actibus, & impertinentibus fabulis ſub Officio Divino, horisque Canonicis impoſterum omnino abſtineant, ſed eo tempore laudes Dei in conformitate Decretorum ea ſuper re antehac publicatorum devote ac reverenter decantent, atque ita perſolvant, ut horrendam iſthanc ſententiam: *Ite maledicti* &c. quæ omnes reprobos, & forſan etiam eos, qui opus Dei negligenter hic peregerunt, in extrema & decretoria illa die percellet, effugere poſſint. In fidem præſentes manu & ſigillo noſtris roboratas dedimus in arce noſtra Ahuſana 14ta Octobris 1702.

Fridericus Chriſtianus.



SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCCIII. Clementis XI. PP. III. Leopoldi I. Imp. LIII.

JUSSU

Revmi & Illmi Domini FRIDERICI CHRISTIANI

CELEBRATA

DIE 20. MARTII.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Illubenter advertimus nonnullos ex Curatis noſtris reperiri, qui Matrimoniis Militum ſine conſuetis & a Tridentino requiſitis denunciationibus contra ſeveram inhibitionem noſtram paucis abhinc annis clementiſſime factam, & abunde ſatis notificatam nihilominus aſſiſtere non reformident, per hoc autem non levibus ſcandalis, adulteriis, aliisque gravioribus peccatis, prout id ipſum experientia, triſtiaque pro dolor! exempla non ſemel teſtatum fecere, præſentiſſima præbeatur occaſio, quibus ut occurramus, Epiſcopalis muneris noſtri ratio poſtulat; hinc pœna per contravenientes jam commiſſa, & inquiſitione deſuper inſtituenda ſalvis, denuo omnibus ac ſingulis Diœceſeos noſtræ Paſtoribus, Curatis, Vice Curatis, Sacellanis, aliisve ad aſſiſtentiam Matrimoniorum quovis modo vocatis aut vocandis ſerio & quam diſtricte inhibemus, ne hujusmodi Militum Matrimoniis ullo ſub prætextu vel colore impoſterum aſſiſtere audeant, niſi præmiſſis in Parochia, ubi tunc degunt, aut ſtationem figunt, tam ſatis denunciationibus, quam cæteris a memorato Tridentino requiſitis neceſſario præmittendis, ſed debitum in hoc iteratis juſſibus noſtris morem gerant; Nos alias contra inobedientes & contumaces pœnis arbitrariis, imo carceris, ſuſpenſionis, etiam quatenus delicti gravitas, vel reiteratio id exegerit, privationis ſine ulla connivenita & remiſſione procedemus, vel procedi faciemus. In quorum fidem præſentes manu & ſigillo noſtris roboratas dedimus in Civitate noſtra Monaſterienſi 19na Martii 1703.

Fridericus Chriſtianus.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA BISUNTINA,

SEU

STATUTA & DECRETA SYNODALIA BISUNTINÆ DIOECESIS,

Anno Christi MDCCVII. Clementis XI. PP. VII. Josephi I. Imp. II.

COLLECTA
AUTHORITATE ET JUSSU
ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI,
D. FRANCISCI JOSEPHI de GRAMMONT, (*)
S. R. I. Principis, Archiepiscopi XCVII. Bisuntini.

LETTRE PASTORALE

DE MONSEIGNEUR ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME
ARCHEVEQUE DE BESANCON,
PRINCE DU S. EMPIRE, &c.

A l'occasion de la nouvelle Impression des Statuts du Diocese.

FRANCOIS-JOSEPH de GRAMMONT, par la grace de Dieu & du Saint Siege, Archevêque de Besançon, Prince du Saint Empire, &c. A tout le Clergé de nôtre Diocese, Salut en nôtre Seigneur.

La nouvelle Edition des Statuts Synodaux de nôtre Diocese que nous venons de faire imprimer, nous donne lieu de vous addresser cette Lettre Pastorale. Nous le faisons pour vous témoigner nôtre affection, & vous apprendre jusqu'où nôtre condescendance est allée à vôtre égard. Encore que nous n'ayions rien touché au fond & à la substance des loix qui y sont rapportées; que bien loin de les révoquer, nous les estimions trés-justes, trés-saintes, trés-bien établies, & trés-dignes d'être observées; & que pour ce sujet nous vous enjoignions trés-particuliérement d'y obéïr avec un grand soin; nous avons toutefois crû que nous ferions bien d'en moderer les peines, comme en effet nous les avons moderées en plusieurs endroits.

Les Temperamens que nous y avons apportés ne donnent aucune atteinte aux Regles de la Discipline Ecclesiastique. Si quelque chose vous y paroît encore un peu difficile, souvenez-vous que c'est en cela même que doit éclatter vôtre obéïssance. N'avoir de soûmission pour les Ordres du Superieur, qu'autant qu'on les trouve conformes à son inclination, ce n'est pas obéïr en Ecclesiastique, ny en Chrétien, c'est vouloir faire sa volonté.

Au reste, comme nous avons eu la consolation de trouver jusques icy dans la plû part de vous, toute la soûmission que nous pouvions soûhaiter, avant même que nous eussions moderé les peines portées par plusieurs Statuts & Ordonnances de nôtre Diocése, nous ne doutons pas qu'aprés les avoir moderé, vous

(*) Vide sub finem Statutorum.

ne vous étudiïés à rendre toûjours vôtre obéïssance & plus prompte & plus parfaite. Il nous a même semblé que si nous en usions comme nous venons de faire, ce seroit le moyen le plus efficace pour rendre le joug de l'obéïssance plus aimable à ceux qui auroient pû avoir cy-devant de la répugnance à se soûmettre; & qu'il falloit les porter à leur devoir, en les y attirant, comme dit l'Ecriture, par des liens d'amour & de charité.

Il ne nous reste plus qu'à vous dire icy à tous, ce que nous avons déja répondu à plusieurs, touchant quelques Statuts en particulier, & touchant la derniére Ordonnance publiée en 1700. & renouvellée en 1704. au sujet des personnes de service.

Premiérement, pour ce qui est du Statut qui défend d'oüir les Confessions des personnes du sexe hors du Confessional, nous déclarons qu'il ne s'étend pas à celles qui ont un juste empêchement de s'y confesser. Telles sont non seulement celles qui tiennent le lit par maladie; mais encore celles qui sont si âgées, si foibles, ou si infirmes qu'encore qu'elles ne soient pas alitées, elles auroient neanmoins peine d'aller à l'Eglise. Telles sont encore celles qui sont enceintes, ou sourdes, desquelles on peut écouter les Confessions hors du Confessional, lorsqu'elles auroient peine de s'y confesser; pourvû qu'on les entende dans l'Eglise, ou en quelque lieu ouvert, & qui soit exposé à la vûë du monde.

Secondement, à l'occasion des Cas reservés, nous déclarons que les quinze Cas reservés qui sont sur la fin du neuviéme Statut du titre quatorziéme, doivent être pris selon qu'ils sont conçûs & exprimés dans ce nouveau Recueil; & que les Confesseurs à qui nous donnons pouvoir d'en absoudre, ne peuvent sans un autre pouvoir special, absoudre des autres Cas à nous expressément, & singuliérement reservés à l'égard des Ecclesiastiques; non-plus que de ceux qui portent quelque censure à nous pareillement reservée; comme il paroît par le huitiéme Statut du même titre quatorziéme. Nous déclarons deplus que par les blasphêmes scandaleux & reservés, nous entendons ceux qui sont proferés aumoins devant cinq ou six personnes. Et qu'on ne peut pas donner l'absolution aux personnes que leur Confesseur auroit sollicitées en Confession, ou à l'occasion d'icelle, qu'en gardant ce qui est porté par la Bulle de Gregoire XV. qui commence: Universi Dominici gregis, *que nous voulons être observée dans ce Diocése; ainsi que nous l'avons deja déclaré dans nôtre Ordonnance de 1700.*

On nous a demandé plusieurs fois ce qu'on peut, & ce qu'on doit faire, en ce cas-cy: Une personne se confessant à un Prêtre qui n'a pas le pouvoir d'absoudre des Cas à nous reservés, luy en déclare un. Le Confesseur recourt pour obtenir le pouvoir de l'absoudre & l'obtient; mais avant l'absolution cette personne retombe dans ce même peché, ou dans quelques autres également reservés; oubien elle déclare avant que de recevoir l'absolution un plus grand nombre de Cas reservés de même, ou de differente espece, dont elle ne s'étoit pas encore accusée, soit par oubli, soit par honte, ou autrement.

La dessus, sans décider ce qu'on doit faire de droit commun, nôtre intention est, que dans ce Dioceſe, quoyque le Confesseur qui a ainsi recouru, n'ait demandé pouvoir que pour un Cas en particulier, il puisse neanmoins absoudre pour une fois ces sortes de personnes lorsqu'il les trouvera disposées, quand même elles seroient retombées pendant plusieurs délais, si quelqu'un de nôtre part, ou nous même, luy avons mandé de l'absoudre.

Et comme nous avons remarqué qu'un grand nombre de Curés se trouvent obligés de recourir souvent au tems de Pâques, pour obtenir plusieurs permissions particuliéres d'absoudre de ces sortes de Cas, nous déclarons que tous les Curés, & Vicaires en chef de nôtre Diocese pourront durant les trois semaines de Pâques absoudre des pechés à nous reservés, toutes les personnes qu'ils jugeront être disposées à recevoir l'absolution pendant lesdites trois semaines.

Troisiémement, & en conformité des Decrets Synodaux, nous défendons trés-expressément les abus suivans.

Le premier est d'abandonner sa Paroisse, comme on nous a assûré que quelques-uns font sur de vains pretextes. Car sans parler de l'obligation où l'on est de restituer à proportion de ce qu'on a absenté au delà de soixante jours, ainsi qu'il est decidé par le Concile de Trente, & par un Statut du Diocese, il faut se bien convaincre, que c'est dans un Curé un peché trés-grief d'absenter de sa Paroisse durant un tems considerable sans cause legitime, & sans nôtre agrément; soit que cette absence soit interrompuë, & en differentes fois; soit qu'elle

soit

soit continuë, & toute de suite. Ainsi nous désaprouvons, & blâmons avec toute l'Eglise la conduite de ceux qui aprés avoir fait leurs Offices les Fêtes, & les Dimanches, iroient de Voisins en Voisins, & passeroient ainsi une grande partie des jours de la semaine, se dissipans, perdans leur tems, & négligeans leurs devoirs.

Que chacun de vous demeure inséparablement attaché à la conduite de son Troupeau, veillant sans cesse sur le besoin des Ames qu'on luy a confiées, préparant ses Prônes, étudiant les choses qu'un Ecclesiastique est obligé de sçavoir. Servés-vous pour cela de Livres qui ne soient nullement suspects, rien de si pernicieux que le poison d'une mauvaise doctrine, sur-tout lorsqu'il est presenté sous des expressions captieuses, dont les Auteurs suspects ont toûjours affecté de se servir.

Attirés vos peuples autant qu'il vous sera possible à vos Catechismes, & à vos Prônes. Que ceux qui ayans deux Eglises ne font aes Instructions que dans la principale où toute la Paroisse ne va pas les entendre, ne croyent pas être déchargés par là, de l'obligation indispensable où ils sont d'instruire generalement tous leurs Paroissiens.

Nous avons si fort à cœur qu'il n'y ait personne dans vos Paroisses qui ne reçoive de vous le pain de la parole, qu'ayant été avertis que dans les lieux où l'on dit une Messe basse avant la grande, la plû-part contents d'assister à cette Messe basse, ne vont point à la Messe de Paroisse, & n'entendent ny Prônes ny Catechismes: Nous avons crû devoir défendre, comme nous défendons en effet, à tous Chapelains, & autres Prêtres établis dans les Villages, où il n'y a ny Chapitre, ny Familiarité, de dire la Messe les Fêtes & les Dimanches, devant celle de Paroisse.

Le second abus que nous défendons encore à tous Curés, & Vicaires, & autres Ecclesiastiques, c'est d'aller en Procession hors de la Paroisse sans y retourner en Procession; à raison des désordres qui en arrivent, & dont Dieu est grièvement offensé, dans le tems même qu'on devroit fléchir sa colere.

Le troisiéme abus, c'est d'enterrer les Morts dans des Cimetieres ouverts; & comme nous sçavons qu'il y en a plusieurs qui ne sont aucunement entourés, nous défendons expressément qu'on y enterre jusqu'à ce qu'ils le soient.

Pour ce qui est de l'Ordonnance que nous fimes publier en 1700. *& qui fut renouvellée en* 1704. *au sujet des personnes de service, Nous déclarons de nouveau qu'encore qu'il fût à souhaitter pour les Ecclesiastiques qu'aucune personne du sexe ne demeurât avec eux dans une même Maison; neanmoins comme cela seroit extrêmement difficile, nous permettons à tous Curés, Prêtres, Diacres & Soudiacres de tenir avec eux leur Mere, Tante, Sœurs, Bellesœurs, & Nieces, Filles de Frere ou de Sœur; comme aussi d'avoir des Servantes, pourvû qu'elles soient âgées de quarante ans complets, & de bonne reputation. Quant aux Ouvrieres, ou autres personnes du sexe qui n'auroient pas le même âge, nous leur permettons de s'en servir tant au dehors qu'au dedans de la maison pendant le jour, leur défendant de les retenir chez-eux, & de souffrir qu'elles y couchent pendant la nuit, ce que nous voulons être observé à l'égard de toutes les autres personnes du sexe qui passent quatorze ans, & qui n'ont pas l'âge marqué cy-dessus, le tout à peine d'encourir un Cas à nous singuliérement reservé, & de suspence* ferendæ sententiæ. *Que si quelqu'un des susdits Ecclesiastiques affectoit de se servir ordinairement d'une même personne du sexe qui n'eut pas quarante ans pour faire son ménage, il tomberoit dans la même suspence, & encouroit le même Cas reservé, encore que cette personne ne couchât pas dans sa maison. Déclarons deplus que si quelqu'un des susdits Ecclesiastiques se trouvoit obligé par bienséance de recevoir quelques visites de personne du sexe, il pourroit les retenir pendant trois ou quatre jours. Voulons que toutes nos autres Ordonnances sur ce sujet, & peines y portées, soient réduites à celles-cy.*

Nous finissons en vous exhortant de tout nôtre cœur, à vous conformer à ce que nous venons de vous dire, & aux Statuts du Diocese. Gardés doré navant pour vos Registres la formule qui y est marquée, signés ces Registres de vôtre propre main, & ne les laissés pas en feüilles volantes. Procurés-vous la nouvelle compilation des Decrets Synodaux, que nous avons fait imprimer, lisés-les aumoins une fois toutes les années, pour vous instruire de plus en plus de vos devoirs; observés soigneusement les Regles qui y sont prescrites: Vous serés respectés des Peuples, ils écouteront vôtre voix, s'ils prennent garde que vous écoutés la nôtre. Nous prions le Dieu dont vous êtes les Ministres, de vous faire marcher dans la voye de vôtre vocation.

Nous ordonnons à nos Doyens Ruraux de ſignifier & d'envoyer la preſente Ordonnance à tous les Curés & Vicaires de leur diſtrict, pour que ceux-cy la communiquent aux Confeſſeurs & autres Eccleſiaſtiques qui ſont dans leur Paroiſſe, & que tous s'y conforment.

Nous donnons encore avis aux Curés & Vicaires qu'ils ayent à dire à leurs Paroiſſiens qui auroient des Enfans fort contrefaits, qu'ils feroient étudier dans le deſſein de les pouſſer à la Prêtriſe, que Nous n'en admettrons plus aucun de cette ſorte à l'examen pour l'entrée du Seminaire. Donné à Beſançon le 15. Août 1707.

Signé, FRANCOIS-JOSEPH Archevêque de Beſançon.

Par Ordonnance de Monſeigneur, J. G. AMEY.

MANDEMENT

DE MONSEIGNEUR L'ARCHEVEQUE DE BESANÇON,

Par lequel il défend certains Livres dans ſon Dioceſe.

FRANCOIS-JOSEPH DE GRAMMONT, PAR LA GRACE DE DIEU ET DU SAINT SIEGE APOSTOLIQUE ARCHEVÊQUE DE BESANÇON, PRINCE DU SAINT EMPIRE, &c. A TOUS LES FIDÉLES DE NÔTRE DIOCESE, SALUT ET BENEDICTION.

L'Obligation que Nous avons de conſerver le précieux dépôt de la Foy, qui eſt le fondement de nos eſperances, & ſans laquelle, ſelon l'Apôtre, il eſt impoſſible de plaire à Dieu; Nous engage à nous oppoſer de toutes nos forces à ce qui pourroit en alterer la pureté. Nous avons appris avec douleur que des Villes heretiques qui nous ſont voiſines, ſe répandoit dans cette Province le pernicieux Dictionnaire de Bayle; que des verſions des Livres ſacrés, ou déja condamnées, ou juſtement ſuſpectes, telles que ſont la traduction du nouveau Teſtament, vulgairement dite de Mons; & le Livre qui a pour titre: *Le nouveau Teſtament en françois avec des réflexions morales ſur chaque verſet, pour en rendre la lecture plus utile, & la méditation plus aiſée. A Paris chés André Pralard, Ruë Saint Jacques à l'Occaſion, & ailleurs;* étoient miſes entre les mains même des perſonnes du ſexe; & que les Inſtitutions Theologiques du Pere Juenin, déja condamnées par de grands Prelats, ne laiſſoient pas que d'y avoir cours. Pour empêcher les mauvais effets que la lecture de ces Ouvrages ne manqueroit pas de produire, ſi elle étoit plus long tems tolerée: Nous défendons ſous les peines de Droit à tous les Fidéles de ce Dioceſe de lire ou retenir, & à tous Imprimeurs & Libraires de vendre & débiter aucuns deſdits Livres. Ordonnons à nos Promoteurs & Doyens Ruraux de veiller ſur les Livres qui ſe diſtribuent dans ce Dioceſe, & de tenir la main à ce que le preſent Mandement ſoit lû, publié dans toutes les Paroiſſes & Communautés Eccleſiaſtiques & Régulieres, & executé ſuivant ſa teneur. Donné en nôtre Palais Archiepiſcopal, à Beſançon le troiſiéme jour de mois de Juillet mil ſept cens ſept.

Signé, FRANCOIS-JOSEPH Archevêque de Beſançon.

Par Ordonnance de Monſeigneur, J. G. AMEY.

FRANCISCUS JOSEPHUS de GRAMMONT,

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS BISUNTINUS, Sacri Romani Imperii Princeps, &c. Univerſo Diœceſis noſtræ Clero Gratia & Pax in CHRISTO JESU Salvatore noſtro.

Cum Editio Statutorum bujus noſtræ Diœceſis, quæ anno 1680. prodierat, omnino exhauſta ſit ac divendita: curavimus illa Statuta iterum typis excudi, & in novum redigi Volumen, in quo per omnia ſervato prioris Editionis ordine, ac methodo, Statuta quæ ab anno prædicto in Synodis Diœceſanis conſtituta fuerant, ſuo ſingula quæque loco inſere-

ſererentur. Exiſtimavimus inſuper omnia fere Statuta, quæ continebantur in altera collectione, etiamſi multa ex ipſis in unum finem tendant, ac pluries repetita videantur, non debere tamen ex hac nova Editione detrahi, quin potius eſſe referenda, ut quisque veſtrum facilius intelligat, quam longævus & continuus extiterit in hac noſtra Diœceſi Eccleſiaſticæ Diſciplinæ zelus, quantaque cura & affectu Prædeceſſores noſtri Archi-Præſules, iteratis per varia tempora non raro de eadem re Decretis Synodalibus, eam promovere ſtuduerint.

Verum attendentes permulta ex prædictis Statutis varias pœnas, maxime adverſus Eccleſiaſticos decernere, viſum Nobis eſt optimum fore, ſi plures ex his pœnis temperaremus, atque etiam nonnullas authoritate noſtra ordinaria revocaremus. Quamvis enim nemo dubitare poſſit prædictas pœnas, attentis rerum ac temporum circumſtantiis, olim ſapientiſſime legibus illis adjectas eſſe; nunc rebus per Dei gratiam valde in melius immutatis, benigne multorum precibus annuentes, atque animi noſtri erga Clerum propenſionem ſecuti, propoſuimus e Statutis Diœceſanis tollere perplures cenſuras, partim uſu jam aliqualiter antiquatas, partim hiſce temporibus minime neceſſarias.

Quapropter ſolam præ oculis Dei gloriam habentes, & Viros Eccleſiaſticos Diœceſis noſtræ gravibus conſcientiarum periculis, & anxietatibus cupientes liberare; præterea confidentes indulgentiam qua hic utimur futuram validum toti Clero noſtro incitamentum ad virtutem, nec non ad promptiorem in omnibus quæ ipſi præcepta ſunt obedientiam; Declaramus ac volumus, ut nulla deinceps hujus noſtræ Diœceſis Statuta, Ordinationes, aut Mandata generaliter adverſus Eccleſiaſticas, aut ſæculares perſonas huc-uſque lata, aliquam cenſuram vel pœnam inferant, illis duntaxat exceptis, quæ in hac noviſſima eorumdem Statutorum editione pœnam decernunt. Denique volumus, ut nullum ex iſtis Statutis pœnam ferat, ultra tenorem in hac nova eorum editione juſſu noſtro expreſſum.

Licet autem multas pœnas olim per prædicta Statuta decretas, hoc modo moderandas, atque etiam ex parte tum mutandas, tum ſupprimendas cenſuerimus, nunquam tamen habuimus, neque habemus in animo Decreta ipſa quoad ſubſtantiam abolere; ſed temperatis duntaxat, ac partim mutatis, partim ſuppreſſis pœnis, quas inferebant, declaramus ea, quæ in hoc Volumine continentur, non minus quantum ad id quod prohibent aut præcipiunt, quam antea obligare.

Quænam vero Statuta temperaverimus, & quænam omnino quoad pœnas abroganda vel mutanda judicaverimus, hujuſce Voluminis attenta lectio vos docebit. Legat illud unusquisque veſtrum, & in ipſo diſcatis honeſtatem morum, vitæ ſanctimoniam, pietatem in Divinis afferendam, debitam rebus ſacris reverentiam, & ea demum, quæ cultui Divino, quæ decori Eccleſiæ, quæ proximorum ſaluti debeatis.

Nec contenti Leges iſtas evolviſſe, ſumma cura eo tendite quo dirigunt. Lucerna erunt pedibus, & lumen ſemitis veſtris. Æquitatem horum Decretorum, antiquitatem eorum religioſe venerandam, conſonantiam ipſorum cum his, quæ a Summis Pontificibus ac Conciliis Oecumenicis præſcripta ſunt, conſiderate & penſate. Audite vocem Paſtoris, non graviora, ſed Miniſtros Dei condecentia, nec non viribus veſtris accommodata præcipientis. Certe ſi difficiliora exigeremus, utique facere deberetis, & obedire; quanto magis cum nunc Leges & Mandata plurimum alleviaverimus.

Obſecramus itaque vos, Fratres in Domino, ut hæc Decreta libenti animo, & corde alacri ſuſcipiatis, non tanquam ſervi, ſed ut Filii chariſſimi, non in ſpiritu ſervitutis in timore, ſed in humilitate & charitate.

Præceptum, quod hic præcipitur vobis, non ſupra vos eſt, non in cœlo, non ultra mare poſitum, ſed juxta vos ſermo facilis valde; audite illud, & in corde veſtro quaſi in libro ſcribite, meditemini illud, ſedentes in domo veſtra, ambulantes in itinere. Ligate illud quaſi ſignum in manu veſtra, cavete ne unquam obliviſcamini. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam, cuſtodite illam, & ipſa vos cuſtodiet. Hæc eſt voluntas Dei, hæc eſt ſanctificatio veſtra. Hæc facientes ſalvos vos facietis, & eos, qui vos audiunt. Datum Biſuntii in Palatio noſtro Archiepiſcopali, die 15. Auguſti 1707.

FRANCISCUS JOSEPHUS
Archi-Epiſcopus Biſuntinus.

Ex Mandato Illuſtriſſimi ac Reverend. Domini mei,
J. G. Amey.

INDEX TITULORUM HORUM STATUTORUM SYNODALIUM DIOECESIS BISUNTINÆ.

TITULUS I.

DE SYNODO.

STATUTUM I.

Diœcesana Synodus bis in anno celebrata.

Sanctorum Patrum vestigiis insistentes bonæ memoriæ Prædecessores nostri, hujus sanctæ Sedis Bisuntinensis Archi-Episcopi, celebrare duas Synodos singulis annis consueverunt: Primam quidem in septima & ultima hebdomada Paschalis Solemnitatis, in die videlicet Martis ante Festum Pentecostes: Alteram vero in mense Octobri, die Mercurii post Festum Beati Lucæ Evangelistæ. *Ex Statutis an.* 1559. Nunc propter bellorum clades, quibus hæc Diœcesis ab anno 1636. devastata est, una tantum Synodus, feria tertia ante Pentecosten, haberi consuevit.

II.

Sex Abbates & quatuor Archi-Diaconi debent Synodo interesse.

Tenentur in hac Diœcesi Bisuntina in omnibus Synodis comparere Venerabiles Abbates, sancti Vincentii Bisuntinæ Civitatis, & sancti Pauli ejusdem Civitatis: Abbas Montis Benedicti: Abbas de Golia: Abbas de Corneolo: & Abbas de Bello-Campo; in habitibus quidem suis regularibus in priori collatione, quæ fit post Vesperas; mane vero Abbates mitrati cum cappis sericeis, mitris & crossis; alii non mitrati, cum similibus cappis & almutiis, prout ab antiquo observatum est. Et præterea quatuor Archi-Diaconi nostræ Diœcesis cum suis Decanis: scilicet Archi-Diaconus de Salinis: Archi-Diaconus de Faverneyo: Archi-Diaconus de Grayaco: & Archi-Diaconus de Luxovio. *Ex iisdem Stat.*

III.

Decani Rurales in Synodo comparere debent.

Decani Christianitatis (quos Rurales vocamus, alii Archi-Presbyteros) compareant in utraque collatione, cum superpelliciis albis, mundis & honestis: similiter & Curati, seu eorum Vicarii, cum superpelliciis (præsertim in Synodo matutina) diligenterque attendant ad verba sacræ exhortationis, & ad alia, quæ eis dicentur ac mandabuntur; nec recedant ab ipsa Synodo absque nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia. *Ex Statutis an.* 1480. & 1560.

No-

Nomina autem Decanatuum Bisuntinæ Diœcesis sunt hæc:

De Sexta.	De Treva.
De Salinis.	De Faverneyo.
De Montana.	De Luxovio.
De Ledonesalnerio.	De Grangiis.
	De Ajoya.
De Neublaneo.	De Rubeomonte.
De Dola.	De Palma.
De Grayaco.	De Varesco.

IV.

Quæ referre debent Decani ad Synodum.

Tenentur Decani Rurales in singulis Synodis referre nomina Beneficiatorum (præsertim Curatorum) non residentium in suis Ecclesiis Parochialibus, idque in scriptis. Item nomina excommunicatorum, qui per annum & diem sententiam excommunicationis sustinuerint. Nomina hæreticorum, conventicula celebrantium, seu a communi conversatione Fidelium, vita & moribus diffidentium. Item, si qui incorrigibiles fuerint in Clero, aut minus idonei Rectores Ecclesiarum in Decanatibus ipsorum. *Ex Statut.* 1573.

V.

Venientes ad Synodum honeste se gerant.

Venientes ad Synodum, honestam sibi eligant societatem, honesta hospitia; ubi graviter, modeste, pacifice se gerant, sobrie vivant, vana colloquia & fœda, suspecta omnia devitantes: potius orationibus & jejuniis, exemplo Apostolorum vacent, & de rebus Ecclesiasticis meditentur. *Ex iisdem Stat.*

VI.

Post Synodum congregent Decani suos Parochos.

Decani Rurales post nostram Synodum, cum Curatis suorum Decanatuum compareant annuatim in locis & diebus consuetis ab antiquo ad celebranda sua Concilia, seu Conventus, ibique orationem per se, vel per alium habeant de moribus & honestate Clericorum, & Statuta nostra Synodalia recitent & exponant, invocato prius per Missam & Processiones devotas, Spiritu Sancto: Deinde conferant cum Curatis ipsis de rebus Ecclesiasticis, prout suo incumbit officio, honeste, pacifice & modeste, sine murmure, sine contentione; & quæ invicem conferentes, expedire duxerint ad tranquillitatem, libertatem, authoritatemque Ecclesiæ, illa in proxima Synodo referant Nobis, vel verbo, vel scripto. *Ex iisdem Statut.*

TITULUS II.

De vita & honestate Clericorum.

STATUTUM I.

Qualis debet esse Vita Sacerdotis.

Clerici omnes, quia Christi sunt famuli, sicut Laicos gradu & professione antecellunt, ita scientia, bonorum operum actione, virtute, morum honestate & sanctitate præcellere debent, ut ostendant in semetipsis, qualiter oporteat Laicos in Ecclesia Catholica, quæ domus Dei est, conversari; vilissimus enim reputandus est, qui alios dignitate & honore præcellit, nisi scientia & sanctitate præstantior sit. Caveant igitur sibi Sacerdotes ab omni luxu profano, fastuoso & carnali, tam in victu, quam in cultu: & ab omni specie mali abstineant: decorumque conditionis suæ atque status servent, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne occasionem dent adversario maledicendi. *Ex Statutis anni* 1480. *& anni* 1573.

II.

Clerici, compositione exteriori corporis, suæ conditionis dignitatem ostendant.

Clerici omnes & singuli in habitu & incessu suam professionem, religionem & statum probent & ostendant; non quærant in vestimentis aut calceamentis decorem; sed aliorum sui status & ordinis, cum quibus vivunt, bonos & simplices mores observent. Sit eorum etiam incessus ornatus & modestus; non modo festinus, modo tardus, ut gravitate itineris mentis maturitatem ostendant: nam incompositio corporis inæqualitatem mentis indicat. *Ex Statutis anni* 1480.

III.

Vestium Clericalium modestia & decentia ubique servanda.

Clerici omnes, præsertim qui in Sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia vel Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, tonsuram & habitum, non exquisiti aut dissoluti, neque tamen incompositi, vel indecentis ornatus, sed proprio ordini aut dignitati congruentem, non solum in Ecclesia, verum etiam per plateas perpetuo deferant: ut per extrinseci habitus, gestus & incessus decentiam, intrinsecam morum honestatem, gravitatemque modestia conditam præseferant, ut a Laicis publice distingui possint. Alioquin, qui abjectis vestibus proprio convenientibus statui alias assumere & publice portare præsumpserint, pœnis in Concilio Viennensi statutis, & in Synodo Tridentina adversus eos innovatis coerceantur. *Ex Statutis* 1588.

IV.

Barbam & comam non nutriant, sed coronam gerant.

Non barbam ferant, neque molliter comam colant, sed tonsura in vertice, juxta Ordinem suum, coronam efficiat congruentem: qua se in regale Sacerdotium assumptos, nihil jam plebeium, aut humile sapere, præseferant. *Ex Statutis anni* 1537.

V.

Forma coronæ pro sacris Ordinibus.

Quoad tonsuram seu coronam capitis attinet; mandamus & statuimus eam esse debere, quantum ad Sacerdotes, ad mensuram majoris Hostiæ. Clericorum vero, ad mensuram minoris, ut in Concilio Toletano IV. sancitum. Diaconorum vero & Subdiaconorum, media inter prædictas erit forma. *Ex Statutis* 1648.

VI.

Tonsura & Habitus Clericalis quales esse debeant.

Quia plurimum refert, ut qui vita & moribus a cæteris differre debent, etiam exteriori habitu distinguantur, Presbyteros, aliosque omnes in sacris Ordinibus constitutos serio monemus, ut tonsuram & coronam Clericalem juxta sacrorum Canonum Decreta perpetuo gerentes, comam laxare, & crines prolixiores deferre non præsumant. Similiter ut in locis suæ residentiæ, tam urbibus quam pagis, sine talari veste nunquam incedant. Si vero eos peregre proficisci contigerit, breviori quidem toga uti liceat, quæ tamen ea sit decentia & amplitudine, ut cingulo præcincta appareat, & infra genua protendatur, servata vestis talaris forma, rejectisque ad justam corporis mensuram clamydibus, quæ magis Militem, quam Sacerdotem ostendunt. *Ex Statutis* 1699.

VII.

Fictæ Cæsaries quando & a quibus deferri non debeant.

Ne quod introductum est a Laicis ad valetudinis curam, fiat Ecclesiæ Ministris occasio vanitatis & luxus; prohibemus, ne ullus in sacris Ordinibus constitutus fictam cæsariem assumat sine licentia nostra in scriptis obtenta. Neque tamen cum illa celebrare audeat, vel in Altari ministrare, nisi habita prius Summi Pontificis facultate, quam Nobis exhibere teneatur. Porro hujusmodi cæsaries non oblonga, sed brevis ac modesta, & Clericali tonsura juxta proprium cujusque Ordinem, distincta esse debet, ut magis utentis necessitatem, quam fastum præseferat. *Anno* 1686.

VIII.

Prohibentur cauponariæ tabernæ.

Comessationes & ebrietates, quæ Christianos non decent; licet per Decretum nostrum speciale prohibendæ non essent, cum ab Apostolo & Ecclesia tam stricte prohibeantur; nihilominus quia damnabilis usus invaluit, ut etiam ipsi Sacerdotes, qui aliis exemplo præesse deberent, non erubescant cum sæcularibus Sacerdotii dignitatem deprimere: quod in Synodo anni præteriti 1663. statuimus circa Sacerdotum & Clericorum vestimenta, renovantes: insuper prohibemus omnibus & singulis Diœcesis nostræ Presbyteris

byteris & Clericis actu Ecclesiæ inservientibus, qui propterea fori privilegio gaudent, ne imposterum popinas & cauponas publicas frequentare præsumant, ut in iis aut soli, aut cum aliis invitati, vel invitantes comessentur, sed ex vitæ & morum honestate & compositione modesta Fideles provocent ad vitæ emendationem: ideoque severe præcipimus Curiæ nostræ Fiscalibus, ut attendant ad hujus nostri Decreti exactam observationem, & delinquentes puniri faciant. *Ex Statutis nostris* 1664.

IX.

Præcipitur vestis talaris, & tabernarum frequentatio prohibetur sub pœna suspensionis.

Cum hactenus Ecclesiasticas sanctiones, circa Clericalis habitus delationem, & tabernarum frequentationem, per iterata Statutorum nostrorum Synodalium Decreta, ad debitam observantiam reducere conati simus; nihilominus tamen, non sine gravi animi dolore, cernamus hujusmodi Ordinationes a plerisque Clericali, imo & Sacerdotali caractere insignitis parvi pendi, ac usu temerario infringi; ne tantum virus in Ecclesiasticæ dignitatis dedecus, & sacrorum Canonum contemptum, diutius in nostra Diœcesi serpat, acriora remedia, juxta Summorum Pontificum Constitutiones, ac præcipue sacri Concilii Tridentini præscriptum, cujus tenorem inferius apponi jussimus, adhibere compellimur. Propterea declaramus omnes & singulos in sacris Ordinibus constitutos, qui talarem vestem in locis suæ residentiæ, extra illa vero peregrinantes, breviorem quidem togam, sed tamen infra genua descendentem non detulerint, suspensionem ab Ordine ipso facto incurrere, a qua nonnisi a Nobis duntaxat absolvi possint: illis porro, qui sacris Ordinibus initiati non sunt, Beneficia tamen Ecclesiastica, veluti Abbatias, Canonicatus, Prioratus, Hospitalium Rectorias possident. Si a Nobis specialiter admoniti præfatæ Ordinationi non paruerint; pro prima vice, media parte reddituum unius anni suorum Beneficiorum in pios usus, per Nos vel Officialem nostrum convertenda privamus; pro secunda vice, anni integri fructibus; pro tertia vero, ipsismet Beneficiis, eo ipso privatos esse declaramus; ita ut ex tunc vacare censeantur. Volumus etiam, ut omnes, qui ad sacros Ordines sunt provecti, vel qui ratione Beneficii ad vestis talaris delationem, uti modo præmisimus, obligantur, quoties tabernas, seu hospitia ad compotandum, quovis prætextu (nisi forte dum iter faciunt) adiverint, eamdem suspensionis pœnam ipso facto incurrant, cujus absolutionem pariter Nobis reservamus. Ne autem quisquam præsentis nostri Decreti ignorantiam prætendat, mandamus omnibus nostræ Diœcesis Parochis & Vicariis illud quamprimum ad eorum notitiam venerit, in Ecclesiis suis publicare, & valvis ipsarum affigere. *Ex Decret. nostr. edit. die* 28. *Martii* 1673. *Renov. & confir. in Statut. ann.* 1675. 1676. 1677. 1678. & 1679.

Decretum præcedentis extensivum.

Quoniam non sine animi molestia accepimus plurimos ex Clero nostro Ordinationi nostræ circa talaris vestis delationem, & tabernarum, compotationis causa, ingressum, antehac publicatæ, bellorum prætextu minime paruisse; ut tam perniciosæ relaxationis excusatio penitus elidatur. Decretum nostrum hac de causa die 28. mensis Martii 1673. editum, sub eadem pœna renovamus; declarantes quoad cauponarum frequentationem, etiam hortos, viridaria, & alia loca ipsis annexa, aut ab iis dependentia in nostra prohibitione comprehendi. Locum etiam residentiæ, in quo cauponas adire non licet, ad cætera Parochiæ membra & universum illius ambitum extendi; illos vero, qui in fraudem inhibitionis nostræ ad tabernas pagorum Parochiæ suæ vicinorum, comessationum causa, nullaque negotiorum, aut itineris ulterius conficiendi necessitate, sed ad ibi bibendum se conferunt, eidem pœnæ & censuræ in Decreto nostro contentæ subjacere. Ubi tamen Parochiæ sunt ampliores, permittimus Parochis, aliisque Sacerdotibus, qui eorum vices agunt, cum pro Sacramentorum admi-

administratione, aut aliis Parochialibus officiis exequendis, ad remotiores Parochiæ suæ partes progrediuntur, ibidem in caupona, si necessitas exigat, aut si alibi commode nequeant, refectionem sumere. *Die* 8. *Octobris* 1674.

Decretum sacri Concilii Tridentini, Sess. 14. *de Reform. cap.* 6.

" Quia vero, etsi habitus non facit Monachum, *oportet tamen Clericos* " *vestes proprio congruentes Ordini semper* " *deferre*, ut per decentiam habitus ex" trinseci, morum honestatem intrin" secam ostendant. Tanta autem ho" die aliquorum inolevit temeritas, " Religionisque contemptus, ut pro" priam dignitatem & honorem cleri" calem parvi pendentes, vestes etiam " deferant publice laicales, pedes in " diversis ponentes, unum in Divinis, " alterum in carnalibus. Propterea " omnes Ecclesiasticæ personæ quan" tumcumque exemptæ, quæ aut in " Sacris fuerint, aut Dignitates, Per" sonatus, Officia, aut Beneficia qualia" cumque Ecclesiastica obtinuerint, si " postquam ab Episcopo suo, etiam " per Edictum publicum moniti fue" rint, honestum habitum clericalem, " illorum Ordini & dignitati congruen" tem, & juxta ipsius Episcopi ordina" tionem & mandatum non detulerint, " *per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio* " *& Beneficio, ac fructibus & redditibus ac* " *proventibus ipsorum Beneficiorum*; nec " non si semel correpti denuo in hoc " deliquerint, *etiam privationem Officio-* " *rum & Beneficiorum hujusmodi coerceri pos-* " *sint & debeant*, secundum Constitu" tionem CLEMENTIS V. in Con" cilio Viennensi editam, quæ incipit: " *Quoniam innovando & ampliando.*"

X.

Toga talaris sub brevibus palliis apparere debet.

Statuta hactenus edita, quibus vestis talaris præcipitur, tum ad majorem Ecclesiasticæ dignitatis reverentiam, tum etiam ut a Laicorum statu distinguantur, complures in sacris Ordinibus constituti non leviter infringere comperiuntur, dum togam talarem, præcipuum sui caracteris indicium, sub brevibus palliis involutam abscondere non erubescunt. Quapropter huic pravæ consuetudini, quæ sæcularium oculos offendit, occurrere cupientes, præcipimus singulis, qui ad vestem talarem deferendam tenentur, illam decenter & honeste, ut Ministris Ecclesiæ convenit, in locis suæ residentiæ gestare. Si vero necessitas cogat quandoque palliis brevioribus uti, sub ipsis toga talaris ita defluere debet, ut palam appareat. Renovantes Statuta antehac publicata tam circa vestis talaris delationem, quam coloris peregrini in cæteris vestimentis & ornatu prohibitionem. *Anno* 1696.

XI.

Vestium color eorum, qui in Sacris sunt constituti.

Etsi hactenus tum Sacerdotibus, tum aliis sacris Ordinibus initiatis injunxerimus sub censuris & pœnis Nobis a Concilio Tridentino propositis, ut vestes suo Ordini congruentes, coloris videlicet nigri, & in locis suæ residentiæ talares, in itinere vero positi, breviores quidem, sed tamen ad genua defluentes, deferant: nonnulli tamen sæculi ignominiam adhuc sectantes, novas, ac prorsus militares vestium formas in Clero introducere incipiant; Prohibemus omnibus & singulis, qui ad habitum Ecclesiasticum deferendum tenentur, panno alterius coloris, quam nigri, non vero violacei (præterquam iis, quibus ex privilegio competit) sive in toga, sive in pallio, aliisque indumentis exterioribus tam ruri, quam in urbibus vestiri. Neve loco collarium linteolis complicatis e collo dependentibus, Laicorum more utantur; nec denique zonas alterius coloris, quam nigri, aut depressas in modum fasciæ militaris, sed ad pectus elevatas gestent; alioqui graviter in eos animadvertetur. *Ex Statutis nostris* 1679.

XII.

Idem præcipitur cum ampliatione.

Cum præcipua solicitudinis nostræ cura sit, ut quæ a sacris Canonibus, & hujus Synodi Decretis salubriter sunt ordinata, inviolabiliter observentur;

ventur; maxime quæ ad ſtatus Eccleſiaſtici decentiam compoſitionem ſpectant. Idcirco attendentes Statutum antehac promulgatum, quo interdicitur Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, veſtes alterius coloris, quam nigri deferre, a pluribus parvi pendi & contemptui haberi; illud neceſſario renovandum duximus, prohibentes omnibus & ſingulis, qui ad veſtes talares deferendas tenentur, cum indumentis cujusvis alterius coloris, quam nigri, præſertim cum palliis violaceis aut ceruleis, & faſciis a collo pendentibus (vulgari idiomate *Cravates* nuncupatis) deinceps incedere, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordine Nobis reſervatæ ipſo facto incurrenda; ſi perſonaliter admoniti, poſt novem dies, quorum tres primos pro prima, tres alios pro ſecunda, & tres ultimos pro tertia monitione aſſignamus, ab iis non abſtinuerint. *Anno* 1695.

XIII.

Non ſint Caupones.

Nulli Clerico liceat tabernam, aut ergaſterium (id eſt officinam publicam) habere. Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis miniſtrare in ea? Officina autem Sacerdotis, ſi qua eſſe videtur, Eccleſia ſola eſt. Ne igitur tabernas ingrediantur, cibi aut potûs cauſa, niſi coacti neceſſitate. *Ex Statut.* 1573.

XIV.

Qualiter vinum vendibile habere liceat.

Quamvis per Decreta noſtra ſuperioribus annis edita, Sacerdotum honori non minus, quam ſobrietati ſufficienter providerimus, eos a tabernarum frequentatione revocando, quæ innumerorum exceſſuum erat origo; nihilominus ut omnem dedecoris umbram, & ſcandali occaſionem a Clero noſtro removeamus, præſenti Statuto cavemus, ne ulli Sacerdotes, dum vinum ad menſuram vendunt, illud in ſuis ædibus potandum ementibus præbeant, & ita cauponam, quam adire in aliena domo vetantur, in propria magis ignominioſe exerceant. Verum, etſi ipſis permiſſum ſit, vinum ad eorum uſum comparatum appenſa hædera divendere, non ideo tamen ſibi licere arbitrentur, illud ex profeſſo & induſtria emere, ut inde negotiando turpem quæſtum acquirant, cum a ſacris Canonibus hujusmodi commercia maxime interdicantur. *Ex Stat.* 1677.

XV.

Non exerceant mercaturam.

Non teneant tabernas, non ſint mercatores, nec commercia negotiationis exerceant. *Ex Stat.* 1481.

XVI.

Non ſint negotiorum geſtores Dominorum ſæcularium.

Clerici non exerceant aut gerant officia Dominorum temporalium, propter quæ teneantur ad rationem reddendam ipſis Dominis temporalibus: alioqui non juvabuntur privilegio & beneficio juris adverſus dictos Dominos, ſi arreſtentur aut detineantur ab eis in perſona: aut ſi eorum bona occupari contingat pro ratione reddenda, & ſolutione debiti facienda. *Ex Statutis* 1573.

XVII.

A commerciis & conductionibus abſtineant.

Quia ſecundum doctrinam Apoſtoli, nemo militans Deo ſæcularibus ſe negotiis implicare debet, & valde indecorum eſt ſpirituales viros mundanis actionibus involvi; ideo omnibus & ſingulis Biſuntinæ Diœceſis Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis ordinamus, ac præcipimus, ut rerum temporalium adminiſtrationes nullo modo recipiant, cauponas ſeu tabernas nullatenus exerceant, a conductionibus, & negotiationibus lucri cauſa abſtineant; denique ſæcularibus negotiis, juxta Canonicas ſanctiones, non ſe immiſceant, ſed miniſterium, ad quod vocati ſunt, Deo & Eccleſiæ fideliter ac decenter inſerviendo adimpleant. *Ex Statutis anni* 1656.

XVIII.

Arma non ferant.

Non ferant arma: quorum arma ſunt orationes & lacrymæ: & quos vitæ

vitæ ſanctimonia tutos & venerabiles reddere debet. *Ex Stat.* 1480. & 1573. *Renov.* 1648.

XIX.

Idem prohibetur ſub pœna inobedientiæ.

Cum juxta Apoſtolum, arma militiæ noſtræ ſpiritualia ſint, non carnalia, maxime convenit Clericis ab armorum delatione & ſtrepitu abſtinere, quæ nonniſi ad vindictam & ſanguinis effuſionem, a qua Eccleſia abhorret, ſolent aſſumi. Et quamvis per ſacros Canones & Concilia, ac etiam per Diœceſis noſtræ Statuta jampridem ſit omnibus Clericis interdictum, ne arma gerant; quia tamen Nobis innotuit plures, etiam Sacerdotes, contemptis Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus, armis inſtructos incedere, & iis, tum ad venationem, tum ad alias exercitationes uti: Prohibemus univerſis in ſacris Ordinibus conſtitutis ſub mulcta triginta librarum ſtephanienſium piis locis applicanda, deinceps catapultas & alia hujus generis arma, quibus ignis exploditur, ſecum deferre. Qui vero ſemel correpti recidivi fuerint, ſuſpenſionis pœna puniendos fore declaramus. *Anno* 1694.

XX.

Prohibetur ſub variis pœnis Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis arma deferre, & venationi vacare.

Cum nihil ita Eccleſiaſticam diſciplinam enervet, quam legum ab Eccleſia conditarum contemptus & inobſervantia, ac proinde maxima Nobis cura incumbat, ut quæ a ſacris Canonibus ac Statutis Synodalibus ſunt decreta, ſedulo obſerventur: idcirco advertentes Statutum antehac editum, quo prohibetur Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, catapultas deferre, nec non venationi cum armis ignitis vacare, a plerisque infringi: nec ullo pœnarum in eo inſertarum metu, quas leves arbitrantur, poſſe coerceri, graviores, quamvis inviti, cogimur adhibere. Renovantes igitur præfatum Statutum, interdicimus omnibus Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, catapultas quovis prætextu deferre, multo magis cum hujusmodi armis venationi inſiſtere, idque ſub pœna peccati mortalis, cujus abſolutionem Nobis ſpecialiter reſervamus, a Parochis, Vicariis, aliisque curam animarum habentibus, incurrendi; & ſub pœna ſuſpenſionis ferendæ ſententiæ erga omnes in ſacris Ordinibus conſtitutos ſimiliter delinquentes. *Anno* 1704.

XXI.

Annulos non geſtent.

Non ferant annulos in digitis, niſi quibus competit ex officio dignitatis. *Anno* 1573.

XXII.

Caſte vivant, & conſortia ſuſpectarum mulierum fugiant.

Clerici caſte, continenter & pudice vivant: nam caſtitas ſola eſt, quæ cum fiducia Deo poſſit hominum animas præſentare. Non habeant in domibus ſuis fœminas, quarum vita & converſatio ſuſpecta ſit de incontinentia, ut in conſpectu Omnipotentis Dei puro & caſto corpore ac mundo corde miniſtrare valeant. *Ex Stat.* 1480.

XXIII.

Non habeant ſecum fœminas, maxime ſuſpectas.

Caveant igitur ſibi Miniſtri Altaris a contubernio & conſuetudine fœminarum, maxime ſuſpectarum. Nec domi habeant ſubintroductam, aut ſuſpectam, ſub pœnis in Concilio Tridentino contentis. *Ex Stat.* 1573. *Renov.* 1588. & 1590.

XXIV.

Pœnæ contra Concubinarios.

Ut Statutum quintum poſtremæ autumnalis Synodi, aliaque in Clericos, concubinas & mulieres impudicas cujuscumque ætatis notorie tales, domi vel foris retinentes hactenus promulgata, facilius executioni demandentur, privationis Beneficiorum, penſionum & Officiorum Eccleſiaſticorum, ſi quæ obtinent, pœnam, qualibet appellatione vel exemptione non obſtante, ita eos ipſo facto incurriſſe decrevimus, ut ad ea poſt hæc retinenda aut alia obtinenda, omnino ſint inhabiles, Titulum, cujus virtute ea olim

olim obtinuerunt, irritantes, annullantes, & ad non Titulum usque adeo reducentes, ut Beneficiorum suorum vacantium provisione ab iis, penes quos ejus rei jus est, absque alia declaratione facta, nullum sit privatis remedium. Clerici vero Beneficia, pensiones & Officia Ecclesiastica non habentes, suspensi ab Ordine & ad Beneficia obtinenda ipso jure inhabiles existant. *Ex Stat.* 1593.

XXV.

Nothos secum non retineant.

Utque omnis prorsus scandali, malique tollatur occasio, omnibus & singulis nostræ Diœcesis Clericis, Beneficiatis, aut in Sacris constitutis, sub iisdem pœnis prohibemus, ne notorios ex ejusmodi nefario concubinatu liberos domi secum retinere, aut eis cohabitare, vel sibi in Ecclesia, aut Altari ministrare quovis modo patiantur; ne alias juxta Prophetæ sententiam, mulieris meretricis nolentis erubescere frontem habere videantur, qui continuo pudore, acerbaque pœnitentia tantum facinus deberent detestari. *Ex Stat.* 1593.

XXVI.

Spectaculis non intersint, nec ea exhibeant.

Turpibus & obscœnis spectaculis, aut confabulationibus ne intersint; quia corrumpunt bonos mores colloquia prava. Minus ergo licebit spectacula ipsa exhibere, & histrionum habitu prodire in theatrum, fabulasque recitare scenicas. *Ex Stat.* 1480. & 1573.

XXVII.

A comicorum scenis abstineant.

Cum mimorum & comicorum scenæ, ac theatra; sanctorum Patrum Sententiis, Conciliorum Decretis, ac Prædecessorum nostrorum Statutis jam pridem sint damnata, & nonnisi cum maximo animæ periculo, possint a Christianis frequentari; tam perniciosum scandalum a Clero nostro avertere cupientes, denuo universis Ecclesiæ ministerio adscriptis, qui ad vestem talarem gerendam, seu ratione susceptorum Ordinum, seu ratione adepti Beneficii (juxta Decretum a Nobis antehac promulgatum, obligantur: Prohibemus hujusmodi comicis spectaculis interesse, sub gravissimæ animadversionis pœna. *Ex Statutis* 1676.

XXVIII.

Idem interdicitur, & mulierum salutationes cum osculo.

Damnamus & frequentiam in spectaculis, aliaque omnia, quæ in Statutis eminent. Cardinalis a BAUMA jam memoratis, fusius Titulo: *De vita & honestate Clericorum*, prohibentur; addito hoc solum, ne inter humanitatis officia, quæ maxime præstari a Clericis debent, iidem salutationis causa mulieres osculentur, simili officio, labris Christi Sanguine toties tinctis ac rubentibus, minime conveniente: Hortantes, ut nominis sui frequenter recordentur, quo non oblectationi, non otio, non alienis a pietate negotiis; sed unius Dei servitio operam dare, & incumbere, utpote in ejus sortem & hæreditatem vocati, obligantur. *Ex Stat.* 1648.

XXIX.

Certaminibus periculosis, nec executionibus criminalibus intersint.

Ne duellis aut certaminibus periculosis intersint, unde irregularitas incurri potest. Nec executioni sententiæ sanguinis damnatorum hominum assistant: multo minus eam scribant, aut dictent: quia fierent irregulares. *Ex Statutis* 1537.

XXX.

Non se immisceant exercitationibus publicis.

Quia valde indecorum est, & Canonicis sanctionibus contrarium, viros Ecclesiasticos, quorum arma preces & lacrymæ esse debent, cum Laicis in sæcularibus exercitiis, & actibus publicis conversari: Idcirco omnibus Presbyteris, aliisque in sacris Ordinibus constitutis ordinamus, ac serio præcipimus, a cœtibus ludorum publicorum, in quibus arma, ac præsertim catapultæ deferuntur, abstinere, nec hisce se immiscere, & ullo modo aggregare, in

in contravenientes animadverſuri. *Ex Stat.* 1658.

XXXI.

Abſtineant a ludis publicis vel probibitis.

Nec aleæ vacent, aut ludis vel prohibitis, vel publicis, quibus ſimplex populus ſcandalizatur. *Ex Stat.* 1573.

XXXII.

Neque ludis publicis intereſſe debent ſub pœna ſuſpenſionis.

Quod a pluribus Conciliis jam pridem ſancitum eſt, ne Clerici, qui Doctrinæ attendere & ſacrarum Literarum ſtudio jugiter incumbere debent, luſibus & prophanis exercitationibus tempus inſumant; aut loca, ubi hujusmodi ludi habentur, frequentent, in priſtinum vigorem reſtituere cupientes; interdicimus univerſis in ſacris Ordinibus conſtitutis, cæteriſque, qui habitum Clericalem deferre tenentur, ne ludis publicis interſint, præſertim alearum & cartarum, ſive habeantur in publicis, ſive in privatis domibus, ubi tenentur academiæ, ad quas omnes promiſcue admittuntur, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordine ipſo facto incurrenda. *Anno* 1693.

XXXIII.

In nundinis comparere non debent, nec animalium negotiationes exercere.

Cum nihil magis Eccleſiæ Miniſtros contemptibiles reddat, quam ſæcularia negotia turpis lucri cauſa gerere, & commercium animalium, uti viles mercatores exercere; ſerio prohibemus omnibus in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſub pœna viginti librarum piis locis a Nobis applicandarum, negotiationes, maxime animalium, inſtituere, aut in locis publicis nundinarum quovis prætextu apparere; memores Chriſtum Dominum, tales quaſi prophanos a domo Dei, facto de funiculis flagello, ejeciſſe. *Anno* 1693.

XXXIV.

Idem probibetur ſub pœna ſuſpenſionis incurrendæ.

Ne juxta Prophetæ Oraculum ſint ultra mercatores in domo Dei, utque omnis turpis lucri ſuſpicio, quæ occaſionem præbet laicis vituperandi miniſterium noſtrum, a Clero tollatur: denuo inhibemus omnibus Sacerdotibus, aliiſque ſacris Ordinibus inſignitis, ne commercia & negotiationes animalium, equorum, boum & cæterorum hujuſmodi exerceant, neque in nundinarum foro, aut in domibus & ſtabulis, ubi mercatores intra easdem nundinas animalia vendunt, appareant, ſub pœna triginta librarum fabricæ Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ applicandarum, & ſuſpenſionis ferendæ ſententiæ. Si vero loca, ubi nundinæ habentur, pro emendis mercibus proprio uſui neceſſariis, adire teneantur, a laicorum conſortio, quantum fieri poterit, abſtineant. *Anno* 1704.

XXXV.

Renovantur Statuta probibentia Clericis arma deferre, venationi vacare, nundinis intereſſe; Laicis vero interdicitur choreas ducere, & imagines ædibus affigere in Feſtis Patronorum cum tibicinis.

Ad Archi-Epiſcopalis Dignitatis Sedem Divina diſpoſitione evecti, primum omnium in animo habuimus Statuta Prædeceſſorum noſtrorum authoritate noſtra roborare. Et quia nonnulla negligentius obſervari comperimus, ea expreſſius in hac Synodo quoad ſubſtantiam duximus renovanda; præſertim quæ prohibent in ſacris Ordinibus conſtitutis, catapultas deferre, venationi vacare, in nundinis comparere; Laicis vero diebus feſtivis, maxime Patronorum, choreas ducere, imagines Sanctorum circumferre, & januis domorum cum ſtrepitu & inſtrumentis chorealibus affigere, omnino interdicimus. *Anno* 1700.

Vide Statutum trigeſimum ſextum, pag. 441.

TITULUS III.

De Decanis Ruralibus ſive Archi-Presbyteris.

STATUTUM I.

Decani reſideant in ſuis Decanatibus.

QUoniam exigit ſancta Tridentina Synodus, ut iis tantum miniſteria

ria Eccleſiaſtica committantur, qui reſidere in locis, & curam per ſeipſos exercere valeant; Nolumus quemquam Decanorum noſtrorum ruralium, niſi graviſſima ex cauſa Nobismet cognita & probata in ſcriptis extra Decanatum ſuum reſidere: mandamusque intra menſem a præſenti Synodo Statuto huic noſtro fieri ſatis, & morem geri. *Ex Stat.* 1648.

II.

Parochorum nomina, ac Parochiarum vacantium indicem referant.

Singulis quoque annis ad Synodum conferant indicem omnium Parochiarum ſuorum Decanatuum adſcriptis eorum nominibus, qui earumdem vel inſtitutionem, vel adminiſtrationem temporariam obtinuerint, cum expreſſa Eccleſiarum deſignatione; quæ cum proprio Paſtore careant, & hiſce bellis eodem ſpoliatæ ſint, neminem omnino habent, qui Sacramenta ipſis adminiſtret; idque eo conſilio, ut viciniori Parocho loci illius cura injungatur, cum perceptione fructuum, vel ad certum tempus, vel donec aucto Cleri numero aliter provideatur. *Ex Stat.* 1648.

III.

Sacras Unctiones ipſimet diſtribuant, & Mandata Archi-Epiſcopi diligenter transmittant.

Iisdem præterea injungimus, ut illico, Feſtis Paſchalibus abſolutis, ſacras Unctiones quotannis ipſi diſtribuant, & pari cum diligentia quidquid noſtro nomine, ſeu moribus reſtituendis, ſeu precibus pro ſalute Principum, aut alia qualibet cauſa, indicendis, per Diœceſim vulgabitur, exequantur ipſi, vel ab aliis ſine mora executioni mandari procurent ſub pœna contra remiſſos & negligentes arbitranda. *Ex Stat.* 1648.

IV.

Easdem ad ſingulas Parochias deferant.

Ut facilius totius Diœceſis noſtræ, præſertim Eccleſiarum ſtatus notitia ad Nos perveniat: ſtatuimus Decanos Rurales impoſterum, dum ſacras Unctiones ſuo tempore diſtribuent, debere ſingulas Parochias ſingulatim & perſonaliter luſtrare, neque amplius convocandos volumus Parochos ad ſtationes ſingulares, quæ in alienos ab inſtituto abuſus degenerarent; Mandantes iisdem Decanis Ruralibus, quatenus antea moneant Parochos circa tempus ſuæ viſitationis, ut eo tempore in ſuis Parochiis præſentes adſint, alias ſi abfuerint dicti Parochi, propriis ſumptibus ad Unctionum ſuſceptionem recurrent. *Ex Stat.* 1665.

V.

Quæ præſtare debent Decani in viſitatione Eccleſiarum ſingulis annis facienda.

Ut Statutum annis ſuperioribus editum, circa Parochiarum viſitationem a Decanis Ruralibus quotannis perficiendam, ſuum conſequatur effectum, iisdem mandamus, ut quamprimum ad aliquam Eccleſiam acceſſerint, Scabinos & præcipuos Parochianos ad ſonum campanæ convocent, ipſisque præſentibus Sacra univerſa reverenter & accurate perluſtrent, incipiendo ab Auguſtiſſimi Sacramenti Tabernaculo, cæterisque vaſis ad cultum Divinum deputatis. Attendant deinde, utrum lampas coram eodem Ss. Sacramento jugiter ardeat, & ornamenta, præcipue linteamina, ad uſum Sacrificii Miſſæ deſtinata, munda ſint ac integra. Denique ipſos Scabinos aut iis abſentibus, Seniores loci ſigillatim conveniant, a quibus de regimine & moribus Parochi diligenter inquirant, ut de his omnibus ſcripto Nos certiores reddant. *Anno* 1681.

VI.

Ante Synodum ſignificent Vicario Generali, quæ corrigenda & ſtatuenda videbuntur.

Ut autem commodius & melius ſuper quibuslibet ſtatuendis deliberari poſſit, tenebuntur ſinguli Decani, quindecim ante proxime ſequentem Synodum diebus, mittere ad Reverendum Vicarium Generalem memorialia omnium eorum, quæ in ipſorum Decanatibus corrigenda, reformanda, componendaque ac ordinanda videbuntur. *Ex Stat.* 1631.

VII.

Poſt Synodum convocent ſuos Parochos, ut cum eis conferant.

Decani Rurales poſt noſtram Synodum, cum Curatis ſuorum Decanatuum compareant annuatim in locis & diebus conſuetis ab antiquo, ad celebranda ſua Concilia ſeu Conventus, ibique Orationem per ſe, vel per alium habeant de moribus & honeſtate Clericorum, & Statuta noſtra Synodalia recitent & exponant, invocato prius per Miſſam & Proceſſiones devotas Spiritu Sancto: deinde conferant cum Curatis ipſis de rebus Eccleſiaſticis, prout ſuo incumbit officio, honeſte, pacifice, & modeſte, ſine murmure, ſine contentione: & quæ invicem conferentes expedire duxerint, ad tranquillitatem, libertatem, authoritatemque Eccleſiæ, illa in proxima Synodo referant Nobis vel verbo, vel ſcripto. *Ex Stat.* 1573. *Renov.* 1618.

VIII.

Eligant in Civitate domicilium, ut citius illis Mandata Archi-Epiſcopi dirigantur.

Utque promptius ac tutius Reverendiſſimi Mandata poſthac ad Decanos perveniant, injuncta eſt ipſis & eorum ſingulis domicilii in hac Civitate electio, relicto ibi Procuratore, qui ea ſtatim ad eos ferri curet; ipſi vero Decani ad quoslibet Parochos, & alios, quorum intererit, ſub pœna a Nobis arbitranda, eadem abſque mora transmittant. *Ex Stat.* 1605. *Renov.* 1640.

IX.

Cæteris exemplo præluceant.

Demum, ut condita a Nobis hactenus Statuta, quæ ad eosdem Decanos ſpectant, omnes & ſinguli ad amuſſim obſervent, proprio exemplo in caſtitate, & ſobrietate, & morum compoſitione cæteris Decanatuum ſuorum Clericis præluceant; nulliſque vigiliis aut laboribus parcant, certioribus Nobis faciendis de omnibus, quæ remedio celeri videbuntur indigere. *Ex Statutis* 1648.

TITULUS IV.

De Parochis, & eorum Parochianis.

STATUTUM I.

Ad Parochiales promovendi examinari debent juxta formam Concilii Tridentini.

NE aliis, quam maxime idoneis, cura animarum committatur, ſervabitur ad unguem forma examinis, quam tradiderunt Patres in Concilio Trident. *Seſſ. XXIV. Cap.* 18. nec omnes oportet idoneos exiſtimare ad Eccleſiam Parochialem adminiſtrandam, quos ad Presbyteratus ordinem promovemus. Plura enim ab illo exigentur in die judicii, cui cura populi commiſſa eſt, quam ab eo, qui ad ſacrificandum & orandum pro defuncto Fundatore Sacelli alicujus ordinatus ſit. Statuimus ergo & ordinamus, ut nemo electus confirmetur, nemoque præſentatus ad dignitatem, vel curam animarum inſtituatur, vel ſimpliciter, vel cauſa permutationis, priusquam ſit examinatus, & comprobatus idoneus: poſſitque & velit muneri, ad quod vocatur, pro virili ſatisfacere. Qui ſi præſens inſtituatur, fidei profeſſionem faciat ſtatim in manibus noſtris, vel ejus, qui ad hoc fuerit deputatus, intra duos menſes. *Ex Stat.* 1573.

II.

Ad reſidentiam tenentur omnes curam animarum habentes.

Curati, qui Eccleſiarum Rectores eſſe voluerunt & facti ſunt, ad perſonalem reſidentiam tenentur, ſub pœna privationis fructuum & Beneficiorum. *Ex Stat.* 1573.

III.

Pœnæ contra non reſidentes innovantur.

Quæcumque hactenus ex variis Concilii Tridentini Decretis, nec non PII IV. atque PII V. Sanctiſſimique Domini noſtri SIXTI Papæ V. Conſtitutionibus, & Statutis Synodalibus jam olim hic publicatis, ſancita ſunt de perſonali reſidentia in Eccleſiis, præſertim Parochialibus & aliis curam animarum habentibus, cum privilegiorum

rum ſeu indultorum perpetuorum de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis expreſſa revocatione, nec non antiquorum Canonum, qui temporum atque hominum injuria in deſuetudinem abierant, adverſus non reſidentes promulgatorum innovatione, & declaratione mortalis peccati reatus, quem incurrunt, injunctione pro rata temporis abſentiæ reſtitutionis fructuum, quos tuta conſcientia detinere nequeunt, licet alia declaratio ſecuta non fuerit, exactiſſime obſerventur, cum pœna privationis dictorum Beneficiorum, ipſo jure ſæpius repetita. Ne alias adverſus non reſidentes, nec legitime diſpenſatos, authoritate noſtra ordinaria, aut delegata, & pro rurſus Nobis commiſſa, dum in alma Urbe & Aula Romana eſſemus, ejus rei cura ſerio procedamus, & jam inflictas pœnas executioni demandemus. *Ex Statutis* 1588. *Renovat.* 1663.

IV.

Parochus in loco manus mortuæ reſidens non contrahit maculam.

Quamvis nulla ſit major libertas, quam in iis actionibus, ad quas Spiritu Dei ducimur, iiſque propterea abſurdum ſit quamdam ſervitutis notam pertimeſcere, qui animarum curam in aliqua Parochia tanquam legitimi Paſtores ſuſcipiunt: Ne quis ad Eccleſias locorum manus mortuæ, ut vocant, eapropter aſpirare deſinat; omnibus & ſingulis præſenti hoc noſtro Decreto innoteſcat, nullam ex mora aut contracto domicilio, vel morte in iisdem locis ſuperveniente Sacerdote, alioquin originis liberæ, qui ad ea ratione Parochialis Eccleſiæ, vel alicujus Capellaniæ diverteret, notam inuri jampridem Decreto Sereniſſimi Principis juri conſentaneo, declaratum eſſe. *Ex Stat.* 1599.

V.

Parochi ſuas Parochias non deſerant ſine licentia; & ſi aliam aſſequantur, denuo examinentur.

Dolentes multarum Parochiarum noſtræ Diœceſis infelicitatem, quæ ſublatis e vita turmatim & intempeſtive propriis Paſtoribus ingemiſcunt quotidie: prohibemus eos, qui ſuperſunt, Parochos extra Diœceſim ſe conferre, ſive cujuslibet miniſterio, etiam ſecundum Canones licito ſeſe mancipare, niſi prius monito Vicario noſtro Generali, aut ſaltem Rurali Decano, & accepta ad litteras reſponſione. Et ſi forte Parochus quiſpiam alteram Parochiam in Diœceſi noſtra adeptus, ſeſe ad eam conferre velit: volumus, ut alterum examen ſubeat, perinde ac ſi nunquam Parochialem curam conſecutus fuiſſet, non obſtantibus quibuscumque Statutis & conſuetudinibus, ſeu privilegiis, etiam iis familiaritatibus conceſſis, ex quibus Parochi per electionem ad curam Paſtoralem temporariam aſſumi ſolent. *Ex Statutis* 1648.

VI.

Parochi domos ſuas Parochiales inhabitent.

Cum non ſolum moribus, ſed etiam habitatione Paſtores animarum a plebe ſeparatos eſſe conveniat, & propterea domus peculiares in ſingulis Parochiis ipſis ſint conſtitutæ, quæ ob Eccleſiæ & muneris dignitatem majorem cæteris merentur reverentiam; Quia tamen nonnulli Parochi hujusmodi honorem temporali commoditati poſtponentes, Presbyterales domos, non ſine gravi earum diſpendio, deſerunt, ut laicales inhabitent: ordinamus univerſis Eccleſiarum Rectoribus, ut ſuam reſidentiam in ædibus Parochialibus deinceps faciant, quovis prætextu remoto. Et ne ex illarum ruina aut detrimento huic noſtro Decreto parere differant; præcipimus Parochianis, ut prædictas domos ſine mora in debitum ſtatum reſtituant, alioqui via coactionis contra eos procedetur. *Anno* 1683.

VII.

Non debent Familias Laicorum in ſuis ædibus retinere.

Sacerdotalis Ordo exigit, ut qui ad illius miniſterium ſunt evecti, domum habeant ab omni ſæcularis familiæ ſtrepitu immunem, nec quidquam in ea appareat, quod Laicorum oculos offendat. Propterea inhibemus Paro-

Parochis, cæterisque curæ animarum addictis, ne deinceps propinquos, seu quoscumque alios, familiam & liberos habentes, in suis ædibus sub quovis prætextu retineant. *Anno* 1692.

VIII.

Mortuo Parocho, vicinior Parochus curam illius Parochiæ habeat, donec de Administratore ei provideatur.

Ne Parochiæ pastorali officio privatæ remaneant, mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, ut statim a morte alicujus Parochi, vicinior Parochus curam dictæ Parochiæ suscipiat, donec a Vicario nostro Generali super ipsius administratione provisum fuerit; quem statim dictus vicinior, de die & hora obitus defuncti vicini monere tenebitur. *Ex Statutis* 1658.

IX.

Vacante Ecclesia Parochiali, vicinior Parochus, qui ejus curam suscepit, transactis quindecim diebus debet recurrere ad Ordinarium, pro ulteriori illius administratione.

Cum per præcedentia Statuta cautum sit, ut adveniente vacatione alicujus Ecclesiæ Parochialis, vicinior Parochus illius curam suscipiat, usque dum de Administratore eidem provideatur; quia tamen non raro accidit, ut iidem Parochi moram trahentes tardius de hujusmodi vacatione Nos informent, & ita Parochiæ diutius, quam par esset, proprio Rectore destitutæ remaneant: propterea declaramus Parochorum viciniorum administrationem in Parochiis vacantibus, post quindecim dies elapsos omnino cessare, nisi eam a Vicario nostro Generali denuo acceperint. *Anno* 1684.

X.

Curatus Vicarium non assumat nisi approbatum.

Curati non assumant Sacerdotem in Vicarium suæ Ecclesiæ, vel ad administrandum aliqua Sacramenta, nisi antea per Nos, vel de mandato nostro, vel Vicarii nostri Generalis, talis Sacerdos fuerit examinatus, & pro idoneo ad hoc specialiter approbatus: quamvis fuerit hujus Diœcesis, & a Nobis ad sacros Ordines promotus. Quoniam plura exiguntur ab eo, qui curam animarum suscepturus est, quam a simplice Presbytero. *Ex Statutis* 1573.

XI.

Vicarius debet specialiter esse ad certam Ecclesiam deputatus.

Nullus imposterum sub Vicarii, aut alio quovis titulo Sacramentorum administrationi vacare possit, nisi qui prius per Nos, vel Vicarium nostrum Generalem, vel alterutrius mandato examinatus, & ad hoc idoneus repertus fuerit: Rectoribus Ecclesiarum Parochialium quibuscumque inhibentes, ne aliorum, quam ad Ecclesias suas specialiter approbatorum Sacerdotum ea in re vicaria utantur opera, uti jam quondam statutum fuisse comperimus. *Ex Statutis* 1588.

XII.

Regulares ad officium Vicarii admitti non debent.

Decani Rurales, qui in suis Decanatibus Regulares Sacramentorum administrationi, tanquam Parochorum Vicarios, contra Juris præscriptum, vacare permiserint absque nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia, quam perraro & nonnisi ad tempus, aut summa existente aliorum Sacerdotum sæcularium penuria, concedere solemus: litem suam facient; nisi eos absque mora ad Fisci nostri Procuratorem detulerint, exceptis quibusdam Parochialibus Ecclesiis (quas vocant Monachales) quibus ab antiquo per Regulares deserviri solet. *Ex Statutis* 1600.

XIII.

Ad concursum Ecclesiarum Parochialium, aut ad Beneficia curam animarum habentia non admittentur, nisi qui prius Officium Vicarii exercuerint.

Attendentes, quam periculosum sit regimini animarum præficere eos, qui quamvis scientia præditi, nullum tamen adhuc functionum Parochialium habent experimentum: Declaramus neminem deinceps ad concursus Beneficiorum

ficiorum curam animarum habentium, admittendum fore, qui ſaltem per annum Vicarii munus non obierit cum laude & Parochi approbatione; ita ut inter dignos illi a Nobis præferantur, qui plus laboraverint, & diutius ac majori zelo Eccleſiæ inſervierint. Qui vero a Patronis tum Eccleſiaſticis, tum Laicis ad Beneficia curam animarum habentia, nominati ſeu præſentati fuerint, quamvis in examine capaces reperti & per Nos admiſſi fuerint; non tamen illis prius adminiſtratio hujusmodi Beneficiorum concedetur, quam per octo menſes apud aliquem Parochum functiones curiales laudabiliter exercuerint, niſi antea per dictum tempus jam Vicarii munere functi fuerint. Porro univerſi, qui ad Sacerdotium promoti ſunt, ſciant ſe non ad quietem & otium, ſed ad laborandum in vinea Domini a ſummo Patrefamilias vocatos eſſe: Ideoque hortamur omnes, qui Eccleſiarum familiaritatibus ſunt adſcripti, ut non ſolum modeſtiam & pietatem in choro exhibeant, ac cæremonias & ritus in hac Diœceſi jampridem traditos, accurate ſervent, ſed etiam ſe idoneos reddant ad munia Parochialia in ſubſidium Parochorum obeunda, ne illis dicatur: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* præcipue vero juniores Sacerdotes, qui ad hujusmodi familiaritates recipi cupiunt, ſatagere debent, ut vel in Sacramentorum adminiſtratione, vel in populorum inſtructione, Eccleſiæ utilitati ac animarum ſaluti inſervire pro viribus conentur. *Anno* 1705.

XIV.

Curati Tabernaculum & alia vaſa ſacra ſub clavi penes ſe habeant.

Ordinamus ac præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Biſuntinæ Diœceſis Rectoribus ſeu Vicariis, ut Tabernacula, in quibus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, Fontes itidem baptiſmales clavibus obſerari, ſimiliter calices, patenas, vaſaque ſacra, ad ſacrum Miſſæ Sacrificium peragendum inſervientia, in locis obſeratis recondi faciant & procurent, dictasque claves penes ſe retineant, fideliter cuſtodiant, ac nemini Laicorum eas credere, & commendare præſumant; idque ſub pœnis in contravenientes per Nos arbitrandis; & ut ſcandala, ac pericula maxima, quæ his calamitoſis temporibus evenire poſſent, evitentur. *Ex Statutis* 1659.

XV.

Nullus exorciſet a Dæmone poſſeſſos ſine licentia.

Cùm Nobis innotuerit crebras Diœceſim iſtam pati Dœmonum infeſtationes; omnes & ſingulos hortamur in Domino, ut operi manum adhibeant, & ad placandum Divinum Numen bonis operibus ſtudeant: prohibentes, ne quis Parochus, aliusve poſſeſſos, aut obſeſſos ex aliena Diœceſi, in ſua Parochia commorari patiatur, imo nec e ſua plures hujusmodi in eumdem locum convenire ſinat. Cumque non vulgaris ſcientiá, pietas & prudentia in Exorciſtis requiratur; idcirco prohibemus, ne quis ſine peculiari mandato & licentia Vicarii noſtri Generalis, & ab eo ad id ſpecialiter examinatus, audeat munus Exorciſtæ exercere. *Ex Statutis* 1658.

XVI.

Parochi compareant coram Procuratore Generali, ad viſitationem Librorum Parochialium.

Singulis annis conveniant omnes Parochi ad locum, diemque determinatum a Procuratore noſtro Generali oſtenſuri libros, in quibus nomina Baptizatorum, conjugatorum & excommunicatorum (ſi qui ſunt) ſub pœna decem librarum Stephanienſium Receptori exceſſuum Curiæ noſtræ ſolvendarum. *Ex Statutis* 1650.

XVII.

Congruis horis Miſſam Parochialem celebrent, & cum intervallo pulſent.

Curati tenentur in ſingulis diebus Dominicis, majoribus Feſtivitatibus, & aliis Feſtivis diebus, ſecundum uſum noſtræ Diœceſis, nec non diebus Anniverſariorum fundatorum, congruis horis Miſſam in ſua Eccleſia celebrare, & pro illa pulſare (ſi ab antiquo onus habeant

habeant pulſandi aut per Matricularios pulſari faciendi) per competens intervallum: ut Parochiani poſſint ſe commode diſponere & præparare ad veniendum ad Eccleſiam. Idem intelligimus de Vigiliis, ſeu Veſperis pro Defunctis fundatis; quibus diſtricte præcipimus, ut ita faciant: niſi locus, aut eorum Eccleſia interdicto Eccleſiaſtico ſubjaceat. *Ex Statutis* 1573.

XVIII.

Determinatur hora Miſſæ Parochialis.

Et quia plerique Parochorum, & etiam Parochianorum, prout retulerunt Nobis dicti Decani Rurales, ſummopere deſiderant & expoſtulant, ut ſtatuatur certa hora pro celebratione Miſſarum Parochialium diebus Dominicis & Feſtivis, ſtatuendum duximus, prout hic ſtatuimus & declaramus, Miſſam Parochialem dictis diebus Dominicis & Feſtivis a feſto Paſchatis uſque ad feſtum Omnium Sanctorum, celebrari debere inter ſeptimam & octavam matutinam, præviis tribus ſonitibus interpolatis campanarum; ita ut primus incipiat a ſeptima, & reliqui continuentur per quadrantem interpolatum. A feſto autem Omnium Sanctorum uſque ad Paſcha celebrandam eſſe inter octavam & nonam: ita ut primus ſonitus incipiat ab octava, & reliqui duo, prout ſupra, continuentur ſinguli per horæ quadrantem. Qui autem tenebuntur ad celebrationem duarum Miſſarum in membris a ſua Parochiali dependentibus, poterunt pro commoditate Parochianorum, a Paſchate uſque ad feſtum Omnium Sanctorum celebrare primam Miſſam in dictis membris circa horam ſextam matutinam; & a feſto Omnium Sanctorum uſque ad Paſcha circa horam ſeptimam: niſi aliter exigat Parochorum & Parochianorum commoditas aut neceſſitas, quod Parochorum æquo arbitrio relinquimus. *Ex Statutis* 1645.

XIX.

De aſſiſtentia in Miſſis Parochialibus.

Quia in viſitatione cujuſcumque Decanatus, quam ex noſtro mandato fecerunt Decani Rurales, retulerunt omnes pene Curatos conqueſtos fuiſſe de negligentia Parochianorum in aſſiſtentia Miſſarum Parochialium diebus Dominicis & Feſtivis; renovanda hic duximus (ne quis eorum ignorantiam prætendere poſſit) Statuta; ac quæ deſuper decreta fuerunt per bonæ memoriæ Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum FERDINANDUM Archi-Epiſcopum Prædeceſſorum noſtrum, in viſitatione hujus Diœceſis generali per eum facta, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto: Nimirum quod Patresfamilias omnes, aut ex ſingulis familiis ſaltem aliqui, diebus Dominicis & Feſtivis ad ſolemne, Sacroſanctum & Parochiale Sacrificium ſimul conveniant, ut quæ a communi Parocho pro omnibus offeruntur Sacrificia & vota, concurrentibus omnium votis & orationibus Deo gratiora fiant, & ea neminem ignorare contingat, quæ ex communi Eccleſiæ, aut ex ſpeciali noſtro mandato in pronis explicari ſolent. *Ex Statutis* 1645. 1592. & 1655.

XX.

Ubinam duæ Miſſæ a Parochis celebrandæ.

Ut omnis dubitandi cauſa ſuper prohibita hactenus duarum Miſſarum ab uno eodemque Sacerdote eadem die celebratione, de qua in Statutis III. & VII. Synodorum Maji annorum 1600. & 1601. iis tollatur, qui de vel nimis exiguæ dotis prætextu, in altera duarum Eccleſiarum ſibi commiſſarum celebrare detrectant: eos poſthac ad celebrandum in locis, in quibus id ab antiquo ſine fraude fieri ſolitum eſt, teneri declaramus; donec re plenius cognita aliter ſtatuatur, actione ad dotis & honorarii ſupplementum eis reſervata, ſalviſque ipſorum Parochianorum exceptionibus. *Ex Stat.* 1603.

XXI.

Quibus diebus duæ Miſſæ celebrari ſolent.

Quod Statuto tertio poſtremæ Synodi Maji, & ad aliorum præcedentium interpretationem ſuper duarum Miſſarum ab uno eodemque Sacerdote, una eademque die celebratione, fuerat conſtitutum; ſic denuo limitamus,

mus, ut id nonnisi diebus, quibus populus ex præcepto Missam audire tenetur, nec in aliis Ecclesiis, quam iis, quarum una alterius membrum est, ullo modo licere quis arbitretur. *Ex iisdem Stat.* 1603.

XXII.

Ad diem Commemorationis omnium Defunctorum extenditur.

Licentiam bis sacrum Missæ Sacrificium certis diebus celebrandi, a Vicario nostro Generali quibusdam Presbyteris, qui duas Ecclesias Parochiales administrant, aut duobus Altaribus deserviunt, concessam, ad diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum posse extendi declaramus. *Ex Stat.* 1657.

XXIII.

Ex quibus causis Parochi bis uno die celebrare possint.

Ut Parochiarum necessitatibus ob legitima Rectorum impedimenta occurrentibus, facilius subveniatur; concedimus omnibus Parochis, cæterisque curam animarum habentibus in subsidium aliorum Parochorum, bis diebus Dominicis & ex præcepto Festivis, Missæ Sacrificium celebrare; si nimirum aut aliqua infirmitate detineantur, aut a suis Ecclesiis ad Seminarii exercitia obeunda, vel ex Vicarii nostri Generalis licentia in scriptis obtenta, eos abesse contigerit. *Ex Stat.* 1699.

XXIV.

Idem declaratur.

Cum nulli Sacerdoti liceat extra casus a jure permissos, plures Missas eodem die celebrare; contingat tamen non raro quosdam Presbyteros tam sæculares, quam Regulares propria authoritate bis uno die Festo Sacrificium offerre: Declaramus, nulli omnino fas esse duas Missas, etiam diebus Dominicis celebrare, nisi aut plures Ecclesias suæ curæ commissas habeat, in quarum singulis Missam Parochialem decantare teneatur; aut vicini Parochi vices supplere debeat, dum vel morbo detinetur, vel spiritualibus exercitiis in Seminario nostro incumbit, aut denique a Nobis, vel Vicario nostro Generali hujusmodi facultatem obtinuerit; quæ ob legitimas causas concedetur, si & dies ex præcepto Festiva, & utraque Missa Parochialis existat. *Ex Stat.* 1679.

XXV.

Parochi extraneos sine testimonialibus litteris non admittant.

Prohibemus omnibus Parochis hujusce nostræ Diœcesis quemquam alterius Diœcesis intra fines suæ Parochiæ ad domicilium in ea statuendum admittere, sine literis testimonialibus de suo statu, vel nostra, aut Vicarii Generalis licentia, sub pœnis per Nos arbitrandis. *Ex Stat.* 1650. *Renov.* 1658.

XXVI.

Idem denuo præcipitur.

Ne Pastores morbidas oves cum sanis, in totius ovilis perniciem admisceant, sedulo invigilent super extraneis, & ignotis hominibus, qui ad eorum Parochias deinceps accedent, literasque testimoniales ab eis exquirant, quibus de illorum religione ac vitæ integritate certiores fiant. Ubi vero iis caruerint, poterunt aliquod temporis spatium indulgere, ut sibi de hujusmodi literis provideant; quo elapso, si non satisfecerint, nullatenus ad Ecclesiam & Divina Officia audienda admittantur. Scabinos quoque locorum moneant, ne ipsos in Parochia diutius morari patiantur. *Anno* 1688.

XXVII.

De migrantibus ad aliam Parochiam.

Ut autem cunctis difficultatibus, quæ ex mutatione habitationum oriri possunt, occurratur; volumus, ut mutans domicilium, seu habitationem ab una Parochia ad aliam, non prius admittatur in Parochianum dictæ Parochiæ, in qua habitare seu residere vult, quam exhibuerit illius habitationis Parocho testimoniales, seu literas de bono statu: ut dictus scilicet Parochus cognoscere possit, num aliquod subsit impedimentum, quominus possint ipsi administrari Sacramenta. *Ex Stat.* 1646. *Renov.* 1657.

XXVIII.

De redeuntibus ad Parochiam propriam.

Qui vero ſuæ artis exercendæ cauſa in alias regiones diverterint, & majore anni parte abſuerint, ad Sacramentorum perceptionem redeuntes, non aliter admittantur, quam cum legitima atteſtatione ubi & quomodo vixerint. *Ex Stat.* 1604.

XXIX.

Coloni in Parochia ſuæ reſidentiæ debent recipere Sacramenta.

Colonos declaramus in ea Parochia Sacramenta percipere debere, eoque Parocho ſubjici, in cujus territorio Villæ ſunt ſitæ; ſi vero nullius Parochiæ dicantur, viciniori aut commodiori ſubjiciantur. *Ex Stat.* 1657.

XXX.

Præſtationes Curiales ejusdem loci Parocho ſolvere debent.

Quæ de Colonis aut Inquilinis in aliena Parochia degentibus decreta fuerant Statuto II. Maji anni 1597. ſic innovamus, ut ad easdem præſtationes Parocho loci, quibus alii veri & antiqui Parochiani, quamdiu in eis moram trahent, teneantur, cum æquum ſit eos ad eadem onera teneri, qui eadem in uno eodemque loco percipiunt commoda. *Ex Stat.* 1604.

XXXI.

De iis, qui nullius Parochiæ ſe eſſe prætendunt.

Cum plures Villici in villis tam de novo, quam ab antiquo conſtructis cum ſuis familiis degentes, nullius ſe eſſe Parochiæ aſſerant, nullumque proprium Parochum recognoſcant, ſed nunc ab uno, nunc ab alio ad arbitrium Sacramenta ſibi adminiſtrari expoſcant, unde gravia oriuntur incommoda; quibus occurrere ex animo, & pro injuncto Nobis Paſtorali munere deſiderantes: aſſignamus omnibus, & ſingulis intra fines noſtræ Diœceſis modo ſupra dicto morantibus, in Parochiam propriam, eam, intra cujus fines dictæ Villæ conſtructæ ſunt; ad quam Parochiam diebus Dominicis & Feſtivis Sacrum, doctrinamque Chriſtianam audituri, Sacramenta a Parocho cum ſua familia (ut Fideles decet) ſuſcepturi, panem benedictum oblaturi, ſolitasque Parochianorum præſtationes reddituri pergant. *Ex Stat.* 1650.

XXXII.

Parochi non permittant inter Parochianos moveri controverſias Fidei.

Ordinamus inſuper Parochis, & aliis curam animarum habentibus, ut ſedulo invigilent, ne Parochiani, ſibique ſubditi controverſias, & quæſtiones circa Fidei noſtræ articulos, inter ſe moveant; ſicuti in variis hujuſce noſtræ Diœceſis pagis ab his, qui in partibus Helvetiorum hiſce miſerrimis bellorum & peſtis injuriis diverterunt, frequenter & plerumque cum gravi ſcandalo fieri, Nobis relatum fuit; & ſi qui moniti ab hujusmodi diſputationibus non abſtineant, contra ipſos tanquam male de Religione Catholica ſentientes, per Procuratorem noſtrum generalem procedatur. *Ex iisdem Statutis.*

XXXIII.

Parochiani filios in urbes & domos hæreticorum non mittant.

Quoniam tales plerumque fiunt homines, quales ſunt ii, cum quibus verſantur; & vix quis contractet picem, qui non coinquinetur ab ea: omnibus & ſingulis noſtræ Diœceſis prohibemus, ne liberos aut alios ſuæ tutelæ commiſſos, cujuscunque ſexus, ad loca a Fide orthodoxa aliena, ſtudiorum cauſa, dimittant, vel in eis ſub quovis prætextu, moram trahere patiantur, ſed jam dimiſſos quam cito revocent; alioquin a Sacroſanctæ Euchariſtiæ Communione arceantur. *Ex Stat.* 1597.

XXXIV.

Hæretici non debent admitti aut conduci ad obſequia & opera ſervilia exercenda.

In ſpecula Paſtoralis dignitatis conſtituti, ad ea præcipue invigilare contendimus, quæ ovium divinitus Nobis commiſſarum ſecuritati & ſaluti con-

conducunt, ne aut luporum incursu, aut morbida lue infestentur. Unde prospicientes, quod quamplures hæretici ex vicinis Regionibus in hanc Diœcesim confluant, ad operas suas locandas, vel ad aliquas artes exercendas, non sine periculo subversionis animarum, & Catholicæ Religionis detrimento: Interdicimus omnibus Diœcesanis nostris hujusmodi hæreticos in domibus suis detinere, aut eorum uti obsequio; injungentes Parochis & eorum Vicariis, ut illos a suis Parochiis quamprimum discedere cogant. Si vero aliqui ex eorum Parochianis semel admoniti, ultra triduum ipsos retinere præsumant, ab ingressu Ecclesiæ arceantur. *Anno* 1702.

XXXV.

Mittant filios ad Ludimagistros.

Etsi vetere Statuto jussum esset, Patres & Matresfamilias sedulo admonendos esse, ut liberos & familiam domi ad pietatem erudiant, eosque singulis saltem diebus Dominicis ac aliis Festivis ad Ecclesiam suam Parochialem secum ducant, & ad Seminaria seu Scholas transmittant, quo semel Fidei rudimentis imbuti, Religionis & cultus Divini habitum a pueritia contrahant, & in his studiis simul cum ætate adolescant; Quia tamen id ita negligenter, a rudi saltem plebecula latinæ pronunciationis propemodum ignara, hactenus observatum est, ut non solum pueri, sed etiam adulti quidam, prima Doctrinæ Christianæ elementa penitus ignorent, aut perperam teneant: animadvertentes quantum momenti habeat ad veram pietatem Catholica & fidelis juventutis institutio: mandamus in locis, in quibus fuerint Ludimagistri, ea, quæ de iis olim statuta fuerunt, ad unguem custodiri; in aliis vero id a Parochis, quantum eis licebit, sedulo præstari: utrobique autem, præter solitam in prono Orationis Dominicæ, & totius Fidei Catholicæ distinctam & articulatam recitationem, statis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, obedientiam erga Deum & parentes, cæteraque hujusmodi, ex præscripto Concilii Tridentini, & antiqui Statuti nostri Synodalis, doceri præcipimus; alioquin in negligentes per censuras Ecclesiasticas, juxta culpæ gravitatem, animadvertetur. *Ex Stat.* 1590.

TITULUS V.

De Familiaribus, & Capellanis.

STATUTUM I.

Duplex finis Familiaritatum.

CUm fines Familiaritatum in Ecclesiis Parochialibus institutarum, sint imprimis Divini cultus augmentum, deinde charitas & dilectio fraternitatis; visum est in hac Sancta Synodo admonere omnes hujusmodi Capellanos & Familiares, primum ut fines istos considerent cum timore damnationis æternæ, si contra deliquerint. *Ex Stat.* 1573.

II.

Familiares honorem ferant Curato.

Deinde mandatur (quia Curatus eorum Caput & Pastor est, totius Parochiæ Rector, ipsi vero in subsidium ejus assumpti, & bonorum Ecclesiæ ipsius participes effecti:) ut ei honorem deferant, & reverentiam in omnibus tanquam Patri. *Ex iisdem Statutis.*

III.

Curatus eximitur ab oneribus Familiaritatis, dum vacat suo muneri.

In obeundis quoque muneribus Ecclesiæ (ne in officio Pastoris impediatur) ab aliis obligationibus Familiaritatis excusetur: ut quando est Missa Parochialis, non cogatur ad celebrandum pro familiaritate. Et si in confessionibus vel administrandis aliis Sacramentis occupatus fuerit, non teneatur assistere, idque ejus conscientiæ remittatur: nisi (quod absit) tanta appareat negligentia, quæ ad Vicarium Generalem deferenda veniat. Sic neque cruciferi, neque chorialis pueri provincia gravetur: quæ sunt inferiorum Clericorum munera. Sic cultus Divinus rite peragetur, & fraternitatis charitas integra cum pace servabitur. *Ex Stat.* 1573.

IV.

Prohibentur pactiones pro ingressu Familiaritatum.

Damnavit Sancta Synodus, ficut & Nos damnamus conditiones illas illicitas, quæ in promiffionibus & admiffionibus ad habitum Ecclefiæ vel diftributiones quotidianas apponi folent, deducendi aliquid ex fructibus, vel folvendi, vel compenfandi, easque revocandas & abolendas cenfemus. *Ex iisdem Statutis.*

V.

Item Convivia reprobantur.

Comeffationes quoque & convivia, ad quæ recens admiffus Presbyter compelli folebat, cum ad pietatem nihil hæc faciant, nec ad utilitatem Ecclefiæ, fed potius ad manifeftandum vulgo immodeftiam Sacerdotum & luxum, prohibemus. *Ex iisdem Statutis* 1573.

VI.

Abrogantur convivia Familiaribus dari folita per alios Sacerdotes.

Ac multo minus ferendæ illæ leges funt, quibus familiares quidam Presbyteri compellebantur prandia vel cœnas fumptuofas dare aliis familiaribus per ordinem diebus Feftis quibusdam, ut Pafchatis, Natalis Domini, & fimilibus; quafi Fefta Ecclefiafticis Viris in tabernis, comeffationibus, & ebrietatibus (quæ damnat Apoftolus) non in orationibus & eleemofynis, & piis operibus magis peragenda fint. *Ex iisdem Statutis.*

VII.

Convivia a Parochis debita pecunia æftimanda funt.

Cætera familiaribus etiam omnia convivia abrogamus, quæ ab initio fponte fortaffe a quibusdam Parochis, cæteris Ecclefiarum Sacerdotibus feu Familiaribus ad honeftam converfationem olim tradita, in confequentiam tandem & luxum apud plerosque trahi cœperunt; idque majoribus fere ac folemnioribus Feftis, quibus Divinis Officiis ac pietati potius, quam ventri vacandum effet; quæ omnia tamen ita a Nobis fublata effe declaramus, ut fi aliquibus ea jufto titulo deberi legitime conftet, numerus conviviorum moderetur, & eorum mediocris æftimatio in pecunia numerata præftetur. *Ex Stat.* 1607.

VIII.

Curati non tenentur fufcipere munus Procuratoris Familiaritatum.

Quia in plerisque hujus noftræ Diœcefis Ecclefiis fubortæ fuerunt plures difficultates ac controverfiæ, inter illarum Curatos ex una, & Capellanos feu Familiares ex altera partibus. Volentibus iftis, dictos Curatos teneri ad fubeundum in fuo turno onus, feu officium illarum Receptoriæ, feu Procuræ: Illis autem prætendentibus fe ab illo exemptos effe, ex eo, quod impedimentum afferat exercitio curæ paftoralis. Nos, quantum in Nobis eft, volentes impofterum obviam ire hujusmodi difficultatibus, declarandum duximus, dictos Ecclefiarum Rectores, feu Curatos excufari debere, prout hic excufatos atque exemptos declaramus, a fufceptione dicti officii Receptoriæ feu Procuræ: quia fcilicet liberum adminiftrationis curæ paftoralis exercitium impedit. Declarantes etiam, quod in familiaritatibus, ubi per Statuta debite confirmata, reperitur mulcta pecuniaria impofita, turnum Procuræ feu Receptoriæ hujusmodi recufantibus: ipfi Curati non erunt talis mulctæ participes. *Ex Stat.* 1646.

IX.

Nullus admittatur ad Familiaritatem nifi cantum fciat.

Ad dirimendas controverfias, quæ in plerisque Diœcefis hujus Ecclefiis, in quibus Familiaritatum Collegia funt inftituta, circa Familiarum receptionem contingere folent; declaramus & ordinamus, omnes Presbyteros, qui in numerum Familiarium alicujus Ecclefiæ adfcribi impofterum poftulabunt, primum & ante inchoationem ftagii, a cæteris ejusdem Ecclefiæ Familiaribus fuper cantu diligenter fore examinandos; qui fi fufficientes & idonei reperti fuerint, ftatim ad dictum ftagium incipiendum admittantur, non obftan-

obſtantibus Statutis & conſuetudinibus quibuscumque hactenus editis & obſervatis, contra hoc Decretum diſponentibus. *Ex Stat.* 1658.

X.

Qui cantum neſciant, non debent tamen abeſſe a Choro.

Nemo deinceps admittatur ad Familiaritatem, niſi qui Cantum Gregorianum calleat: ſi autem aliqui antehac ejusdem minus periti admiſſi fuerint; prohibemus, ſaltem ubi magnus Familiarium eſt numerus, ne ad commune pulpitum accedant, niſi in Miſſis & Officiis, quorum cantus eſt facilior: e choro tamen idcirco minime diſcedant, ſed qua par eſt modeſtia corporis animique, loci recordentur, cui adſiſtunt; & Superioris in choro, ſive Rectoris juſſa, & præcepta diligenter obſervent. *Ex Stat.* 1648.

XI.

Rector Chori eligatur, qui cæremonias imperitos doceat.

Qui quidem Chori Rector, ubi ſatis numeroſa & copioſa eſt Familiaritas, vel ipſe Rituum & Cæremoniarum imperitos, ſi qui ſint, ſuaviter & cum charitate edoceat; vel eorumdem Rituum Præfectum ex ipſo Familiaritatis corpore eligi procuret, cujus ſint partes novos Familiares inſtruendi, quanta cura Officii Divini & Miſſæ Sacrificii ſingulæ cæremoniæ, etiam quæ videntur minutiſſimæ, rite ad populi ædificationem ſint amplectendæ. *Ex iisdem Statutis.*

XII.

Capellani & Familiares interſint Miſſæ Parochiali cum habitu chori.

Interea nullus tantopere obliviſcatur ſui, ut alicui vel Officio, vel Miſſæ parochiali, aliisque functionibus a Familiaribus, Capellanis & Confratribus peragi ſolitis interſit, quin habitum & tonſuram deferat Clericalem, ſuperpelliceum, byretumque; quemadmodum in ſacris Canonibus & in Statutis tum generalibus, tum privatis cavetur. *Ex iisdem Statutis.*

XIII.

Tertia pars redditu um Familiaritatis & Capituli convertantur in diſtributiones, & eligatur Normator.

Ut debitum Divino cultui obſequium in Eccleſiis hujuſce noſtræ Diœceſis præſtetur, ordinamus in ipſis, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, diſtributiones quotidianas, tertiamque partem fructuum, & quorumcumque proventuum in ipſas converti, quæ inter omnes Divinis intereſſentes dividantur. Et ut omnia ex juſtitia diſtributiva fiant, quamprimum eligetur Punctuator, ſive Normator in Eccleſiis tam Collegiatis, quam Parochialibus, quæ Familiaritatibus gaudent, qui aſſiduos præſentium labores, & abſentium defectus, prævio juramento, ſedulo, & ſcripto obſervabit, ut unusquisque ſtipendium pro ratione præſtiti per ipſum ſervitii recipiat. *Ex Stat.* 1650.

XIV.

Mandata Prælati directa ad Parochos obſervari debent ab aliis inferioribus Sacerdotibus.

Quoties Mandata, cujuscumque generis ſint, a Nobis ad Parochos Diœceſis noſtræ deſtinantur, volumus, ut ea pariter ad ſe miſſa, ſinguli Familiares intelligant: quemadmodum ſi preces publicæ imperentur; mens noſtra eſt, ſingulos eorum teneri ordine ſuo ejusmodi orationes, partitis inter ſe horis, fundere, & hiſce in rebus Parocho obtemperare. *Ex Stat.* 1648.

XV.

Quilibet Familiaris debet habere exemplar Statutorum ſuæ Familiaritatis.

Privata vero, & ſingularia cujuslibet Familiaritatis Statuta ita obſerventur ab omnibus, ut nemo Familiaritati cuivis adſcribatur impoſterum, niſi qui Statutorum propriæ Familiaritatis exemplar, vel manu ſua, vel aliena exſcripſerit, ut eadem penes ſe habeat, & frequentiſſime lectitet. *Ex iisdem Statutis.*

XVI.

Familiares & Canonici, qui exercitiis spiritualibus in Seminario vacant, pro præsentibus in suis Ecclesiis haberi debent.

Ut Sacerdotes nostræ Diœcesis exercitiis spiritualibus tam utiliter institutis, cum majori frequentia & facilitate assistant: declaramus omnes tam Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum, quam Familiares Parochialium, qui in Seminario nostro hujusmodi exercitiis semel in anno vacaverint, pro præsentibus in suis Ecclesiis eo tempore habendos esse; ita ut fructus & distributiones quascumque tanquam præsentes percipiant. *Anno* 1701.

TITULUS VI.

De Religiosis & Monialibus.

STATUTUM I.

Religiosi sine Superioris sui licentia a Monasteriis egressi ab Ordinario coerceantur.

Nulli Religioso liceat sine sui Superioris licentia, se subjicere servitio alicujus Prælati, vel Principis, vel Universitatis. Qui sine mandato Superiorum in scriptis obtento a Monasteriis egressi reperientur, puniantur ab Ordinariis locorum. *Ex Stat.* 1573.

II.

Religiosi absque consensu Parochorum in eorum Parochiis, nullas functiones exerceant.

Conquesti sunt apud Nos plurimi ex Parochis nostræ Diœcesis multos Religiosos Sacerdotes, ipsis non tantum insciis, sed etiam invitis & reluctantibus, Sacramentorum administrationi in suis Parochiis, cum gravi jurisdictionis ordinariæ contemptu, se immiscere, ipsisque nec monitis vel requisitis, campanam Ecclesiæ ad convocandum populum, & habendas conciones, maxime pro eleemosynis petendis, aliquando pulsare; quem neglectum graviter ferentes, ipsumque imposterum impedire cupientes, prohibemus quibusvis sive Sæcularibus, sive Regularibus mendicantibus, & non mendicantibus, sub pœnis per Nos arbitrandis, in præmissa munia absque expresso Parochorum consensu se intrudere; cum ordo Hierarchiæ sacræ inviolabiliter sit observandus. *Ex Stat.* 1650.

III.

Religiosi ad Parochias pro quærendis eleemosynis missi catechisare debent.

Cum omnibus fere Parochis pondus diei & æstum ferentibus, necessaria ad victum & vestitum a Parochianis vix suppeditari, multasque Parochias idcirco derelictas, quotidie constet, æquum tamen sit copias auxiliares suo stipendio non defraudari; utrisque sua largiri, quantum possumus, desiderantes, mendicantium Religiosorum collectas per Diœcesim moderandas judicavimus; omnes idcirco concessas facultates eleemosynas colligendi revocamus, nec a Vicario nostro Generali nonnisi annuas imposterum concedi volumus; eaque lege, & solis Religiosis in sacris Ordinibus constitutis concedantur, idque bis tantum in anno pro quolibet Monasterio exercendas, monitis tamen & consentientibus Parochis, habitoque prius per colligentem de Doctrina Christiana, seu Catechismo ad populum publice in Ecclesia sermone, ut qui temporalia metunt, spiritualia seminent. *Ex Stat.* 1657.

IV.

Monialis sine licentia Superiorum egredi septa Monasterii non præsumat.

Sacras Apostolicas constitutiones executioni mandantes, hoc nostro Statuto inhibemus, ne Sanctimoniales post professionem factam, quocumque prætextu, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa a Nobis approbanda Monasterii claustra egrediantur; ut a mundanis & publicis spectaculis separatæ, Deo liberius servire valeant, & immaculatas se in hac vita conservare. *Ex Stat.* 1573.

V.

Nullus Monasterium Monialium ingrediatur sine Ordinarii licentia.

Universis etiam & singulis Ecclesiasticis & Regularibus personis nostræ jurisdictioni subjectis, interdicimus & prohi-

prohibemus, ne absque rationabili & manifesta causa, aut sine Superioris, ad quem pertinet, licentia speciali (ne aliqua sinistra oriatur suspicio) ipsa Monasteria Sanctimonialium subintrent, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. *Ex iisdem Statutis.*

Decretum Sacri Concilii Tridentini Sess. 25. Cap. 5. super eadem re.

"Nemini autem Sanctimonialium " liceat post professionem exire a Mo- " nasterio, etiam ad breve tempus, " quocumque prætextu, nisi ex aliqua " legitima causa ab Episcopo appro- " banda: indultis quibuscumque & " privilegiis non obstantibus. Ingre- " di autem intra septa Monasterii ne- " mini liceat, cujuscumque generis " aut conditionis, sexus vel ætatis fue- " rit, sine Episcopi vel Superioris li- " centia in scriptis obtenta. Dare au- " tem tantum Episcopus vel Superior " licentiam debet in casibus necessariis, " neque alius ullo modo possit, etiam " vigore cujuscumque facultatis, vel " indulti, hactenus concessi, vel im- " posterum concedendi."

VI.

Episcopus moneri debet uno mense antequam Monialis Professionem emittat.

Statuit sacrosancta Trid. Synodus, ut si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit: non ante eum suscipiat, nec postea professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel ejus Vicarius, virginis voluntatem, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, cujus professionis tempus ne ignoremus, jubemus, ut Præfecta Monasterio Nos ante mensem certiores faciat. *Ex iisdem Statutis.*

TITULUS VII.

De Rectoribus Hospitalium.

STATUTUM I.

Rectores Hospitalium procurent pauperibus & infirmis subsidia spiritualia.

Magistri Hospitalium curent ante omnia, ut in suis domibus ea, quæ ad salutem animarum pertinent, minime negligantur. Sed & de Sacramentorum administratione, pauperibus, debilibus & ægrotis provideatur. Et ubi corporis infirmitas Medicum postulaverit; ibi prius animæ, deinde corporis Medicus accersiatur; nec aliquem recipiant, nisi eodem die vel postridie confiteatur. *Ex Statut.* 1573.

II.

Singulis annis rationes redditæum coram Deputatis ab Ordinario reddant.

Quod sapientissime in Coloniensi Synodo constitutum fuit, ut Magistri Hospitalium singulis annis, aut sæpius Magistratui ipsius loci, præsente Parocho, rationem reddant de sua administratione: Nos conformiter ad ea, quæ in sacro Oecumenico Concilio Tridentino lata sunt, & in nostra Provinciali Synodo publicata (quoniam curæ nostræ commissa sunt omnia hæc; quocumque nomine eorum Administratores censeantur, & quomodolibet exempti sint:) Statuimus & ordinamus, ut singulis annis a Magistris & Curatoribus Hospitalium Nobis, vel personis a Nobis deputatis, cum locorum Magistratibus rationes reddantur; aliter factæ liberationes non suffragabuntur, nisi secus in fundatione seu erectione eorum a Nobis, vel Prædecessoribus nostris approbata, cautum expresse sit. *Ex iisdem Statutis.*

III.

Jus visitandi Hospitalia penes Ordinarium.

Episcopi executores sunt, uti Concilium docet, omnium piarum dispositionum tam ultimæ voluntatis, quam inter vivos. Et quia propterea jus illi habent visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, Confraternitates Laicorum, & pia loca omnia, etiam si eorum cura Laicis demandata sit; idcirco jubetur Curatis, ut de administratione locorum piorum, quæ in suis fuerint Parochiis, frequenter admoneant Decanos Rurales: qui referent in Synodis, vel Episcopo, sicut se res habent: ut provideatur eis. *Ex Stat.* 1573.

IV.

Titulus fundationis Hoſpitalium in vacantibus Ordinario exhiberi debet.

Et ne impoſterum abuſus, qui fieri ſolent, ignoratis fundationibus, committantur: ſtatuimus & ordinamus, ut vacante Hoſpitali Procuratore legitimo, antequam alius inſtituatur, fiat copia fundationis ejus Nobis, vel Vicario noſtro. *Ex iisdem Statutis.*

TITULUS VIII.

De Quæſtoribus, & Eremitis.

STATUTUM I.

Non permittant Curati fieri quæſtas in ſuis Parochiis ſine literis Ordinarii.

Curati, ſeu eorum Vicarii non permittant aliquos Quæſtores in ſuis Eccleſiis quæſtas quascumque facere ſine literis noſtris, aut Vicarii noſtri Generalis. Ne permittant eos verbum Dei prædicare, aut aliud proponere, quam in veris literis Apoſtolicis, ac in literis noſtris ſit expreſſum; niſi tales ſint viri literati & perſonæ graduatæ notæ, vel in literis noſtris nominatæ. Et diligenter videant datam literarum noſtrarum, ſi ſit pro anno in quo accedunt ad Eccleſias eorum, & ſi in eis ſit aliqua raſura, aut alia ſuſpicio. Si quos autem abuſores noverint, illos cum ſuis literis & bonis capiant, arreſtent, & ad Nos adducant fideliter & ſecure. *Ex Stat.* 1481. *&* 1647.

II.

Nec ipſi Parochiani id ferre debent.

Ut tollatur confuſio, quæ ex aſſiduis eleemoſynarum collectis, *&* ruri, maxime in hacce noſtra Diœceſi contingere dignoſcitur, nullos admittant impoſterum Parochi, & Scabini locorum Quæſtores, ad eleemoſynas intra fines ſuorum locorum corrogandas, niſi prius ipſis conſtet de Mandato ad dictas eleemoſynas quærendas a Nobis, vel a Vicario noſtro Generali conceſſo, ſub pœnis per Nos arbitrandis. *Ex Statutis* 1653.

III.

Singulis annis Quæſtores novam licentiam obtinere debent.

Renovantes Decreta olim publicata circa collectas Quæſtorum per Diœceſim noſtram mendicantium; cujusvis Ordinis vel conditionis exiſtant: prohibemus ſingulis, ne eleemoſynas quovis prætextu conquirant, niſi licentiam a Vicario noſtro Generali quotannis ſcripto obtinuerint. Mandantes univerſis Eccleſiarum Rectoribus prædictam licentiam ſedulo inſpicere, nec prius eos plebi commendare, nec ad collectam admittere, quam Dei verbo ſive per Exhortationem, ſive per Catechiſmum fidelium mentes paverint; ut dum temporalia metunt, ſpiritualia ſeminare non negligant; quod ſi ſecus fecerint, volumus, ut Parochi cum locorum Scabinis acceptas mendicantium eleemoſynas retineant, tam pauperum Parochiæ ſuſtentationi, quam Eccleſiæ reſtaurationi applicandas. *Ex Stat.* 1669.

IV.

Quæſtores nec capſas Reliquiarum circumferre, nec eleemoſynas conquirere permittantur ſine licentia.

Similiter quia nunquam ſatis prudenter Parochiis conſuli poſſe videtur, circa mores & ritus Quæſtorum circumforaneorum per Diœceſim noſtram; præter ea, quæ hucuſque obſervari volumus: ſtatuimus deinceps ac prohibemus, ne ullis omnino paſſim & per incuriam vulgi nuncupatis Quæſtoribus, qui capſam, aut Reliquias geſſerint (idque quolibet nomine vocentur, ſive S. Antonii locorum de Aumonieres, & Frigidi-montis, ſive noſtræ Dominæ de Burgundia, S. Humberti in Arduenna, S. Bernardi Montis-Jovis, S. Trinitatis, S. Joannis Hyeroſolimitani, B. Virginis Lauretanæ, S. Sebaſtiani de Roma, & de Monte-Boſonis, S. Antidii Archi-Epiſcopi Biſuntini, S. Brigidæ, S. Magni, S. Spiritus, Hoſpitalis trecentorum cœcorum Pariſienſium) aliter Diœceſim noſtram obambulare liceat, (ſi forte magnis de cauſis Reliquiarum hujusmodi ſeu capſarum bajulis licentia eleemoſynas corrogandi

rogandi a Nobis concedatur) quam modo infra ſcripto, ſive Religioſi ſint, ſive non: videlicet, ne ullo modo prædicent, ſeu concionem habeant; ne Indulgentias quascumque publicent: ne ſua privilegia, aut ſacras Reliquias, aut certas orationes circumferant, diſtribuantve: ne imprecationibus aut minis eleemoſynas, tanquam uſu diuturno debitas, a locorum incolis extorqueant: ne campanulas, aut alia inſtrumenta plebi cogendæ deferant: ne denique aliud viris modeſtis ac piis, adeoque Religioſis, ſi Religioni ſacræ mancipati ſint, indignum admittant. Quam modeſtiam, & agendi rationem, cum rudibus agricolis, etiam a Concionatoribus & Laicis e variis Religioſis Diœceſis noſtræ Ordinibus, qui vicatim quotannis domo exeunt, familiæ Religioſæ neceſſitatibus proſpecturi, multo magis, quam ab aliis quibusvis requirimus. Plane (ſi quod abſit) obliti ſuæ vocationis, quoquomodo labantur; illico per Parochos ſingulos Procuratorem noſtrum Generalem & Fiſcalem de ejusmodi exceſſibus certiorem fieri mandamus, ut pro Paſtorali noſtra cura remedium protinus adferatur. *Ex Stat.* 1648.

V.

Quæſtores non admittantur cum facultatibus impreſſis ab Ordinario non ſubſignatis.

Cum nonnulli eleemoſynarum Quæſtores ſub nomine quarumdam Confraternitatum & prætextu Indulgentiarum ac privilegiorum a Summis Pontificibus illis conceſſorum Diœceſim noſtram percurrant, exhibita populis ac etiam Parochis ementita facultate typis exarata, quaſi a Nobis aut Vicario noſtro Generali indulta; ſimilibus fraudibus occurrere volentes, prohibemus Parochis, ne hujusmodi Quæſtores ad conquirendas eleemoſynas in ſuis Parochiis recipiant, aut fidem aliquam adhibeant quibuscumque facultatibus, indulgentiis & privilegiis typo impreſſis, niſi propria manu noſtra aut Vicarii noſtri Generalis fuerint ſubſignata. *Anno* 1690.

VI.

Eremitæ non debent tolerari in Parochiis, neque eleemoſynas quærere ſine licentia Ordinarii.

Quia contingit pleroſque tam indigenas, quam alienigenas habitum Eremitarum aſſumentes per Diœceſim Biſunt. paſſim divagari, & ubique ſtipem cogere, de quorum vita, & moribus plerumque certa non habetur notitia, unde plura poſſent oriri ſcandala, quibus opportuno remedio providere volentes; omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium prædictæ Diœceſis Rectoribus & Vicariis, aliisque curam animarum habentibus ſerio injungimus ac præcipimus, ut nullos penitus dictum habitum Eremitarum geſtantes, intra fines dictarum ſuarum Parochiarum degere, ibidemque eleemoſynas petere, & colligere permittant, niſi prius de inſtitutionum & approbationum literis ab Ordinario conceſſis, fideliter edocuerint; quibus ſi præmuniti minime exiſtant, illos ad Vicarium Generalem noſtrum cum literis vitæ & morum dictorum Eremitarum teſtimonium continentibus remittant, ut perſpecta eorum probitate, ipſis dictas literas, ſi id opportunum judicaverit, concedat. *Ex Stat.* 1656. *Renovat.* 1666.

VII.

De Eremitis uxoratis expellendis.

Ne ſubortus ante aliquot annos Eremitarum, præſertim extraneorum (qui nullum regularem Superiorem habent) in hac Diœceſi numerus, ulli abuſui, quod fere fit, cauſam præbeat; cum nonnulli ex eis ſervilem vitam agant, & inter plebeios ut plurimum cum bonorum ſcandalo inſoleſcant. Alii vero contra vitæ Eremiticæ inſtitutum ſecum uxores habeant; omnibus noſtræ Diœceſis Parochis præcipimus, ut intra menſem Eremitarum in ſuæ Parochiæ limitibus commorantium nomina, patriam, mores & facultatem ſeu licentiam, ſi quam habeant, Decanis; ipſi vero Decani, Nobis vel Vicario noſtro Generali, ſignificent; uxoratos & vitam cœlibem non agentes, authoritate noſtra absque

mora ejiciant; donec tandem de cæteris a Nobis provideatur prout juris. *Ex Statutis* 1605.

TITULUS IX.

De Rectoribus Scholarum, & Ludimagiſtris.

STATUTUM I.

Quem finem ſibi proponere debent Ludimagiſtri.

Animadvertentes, quantum momenti habet ad veram pietatem Catholica & fidelis inſtitutio puerorum; vos omnes Ludimagiſtros noſtræ Diœceſis Biſuntinæ neceſſarium duximus admonere, & obſecrare in Domino; ne docendi munus (quod propter ingenii gloriam cenodoxiæ vitio ſæpenumero obnoxium eſt) propter humanam gloriam, & vanos fumos popularis commendationis, ſed propter utilitatem publicam, & Deo ſoli probari cupientes, veſtram operam atque labores exerceatis. *Ex Statutis* 1573.

II.

Quænam docere & quæ omittere debent.

Juxta igitur doctrinam Eccleſiaſtici: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit Deus, cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. Monemus & hortamur vos omnes & ſingulos Ludimagiſtros. Primum, ne ſubtiliora aut obſcuriora doceatis, quam pro captu auditorum: Deinde, ne falſa aut perverſa, quæ animos corrumpere poſſint adoleſcentum. Sed omnem veſtram doctrinam atque ſtudia eo dirigatis, ut diſcant adoleſcentes ſervare præcepta Dei, & per bona opera promereri gratiam apud Deum & homines. Hic eſt fructus vel præcipuus ſanæ doctrinæ; curioſæ autem diſceptationes non faciunt, niſi ad ſubverſionem audientium. *Ex Statutis* 1573.

III.

Nonniſi libris receptis & approbatis utantur in Scholis.

Eapropter ut occaſio primum tollatur omnibus ex ſuo ſenſu & perſuaſione (quæ non raro fallitur) Reipublicæ plantas tenellas effingere atque efformare: Statuimus & ordinamus, & ſub pœna præſtiti juramenti prohibemus, ne libros alios veſtris auditoribus interpretemini, aut interpretari patiamini, quam quos in Collegiis Univerſitatum Catholicarum notum fuerit publice interpretari ſolere: novos autem, qui recenter editi fuerint, niſi habita prius licentia a Nobis, aut a Vicario noſtro, vel Officiali, ad quos exemplar ipſum mittetis videndum & examinandum. *Ex Stat.* 1573.

IV.

Pueros ad Divina Officia audienda in Eccleſiam deducant.

Deinde ut habitus Religionis & cultus Divini contrahatur a pueritia, jubemus vobis, ut omnibus diebus feſtis diſcipulos adducatis ad Eccleſiam cum modeſtia & greſſu compoſito (quantum ætas ferat puerilis) cantaturos ſcilicet cum Clero in Miſſa, & Veſperis: nec patiamini aliquem ex iis, qui norunt legere, carere precibus horariis, aut ſaltem ſeptem Pſalmis pœnitentialibus, in quibus legant Divinum Officium aut cantent. Singulis vero diebus ſub noctem domi vel in Eccleſia (ſi populus ſoleat tunc congregari) una cum Præceptore cantent *Salve Regina*, aut aliam Salutationem B. MARIÆ Virginis pro tempore. *Ex Statutis* 1573.

V.

Scholares ſua peccata confiteantur præcipuis anni Feſtis.

In quatuor quoque anni temporibus ſeu Feſtis, ſcilicet Quadrageſimæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, & Omnium Sanctorum, juxta laudabilem conſuetudinem, quæ hactenus ſervata eſt, facite eos confiteri Curato, vel alii Presbytero, petita licentia & facultate prius a Curato. Hanc ſi Magiſter vel alius petierit, pro omnibus tenebitur Curatus ſine aliqua mora concedere. *Ex iisdem Statutis.*

VI.

VI.

Ludimagistri antequam hujusmodi munus exerceant, debent juramentum præstare.

Et ne posthac temere & sine delectu errones & vagi quicumque, ad munus adeo honestum admittantur: statuimus & ordinamus, ut antequam cuiquam Magistro literarium ludum aperire liceat, Rector seu Curatus Parochiæ (seu is, ad quem de jure, vel consuetudine pertinet) ipsum instiuant, recepto prius jurejurando ab ipso, quod servabit fideliter hæc, quæ in hac sancta Synodo statuimus. *Ex iisdem Statutis* 1573.

VII.

Quælibet Parochia suum Ludimagistrum habeat ab Ordinario examinatum & approbatum.

Cum non solum utile, sed & necessarium sit, in quibusvis Parochiis, præsertim in quibus numerosus est populus, habere Ludimagistrum capacem & idoneum, qui possit Domino Parocho in administratione Sacramentorum, & Divinorum Officiorum celebratione inservire, ac rudimenta fidei, & alia necessaria dictæ communitatis parvulos edocere; eisdem Parochianis ordinamus, quatenus infra trimestre Ludimagistrum eligant, & ad Nos examinandum, & approbandum remittant: prohibentes, ne cujusvis non approbati opera utantur. *Ex Statut.* 1666.

VIII.

Puellæ post nonum ætatis annum a Ludimagistris edoceri non debent.

Quia (ut sacra testantur oracula) sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia; idcirco innumeris periculis occurrere satagentes, quæ ex juventutis diversi sexus nimia familiaritate evenire solent, inhibemus Ludimagistris, ne puellas post nonum ætatis annum ad Scholas suas admittant; & nonnisi separatim a pueris, sive loco, sive tempore ante illam ætatem eas edoceant; injungentes Parochis & eorum Vicariis, ut non minus agnorum, quam ovium saluti invigilent; ideoque suæ Parochiæ Scholas frequenter visitent, & Ludimagistros ad munus suum assidue explendum compellant. *Anno* 1687.

TITULUS X.

De Sacramentorum administratione & susceptione.

STATUTUM I.

In Sacramentorum administratione nihil immutandum in Cæremoniis.

Quoniam Ecclesia sola est, quæ a Christo Sacramentorum thesaurum accepit, & verum ac legitimum usum eorum tenet & novit; idcirco Minister in omnibus se Ecclesiæ conformare debet, non solum in iis, quæ sunt essentialia Sacramentorum; sed etiam in accidentalibus, quæ plerumque significationis causa, aut pietatis excitandæ gratia instituta sunt, aut ex veteri traditione Apostolorum accepta, & aliquando etiam mutata pro ædificatione fidelium; in his proinde omnibus mutare aliquid nemo privatus audeat; nam ex pertinacia id faciens tanquam schismaticus punietur, quod Ecclesiæ sensum perturbet. *Ex Stat.* 1560.

II.

Frequenter instruendus populus de Sacramentorum excellentia & effectibus.

Quia igitur in Sacramentis aliud videtur oculis, atque aliud agitur Divina gratia secretius, ne tanta Dei beneficia ignorentur, aut putentur otiosa esse spectacula, nec suo priventur honore, aut indigne tractentur: instruendus est populus in cujuslibet administratione, ubi commode fieri poterit: frequenter etiam docendus in concionibus, ubi inciderit locus, quid in Sacramenti cujusque collatione agatur, quid sit ejus fructus: quid velint signa externa: quomodo Dei virtus præsens invisibiliter eis adsit: quomodo etiam digne vel indigne percipiantur, & similia. *Ex Stat.* 1560.

III.

Negligens suscipere Sacramenta careat Ecclesiastica sepultura.

Ad Sacramenta accedere debito tempore negligentem, dum vivit, ab Ecclesiæ communione, & mortuum Ecclesiastica sepultura arcendum esse statuimus. *Ex Statutis* 1560.

IV.

Tempus Communionis Paschalis ampliatur.

Quoniam tempus in hac Diœcesi designatum pro Communionis Paschalis sumptione nimis arctum deprehenditur, ab iis maxime Parochis, qui ob magnam populi copiam intra quindecim dies confessionibus audiendis sufficere nequeunt. Ideo tam Parochorum, quam Parochianorum utilitati consulere cupientes, tempus Paschale (quo præcepto Eucharistico commodius satisfiat) a Dominica dicta de Passione incipere declaramus.

V.

Parochiani debent edocere, ubi Sacramenta in Paschate susceperint.

Omnes Parochiani, qui tempore Paschali extra Parochiam Sacramenta perceperint, debent proprio Parocho testimonium proferre, quo constet eos satisfecisse præcepto Ecclesiæ; tenenturque ipsimet Parochi illud exigere, cum & ipsis incumbat cura proprii gregis; alias qui contra fecerint, volumus per eundem Parochum denunciari Curiæ nostræ Fiscalibus, idque intra mensem a die Paschatis computandum, ut compellantur ad officium Christianum, & delinquentes corrigantur. *Ex Statutis* 1664.

VI.

Qui in Matrice Ecclesia, in qua non resident, Communionem Paschalem recipiunt, Schedam deferre tenentur Parocho, seu Vicario suæ residentiæ de suscepta Communione.

Relatum Nobis fuit quosdam Parochianos in locis, ubi sunt filiales Ecclesiæ, & Vicarii residentes, Communionis Paschalis mandatum frequenter eludere, eo prætextu, quod in Matrice seu Parochiali Ecclesia Eucharistiam sumere prætendant; ne igitur aliqua fraudi aut simulationi occasio detur; volumus, ut qui in Matrice Ecclesia tempore Paschatis Sacram Synaxim sumpserint, schedam a Parocho accipiant, qua constet Vicario filialis Ecclesiæ eos huic muneri satisfecisse, alioquin tanquam legis transgressores habeantur, & ad Communionem in filiali Ecclesia recipiendam compellantur. *Anno* 1696.

VII.

Non recipientes Sacramenta in Paschate debent deferri Prælato.

Quoniam Nobis constitit non paucos suæ salutis parum solicitos, quasi oves errantes proprium Pastorem fugere, atque a cœlestis cibi mensa in ipso Paschatis tempore se damnabiliter subtrahere: mandamus omnibus, curam animarum habentibus, ut vultum pecoris sui agnoscere satagentes, si aliquos ex Parochianis suis deprehenderint, qui sacram Communionem, intra tempus ab Ecclesia constitutum, in eorum Parochiis non sumpserint, ipsos statim ad Nos, aut ad Procuratores nostros Fiscales & Generales in scriptis deferant. *Ex Statutis* 1679.

VIII.

Quo modo agendum sit cum iis, qui Communioni Paschali non satisfecerunt.

Sacrorum Conciliorum tam Lateranensis, quam Tridentini Decreta, circa Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem singulis annis in Paschate a fidelibus frequentandam, a nonnullis corde obduratis contemni conspicientes, & illorum saluti, quantum possumus, providere cupientes, Statuta super hac re jam olim condita necessarium duximus renovare. Propterea injungimus Parochis, cæterisque curam animarum habentibus, ut quolibet anno, tempore Quadragesimæ, populos publice hortentur, huic Ecclesiastico præcepto diligenter parere. Eos vero, qui negligentes extiterint, privatim moneant; & deinde adhibitis testibus fortius compellant: ac demum si non resipuerint, ipso in prono Missæ parochialis nomi-

nominatim propalent. Verum cum hujusmodi remedia suum semper non sortiantur effectum, volumus, ut præmissis monitionibus præfatis Parochi eorum nomina, qui Communionis Paschalis præcepto non satisfecerint, juxta morem Ecclesiæ Romanæ, in Festo S. Bartholomæi Apostoli ejusdem anni ad valvas Ecclesiarum affigant; ut si non timore, saltem pudore a sua perversitate revocentur; ac denique Promotoribus Curiæ Archi-Episcopalis deferantur, ut contra illos censuris, aliisque pœnis Canonicis procedatur. *Anno* 1699.

IX.

Non sunt deneganda Sacramenta ob non solutionem jurium Parochialium.

Sicut Sepultura denegari non debet defuncto propter non solutionem jurium Parochialium, ita nec Sacramenta Ecclesiastica ob similem causam recusari. *Ex Statutis* 1573.

X.

Nullus Sacerdos Sacramenta administret, priusquam approbationem suam ostenderit.

Ut occurratur abusibus, qui fiunt per Presbyteros approbatos ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ; quia iterum plures Curati conqueruntur multos Sacerdotes approbatos immiscere se Sacramenti Pœnitentiæ administrationi, antequam ipsorum approbationem exhibuerint Ecclesiæ Curato, in qua prætendunt dictam administrationem: Renovamus hic, quod desuper a Nobis in Synodo, 22. Maji anni millesimi sexcentesimi quadragesimi habita, mandatum ac publicatum fuit: ut nimirum nullus Sacerdos approbatus audeat administrare Sacramentum Pœnitentiæ, antequam ostenderit Ecclesiæ Curato suam approbationem legendam & recognoscendam. *Ex Stat.* 1645.

TITULUS XI.
De Baptismo.
STATUTUM I.

Baptismus infantium non debet differri.

Statuimus, ne parentes domi sine Baptismo diu servare audeant pueros recenter natos; sed statim, vel quo citius fieri poterit, eos ad Ecclesiam deferant, ut renascantur; & ex iræ filiis filii gratiæ fiant; terribile namque est, quod Dominus minatur, cum dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, Regnum Dei introire non poterit.* Quapropter qui imposterum ausus fuerit recenter natos domi suæ sine Baptismo servare, gravi a Nobis pœna plectetur, qualiscumque dignitatis & præeminentiæ existat. *Ex Stat.* 1609. *Renovat.* 1651.

II.

Baptismus conferatur in Ecclesia.

Quia relatum Nobis fuit, plures infantes absque necessitate baptizari indifferenter in privatis ædibus, cum de jure illud solum sit permissum in infantibus Principum, seu Magnatum: serio ac districte inhibendum duximus, ut hic inhibemus, ne quis inposterum præsumat extra casum necessitatis, quisquis ille sit, absque expressa nostra, seu Vicarii nostri Generalis licentia, baptizare aliquem infantem in privatis ædibus, nisi sit infans Principis, aut Magnatis; idque sub pœna in eventum contraventionis per Nos arbitranda. *Ex Stat.* 1649. *Renovat.* 1651.

III.

Infantes, de quorum Baptismo dubitatur, baptizandi sunt sub conditione.

Infans, qui reperitur expositus, nec scitur a quo, nec apparent signa, vel testimonia, sitne baptizatus, nec ne: debet baptizari sub conditione, videlicet: *Si tu es baptizatus, ego non intendo te baptizare: Sed si tu non es baptizatus, ego baptizo te, &c.* *Ex Stat.* 1573.

IV.

Infantes ab utero mortui baptizari prohibentur.

In plerisque locis nostræ Diœcesis (ut accepimus) Sacerdotes quidam male docti baptizare præsumunt infantes mortuos ab utero matris: quos quædam vetulæ mulieres ebriosæ & modicæ conscientiæ, in Ecclesiis per duos, tres, vel plures dies observant, & postea testificantur signa vitæ in eis appa-

apparuiſſe, & poſthac in loco religioſo & ſacro ſepeliunt: cum præmiſſa (ſi vera eſſent) miraculoſa deberent merito dici. Ad quorum approbationem major indagatio & verificatio requiritur, quam ſit teſtimonium vetularum. Cum igitur cum fidelibus nonniſi fideles ſepeliantur, ideo ne talia de cætero fiant ſine noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis, ſeu Officialis licentia, omnino prohibemus. *Ex Statutis* 1592. & 1656.

V.

De baptizatis ab Hæreticis.

Si baptizatus a Sacramentariis, aut aliis hæreticis, Eccleſiæ Catholicæ reconciliationem poſtulet, & vere baptizatum eſſe conſtet, adeat Epiſcopum; per eum injuncta pœnitentia reconciliabitur. Si vero facta inquiſitione diligenti dubitetur eſſe baptizatum, & baptizari ſecundum ritum Romanæ Eccleſiæ velit: eadem obſervabuntur, quæ ſupra diximus facienda circa illos, qui a laicis perſonis non certo baptizati, offeruntur in Eccleſia. Quia licet hæretici plerique noſtri temporis vere baptizent: a cæremoniis tamen noſtris & Eccleſiæ Romanæ diſſentiunt. Quo fit, ut aliqui ſe baptizatos vere dubitent; quod facere non debent, ſi de forma & materia adhibita certi ſint. Quare interrogabuntur ipſe baptizandus & patrini, de modo & forma, quibus ab hæreticis baptizatus fuerit. Si vero dubitetur de forma: tunc utetur forma conditionali ſuperius tradita: *Si tu es baptizatus, ego te non baptizo, & ſi tu non es baptizatus,* &c. Et cæteris, ut dictum eſt, peractis, indutus baptizatus ſuis indumentis, audiet Miſſam, tenens facem accenſam in manibus, quam offeret in Offertorio: Patrini vero levantes, offerent panem & vinum: & accepta Communione & benedictione Sacerdotis, dimittentur in pace. *Ex Stat.* 1573.

VI.

Nomina Paganorum vel Judæorum in Baptiſmo non imponantur.

Cum ab initio naſcentis ſæculi non rebus tantum, ſed & perſonis nomina Deus indiderit, nomenque Divi Joannis Baptiſtæ ab Angelo pronunciatum, Chriſtianorum morem in imponendis eorum, qui ſacro Baptiſmatis fonte regenerantur nominibus, divinitus inſtitutum facile ſuadeat; ne adverſarios noſtræ fidei imitari videamur, quorum ne quidem phraſibus uti ex veteris Statuti decreto licet; Parochos omnes & alios quoſcumque, quos deinceps Sacramentum Baptiſmi conferre contigerit; monemus & adhortamur, ne Ethnicorum, Judæorumve nomina, ſed Sanctorum (quorum id venerationi ſubtrahere nituntur hæretici) imponi patiantur. *Ex Stat.* 1604.

VII.

Non admittantur pro Patrinis Hæretici.

Ut in circumvicinis Burgundiæ Provinciis commixtas oves ab hœdis ſeparemus; & qui in dextris collocati ſunt, nihil habeant commune cum ſiniſtris: prohibemus, ne quis inpoſterum patrinum, aut matrinam ex hæreticis, ad prolem ſuam in Baptiſmatis fonte ſuſcipiendam ſeligat, inhibentes omnibus & ſingulis Biſuntinæ Diœceſis Parochis, ſeu Vicariis, tales aut eorum Procuratores ad id muneris admittere. *Ex Stat.* 1660.

VIII.

Pueri ante ſeptimum annum ætatis non ſint Suſceptores.

Cum patrini & matrinæ in Sacramento Baptiſmi ad fidem pro renatis dandam præcipue adhibeantur, & pueri hujusmodi officio prorſus inhabiles frequenter recipiantur; ſerio prohibemus, ne ullus ad ſuſcipiendum e ſacro Fonte infantem inpoſterum admittatur, qui annum ætatis ſeptimum non attigerit, ac fidei rudimenta cum Oratione Dominica & Symbolo Apoſtolorum non ſciverit. *Ex Statutis noſtris* 1670.

IX.

Neque Religioſi ſint Patrini.

Religioſi non debent pueros in Baptiſmo tenere, neque commatres habere, dum alii reperiri poſſunt. *Ex Stat.* 1573.

X.

X.

Neque Sacerdotes, nisi fuerint consanguinei.

Ne deinceps Ecclesiastica dignitas per nimiam, ac etiam quandocumque suspectam, cum Laicis familiaritatem vilescat: interdicimus omnibus Parochis, Sacerdotibus, cæterisque in sacris Ordinibus constitutis, infantium susceptores, sive, ut vocant, compatres in Baptismi Sacramento fieri; nisi forsan consanguinei parentibus ipsius baptizandi, usque ad tertium gradum inclusive, extiterint. *Ex Statutis* 1676.

XI.

Plures Susceptores quam duo non admittantur.

Quia in Baptismo contrahitur cognatio spiritualis inter plures personas, propter quam multa Matrimonia impediuntur fieri: idcirco non admittantur plures, quam duæ personæ; videlicet unus vir & una fœmina, in levatione unius infantis. Sciscitetur autem Parochus diligenter, antequam ad Baptismum accedat, quisnam electus sit ad suscipiendum infantem de sacro Fonte, ne alius se pro Patrino gerat, licet puerum tangat vel teneat. *Ex Stat.* 1573.

XII.

De Libro seu Registro Baptizatorum.

Sacerdotes Parochiales habeant librum seu registrum, in cujus principio scribant annum, in quo inchoabitur, & consequenter mensem & diem Baptismi cujuslibet infantis, nomen ipsius & nomina genitorum ipsius, nomina patrinorum & matrinarum; sic scribendo: *Petrus filius Joannis & Mariæ, natus die tertia Maji, baptizatus die vigesima ejusdem mensis: cujus Patrini fuerunt Gerardus talis & Catharina talis. Ex Statutis* 1573.

XIII.

Quanta cura hujusmodi Registrorum sit habenda.

Cum permulta sint tam in Ecclesiastico, quam in sæculari foro, non levis momenti negotia, ad quorum decisionem ætatis probatio petitur ex libris infantium baptizatorum, seu registrorum, ut vocant; de quibus ideo propria Parochi vel Vicarii manu sub certa forma scribendis, aut saltem subsignandis, in tuto ac honesto loco reponendis, diligenter custodiendis, novisque Ecclesiarum Parochialium Rectoribus restituendis, veterum & nostrorum Statutorum Decretis abunde satis cautum fuerat: quia tamen vel nimia Parochorum incuria, vel eorum frequenti mutatione, aut alias fortuito casu, in grave subditorum nostræ Diœcesis præjudicium, quandoque desiderantur, aut omnino depereunt: posthac quotannis a singulis Parochis subsignata exemplaria suo Decano in qualibet Maji Synodo huc transferenda, & in decenti Palatii nostri loco sub duplici clave ab iis, qui ad hoc a Nobis deputati fuerint, conservanda, offerri, & tradi, sub inobedientiæ pœna jubemus, ut ipsorum originalium, si quo casu desint, vicem suppleant. *Ex Stat.* 1591. *Renov.* 1593. & 1669.

XIV.

Non solum Baptizatorum, sed & Nubentium ac Defunctorum Registra habenda.

Nimia Parochorum incuria, circa debitam Registrorum suæ cujusque Ecclesiæ asservationem, Nos cogit præcedentia Statuta super eorum diligenti confectione antehac publicata renovare: quapropter iisdem, sub pœna a Nobis aut Officiali nostro arbitranda, præcipimus libros compactos habere, in quibus præter infantium Baptizatorum, & eorum, qui Matrimonio junguntur, adhuc etiam Defunctorum nomina, cujusvis ætatis fuerint, exacte describant; ordinantes Procuratoribus nostris Fiscalibus & Generalibus singulis annis accurate inspicere, ut contra eos, qui negligentes fuerint, & minus correcte hujusmodi libros tenuerint, sine dilatione inquirant. *Ex Stat.* 1671.

XV.

Idem præcipitur.

Nobis innotuit Parochos, etiam post Ordinationes Regias, omnimodam curam non adhibere ad Registra Baptizatorum & Conjugatorum conservanda, & esse periculum, ne libri, qui singu-

ſingulis annis ad hoc conficiuntur, ob eorum tenuitatem facile amittantur; propterea injungimus Parochis & Vicariis, ut præter hos libellos ſingulis annis Judicibus ſæcularibus tradendos, aliud majus volumen apud ſe retineant, in quo articulos tam baptizatorum, & conjugatorum, quam confirmatorum & defunctorum deſcribant, ac ſubſignent, uti antiquioribus hujus Diœceſis Statutis cavetur. *Anno* 1688.

XVI.

Nomina Baptizatorum in aliena Parochia ad proprium Parochum remitti debent.

Volumus, ut ubicumque ob cauſam neceſſitatis aut aliam contigerit infantes baptizari ab aliis, quam a propriis Parochis, ut Sacerdotes, qui tales infantes extra ſuam Parochiam ſic baptizaverint, teneantur intra quindecim dies a die Baptiſmi, mittere hujusmodi memoriale ad proprium infantis Parochum, qui tenebitur deſcribere nomina ſic baptizatorum, eorum parentum, & patrinorum, & matrinarum in ſolitis ſuæ Parochiæ regiſtris. *Ex Stat.* 1646.

XVII.

Obſtetrices in qualibet Parochia eligendæ.

Obſtetrices communibus Parochianorum ſuffragiis ad eum effectum congregatis eligentur probæ vitæ, & in baptizandis pueris peritæ; quarum ſic electarum conſuetum juramentum tenebuntur Curati recipere, niſi legitimam cauſam habeant, propter quam eas admittere non debeant; quam Scabinis illico ſignificabunt, ut ad novam procedatur electionem; & ſi aliqua inter eos oriatur difficultas, Nobis, aut Vicario Generali, vel Officiali ſignificabitur, ut partibus auditis, quod juris erit & rationis, ſtatuatur. *Ex Stat.* 1614.

XVIII.

Docendæ Obſtetrices de modo & forma Baptiſmi.

Doceant Curati obſtetrices & ſuos Parochianos integre, fideliter, & devote proferre verba formæ Baptiſmi in vulgari ſermone: *Je te baptiſe au Nom du Pere, & du Fils, & du Saint Eſprit,* ut miniſtrare poſſint illud in forma Eccleſiæ, ſi caſus neceſſitatis emerſerit, & doceant eas, quod ſimul cum prolatione verborum debent tenere infantem, & immergere illum in aquam, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ; & quod habeant intentionem baptizandi ſecundum ordinationem Catholicæ Eccleſiæ. *Ex Stat.* 1573.

XIX.

Si de veritate Baptiſmi per Obſtetricem collati dubium ſit, ſub conditione iterari debet.

Sacerdos interroget diligenter obſtetrices, & alias perſonas, quæ deferunt infantes ad baptizandum: ſi propter aliquod periculum vitæ infantis, de quo dubitaverint, illum baptizaverint, annon; ſi reſponderint quod non, procedat ad Exorciſmos, & alia per ordinem, prout in libro Manuali continentur; ſi vero infans baptizatus fuerit, interroget de forma verborum prolatorum; quæ ſi integre & debito modo prolata fuerint, non erit infans ulterius baptizandus: quia Sacramentum eſt non reiterabile; debet autem catechiſari & exorciſari, ut Ritus Eccleſiæ ſervetur. Si vero re diligenter perquiſita, dubitet Sacerdos probabiliter, quod verba & alia neceſſaria non fuerint prolata & obſervata, baptizet ſub hac forma: *Si tu non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Aliter vero nunquam ei fas erit. *Ex Stat.* 1573.

XX.

Obſtetrices infantes illegitimos baptizandos offerentes, nomen Patris declarent.

Item, quia pleræque mulieres, ſeu obſtetrices ad tegendos illegitimorum infantium veros patres, falſos, ut Nobis relatum eſt, non ſine injuria ſeu ſcandalo ſupponunt: prohibemus, ne aliqua obſtetrix, ſeu quævis alia mulier audeat inpoſterum curare baptizari infantes ſub nomine patris ſuppoſito, ſub pœna, quod in ipſam procedetur tanquam in falſitatis ream, & alia per Nos arbitranda: mandantes omnibus & ſingulis Parochis, ut non, niſi præ-

ſtito

ſtito per eas de dicenda ſuper veritate patris ipſis nota juramento, ad Baptiſmum dictos infantes admittant; de eo diligenter inquirant, & ad Venerabilem Procuratorem Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis Generalem, puniendum deferant; prout puniendos etiam eſſe graviter pro modo culpæ volumus ipſos Curatos & Presbyteros, qui tale aliquid committere auſi fuerint. *Ex Statutis* 1630.

XXI.

Moneantur Parentes, ne infantem ante annum ſecum in lecto decumbere faciant.

Parochi, ſtatim baptizatis ipſis infantibus, præcipient, ne parentes, nutricesve ſecum in lecto dictos infantes teneant ante annum; ſic enim evitabuntur ſcandala, quæ quotidie in infantium ſuffocatione oriri, non ſine ſummo animi dolore, audimus & cernimus. Illos inſuper moneant, ut dictos infantes ab igne & aqua præſervent, omnique alio periculo, quatenus ſeipſos tueri poſſint. *Ex Stat.* 1609.

XXII.

Fontes baptiſmales ſint clauſi & ornati.

Parochi Fontes baptiſmales cum pelvi nitide & cum decore teneri curent, iisdem ſuperpoſito levioris ac decentis panni tapete, ſumptibus Parochianorum. *Ex Stat.* 1661.

TITULUS XII.

De Confirmatione.

STATUTUM I.

Confirmandi debent prius confiteri.

Suſcipientes Sacramentum Confirmationis, ſi ſint adulti, debent eſſe confeſſi, ut illud digne ſuſcipiant: & de honeſtate debent eſſe jejuni. *Ex Stat.* 1573.

II.

Confirmatio ſolum conferatur iis, qui recordari poſſint.

Pueris non conferatur, donec memoriam habeant competentem, ne ignorantes ſe eſſe confirmatos, faciant ſe denuo confirmari. Ideo admoneantur de alapa, quam daturus eſt Epiſcopus, ut ex hoc ſigno ſe recepiſſe recordentur hoc Sacramentum. *Ex iisdem Statutis.*

III.

Confirmati id debent ſuis Parochis ſignificare.

Qui Confirmationis Sacramentum deinceps recipient, ſua & ſuorum Suſceptorum nomina, cum deſignatione loci, diei & anni ſuſcepti Sacramenti propriis Parochis, aut eorum Vicariis dare tenebuntur; Parochi vero & Vicarii ea omnia in particularibus & ad hoc deſignatis & conſervandis libris gratis exſcribere; ne inpoſterum cognatione ſpirituali affines Matrimonium, non habita diſpenſatione, contrahant. *Ex Stat.* 1614.

IV.

Confirmandi non accedant ſine licentia ſui Parochi in ſcriptis danda.

Quia plurimum refert, ut Sacramentum Confirmationis a Fidelibus digne ſuſcipiatur, Parochi & eorum Vicarii diligenter doceant illius utilitatem, effectus, diſpoſitiones requiſitas, & quod ſine ſacrilegio reiterari non poſſit: cumque ſufficienter inſtructos ad Nos transmittere voluerint, ipſis ſchedam gratis tradere teneantur, in qua nomen & cognomen confirmandi exprimant & ſubſignent, ac poſtmodum in Regiſtro deſcribant: declarantes nullum deinceps ad iſtius Sacramenti ſuſceptionem a Nobis fore admittendum, qui ſine hujusmodi charta acceſſerit. *Anno* 1700.

V.

Parochi habeant Regiſtrum Confirmatorum.

Quia relatum Nobis fuit, non obſervari fere per totam hanc Diœceſim, quod per Decretum viſitationis generalis ſerio ac ſalubriter ordinatum fuit de Confirmatis deſcribendis in Regiſtris particularibus Curatorum; item & levantium nominibus, cum deſignatione loci, diei & anni; cum illud plurimum referat ſcire ob affinitates ſpirituales inde provenientes, juxta Decre-

tum Sacri Concilii Tridentini in Capite secundo, incipiente: *Docet experientia*, sub finem Sessionis 24. *de Reformat.* Idcirco dictum Decretum, ut ad omnium notitiam deveniat, renovandum & inserendum hic duximus de verbo ad verbum, prout sequitur.

Decretum Sacri Concilii Tridentini.

" Ea quoque cognatio, quæ ex " Confirmatione contrahitur, confir- " mantem, & confirmatum, illiusque " patrem ac matrem, ac tenentem non " egrediatur: omnibus inter alias per- " sonas hujus spiritualis cognationis " impedimentis omnino sublatis." *Ex Stat.* 1645. *Renov.* 1669.

TITULUS XIII.

De Eucharistia.

STATUTUM I.

Eucharistia a jejunis sumi debet, nisi in necessitate.

Hoc Sacramentum sumi debet a jejunis (id est ante cujuslibet alterius rei cibum vel potum) exceptis infirmis, & in necessitate constitutis: in quibus periculum est de vita. Quia talibus si humiliter petant, debet ministrari sive ante prandium, sive post, sive de die, sive de nocte, nisi sit periculum, quod statim post sumptionem illud evomant; quia tunc non esset dandum. *Ex Stat.* 1573.

II.

Muto dari potest.

Mutus in suis negotiis discretus, potest recipere Corpus Christi, si petat, & in eo appareant signa devotionis & fidei. *Ex iisdem Statutis.*

III.

Recepturi Eucharistiam ante & post sint ore detecto.

Omnibus ac præsertim mulieribus ordinamus, ad sacræ Eucharistiæ sumptionem, debita cum reverentia & aperto vultu accedere, injungentes Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, aliisque Presbyteris, ut iis, qui ad sacram mensam ore velato accedunt, sacrum Corpus minime ministrent, nisi facie discooperta; quam etiam apertam post sumptionem, & consumptionem sacratissimi Corporis Christi, atque sumptam ablutionem, teneri procurabunt, idque ut scandala, & pericula maxima, quæ exinde evenire possunt, evitentur. *Ex Stat.* 1658.

IV.

Post Communionem vinum Laicis non porrigatur in Calice.

Ut omnis tollatur abusus, quo plerique vinum purum, quod post susceptam Eucharistiam Laicis exhibetur, Sacramentum Sanguinis Christi erronee esse putant: omnibus nostræ Diœcesis Sacerdotibus serio prohibemus, ne vinum illud in calice, sed in profano vase, & sine ulla verborum prolatione Laicis, vel etiam Presbyteris, aliena manu sacram Communionem sumentibus, propinandum per se, aut per alium tradant. *Ex Stat.* 1604.

V.

Vas St. Eucharistiæ sit mundum.

Curent omnes & singuli Curati, aliique Ecclesiarum Rectores, Tabernaculum, vasaque sacra, in quibus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum reponitur & asservatur, in majori qua poterunt munditia & nitore habere, nec ipsa pannis, aut linteolis semiputridis vel consumptis, quæ corruptionem, vermesque parere possunt, obvolvere. *Ex Stat.* 1651.

VI.

Pyxides, in quibus asservatur sacra Eucharistia, sint ex argento. Ejus quoque frequens expositio prohibetur.

Cum nihil præstantius & veneratione nostra dignius habeamus in Ecclesia, quam augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, merito honoris ejus augmento continua solicitudine invigilare debemus. Ne ergo irreverenter & cum minori decentia, quam par est, asservetur: Ordinamus, ut nonnisi in pyxidibus sive ciboriis mundis, quarum cuppæ sint argenteæ, non vero ex ære aut stanno confectæ, deinceps detineatur. Et quia constat ex nimis frequentibus & indiscretis tremendi hujus

hujus Sacramenti exhibitionibus, reverentiam illi debitam minui potius, quam augeri; prohibemus quascumque illius expositiones & benedictiones ab Ecclesia minime præscriptas, nisi a Nobis fuerint approbatæ, vel ab immemoriali tempore in quibusdam Ecclesiis fundatæ reperiantur. *Anno* 1681.

VII.

Singulis mensibus renovent Hostias consecratas.

Ordinamus etiam prædictis nostris Parochis, aliisque Ecclesiarum Rectoribus consecratas Hostias, quæ in Ecclesiis asservantur, singulis saltem mensibus consumere, novasque consecratas in earum locum absque interruptione substituere. *Ex Stat.* 1651.

VIII.

Lampas coram Tabernaculo Ss. Sacramenti semper ardeat.

Cum sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum satis venerari nequeat, & nihilominus per Decanos Rurales Bisuntinæ nostræ Diœcesis Nobis relatum fuerit, piam illam antiquam & laudabilem ejusdem Eucharistiæ Sacramenti adorationem ac venerationem tepescere, pendentibus præsertim ultimis bellorum procellis; antiqua super hujusmodi lumine accendendo Decreta Synodalia renovamus; præcipientes Diœcesanis nostris lampadem continuo ardentem coram augustissimo Eucharistiæ Sacramento in qualibet Ecclesia Parochiali Diœcesis nostræ, sumptibus Parochianorum habere; injungentes Parochis hujusmodi nostrum Decretum observari curare. *Ex Stat.* 1661. *Renovat.* 1664. 1666.

IX.

Idem præcipitur.

Cum nihil magis Sacerdotibus curæ esse debeat, quam ut augustissimum Eucharistiæ Sacramentum summo cultu & honore afficiatur, ejusque præsentia in Templis, juxta antiquum Ecclesiæ institutum, per lumen indeficiens innotescat; hunc sanctissimum morem in pluribus locis negligi advertentes, necessarium duximus priora Statuta super hoc edita renovare. Quapropter mandamus Parochianis, ut in Templis, ubi hoc Venerabile Sacramentum asservatur, lampadem diu noctuque ardentem sedulo nutriant. Præcipientes Parochis & eorum Vicariis huic ordinationi nostræ assiduo invigilare; ita ut quoties per Æditruorum incuriam, vel Parochianorum culpam, lampades extinctas invenerint, earum loco majorem cereum juxta Altare positum, accendant. Quia vero ipsimet Parochi nonnunquam minus soliciti sunt de tanti thesauri securitate, quam de propriarum pecuniarum custodia: iisdem injungimus, ne clavem Tabernaculi super Altare relinquant, aut alibi reponant, ubi facile a Laicis deprehendi possit. *Anno* 1686.

X.

Renovantur præcedentia Statuta super eadem re.

Etsi hactenus omnem curam adhibuerimus, ut augustissimum Eucharistiæ Sacramentum cum ea, qua par est, reverentia colatur; & ideo Parochianis sæpius injunctum fuerit, ut lampadem accensam in Ecclesiis, ubi asservatur, fovere curarent: verum quia pluribus in locis nostræ jussioni non paretur; mandamus Parochis, ut populos moneant hoc sanctissimum Sacramentum in eorum Ecclesiis non fore custodiendum, si illic lampas diu, noctuque non arserit; de quo Nos certiores reddere tenebuntur, ut super tam gravi defectu providere valeamus. *Anno* 1689.

XI.

Exposito sanctissimo Sacramento cerei remaneant accensi, & adsint coram eo orantes.

Memores sint omnes, & singuli Rectores Ecclesiarum, sive Parochialium, sive Regularium, die festo Solemnitatis augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, & per totam Octavam, lampades accensas, seu cereos coram augustissimo Sacramento habere, & curare, uti, juxta antiqua Statuta, sine interruptione, aliquis in Ecclesia custos, vel orans permaneat. *Ex Stat.* 1653. *Renovat.* 1660.

TITULUS XIV.
De Pœnitentia.
STATUTUM I.
Quinam Confessiones audire possint.

Licet Presbyteri omnes potestatem habeant remittendi peccata, non omnes tamen habent ejus potestatis executionem, sed Pastores ordinarii solum, videlicet Curatus, Episcopus, summus Pontifex, & qui ab Episcopis approbati, delegantur seu committuntur; excepto tamen mortis articulo, quo casu omnis Sacerdos potest non solum a peccatis omnibus absolvere, sed & ab omni excommunicatione. *Ex Statutis* 1560.

II.
Non omnes jurisdictionem spiritualem habentes, possunt approbare ad Confessiones audiendas.

Quia plerique etiam Regulares, seu Capitula, etiam Metropolitanarum, seu Cathedralium Ecclesiarum, exempta, prætendebant privilegia, quibus liceret ipsis, non obstante Concilio Tridentino, approbare ad Sacramentales personarum sæcularium Confessiones audiendas, Sacerdotes ex ipsorum Ordinibus, Collegiis, seu Capitulis: Ss. Dominus URBANUS Papa VIII. sua Constitutione de data 12. Septembris anni 1628. cum clausulis prægnantissimis illa revocavit, cassavit, & annullavit; ita ut solis Ordinariis locorum illud approbandi jus competat. Quam Constitutionem ut omnibus innotescat, in hac Synodo publicari voluimus. *Ex Stat.* 1627.

Tenor Bullæ hic memoratæ.

URBANUS PAPA VIII.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" Cum, sicut accepimus, aliquibus " Religiosis quorumdam Ordinum " seu Congregationum, a Sede Apostolica indultum fuerit, ut Sacramentales personarum sæcularium Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati & approbati non fuerint; nec desint, qui temere assererent hoc ipsum privilegium, cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerint; & hinc saluberrimum sacri Concilii Tridentini Decretum desuper sancitum penitus coerceatur: Nos huic malo opportune providere volentes, de Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, Regularium Præpositorum consilio, omnia & singula indulta hujusmodi audiendi sæcularium confessiones, absque Ordinarii examine & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati JESU, Congregationibus & Ordinibus tam mendicantium, quam non mendicantium, nec non Monachorum quorumcumque, etiam S. Benedicti, Cisterciensis, & Carthusiensis, ac quibusvis Militii, etiam Hospitalis sancti Joannis Hyerosolimitani, etiam quibuscumque Ecclesiis, etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis piis, sive eorum & earum respective Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus vel Provincialibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ & conditionis existentibus, & quovis privilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hactenus, quandocumque & qualitercumque, ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa, & alias quomodolibet concessa, Apostolica authoritate tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, viribusque & effectu evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata & annullata, viribusque & effectu vacua esse & fore; nec Religionibus, Societatibus, etiam Societatis JESU, Congregationibus, Ordi-

" Ordinibus ac Militiis, & Ecclefiis, " Monafteriisque prædictis, eorumque " Superioribus, & perfonis quibuscumque inpofterum ullo modo fuffragari, minusque illos & illas, " etiamfi de iis fpecialis, fpecifica, expreffa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis hujusmodi uti poffe: Præfentes vero literas & in eis contenta quæcumque, " etiam ex eo, quod quicumque in " præmiffo intereffe habentes, feu habere prætendentes, ad hoc vocati & " auditi non fuerint, de fubreptionis " vel obreptionis vitio, aut intentionis " noftræ, vel alio quocumque defectu " notari, impugnari, redargui, in jus " vel controverfiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverfus illas " quodcumque juris, gratiæ vel facti " remedium impetrari nullatenus poffe; fed illas femper validas & efficaces exiftere & fore, fuosque plenarios & integros effectus fortiri & " obtinere; ficque per quoscumque " Judices ordinarios & delegatos, etiam " caufarum Palatii Apoftolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de " Latere Legatos Nuncios, fublata " eis & eorum cuilibet. quavis aliter " judicandi & interpretandi facultate " & authoritate, judicari & definiri " debere, ac irritum & inane quidquid fecus fuper his a quoquam, " quavis authoritate, fcienter vel ignoranter contigerit attentari: Decernimus & declaramus, non obftantibus " præmiffis, ac quibusvis Conftitutionibus & Ordinationibus Apoftolicis, " Privilegiis quoque, Indultis & Literis Apoftolicis, Ordinibus, Societatibus & Congregationibus prædictis, eorumque Præpofitis, Decanis, " Magiftris, Abbatibus, Miniftris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis " Superioribus, Capellanis, aliisque " prædictis, fub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis " etiam derogatoriarum derogatoriis, " aliisque efficacioribus & infolitis " claufulis ac irritantibus, & aliis Decretis in genere vel in fpecie, ac alias " in contrarium quomodolibet conceffis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & fingulis, etiamfi pro " illorum fufficienti derogatione de " illis, eorumque totis tenoribus fpecialis, fpecifica, expreffa & individua, ac de verbo ad verbum, non " autem per claufulas generales idem " importantes, mentio feu quævis alia " expreffio habenda, aut aliqua alia " exquifita forma ad hoc fervanda foret: Tenores hujusmodi præfentibus " pro plene & fufficienter expreffis, " & ad verbum infertis habendum; " illis alias in fuo robore permanfuris, " hac vice duntaxat fpecialiter & expreffe derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus " autem, quod præfentium tranfumptis, etiam impreffis, manu alicujus " Notarii publici fubfcriptis, & figillo " perfonæ in dignitate Ecclefiaftica " conftitutæ munitis, eadem prorfus " ubique fides adhibeatur, quæ ipfis " præfentibus adhiberetur, fi forent " exhibitæ vel oftenfæ: Quodque eædem præfentes literæ, feu illarum exempla, ad valvas Bafilicarum S. Joannis Lateranenfis, ac Principis Apoftolorum de Urbe, & in acie Campi " Floræ affixa, omnes ita arctent & " afficiant, ac fi unicuique perfonaliter " intimata fuiffent. Datum Romæ apud " S. Mariam majorem, fub annulo Pifcatoris, die 12. Septembris 1628. " Pontificatus noftri anno fexto."

M. A. Maraldus.

III.

Parochi per totam Diœcefim poffunt confeffiones audire, non tamen eorum Vicarii.

Declaramus etiam, Parochos poffe per totam Diœçefim, de confenfu tamen aliorum Parochorum, confeffiones excipere: quod Vicariis, & illis, qui folum ad tempus Parochiarum adminiftrationem habent, minime licere volumus, nifi antea facultatem a Nobis, vel Vicario noftro Generali ad id fpecialem obtinuerint. *Ex Stat.* 1669.

IV.

Sacerdotes in alia Diœcefi approbati, non poffunt Confeffiones in ifta audire, fine nova approbatione.

Cum relatum Nobis fuerit, quosdam Sacerdotes & Parochos ex alienis Diœ-

Diœcesibus ad hanc frequenter accedere, aut etiam aliquando accersiri, ut Diœcesanorum nostrorum confessiones excipiant, sola sui Ordinarii approbatione muniti, quas defectu sufficientis jurisdictionis nullas esse constat: ideo prohibemus, ne ullus omnino Sacerdos, sive sæcularis, sive Regularis, quamvis in alia Diœcesi approbatus, in ista Sacramentum Pœnitentiæ deinceps administrare permittatur, priusquam a Nobis, aut Vicario nostro Generali legitimam approbationem in scriptis obtinuerit. *Ex Stat.* 1678.

V.

Nullus Sacerdos admittendus ad audiendas Confessiones, nisi approbationem ostenderit.

Abusus invalescentes ex quorumdam Sacerdotum tam sæcularium, quam Regularium temeritate, qui sine legitima approbatione fidelium confessiones excipiunt, Pastores inducere debent omnimodam adhibere diligentiam, ut detrimenta gregi suo inde secutura propellant: quapropter præcipimus Parochis & eorum Vicariis, aliisque curam animarum habentibus, ne ullos Sacerdotes, sive sæculares, sive Regulares ad confessiones audiendas, aut verbum Dei prædicandum intra suarum Parochiarum limites admittant, priusquam facultates a Nobis obtentas, saltem semel quolibet triennio in debita forma conspexerint; ut si quas suspectas, aut jam finitas deprehenderint, eas omnino rejiciant, Nosque de his statim certiores reddant. *Anno* 1690.

VI.

Finito termino approbationis, Confessarii novum examen subire tenentur.

Novam Operariorum Diœcesis nostræ velut lustrationem instituentes, volumus & statuimus, eos omnes, qui antehac Sacramenti Pœnitentiæ administrationi ad tempus incubuerunt, rursum, finito termino, quantum ad doctrinam moresque examinari; ne quis haud satis cognitus vel probatus, tam excelso ministerio temere & cum proximi scandalo se immisceat. Prohibemus autem omnibus ac singulis Diœcesis nostræ Confessariis, ne usque adeo muneris sui obliviscantur, ut spe modici lucelli, pravi inter omnes exempli, ad hoc ministerium accedant. *Ex Stat.* 1648.

VII.

Nullus sine licentia expressa absolvat a Casibus reservatis.

A Casibus Nobis reservatis, aut jure, vel Synodali Constitutione, seu inveterata consuetudine, nullus omnino ausu temerario audeat absolvere, nisi de nostra, vel Vicarii nostri Generalis expressa licentia. *Ex Stat.* 1609.

VIII.

Facultas absolvendi a Casibus in hac Diœcesi reservatis, non extenditur ad Casus specialiter Illustrissimo Archi-Episcopo reservatos.

Noverint porro Confessarii, qui facultatem habent a Casibus reservatis absolvendi, illam non extendi ad eos Casus, quos Nobis specialiter adversus personas Ecclesiasticas reservamus, aut quibus annexa est aliqua censura Nobis reservata. *Ex Stat.* 1691.

IX.

Regulares prætextu Privilegiorum non possunt absolvere a Casibus Ordinario reservatis.

Pastorali muneri incumbit invigilare, ut grex sibi commissus ab omni morbo, maxime vero ob illius gravitatem periculi pleno, per expertos & approbatos Medicos efficacibus & opportunis remediis seu medicinis expurgetur, expurgatusque, ne iterum contaminetur. Sane huic rei providere volentes, summi Pontifices non minus pie, quam prudenter statuerunt, ut non solum sibi, sed Episcopis seu Ordinariis locorum certos Casus, partim ob gravitatem, partim ob scandalum reservarent, & particulariter etiam ob cujusque Diœcesis bonum seu necessitatem, prout expedire videretur, locorum Ordinariis reservandi authoritatem dederint, a quibus nonnisi ipsi, seu ab iisdem potestatem habentes, absolvere possent. Cum tamen plerique quorumdam Ordinum, seu Congregationum

tionum Regulares, a summis Pontificibus Privilegia, etiam post sacrum Concilium Tridentinum obtinuissent, quorum vigore non solum ipsi a casibus summis Pontificibus, sed etiam ipsis locorum Ordinariis reservatis, pene omnes cujusvis Ordinis Regulares per communicationem eorumdem privilegiorum absolvendi potestatem, etiam ipsis Ordinariis renitentibus, in grave animarum præjudicium, prætenderent: Ad omnes inposterum dubietates desuper præscindendas, abususque tollendos, ut animarum periculis ac saluti desuper provideretur, sancte, ex sacræ Congregationis Episcoporum ac Regularium sententia, Sanctissimus D. N. URBANUS Papa VIII. declaravit per Decretum (quod hic, ut ad omnium & singulorum notitiam deveniat, promulgandum visum fuit:) Nulli inposterum cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis vel Instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere a Casibus in Bulla *Cœnæ Domini* contentis, aut Casibus Ordinariis locorum reservatis, cujus declarationis tenor sequitur. *Ex Stat.* 1630.

Decretum Sacræ Congregationis.

" Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacr. Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, si quæ habeant, absolvendi a Casibus Ordinario loci reservatis: quemadmodum nec indulta absolvendi a Casibus contentis in Bulla, quæ in die *Cœnæ Domini* legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus; ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem Casibus in Bulla *Cœnæ*, aut Ordinario loci reservatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fore; ab aliis vero casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, siquidem Regulares habeant a Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse, iisdem sacræ Congregationis Decretis hac de re editis, jussu sanctæ mem. CLEMENTIS VIII. Quam sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembris 1628. F. A. Cardinal. S. Honufr. & *inferius*: Fagnanus Secretar."

Casus in Diœcesi Bisuntina reservati.

Porro Casus tam a Nobis, quam a Prædecessoribus nostris specialiter reservatos hic apponi voluimus; ne ullus ad confessiones audiendas approbatus de iis absolvere præsumat, nisi a Nobis, aut a Vicario nostro Generali hujusmodi facultatem obtinuerit; in qua tamen comprehendere non intendimus potestatem absolvendi ab aliis Casibus in jure Nobis reservatis, nec ab his, quos Nobis specialiter adversus personas Ecclesiasticas reservamus, aut quibus annexa est censura Nobis reservata, sed tantum a sequentibus.

1. Incestus in primo & secundo tam affinitatis, quam consanguinitatis gradu.

2. Stuprum violenter illatum.

3. Carnalis concubitus cum Moniali, etiam non professa.

4. Sodomia, & bestialitas.

5. Adulterium publicum & notorium.

6. Sacrilegium in materia furti, tam rei sacræ in loco non sacro; quam rei non sacræ in loco sacro.

7. Perjurium sive testimonium falsum in judicio.

8. Falsificatio publici instrumenti.

9. Publica ſeu notoria infantium per incuriam craſſam, vel affectatam oppreſſio. *Delinquentes in hac materia remittendi ſunt ad matricem Eccleſiam in die Cinerum, ſuſcepturi pœnitentiam in forma juris, licet abſoluti ab eo, qui habet poteſtatem.*

10. Blaſphemia contra Deum, B. Virginem, Sanctos, vel Eccleſiam & ejus dogmata, cum animo ſeu aſſenſu deliberato, & cum ſcandalo.

11. Injurioſa patris vel matris percuſſio.

12. Voluntarium alienarum domorum incendium.

13. Homicidium voluntarium actu perfectum; ſub quo comprehenditur abortus procuratus.

14. Uſus magiæ & maleficiorum.

15. Sollicitatio mulieris ad libidinem in Sacramento Confeſſionis, etiam effectu non ſecuto.

Supra memoratos Caſus voluimus duntaxat eſſe reſervatos in iis, qui decimum quartum ætatis annum compleverint.

X.

Quando deneganda eſt Abſolutio.

Si confitentem non pœniteat, nec velit vitam emendare, veluti relinquere aliquod impedimentum, propter quod non debeat abſolvi; ut ſi habet concubinam, quam nolit relinquere; ſi eſt uſurarius, nec velit ab eo lucro deſiſtere; ſi odium gerit capitale, & voluntatem offendendi proximum, nec velit illud deponere; ſi Eccleſiaſticus habeat plura Beneficia incompatibilia ſine diſpenſatione, nec velit dimittere; & alia pro conditione & ſtatu pœnitentis. Tunc ſi confitens nolit mutare vitam & deſiſtere ab his, quæ non poteſt ſine peccato retinere, non abſolvetur, quantumvis requirat: ſed poterit ei Sacerdos dare conſilium, & injungere aliquam pœnitentiam, declarando ei, quod propter hoc non eſt abſolutus, nec ſatisfecit mandato Eccleſiæ; & admonebit, ut frequenter audiat ſermones, vel legat pios authores, eleemoſynis, & orationibus, & aliis bonis operibus nitatur obtinere, ut Deus convertat cor ejus ad contritionem, & veram pœnitentiam. *Ex Stat.* 1560. *& Renov.* 1573.

XI.

Excommunicati quando non poſſunt abſolvi.

Non debent abſolvi (ne a Superioribus quidem ſuis) excommunicati propter offenſam notoriam, niſi antea ſatisfecerint: neque incendiarii injuſti: neque mutilatores membrorum: neque violatores Eccleſiarum: neque uſurarii manifeſti: neque injuria notabili afficientes perſonas Eccleſiaſticas arma non deferentes. *Ex Stat.* 1573.

XII.

Pueri ſine Confeſſione non ſunt abſolvendi

Uſum illum, ſeu potius abuſum, duximus abolendum, qui nonnullis in Parochiis hujus Diœceſis Biſuntinæ invaluit, de impertienda abſolutione maſculis & fœminis adultis, iis præſertim annum ſeptimum excedentibus, absque prævia Confeſſione Sacramentali. *Ex Stat.* 1661.

XIII.

Confeſſio complicis non audienda.

Non audiat Sacerdos confeſſionem alicujus perſonæ, de cujus peccato ipſe ſit agens vel conſentiens: ſed talem perſonam remittat ad alium Confeſſorem, data licentia, ſi opus ſit. *Ex Stat.* 1573.

Caſus igitur præcipuos, in quibus aut deneganda, aut differenda eſt Abſolutio, antehac a Nobis, ex his præſertim Statutis collectos, & in lucem editos, iſtic denuo publicare neceſſarium judicavimus, tum ad majorem Confeſſariorum cautelam, tum ut in hujus Sacramenti adminiſtratione uniformitas (ſine qua, uti ſancta Scriptura monet, quod unus ædificat, alter deſtruit) ab omnibus ſervetur. Verum licet ab his regulis recedere non debeant, prudenter tamen & cum ſpiritu lenitatis eas applicare meminerint, ut non minus ſuaviter, quam fortiter agant. Sunt autem ſequentes:

1. Si confitens nullum det ſignum veri doloris; id eſt, ſupernaturalis, aut careat ſincero propoſito vitam mutandi, & a peccatis abſtinendi, deneganda eſt Abſolutio.

2. Si bonum alienum injuſte detinens

tinens nolit restituere, aut si damnis vel injuriis proximo illatis recuset, in quantum potest, satisfacere; deneganda est Absolutio.

3. Similiter qui odium vel inimicitias in proximum fovens non vult ex corde dimittere, aut facere, quod ad se attinet, ut inimico suo reconcilietur; absolvi non debet.

4. Idem & de illo, qui in occasione proxima peccati mortalis existens, quam relinquere potest, negligit tamen deserere. Si vero ipsam evitare nequit, differenda est Absolutio, usquedum ex remediorum spiritualium usu appareat sublatum esse proximum relabendi periculum.

5. Qui aliis peccandi occasionem præbent, nec eam removere volunt, malaque inde nata, quantum possunt, reparare non intendunt, absolvi non debent. Tales sunt *1mo*: qui ludos & conventicula in domibus suis patiuntur, in quibus graviter Deus offenditur per blasphemias, ebrietates, impudicitias, detractiones, &c. *2do*: Qui picturas, seu imagines cujuscumque generis inhonestas, turpes, & ad peccatum provocantes, oculis exponunt, efformant, aut venales habent. *3tio*: Qui libros & scripturas, sive Fidei & Religioni Catholicæ contrarias, sive aliqua obscœna continentes, sive demum bonis moribus adversantes componunt, in lucem edunt, vendunt, aut aliter disseminant. *4to*: Fœminæ, quæ discooperto sinu, seu scapulis incedere solent, maxime si de hujuscemodi immodesto habitu & luxu monitæ non resipuerint; nec absolvi, nec ad sacram Synaxim admitti debent, juxta Decretum a Nobis antehac editum.

6. Qui artem aliquam exercent, cui vacare sine peccato minime possunt, si eam dimittere recusent, absolvendi non sunt.

7. Illis, qui in habitu peccati mortalis morantur, differenda est Absolutio, donec adhibitis remediis emendatio appareat.

8. Differri etiam debet iis, qui ignorant præcipua Fidei mysteria, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Dei & Ecclesiæ, donec ea sciverint.

9. Neque absolvendi sunt, qui sufficienti scientia & cognitione carent rerum necessariarum ad suas artes & officia debite & sine periculo exercenda, aut qui cum notabili negligentia ea exercent.

10. Indigni Absolutione habeantur peccatores manifesti, & qui scandalorum authores fuerunt, donec omnem illorum causam amoverint, & publicam emendationem & satisfactionem exhibuerint.

11. Illos quoque remittere debent Confessarii sine absolutione, imo etiam non audita eorum confessione, quorum peccatis participaverunt, aut complices extiterunt, prout antiquo Statuto cavetur, & adhuc in sequenti Statuto dicetur.

12. Clerici in sacris Ordinibus constituti, vel de Ecclesiastico Beneficio provisi, qui tonsuram & habitum suo Ordini congruentem non deferunt, vel qui sua Beneficia contra Ecclesiæ leges retinent, vel incompatibilia sine dispensatione, vel qui in illis residere negligunt, quando id Beneficii qualitas exigit; Absolutionis beneficio privari debent.

13. Omnes, qui contractus usurarios perficiunt, seu qui aliquod interesse ex simplici mutuo exigunt, absolvendi non sunt.

14. Denique nullus debet aut potest a casibus summo Pontifici, vel Nobis reservatis absolvere, sine licentia legitime obtenta, præterquam in mortis articulo.

XIV.

Renovatur prohibitio audiendi Confessionem complicis, præsertim in materia luxuriæ.

Cum ex antiquioribus Diœcesis nostræ Statutis appareat, prohibitum esse Sacerdoti pœnitentem sui criminis complicem non solum absolvere, sed etiam ejus confessionem audire; advertentes tamen nonnullos inveniri, qui maximo tum sui, tum pœnitentis periculo, tam salubre Decretum infrin-

gere non verentur, innumeris malis inde provenientibus occurrere cupientes, declaramus nullum Confessarium, sive sæcularem, sive Regularem posse complicem suum, in materia luxuriæ valide absolvere, ipsi omnimodam jurisdictionem & potestatem illum absolvendi adimentes. *Anno* 1689.

XV.

Cum Casus enormes occurrunt, remittatur pœnitens ad Ordinarium.

Generaliter autem Confessor sit discretus & attentus in hoc, ut pro omni casu gravi, enormi, inaudito, inopinato & insolito, remittat pœnitentem ad Nos, vel Vicarium nostrum Generalem, ut tali pœnitenti secure, provide ac prudenter possit consuli pro salute animæ suæ, secundum doctrinam ac traditionem juris. *Ex Stat.* 1573.

XVI.

Confessiones non sunt audiendæ in domo, nisi in casu necessitatis.

Sacerdos non audiat confessiones in domo sua, aut camera, nisi confitentes sint infirmi, sed in Ecclesia & loco omnibus patenti: & non in angulis aut loco obscuro: ut tollatur omnis occasio malignandi & obloquendi. *Ex Stat.* 1573.

XVII.

Confessiones mulierum non sunt audiendæ extra tribunalia, neque noctu.

Quamvis a Prædecessoribus nostris salubriter cautum fuerit, ne confessiones, maxime mulierum, in locis privatis, etiam in Sacristiis audiantur; nihilominus comperimus nonnullos Sacerdotes sæculares & Regulares huic mandato minime paruisse: idcirco prohibemus quibuscumque Confessariis tam sæcularibus, quam Regularibus, confessiones mulierum alibi, quam in Ecclesia, & in tribunali in loco patenti erecto, non vero in Sacristiis aut locis obscuris, & extra tribunal audire; idque sub pœna peccati mortalis, cujus absolutionem Nobis specialiter reservamus, nisi ob justam causam illud a Nobis fuerit specialiter concessum. Mandamus insuper, ut tribunalia sint ante Confessarium clausa, & cratibus ex utraque parte munita, utque Confessarii a confessionibus noctis tempore audiendis abstineant. Quod ut strictius executioni demandetur, omnesque irreverentiæ & prophanationes a locis Deo dicatis propellantur, volumus Ecclesiarum & Capellarum januas ante diei occasum diligenter occludi. *Anno* 1702.

XVIII.

Confessiones Monialium non possunt excipi sine peculiari licentia.

Summorum Pontificum Decretis inhærere cupientes, declaramus nullum Sacerdotem, sive sæcularem, sive Regularem, quantumvis approbatum, & facultatem a casibus reservatis absolvendi habentem, Monialium confessiones valide audire posse, nisi ad id expressam licentiam a Nobis, vel Vicario nostro Generali in scriptis obtinuerit; sive illæ ad clausuram adstringantur, sive ab ea sint immunes. *Ex Stat.* 1691.

XIX.

Ægroti post tertium diem a Medico non sunt invisendi, nisi confessi fuerint.

Ut quod olim ad infirmorum salutem ab INNOCENTIO III. in Concilio generali sancitum, & a fœlicis memoriæ PIO V. Divina providentia Papa die 8. Martii, anno 1566. innovatum, qua par est in re tanti ponderis diligentia observetur; conjunctos ac omnes familiares & domesticos infirmorum monemus, ut Parocho statim in ipso infirmitatis initio vocato, simul ægrotum ad Sacramentalem peccatorum Confessionem adhortentur. Si qui vero Medici ad ejus, qui in lecto decumbet, curationem vocati fuerint, idem ab eis, ante omnia (quo anima pretiosior est corpore) custodiri præcipimus: ne tardiore hac admonitione forte territus, in aliquod desperationis, vel etiam mortis periculum facilius incidat; omnibus & singulis prohibentes, ne tertio die medicinæ faciendæ causa ægrotum visitent, nisi eis de peracta, aut ob aliquam justam causam per ipsius Confessarium in aliud tem-

tempus remiſſa confeſſione conſtiterit: alioquin eos non modo ab Eccleſiæ ingreſſu arcendos, ſed & tanquam infames, omni medicinæ gradu, quo fuerint inſigniti, privandos, ac pœna pecuniaria Ordinariorum arbitrio mulctandos eſſe, prout præfatis Concilii Generalis, & PII V. Conſtitutionibus cautum eſt. *Ex Stat. anni* 1590. *Renovatum anno* 1614. 1640. 1670. *&* 1700.

XX.

Quomodo interrogandi ſint pœnitentes.

Sacerdos diſcrete interroget confitentem ſecundum conditionem & ſtatum ipſius; quia alia interrogatoria facienda ſunt Religioſo, alia Militi, alia Sacerdoti, alia Agricolæ, alia Advocato, alia Mercatori, alia diviti, alia pauperi, alia ſeni, alia juveni, alia viro, alia mulieri: ut nihil impertinenter quærat, ſed juxta cujusque ſtatum, gradum, ſexum & qualitatem. Cujus conditionem & ſtatum ſi ignoraverit Confeſſor, petet ante omnia ab eo. *Ex Stat.* 1573.

XXI.

De ſigillo Confeſſionis.

Caveat Sacerdos, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo prodat peccatorem. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio detectum revelat, vel revelare præſumit, graviſſime peccat; hunc non ſolum a Sacerdotali officio deponendum, ſed etiam in arctum Monaſterium detrudendum eſſe jura Canonica ſtatuerunt, ad agendum pœnitentiam perpetuam. *Ex Stat.* 1573.

XXII.

Pœnitens a Confeſſario non inducatur, aut gravetur ad aliquid dandum pro Miſſa.

Non inducat Sacerdos pœnitentem ad dandum aliquid ſibi pro Miſſa, vel aliis orationibus: niſi ipſe ultro offerat, ad evitandam ſuſpicionem ſordium. *Ex iisdem Statutis.*

XXIII.

In Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione nihil eſt a pœnitentibus exigendum, aut recipiendum.

Ut omnis avaritiæ labes ab iis propulſetur, quibus cœleſtium theſaurorum diſpenſatio in Sacramentorum, præſertim Pœnitentiæ, adminiſtratione committitur; prohibemus omnibus Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam Regularibus, ad confeſſiones audiendas deputatis, ne aliquid, etiam ſponte oblatum, in hoc munere obeundo recipiant. Ubi vero contraria conſuetudo invaluit, admonere debent Confeſſarii populum, ut quod ſibi erogare vellet, in Eccleſiæ, ſeu fabricæ uſus impendat. *Anno* 1684.

XXIV.

Singulis annis peccata ſunt deponenda apud proprium Sacerdotem.

Quandoquidem Parochi animarum ſibi commiſſarum ſaluti perpetuo invigilare, & accuratam de ſingulis rationem Deo reddere tenentur; nec tamen id præſtare poſſint, niſi conſcientiæ illarum ſtatum perſpectum habeant, ut quod infirmum eſt conſolidare, quod ægrotum ſanare, & quod confractum alligare valeant; unde & Eccleſia ſolemni præcepto ſtatuerit ſecundum Lateranenſis Concilii Decretum, ut omnis fidelis utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteatur; & ſacra Tridentina Synodus iisdem veſtigiis inhærens, *Seſſ.* 14. *de Sacram. Pœnit. Canon.* 8. eos, qui dixerint ad confeſſionem non teneri omnes utriusque ſexus Chriſti fideles, & ob id ſuadendum eſſe, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ, anathemate feriat: Idcirco ne tam ſalubre præceptum cum maximo animarum detrimento in deſuetudinem abeat, ordinamus omnibus in hac Diœceſi commorantibus, ut diligenter huic Eccleſiæ mandato pareant, & peccata ſua Quadrageſimæ tempore proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia (quam ſine gravi cauſa denegare non debet) ſingulis annis confiteantur; alioqui juxta præfatam Concilii Lateranenſis conſtitutionem, & viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & morientes Chriſtiana careant ſepultura. Quæ cum jampridem in hac Diœceſi ſancita, & identidem commendata inveniantur, tam in antiquis Synodalibus Statutis,

quam in recentioribus, ſub FERDINANDO A RYA, & CLAUDIO D'ACHEY, Prædeceſſoribus noſtris, editis, eadem quoque hiſce temporibus renovare neceſſarium duximus. *Ex Stat.* 1670.

XXV.

Mutus & ignotæ linguæ homo confiteri poſſunt per ſigna vel interpretem.

Mutus poteſt per ſigna confiteri, & homo linguæ extraneæ poteſt confiteri per interpretem, qui linguam utramque calleat; ut inter utrumque ſedens, referat utrique, quidquid ſibi dictum fuerit; & talis interpres ſecretam tenere debet confeſſionem ſicut Sacerdos. *Ex Stat.* 1573.

TITULUS XV.

De Extrema Unctione.

STATUTUM I.

Quis ſit Miniſter hujus Sacramenti.

MIniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos; ideo tenetur ſcire, qui idonei ſunt ad Sacramenta Eccleſiaſtica, qui indigni. *Ex Stat. anni* 1573.

II.

Quibus conferri debet.

Extremam Unctionem ſolis infirmis adhibemus, non tamen omnibus, ſed tantum iis, qui periculoſe laborant, ubi de morte probabiliter timetur, quaſi extremum Sacramentum; illis autem (qui nihil peccarunt) & furioſis non debet dari, niſi quando furioſi lucida habent intervalla, & periculum non eſt de ſcandalo. *Ex iisdem Stat.*

III.

Quid agendum, ſi æger, dum ungitur, expiret.

Cum hoc Sacramentum mortuo dari non debeat, ſi inter ungendum æger moriatur, ceſſandum erit; ſi vero dubitetur, an mortuus ſit, ſub conditione conferre licebit. *Ex iisdem Stat.*

IV.

Unctio pectoris in fœminis omittenda.

Sacramentum Extremæ Unctionis ſecundum Romanæ Eccleſiæ ritum, infirmis miniſtretur, omiſſa in fœminis medii pectoris unctione, ea tamen in ſumma parte ejusdem pectoris, & infra guttur adhibita. *Ex Stat.* 1660.

TITULUS XVI.

De Ordine.

STATUTUM I.

Sine licentia Illuſtriſſimi Archi-Epiſcopi, nullus Epiſcopus Ordines celebret, aut Pontificalia exerceat.

NE cui manus cito imponantur, & communicemus peccatis alienis, ſtatuimus & ordinamus, quod nullus Epiſcopus Ordines celebret in noſtra Diœceſi, nec Pontificalia exerceat absque noſtra licentia & permiſſione, ſicut eſt de jure prohibitum. *Ex Stat.* 1560.

II.

Ordines conferantur in Eccleſia Cathedrali ſtatutis temporibus.

Epiſcopus per ſe ipſum Ordines celebret, ſtatutis a jure temporibus, in Eccleſia Cathedrali, & publice, vocatisque & præſentibus Canonicis: niſi ægritudo vel alia cauſa impediat. *Ex iisdem Stat.*

III.

Quomodo Literæ dimiſſoriæ concedendæ; nec ullus ſine diligenti examine ordinetur.

Literæ dimiſſoriæ non concedantur amplius, nec conceſſæ admittantur: niſi in quibus mores & ſufficientia promovendi commendentur Ordinario: quare forma illa, quæ olim erat in uſu onerandi conſcientiam Epiſcopi ordinantis, abrogetur: & pro illa fiat poſthac commendatitia, cauſam continens, cur a proprio Epiſcopo promoveri non poſſit. Promovendi ad ſingulos Ordines ſacros examinentur prius: nec ordinetur quisquam ſine diligenti examine, nec in minori ætate, quam oportet: vel etiam Regulares & Religioſi. *Ex iisdem Stat.*

IV.

Ad Ordinum collationem & receptionem ſolius meriti, non humani favoris ratio eſt habenda.

Cum ex Sacroſancti Oecumenici Concilii ſententia nihil ſit ad Dei gloriam,

riam, & populorum falutem utilius, quam fi boni & idonei Sacerdotes ac Paftores Ecclefiæ præficiantur; eosque alienæ culpæ communicare, & mortalis peccati reos effe Tridentini Patres cenfuerint, qui indignos & Ecclefiæ minus utiles, humano magis affectu, aut ambientium fuggeftionibus, vel importunis aliquorum fuffragiis, & precibus (quibus prudentiores etiam quandoque flecti folent,) quam propriis, uti par eft, exigentibus meritis promoverint: ut ea omnia, quibus humanum perverti poteft judicium, a Paftorum quoque aut Presbyterorum ordinatione procul abfint: Sancimus, ne quis inpofterum ad facros Ordines, aut ad Beneficium, præfertim Parochiale afpirans, Magnatum, vel aliorum quorumcumque fuffragiis, literis aut precibus (quæ ex facrorum Canonum, Statutique noftri Synodalis forma, in fpiritualibus labem fæpe continent Simoniæ) directe vel indirecte fe commendari procuret aut patiatur: fed folito, natalium, vitæ, ætatis, & morum, ab eis, quibus ejus rei inquifitio demandata fuerit, teftimonio contentus fit: alioquin etiam ab ipfo examine, & ea vice a prætenfo Ordine, vel a Beneficii promotione arcebitur; hujusque noftræ fanctionis præfcriptum ab Examinatoribus quibuscumque, fancte & religiofe & a Nobis cuftodiatur. *Ex Stat.* 1588.

V.

Quinam ordinari prohibeantur.

Qui autem ordinari prohibentur, funt ii; *Primo*, ætate minores, quam ad Ordinationem requiratur, ut fupra dictum eft. *2do.* Imperiti feu illiterati. *3tio.* Criminofi: exiftentes enim in peccato mortali, non debent promoveri. *4to.* Bigami, id eft, qui duas uxores habuerunt, vel viduam. *5to.* Solemniter pœnitentes. *6to.* Neophyti, hoc eft, recenter in Fide Catholica plantati. *7mo.* Curiales, qui propter aliquod officium Curiæ funt obligati, & ratiociniis obligati. *8vo.* Servi. *9no.* Corpore vitiati. 10*mo.* Filii illegitimi. 11*mo.* Ignoti & peregrini. 12*mo.* Infames. 13*tio.* Irregulares. 14*to.* Sufpenfi, & interdicti, vel excommunicati. 15*to.* Hermaphroditi. 16*to.* Conjugati, nifi velint ingredi Religionem, & habito confenfu uxorum. 17*mo.* Hiftriones, quia habentur infames. Denique, qui per faltum, vel furtive contra voluntatem Epifcopi promoti funt, vel duos Ordines facros eodem die fufceperunt, vel quatuor minores cum Subdiaconatu eodem die. Omnes hi prohibentur ordinari: & fi ordinati fuerint, prohibentur in fufcepto Ordine miniftrare. *Ex Stat.* 1573.

VI.

Presbyter ordinandus fit alicui Ecclefiæ adfcriptus, nec Beneficium dimittat, fub cujus titulo fuerit promotus.

Sacrofancti Chalcedonenfis Concilii, in hac faltem parte inhærendo veftigiis, nullus in Presbyterum ordinabitur, qui Ecclefiæ aut pio loco non infcribatur, ut illic fuo fungatur munere, nec incertis vagetur fedibus. Quod fi locum inconfulto Epifcopo deferuerit, ei facrorum exercitium interdicatur. Nec poterit refignare Beneficium, fub cujus titulo promotus fuerit, nifi habeat, unde vivat aliunde. *Ex iisdem Statut.*

VII.

Ad facros Ordines non promoveantur fub titulo Patrimonii, vel Penfionis, nifi Ecclefiæ utilitas id requirat.

Nulli etiam ad facros Ordines admittantur titulo Patrimonii aut Penfionis, nifi fumma Ecclefiæ utilitas, aut evidens Sacerdotum penuria & neceffitas id fummopere expetat. Quod præfens noftrum Decretum extendimus, & ad eos, quibus literæ dimifforiæ conceduntur, ut ante conceffionem idem teftimonium habeant, ut etiam examinentur, ac prædictis literis caufa inferatur, ob quam a Nobis ordinari non poffint. Abfentibus vero a noftra Diœcefi eædem literæ nullo modo dentur, nifi idem legitimum fcientiæ & boni ftatus teftimonium exhibeatur. *Ex Stat.* 1615.

VIII.

VIII.

Qualis debet esse titulus Clerici, tum Sæcularis, tum Regularis, ad sacros Ordines promovendi.

Cum propter decorem & reverentiam Sacerdotalis dignitatis, sacris Constitutionibus sæpe & sancte interdictum sit, ne qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerceant; constet tamen nonnullos ad sacros Ordines promovendos exhibere aliquando titulos beneficiales & patrimoniales fictitios, per dolum & fraudem quæsitos, ut hujusmodi casibus & periculis inposterum occurratur: præcedentia super hoc abusu Decreta renovantes & confirmantes, statuimus, ne quis deinceps Clericus sæcularis ad sacros Ordines admittatur, nisi prius legitime compertum sit, eum pacifice possidere Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat; Regulares vero, nisi post solemnem emissam professionem in ea Regula & Religione, in quam recepti & ingressi sunt; nulli autem ad eumdem Subdiaconatus Ordinem recipiantur titulo patrimonii vel pensionis, nisi illi, quos Nos, aut Vicarius noster Generalis judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum hujus nostræ Diœcesis; nec prædictum patrimonium seu pensio in minori summa, quam centum librarum Stephaniensium monetæ hujus Provinciæ constituatur. Ad cujus certitudinem & probationem accedat ultra instrumentum Notarii, Parochi, & Officialium loci, si qui sint, aut Scabinorum cum jurejurando assertio atque affirmatio; quod scilicet constituens & promittens tale patrimonium sive pensionem, habet facultates sufficientes ad hoc quolibet anno persolvendum; & hæc attestatio sit non solum sub simplici Parochi signatura, & Officialium seu Scabinorum, si scribere sciant, sed etiam ejusdem Curati sigillo, alias apud Nos fidem non faciet. Instrumentorum insuper, quæ supra dicta contineant, exemplar authenticum penes Sigilliferum Curiæ nostræ relinquatur. Quæ quidem antedicta Beneficia, patrimonia, & pensiones sine nostra, aut prædicti Vicarii nostri Generalis licentia alienari, aut extingui, vel remitti, nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti ipsi promoti, vel aliunde habeant unde vivere possint. *Ex Stat.* 1621.

IX.

Quæ summa hodie requiratur ad Patrimonium pro sacris Ordinibus suscipiendis.

Cum Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto cautum sit, ne ullus Clericus sæcularis ad sacros Ordines promoveatur, qui prius de legitimo aut Beneficii, aut patrimonii titulo non fuerit munitus; & talia sint, quæ eis ad vitam sustentandam sufficiant; Nobisque compertum sit Beneficiorum ac patrimoniorum hujusmodi valorem, hactenus in hac Diœcesi usu receptum, longe inferiorem hodie reperiri, quam ad honestam vitæ sustentationem Ministris Ecclesiæ sufficere possit: ideo Sacerdotalis Ordinis exigentiæ ac honori opportune providere cupientes, statuimus nullum deinceps Clericum sæcularem ad Subdiaconatus Ordinem admittendum fore, qui Beneficio aut patrimonio valoris ducentorum Francorum monetæ Burgundiæ, munitus non fuerit. Et ne fraus aliqua in patrimoniis constituendis irrepat, volumus præter Magistratuum locorum legitimam assertionem super competentibus constituentium facultatibus, etiam illa in Prono Missarum Parochialium publicari ac legi cum solita bannorum enunciatione; eaque omnia ipsius Parochi testimonio in scriptis tradita confirmari. *Anno* 1681.

X.

Minores Ordines non conferantur, nisi iis, qui in Seminario manserunt.

Quotidiana experientia certi, vix aliquos esse, qui ad minores Ordines recipiendos cum sufficienti illorum cognitione, aut debita animi dispositione accedere studeant: idcirco decernimus nullum deinceps ad prædictos minores Ordines fore promovendum, nisi qui pro majoribus Ordinibus suscipiendis jam in Seminarium fuerit admis-

admiſſus, ubi de hujusmodi graduum Eccleſiaſticorum officiis plene inſtructus, intra primum trimeſtre iis mereatur inſigniri; Extraneis & Regularibus exceptis. *Ex Stat.* 1669.

XI.

Qui ad primam Tonſuram recipiendam accedunt, habitum Clericalem geſtare debent.

Eccleſiaſtici ſtatus dignitas poſtulat, ut qui ad illius honores promerendos, & privilegia conſequenda ſe diſponunt, a prophanis ac ſæcularibus hominibus, non ſolum per probatos mores, ſed etiam per exteriorem habitum diſtinguantur: propterea neminem deinceps ad primam Tonſuram recipiendam accedere volumus, niſi veſtem huic miniſterio congruentem, cæteraque Clericalis militiæ inſignia præſeferat. *Anno* 1689.

XII.

Ordinati in aliena Diœceſi non celebrent, niſi prius viſis per Vicarium Generalem eorum literis.

Cum nonnulli, etiam Diœceſani noſtri, in aliena Diœceſi ad ſacros Ordines promoti fuerint, vel deinceps promoveri contingere poſſit; ſitque maxime neceſſarium habere notitiam a quo Antiſtite, quando, ubi, & quomodo ad dictos Ordines fuerint promoti: eisdem omnibus ſic promovendis prohibemus, ne in noſtra Diœceſi Sacroſanctum Miſſæ Officium, aut alia Divina Officia exercere, vel etiam Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare præſumant, niſi prius de literis ſacrorum Ordinum ſic ſuſceptorum coram Nobis edocuerint, & licentiam in dictis Ordinibus miniſtrandi vel officiandi impetrarint. *Ex Stat.* 1666.

TITULUS XVII.

De Matrimonio.

STATUTUM I.

Matrimonium fiat in facie Eccleſiæ, poſt trinam publicationem bannorum.

Matrimonium debet in facie Eccleſiæ publice ſolemniſari per Sacerdotem Parochialem, poſt tria banna publice proclamata in prono Miſſæ, præſente populo, tribus diebus Dominicis vel Feſtis, non immediate ſe ſequentibus, in Eccleſia loci, ubi morari ſunt ſoliti contrahentes & parentes ipſorum. *Ex Stat.* 1573.

II.

Bannorum publicatio quibus diebus fieri debeat.

Denunciationes matrimoniales, quas tribus Dominicis, aut aliis diebus Feſtivis fieri debere, ejusdem Concilii noſtri Synodalis Decreto cautum eſt, nonniſi inter Miſſæ Parochialis ſolemnia, & frequentiori Parochianorum conventu, fieri jubemus; una ſaltem ex tribus, non quolibet Feſtivo, ſed tantum die Dominico publicata; ne fraude eidem Decreto facta, quæ ſubſunt impedimenta facile, qui abſentes ſunt, retineant. *Ex Stat.* 1560.

III.

Publicatio bannorum fieri debet in Miſſa Parochiali.

Ut bannorum proclamationes ad Matrimonia contrahenda omni ſubreptionis vitio careant: præcipimus, juxta ſacri Concilii Tridentini præſcriptum, nonniſi intra Miſſarum ſolemnia diebus Dominicis & Feſtivis illas fieri. Quoties vero facta primi banni proclamatione, partes ad cæterorum diſpenſationem recurrere cupient, Parochi in ſuis literis teſtimonialibus diem factæ publicationis apponant, nec eas ante viginti quatuor horas elapſas expediant: ne per nimiam celeritatem tempus non ſuppetat ad impedimenta, ſi quæ lateant, detegenda. *Anno* 1691.

IV.

Publicationes bannorum illorum, qui extra propriam Parochiam degunt, ubi fieri debeant.

Difficultates, quæ frequenter emergunt circa bannorum publicationes eorum, qui per longum tempus a propria Parochia abſentes fuerunt, tollere cupientes: declaramus quoscumque Diœceſanos noſtros extra ſuas Parochias degentes, qui Matrimonium contrahere voluerint, teneri ad proprium Parochum recurrere, ut in ipſius Eccleſia hujus-

hujusmodi denunciationes fiant; quas tamen non proclamabit, nisi acceptis literis testimonialibus Parochi illius loci, in quo per plures annos commoratus est, quibus innotescat nullum adesse impedimentum, quominus hujusmodi Matrimonium perficiatur. Quas quidem literas testimoniales Parochi concedere tenebuntur, mediante decem assium retributione. *Anno* 1687.

V.

Ante bannorum proclamationes debet Parochus inquirere, utrum contrahentes noscant Mysteria Fidei.

Ut plebis ignaviam cohibeamus, prohibemus, ne ullus ad Matrimonii Sacramentum admittatur, neve aliqua ante illud bannorum proclamatio fiat, nisi prius Parochis certo constiterit, partes contrahere cupientes præcipua Fidei Christianæ capita, Dei mandata, cæteraque ad salutem consequendam requisita apprime tenere. Quoties vero literas testimoniales (post unius tamen banni publicationem, prout a Nobis nuper fuit demandatum) partibus concedere voluerint, ad obtinendam reliquorum dispensationem, inter alia, hanc quoque Mysteriorum Fidei notitiam, & Christiani muneris adimpletionem de ipsis testari debent juxta formam hic appositam.

Forma Attestationis a Parochis danda ad obtinendam bannorum dispensationem.

REVERENDO ADMODUM DOMINO VICARIO GENERALI BISUNTINO.

Parochus (vel *Vicarius*) *loci de N. Salutem.*

Noverit Reverentia vestra NN. Parochianum nostrum, & NN. Parochianam quoque nostram (*vel si sint extranei*) Parochiæ de N. *Si vero sint alterius Diœcesis, addetur:* Diœcesis N. ab uno anno, *vel* mense, &c. in hac Parochia, *vel* Diœcesi degentes) desiderare quamprimum in facie Ecclesiæ sacro Matrimonii vinculo conjungi, facta jam a me primi banni proclamatione, cui nullus se opposuit (*Quod si Filiifamilias fuerint, addetur:* Imo consentientibus utriusque partis parentibus.) Cum autem subsint rationabiles causæ mihi cognitæ, cur reliquæ publicationes bannorum fieri non debeant (*si tempore vetito nubere velint, addendum est:* ac etiam ut hoc tempore vetito Benedictionem nuptialem recipere possint) humiliter petunt super his a Reverentia vestra dispensari, quandoquidem nullum subest impedimentum, quominus id illis concedi possit, maxime cum & Fidei Catholicæ dogmata & præcepta teneant, & Religionis Christianæ munera hactenus obierint. In quorum fidem præsentibus subscripsi die N. mensis N. anno N. *Ex Stat.* 1682.

VI.

Nullus alienum Parochianum sine speciali commissione sui Parochi, vel Vicarii nostri Generalis Matrimonio jungat.

Nullus Sacerdos Parochialis recipiat alienum Parochianum nostræ Civitatis & Diœcesis ad Sacramentum Matrimonii, nisi habeat literas dimissorias & testimoniales sui Curati, per quas appareat, quod talis Parochianus alienus idoneus sit, nec in eo sit impedimentum, quominus licite Matrimonium possit contrahere: vel nisi certis de causis Nos, aut Vicarius noster Generalis mandemus fieri per patentes literas signatas & sigillatas in cera rubra, veluti fieri solet pro Magnatibus & aliis nonnullis. *Ex Stat.* 1573. *Renov.* 1653.

VII.

Extraneus sine licentia Vicarii Generalis, etiamsi habeat literas, admitti non debet.

Si vero Parochianus alienus sit alterius Diœcesis, licet habere dicatur literas testimoniales sui Curati: non tamen admittatur sine nostris, aut Vicarii nostri Generalis literis de Placet, adnexis ad tales literas dimissorias: ad obviandum fraudibus & malitiis, quas experientia docet sæpe in talibus literis esse commissas. *Ex iisdem Statutis.*

VIII.

A quo Parocho Literæ dimissoriæ & testimoniales dandæ.

Cum statutum fuerit, quod nullus Sacerdos Parochialis admittere debeat

beat alienum Parochianum ad Sacramentum Matrimonii, nisi habeat literas dimissorias vel testimoniales sui Curati, seu Vicarii, universam alicujus loci administrationem, vel subdelegandi potestatem habentis: ex quibus constet, quod in eo nullum subsit impedimentum ad Matrimonium licite contrahendum; dubitatum tamen fuit, a quo Curato debeant obtineri dictæ literæ dimissoriæ; item a quo dictæ literæ testimoniales: Nos ad elucidationem eorum omnium, quæ possent in hoc afferre difficultatem, statuendum duximus & declarandum, prout statuimus hic & declaramus, dictas dimissorias obtinendas esse, ad effectum contrahendi ut supra Matrimonii, a proprio Parocho originis, per quas dictus proprius Parochus faciat attestationem de origine, Baptismo & Confirmatione dicti Parochiani volentis Matrimonium contrahere, & talem dimittat a sua Parochia: Testimoniales vero debeant obtineri a proprio domicilii seu habitationis Parocho; & si plures habuerit sub diversis Parochiis, sicuti potest contingere in Civitatibus seu oppidis dictæ nostræ Diœcesis, debeat obtinere a Parocho illius habitationis, sub cujus Parochia degerit; in quibus literis debeat fieri attestatio, num talis Parochianus habeat aliquod impedimentum, quominus contrahere possit cum tali persona, cum qua Matrimonium vult contrahere, vel cum quavis alia; & si sit aliquo excommunicationis vel censuræ vinculo innodatus. *Ex Stat.* 1646.

IX.

Literæ testimoniales sine mora debent expediri.

Si qui ex Diœcesanis nostris ad dispensationem bannorum recurrerint, præferent attestationem tam suæ originis, quam domicilii, & loci, in quo recipient Sacramenta, quas attestationes a Parochis volumus sine mora, & difficultate, ubi requisiti fuerint, expediri. *Ex Stat.* 1665.

X.

Tam literas testimoniales, quam dimissorias habere debet, qui dispensari vult a publicatione bannorum.

Quamvis ante biennium abunde cautum sit a quibusnam Parochis literæ testimoniales, & a quibus literæ dimissoriæ accipi debeant; utrinque tamen ita frequenter erratur, ut solis testimonialibus contentæ partes, dimissorias, seu quæ vulgo de *Recedo* nuncupantur, & in Statutis Synodalibus Eminentissimi Cardinalis A BAUMA habentur, negligant: sintque testimoniales adeo inconcinnæ, ut aliud quidvis jure videri possint. Statuimus, quantum ad dimissorias veterem illam formulam inposterum servari oportere, & a proprio Parocho accipiendam esse. Quoties autem aliqui Matrimonio jungi cupient, & e diversis Parochiis erunt oriundi, ita ut alter in alterius Parochiam migrare debeat: volumus eum, qui e propria Parochia discessurus est, si legitimis ex causis bannorum dispensationem a Vicario nostro Generali impetrare velit, ad eum non accedere, nisi dimissoriis prædictis & testimonialibus literis munitum. *Ex Statutis* 1648. *Renov.* 1653.

XI.

Diœcesanus cum extranea contrahens procuret bannorum publicationem in sua Parochia, vel illorum dispensationem obtineat.

Ut omnis difficultas circa bannorum proclamationes, aut eorum dispensationem tollatur; volumus, ut cum aliqui ex aliena Diœcesi oriundi, Matrimonium contrahendi gratia, ad nostram advenerint, banna in Parochia illius partis, quæ ex hac Diœcesi originem habet, antequam nubant, publicentur, aut eorum dispensatio a Vicario nostro Generali petatur, quamvis altera pars jam a suo Ordinario dispensationem similem habuerit, aut in sua Parochia proclamationes hujusmodi fieri curaverit. *Ex Stat.* 1678.

XII.

Nullus extraneus sine litera intercuriali Matrimonio copuletur.

Cum Nobis relatum sit quosdam Presbyteros, curatos, vel non curatos, turpis lucri aut ignorantiæ causa, quibusdam extraneis, seu ex aliena Diœcesi oriundis, Matrimonialem Benedictionem impertitos fuisse, dispensatione necessaria prius non obtenta; eisdem Parochis, & eorum Vicariis serio prohibemus, ne deinceps dictorum extraneorum promissiones matrimoniales per verba de futuro vel de præsenti recipiant, aut eisdem præsentes adsint, vel ullum bannum proclament, nisi prius dicti extranei a Nobis literas intercuriales (quas vocant *d'Entrecour*) debite expeditas impetrarint. *Ex Stat.* 1666.

XIII.

Qui alienum Parochianum sine licentia conjungit, pœnam suspensionis incurrit.

Quod de Sacerdotali conjugum Benedictione, nonnisi a proprio Parocho, vel de ejus, aut Ordinarii consensu, in Templo suscipienda, ejusdem Concilii Decreto sancitum est, renovantes; quemlibet sæcularem aut Regularem Sacerdotem (etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat) qui alterius Parochiæ sponsos sine præfata licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensum manere, donec a Nobis absolvatur, declaramus. *Ex Statutis* 1590.

Decretum sacri Concilii Tridentini Sess. 24. *Cap.* 5. *de Reform. de eadem re.*

" Statuit sancta Synodus Benedi-
" ctionem a proprio Parocho fieri, ne-
" que a quoquam, nisi ab ipso Paro-
" cho, vel ab Ordinario licentiam ad
" prædictam Benedictionem faciendam
" alii Sacerdoti concedi posse, qua-
" cumque consuetudine, etiam imme-
" morabili, quæ potius corruptela di-
" cenda est, vel privilegio non obstan-
" te. Quod si quis Parochus, vel alius
" Sacerdos, sive Regularis, sive sæcu-
" laris sit, etiamsi id sibi ex privilegio,
" vel immemorabili consuetudine li-
" cere contendat, alterius Parochiæ
" sponsos sine illorum Parochi licentia
" Matrimonio conjungere, aut bene-
" dicere ausus fuerit; ipso jure tamdiu
" suspensus maneat, quamdiu ab Or-
" dinario ejus Parochi, qui Matrimo-
" nio interesse debebat, seu a quo bene-
" dictio suscipienda erat, absolvatur."

XIV.

Qui alibi quam in propria Parochia contraxerunt, non admittantur sine literis.

Sacri Concilii Trident. Decretis inhærentes, prohibemus Parochis, & aliis hujus Diœcesis Sacerdotibus, ne quoddam hominum vagantium genus, qui plerumque prima relicta, aliam, & quandoque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt uxores, facile ad Matrimonium non recipiant, neque proprios Parochianos, qui ab aliis contra ejusdem Concilii præscriptum Benedictionem matrimonialem susceperint, ad suarum Ecclesiarum Divina Officia admittant, nisi de sua vel Ordinarii licentia semel requisiti docuerint; sed eos ad Procuratorem Generalem deferant, qui pœnalem in eos absque mora instituat actionem. *Ex Stat* 1600.

XV.

Parochi non assistant Sponsalibus de futuro vel de præsenti contrahendis, ubi adest aliquod impedimentum.

Prohibemus Parochis, Vicariis, aliisque Ecclesiarum Rectoribus, adesse inposterum Sponsalibus vel Matrimoniis, quæ fiunt per verba de præsenti inter consanguineos, aut affines in gradibus prohibitis, aut personas alias aliquo impedimento Canonico laborantes, nisi prius constet de obtenta dispensatione a Ss. D. nostro Papa, aut alio a sua Sanctitate legitimam habente potestatem, necessariam super hujusmodi impedimentis dispensationem concedendi. *Ex Statutis* 1653.

XVI.

Non assistant Sponsalibus de præsenti, etiam obtenta vel facta publicatione bannorum.

Ut nimia in contrahendis Matrimoniis præcipitatio, quæ divortiorum causa

causa solet esse præcipua, quantum fieri potest, removeatur; omnibus in hac Diœcesi curam animarum habentibus, cæterisque Presbyteris districte prohibemus, alias quam de futuro promissiones matrimoniales excipere, etiamsi jam obtenta fuerit bannorum dispensatio. Eas porro, quæ per verba de præsenti fiunt, & verum efficiunt Matrimonium, nonnisi in facie Ecclesiæ, & adhibitis eodem tempore aliis cæremoniis ad hujus Sacramenti perfectionem, seu complementum præscriptis, nullo modo admitti volumus. *Ex Stat.* 1669.

XVII.

Pœnæ contra eos, qui contrahunt Matrimonium, non adhibitis Ecclesiæ Solemnitatibus.

Etsi præcedentibus Statutis omnem curam adhibuerimus, ne Matrimonia temeraria præcipitatione fierent, inhibendo Parochis promissiones per verba de præsenti absque Ecclesiæ solemnitatibus ultro recipere; quia nihilominus hisce temporibus frequenter accidit, ut etiam, Parochis invitis & renuentibus, partes coram ipsis Matrimonium contrahant, prætermissis denunciationibus, & posthabitis Ecclesiæ cæremoniis, in gravem sacrorum Canonum, ac præcipue Oecumenici Concilii Tridentini Decretorum contemptum: propterea tam perniciosum morem rescindere cupientes, statuimus & ordinamus, ut quotiescumque promissiones matrimoniales per verba de præsenti coram Parocho aut Vicario, non adhibitis solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis, emissæ fuerint, Parochi statim partibus inhibeant sub pœna interdicti, Matrimonium consummare, vel simul in eadem domo habitare, antequam denunciationes consuetas fieri procuraverint, aut super illis obtenta fuerit dispensatio, & benedictio nuptialis accepta: quod si secus fecerint, ab Ecclesiæ ingressu, & Divinorum participatione arceantur, eorumque nomina in prono Missæ die Dominica immediate sequenti publice declarentur. *Ex Stat.* 1680.

XVIII.

Post Sponsalia de futuro partes non habitent in eadem domo.

Locorum Parochis inhibemus, hortamurque parentes, ne tam gravi sceleri consentiant, ut post contracta Sponsalia, & ante acceptam benedictionem conjugalem partes simul habitent, vel sponsus sponsam in proprias traducat ædes; sed contumaces, & eos, qui authoritate propria a conjugio temere divertunt, ad Procuratorem nostrum Generalem deferant, qui impium hunc morem ab Ecclesia, pœnali prosecutione arcere nitatur. *Ex Statutis* 1597.

XIX.

De oppositionibus, quæ fiunt post publicationes bannorum.

Si durante proclamatione bannorum apparuerit opponens vel contradictor, proponens & allegans causam, propter quam Matrimonium hujusmodi non debeat de jure fieri: Sacerdos Parochialis citet contrahere volentes & opponentem ad certam & competentem diem tunc futuram, coram Officiali nostro ad prosequendum negotium, & procedendum prout juris fuerit. Nec procedat Sacerdos ulterius ad solemnisationem dicti Matrimonii, vel alicujus prædictorum, donec & quousque sibi constiterit de mandato dicti Officialis nostri. *Ex Stat.* 1573.

XX.

Partes super Matrimonio litigantes non possunt pacificari sine judicio Ecclesiæ.

Et cum ad Nos, vel ad nostram Sedem pertineant causæ matrimoniales; prohibemus sub excommunicationis pœna, ne quis, cujuscumque gradus, conditionis, vel dignitatis existat, cognoscere præsumat, aut judicare de causis matrimonialibus. Neque partes Matrimonium contrahere volentes concordent, vel transigant inter se, super ipsis causis absque judicio Ecclesiæ. *Ex iisdem Statutis.*

XXI.

Ubi Matrimonium celebrari debeat.

Ipsas porro nuptias nullibi, præterquam in Ecclesia Parochiali de die, non

non autem noctu, neque a primo Presbytero requirendo, sed a viro in Sacramentorum administratione perito celebrari, vel coram eo contrahi posse statuimus. Nec ultra ferre possumus contemptum proclamationum, aut earumdem dispensationis, ubi per verba de præsenti partes inter se conveniut, posthabitis Concilii Tridentini prævijs ad Matrimonium ineundum solemnitatibus, & Majorum nostrorum Statutis Synodalibus. Quocirca renovamus pœnas in iisdem impositas, & injungimus singulis Parochis, ut saltem semel quotannis *Caput* 1. Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.* legant. *Ex Stat.* 1648.

XXII.

Coram quibus Parochis Matrimonia contrahi possint, & ubi proclamationes fieri debeant.

Ut omnis ambiguitas tollatur circa Matrimonia coram proprio Sacerdote contrahenda: declaramus proprium Sacerdotem censeri Parochum loci habitationis contrahentis, qui ibi aut domicilium fixum habet, aut per integrum annum cum familia commoratus est, aut qui in civem seu incolam illius loci receptus fuerit, factis tamen bannorum proclamationibus, tam in loco originis, quam in loco præcedentis habitationis, nisi ab illis ante nubilem ætatem discesserit. In oppidis vero, ubi plures sunt Parochiæ, quisquis ab una ad aliam animo manendi transierit, postquam in ea per sex hebdomades resederit, poterit a Parocho istius parochiæ benedictionem nuptialem recipere, & illi jura Matrimonii persolvere. Quod tamen intelligi minime debet de famulis, ancillis, scholaribus & extraneis, aliisque hujusmodi hominibus, qui in urbibus & pagis, negotiorum causa dumtaxat demorantes, ad Parochum suæ originis vel domicilii remittendi sunt. *Anno* 1695.

XXIII.

Matrimonium contrahere volentes, prius peccata deponant.

Moneantur quoque a Parochis omnes & singuli utriusque sexus, tam hujusce nostræ Diœcesis, quam extranei, qui in ea Matrimonium contrahere postulabunt, ad sacrum Pœnitentiæ lavacrum accedere, priusquam matrimoniali vinculo per verba de præsenti conjungantur, ut gratiam, quæ a Deo per Sacramentum confertur, omni sublato obice recipiant. *Ex Stat.* 1653.

Decretum sacri Concilii Tridentini super eadem re.

" Postremo sancta Synodus hortatur conjuges, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Ss. Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & cæremoniis hac in re utantur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer exoptat." *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reformat.*

XXIV.

Ante certitudinem mortis unius conjugis, alter ad aliud Matrimonium non recipiatur.

Communis error (qui hoc casu jus facere non potest) propter antiquas Legum civilium, tam Jurisconsultorum, quam Imperatorum Leges, multorum mentes invasit, ut existiment altero conjugum per aliquot annos absente & expectato, alteri ad aliud Matrimonium convolare licere; quod Nos sacrorum Canonum Decretis inhærentes (quorum est, quæ ad Matrimonia pertinent, decidere;) ut omni periculo adulterii & illegitimæ prolis occurratur, omnibus nostræ Diœcesis Sacerdotibus sub pœna sententiæ excommunicationis interdicimus, ne quantocumque annorum numero lapso aliquem ad secundas nuptias admittant, vel alibi conjunctos in sua Parochia recipiant, donec de alterius conjugum morte certo eis constiterit. *Ex Statut.* 1604.

XXV.

Impuberes ad Matrimonium non admittantur.

Sub animadversionis pœna (quam arbitrio nostri Officialis relinquimus) pro-

prohibemus omnibus Parochis hujusce Diœcesis (prout jam jure vetitum est) ne aliquos ad Sacramentum Matrimonii admittant ante ætatem legitimam, scilicet masculos ante quatuordecim annos, & fœminas ante duodecim, quocumque prætextu. *Ex Statutis* 1655.

XXVI.

Neque Excommunicati vel Interdicti.

Caveat diligenter Curatus, ne Sacramentum hoc Matrimonii administret excommunicatis, vel interdictis, sub pœnis à jure positis. *Ex Stat.* 1573.

XXVII.

In solemnitatibus Nuptiarum in Ecclesiis vel Cœmeteriis sclopi non explodantur.

Licet alias in Synodo habita Bisuntii, die 16. Maji 1589. inhibitum fuerit sub pœna arbitranda, ne in nuptiarum, aut aliis similibus conventibus in Ecclesiis aut cœmeteriis exploderentur bombardæ, sclopeta, aut ejusmodi instrumenta, seu tormenta bellica, unde tumultus, seu irreverentia erga Sacra excitaretur: nihilominus eo adhuc insolentiæ quibusdam in locis hujus Diœcesis deventum fuit, ut dicta inhibitione non obstante, reditum fuerit ad similem insolentem consuetudinem, unde plura secuta fuerunt, vel sequi potuerunt scandala; ad quibus obviandum, & ne inposterum prætendi possit dictum Statutum inhibitorium in desuetudinem abiisse, illud sub eadem pœna a Nobis arbitranda renovandum duximus, prout hic innovamus. *Ex Statutis* 1633.

XXVIII.

Dum celebratur Matrimonium, nihil indecens aut scurrile permittendum; & a comessationibus & choræis eo die abstinendum.

Et ne hoc magnum Matrimonii Sacramentum sine reverentia & fructu a contrahentibus recipiatur: ordinamus Parochis, eorumque Vicariis, ut non solum aliquoties in anno de ejus præstantia & dispositionibus requisitis populo verba faciant, docentes illud nonnisi post Pœnitentiæ & sacræ Eucharistiæ frequentationem esse suscipiendum, & a superfluis pompis, comessationibus & choræis abstinendum; verum etiam attendant, ne in ipsis Sacramenti cæremoniis aliquid contra decentiam & loci venerationem a circumstantibus admittatur. Propterea serio prohibeant, prout præsenti Statuto inhibemus, ne conjugatorum capita, dum velo suppofita sunt, baculis, aut alio quovis modo pulsare quisquam aggrediatur; eos vero, qui id attentare ausi fuerint, ab Ecclesia recedere compellant, nec antea Missæ Sacrificium absolvant, quam a loco discesserint. *Ex Stat.* 1669.

XXIX.

De Registris Matrimoniorum habendis.

Registra Matrimoniorum diligenter apud se Curati custodiant, & in eis conjugum & testium nomina, locumque contracti Matrimonii ac factæ publicationis, vel habitæ dispensationis bannorum exprimant. *Ex Stat.* 1614.

XXX.

Nomina contrahentium extra Parochiam, & testium debent proprio Parocho transmitti.

In Matrimoniis, quæ celebrantur coram alienis Parochis seu Presbyteris, etiam de consensu propriorum Parochorum, ac de licentia Vicarii nostri Generalis, tenebuntur mittere ad proprios Parochos, nomina sponsi & sponsæ, qui coram ipsis contraxerint, & nomina duorum testium in dictis Registris propriorum Parochorum describenda, cum die, mense & anno, sicut & ipsi contrahentes, quos volumus statim ab inito Matrimonio se repræsentare coram proprio Parocho, & attestationem supra memoratam referre. *Ex Statutis* 1665.

XXXI.

Moneantur frequenter adolescentes, ne sine consensu Parentum contrahant Matrimonium.

Mandamus etiam, & districte præcipimus Curatis Nobis subditis, ut frequenter hortentur publice in Ecclesiis suis Parochianos suos, & præcipue juve-

juvenes adolescentes, ne contrahant Matrimonia sine consensu & beneplacito parentum suorum, aut illorum, a quibus gubernantur & reguntur; cum isti melius providere possint & cognoscere quid in tali re, quam adolescentes ipsi, passione stulta sæpenumero decepti, & amoris furore excœcati. *Ex Stat.* 1573.

TITULUS XVIII.

De Divinis Officiis.

STATUTUM I.

De modestia in Choro servanda.

Canonici, quoniam ad hoc instituti sunt, ut laudes Deo singulis horis decantent, nisi legitima causa impediente, chorum sequantur: in quo modeste se habeant, & cum decenti gravitate, non garrientes aut rixantes in eo, sed Deum reverentes, in cujus conspectu firi sunt. Celebranti Episcopo, aut alia Pontificalia exercenti, assistant & inserviant. *Ex Statutis* 1578. *Renovat.* 1591.

II.

De modo psallendi in Choro.

Et cum psallendi gratia chorus fiat; nemo labia sua muta aut clausa tenuerit, sed omnes pariter cum simili & decenti alacritate modulentur: sic tamen, ne boatus solum sine intelligentia audiatur. Quod fiet, si non cursim nec festinanter, sed tractim & cum pausa decenti (præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum) debitam inter solemne & feriale exhibeant differentiam. *Ex Stat.* 1573.

III.

Non licet aliud Officium in Ecclesia decantare, quam Breviarii Diœcesani.

Nulli in sacris Ordinibus constituto, vel Beneficiato in nostra Diœcesi aliud Officium publice dicere liceat in choro, quam secundum usum Ecclesiæ Bisuntinæ, nisi ad hoc dispensationem habeat: sub pœna privationis Beneficii, & suspensionis ab Ordine. *Ex iisdem Statutis.*

IV.

In Divinorum Officiorum celebratione Ritus Diœcesis nostræ ab omnibus servandus.

Cum nihil magis Ecclesiæ decori conducat, quam Ministrorum ipsius in Divinis obsequiis uniformitas, eamque in dies per Diœcesim nostram stabilire studeamus; idcirco præcipimus universis, qui ad Officium publice persolvendum, sive ex muneris pastoralis obligatione, sive ex alicujus Beneficii institutione, aut fundatione tenentur, ne alium Ritum sequantur, præsertim in Missarum celebratione, Horarum Canonicarum decantatione, ac venerabilis Sacramenti expositione, quam eum, qui in Rubricis tum Missalis, tum Breviarii recenter impressi præscriptus invenitur; alioquin oneribus sibi injunctis debite satisfecisse non existiment. *Ex Stat.* 1680.

V.

Præcipitur Cæremonialis Bisuntini usus, & Rituum uniformitas.

Quia nostri præcipue muneris est pristinum decorem domui Dei restituere, qui in sacrorum Rituum uniformi observatione plurimum refulget; eamque ob causam Cæremoniale ad usum Ecclesiarum nostræ Diœcesis in lucem edi curaverimus, ut eadem ubique regula in Divino cultu exhibendo teneatur: propterea jubemus, ut in omnibus Ecclesiis tum Collegiatis, tum Parochialibus, Ritus ac Cæremoniæ illic præscriptæ omnino serventur. *Anno* 1684.

VI.

Officium Nominis B. Virginis MARIÆ sub ritu duplici celebrandum.

Cum Sanctissimus Dominus noster INNOCENTIUS Papa XI. Festum Sanctissimi Nominis Beatissimæ Virginis MARIÆ instituerit, die Dominica infra octavam Nativitatis ejusdem, in memoriam insignis victoriæ ab armis Christianis de Turcis reportatæ, & civitatis Viennæ ab arctissima obsidione solutæ; atque Officium proprium hujus Festi in lucem edi præceperit, quod singulis annis sub ritu duplicis majoris, in Ecclesia universali ab

ab omnibus utriusque ſexus Fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari voluerit: Ne noſtro muneri ac debitæ gratitudinis obſequio erga tam beneficam hujus Diœceſis Patronam, & Protectricem deeſſe videamur; mandamus omnibus, qui Breviario Biſuntino utuntur, ut prædictum Officium Sanctiſſimi Nominis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ (quod typis quamprimum excudi curabimus) qualibet Dominica infra octavam Nativitatis ejusdem Deiparæ ſub ritu duplicis tertiæ claſſis recitent; etiamſi Dominica in ipſam diem Octavam inciderit. *Anno* 1687.

VII.

Sacerdotes non utantur in Eccleſia & Officio Divino Orationibus non approbatis.

Juxta Patrum Statuta prohibemus omnibus Curatis, Presbyteris, atque aliis in Ordine Eccleſiaſtico conſtitutis, ſub gravi pœna arbitraria, ne in Eccleſia novis Orationibus aut Collectis, a ſe vel ab alio excogitatis & inventis, ullo modo utantur; ſed his ſolum, quas Prædeceſſores noſtri tradiderunt, vel quæ ab illis, vel a Nobis probatæ fuerint & admiſſæ; ne ſub ſpecie pietatis contra Fidem Catholicam aliquid inducatur in Eccleſiam Dei. *Ex Stat.* 1560.

VIII.

Non debet recitari privatim Officium in Choro, nec aliud quidpiam legi.

Nemo eorum, qui tenentur intereſſe choro, privatim legat vel dicat Horas Canonicas, cum ibi publice Divinum Officium peragitur, vel Miſſæ Sacrum cantatur. Nam is non ſolum choro ſubtrahit illud, quo obnoxius eſt, & ad quod tenetur, ſed alios pſallentes perturbat, vel a pſallendo retrahit. Quare ſi urgetur aliqua cauſa, ut Officium ſuum abſolvat, egrediatur e choro, & oret in abſcondito. *Ex Stat.* 1673.

IX.

Nihil profanum ex Organo decantandum.

Organorum melodia & cantus figuratus ſic in Templis adhibeatur, ne laſciviam magis quam devotionem excitet: neve præter Hymnos Divinos ac Cantica ſpiritualia, quicquam reſonet aut repræſentet. *Ex Stat.* 1573.

X.

Tempus ingrediendi Chorum, & ab eo diſcedendi.

Qui in Matutinis, ante finem Pſalmi: *Venite exultemus*; in aliis Horis, ante finem primi Pſalmi; in Miſſa, ante ultimum: *Kyrie eleiſon*, & uſque in finem, Divino Officio non interfuerit (niſi forte neceſſitate cogente, ac petita a Præſide chori licentia, diſcedere oporteat) pro illa hora abſens cenſeatur: ſalvis Eccleſiarum conſuetudinibus, & privilegiis: Lex enim, teſte Apoſtolo, iis, qui ſub lege ſunt, loquitur. Idem in Proceſſionibus generalibus obſervetur in iis, qui a principio uſque ad finem non permanſerint. Pro cujus rei executione deputetur aliquis habens hoc onus notandi ſingulos ſtatuto tempore non convenientes: qui juramento adſtrictus erit agere fideliter, absque gratia vel odio. *Ex Stat.* 1573.

XI.

Pœna deambulantium tempore Officiorum.

Quicumque in Eccleſia Beneficiatus (præſertim Divinorum tempore) per Eccleſiam, vel foris circa ipſam ſine juſta cauſa deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari viſus fuerit, non ſolum illius horæ, ſed totius diei præſentiam ipſo facto amittat. *Ex Stat.* 1573.

XII.

Pœnæ ſuper eadem re a PIO V. conſtitutæ.

Quod de arcendis ab Eccleſia deambulationibus, vanis, profaniſque colloquiis, & aliis id genus, per Decreta Concilii Tridentini fuerat conſtitutum; graviſſima etiam pecuniæ, carceris, exilii, & quandoque corporis pœna in transgreſſores lata; mulctaque Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Æditūis, aliisque ipſarum Cuſtodibus, qui delinquentes admonere, aut ad Officiales deferre neglexerint, per ſanctiſſimæ memoriæ

PIUM Papam V. inflicta, in tantum hodie abiit contemptum, ut multi tempore Missæ Parochialis in Ecclesia deambulent, cum choro deberent interesse, alii forensium negotiorum strepitu Templa compleant, nonnulli scurrilibus etiam verbis tumultum excitent; hi autem omnes Divina interturbent Officia. Huic malo non aliter salubrius mederi posse arbitrati sumus, quam præfatam PII V. constitutionem innovando: pœnas tamen in ea contentas Officialis nostri arbitrio pro temporum, locorum & personarum ratione moderandas relinquentes. *Ex Stat.* 1591.

XIII.

Rectores Chori aut Præpositi coerceant transgressores.

Super his debite observandis, aliisque Divini Officii prosecutionem, ac Chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel Præpositus, aut alius, cui onus incumbit, diligenter invigilet hinc inde, ne quid inordinate fiat circumspiciens. Horum autem transgressores illius horæ, in qua circa prædicta excesserint, vel alia majori (prout transgressionis gravitas exegerit) plectentur pœna. *Ex Stat.* 1573.

XIV.

Laici tempore Officiorum non sedeant inter Clericos.

Nulli intra Altaris cancellos, seu Sancta Sanctorum, aut Presbyterium, dum sacra celebrantur Mysteria, inter Clericos stare vel sedere valeat: a quibus ideo & a choro, seu aliis ipsi Altari proximis, vel etiam eminentioribus locis laicorum, præsertim mulierum, subsellia (si quæ sint) jubemus amoveri. Alibi autem posita, si rupta sint, aut minus decenter composita, restaurari, vel ab Æditius, seu aliis Ecclesiarum Custodibus omnino tolli. *Ex Stat.* 1591.

XV.

Id maxime Mulieribus prohibetur.

Super diversis ad Nos, a pluribus nostræ Diœcesis Sacerdotibus, emissis querimoniis, quod fœminæ ad sedilia canentium in choro Ecclesiæ ascendere, & aliquoties prope Altare, citra loci Clericorum reverentiam accedere non vereantur: unde liberius in Ecclesia Ministrantes, Divinis Officiis intendere non valeant: statuimus & ordinamus, ut fœminæ, quando Sacra celebrantur, prope Altare stare, vel sedere inter Clericos non præsumant, nec ad eadem chori sedilia quovis modo accedant; sed ipsis solum Sacerdotibus & Clericis psallentibus, & viris, sellarum seu sedilium hujusmodi accessus pateat. *Ex Stat.* 1646.

XVI.

Tempore Officiorum Parochialium choreæ aut ludi prohibentur, ipsique Religiosi populum ab iisdem Officiis avocare non debent.

Parochianos etiam hortamur omnes, ut Vesperis, quæ in eorum Ecclesiis Parochialibus decantantur, frequentiores intersint. Nemini igitur liceat eo tempore, aut quovis alio, quo Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, choræas agere, aut publica alia exhibere spectacula, quæ Christianos ab hoc munere & piis operibus possent avocare; quinimo Religiosos omnes, cujuscumque sint Ordinis, in Domino obsecramus, & in quantum sit opus, serio monemus, ut ea prudentia suarum Ecclesiarum Officia disponant, ut Parochialia non remorentur, aut aliquo modo impediant. *Ex Stat.* 1614. *Renov.* 1645.

XVII.

Religiosi nullas Conciones aut Congregationes habeant tempore Divinorum Officiorum.

Inhibitionem antehac per præcedentia nostra Statuta factam, de non habendis prædicationibus, nec vacando Confraternitatum exercitiis, & Congregationibus faciendis, dum Officia Parochialia celebrantur, hic renovandum duximus, prout renovamus per præsentes: volentes, & mandantes, ut differantur hujusmodi prædicationes, exercitia, & congregationes, ad aliam horam, quæ Diœcesanos nostros divertere non possit, quominus interesse valeant Officiis Divinis, in eorum Ecclesiis Parochialibus celebrandis. *Ex Stat.* 1647.

XVIII.

XVIII.

Mandata pure sæcularia non debent publicari tempore Officiorum Divinorum.

Cum itaque tam multa sint ad pietatem, Divinum cultum, jurisdictionis Ecclesiasticæ authoritatem, & doctrinæ Christianæ institutionem pertinentia, quæ in Pronis ex Statutorum nostrorum Synodalium forma, a Parochis sunt denuncianda, ut absurdum prorsus esse videatur, cum rei Divinæ intermissione & fidelis populi tædio Sacra miscere profanis, & promiscuis actibus rerum turbare Officia: ne ad utrumque festinantes, neutrum bene peragant Parochi; abstineant posthac in pronis suis a publicatione seu promulgatione mandatorum, vel quorumcumque memorialium ad res profanas pertinentium; quæ tamen, si quando necessitas ipsa, vel publica requirat utilitas, post Missarum, aut Vesperarum peracta solemnia, extra Templum Parochianis suis intimare poterunt. *Ex Statut.* 1590. *Renov.* 1643.

XIX.

Universus Clerus Processionibus generalibus interesse debet a principio ad finem.

Quotiescumque supplicationes generales, sive ex voto, consuetudine, aut alias pro rerum exigentia, & temporum necessitate, de mandato nostro fient, & quibus Nos interesse contigerit, quarum hactenus totius Cleri convocatio, seu congregatio, in Ecclesia Metropolitana habita fuit; omnibus & singulis Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Bisuntinæ Civitatis Rectoribus, Capellanis & Familiaribus, aliisque Status & Religionis cujuscumque Regularibus præcipimus, se ad Ecclesiam Metropolitanam conferre, modesteque, & ea, qua decet, pietate & reverentia, servatis eorum Ordinibus, dictæ supplicationi, toto ejus tempore adesse, & eamdem Ecclesiam Metropolitanam, quando ab ea dictæ supplicationes habebuntur, redire; & in eam sese toto cum Clero recipere, ut communi oratione vota sint communia. *Ex Stat.* 1647.

XX.

Processionibus Parochialibus debet saltem interesse unus de qualibet familia.

Cum publicæ supplicationes ad Dei beneficia promerenda, ejusque miserationes consequendas fuerint ab Ecclesia institutæ, quibus hisce maxime temporibus populus juvari debet; hortamur omnes & singulos, ut cum pietate & assiduitate eas frequentent; Parochianis ordinantes, ut processionibus, præsertim quæ tempore Rogationum fiunt, diligentes intersint, ita ut ex qualibet familia saltem unus illis assistere comperiatur. *Ex Stat.* 1669.

TITULUS XIX.

De Celebratione Missarum.

STATUTUM I.

In privatis Oratoriis non est celebrandum, nec angustiis ad id marmoribus utendum.

Injunctum Nobis a Patribus Concilii Tridentini munus, ne privatis in domibus sanctum Missæ Sacrificium a sæcularibus aut Regularibus quibuscumque Presbyteris peragi patiamur, Nos eo magis ad id rursus inhibendum permovet, quod sacrorum Canonum authoritas satius esse velit, Missam non dicere aut non audire, quam in his locis, ubi fieri non oportet. Quodque circa Altaria viatica (marmora vulgo vocant) quibus ad hoc passim utuntur, tam multa ex veterum Canonum decisionibus incidant, ut non levis sit, quæ de eorum licito usu oritur dubitatio. Quia tamen in plerisque hujus nostræ Diœcesis Ecclesiis, & privatorum Oratoriis hujusmodi Altaria frequentia & ab antiquo recepta reperiuntur, nihil quidem hac in re absolute decernendum nunc esse duximus, donec per Nos, vel R. D. Suffraganeum vices nostras in Pontificalibus gerentem, generali nostræ Diœcesis visitatione, quam cito commode fieri poterit, instituta, iisdemque Altaribus ac Oratoriis, ex Sacrosancti Concilii præscripto visis & legitime recognitis, quid Divino cultui hac in re expediat, statuatur. Interim tamen caveant omnes & singuli nostræ Diœcesis Presbyteri, ne

ne viaticis Altaribus, quæ usque adeo angusta fuerint, ut calicem cum patena commode ac decenter capere non possint, sive mensæ Altaris non consecrati insita sint & inserta, sive ab iis sejuncta, quovis modo utantur; aliis vero etiam latioribus paulatim uti desuescant; nec ea, quamvis legitime consecrata, extra Ecclesiam, aut Oratoria Divino etiam cultui tantum dedicata, licita esse putent, nisi eis utantur in loco decenti, & ex publica seu gravi causa, atque expressa super hoc habita licentia, juxta formam Statuti jam olim promulgati. Posthac autem nulla penitus consecrentur, nisi quæ præter competentem longitudinem, latitudinemque, ejus etiam sit altitudinis & formæ, ut confossionis seu sepulchri ad includendas Martyrum Reliquias capacia esse queant. *Ex Stat.* 1588.

II.

Non celebret Sacerdos in Ecclesia polluta, aut sub dio sine licentia.

Nullus Presbyter præsumat celebrare super Altare non consecratum, aut in Ecclesia polluta, aut coram interdicta persona, aut excommunicata, si expresse denunciata sit; nec nisi in Ecclesia, nec extra eam, nisi in casu necessitatis, licentia nostra super hoc habita, in loco decenti, & super Altare lapideum consecratum, aut in quo sit lapidea tabula consecrata, non alias. *Ex Stat.* 1573.

III.

De uniformitate in Missæ Cæremoniis servanda.

Ut in sancto Missæ Sacrificio inter ejusdem Sacramenti Ministros cæremoniarum, precumque varietas omnis tollatur (cum etsi multi simus, omnes tamen de uno pane & de uno calice participamus;) neminem posthac, quantumvis alias idoneum, ad sacrum Presbyteratus Ordinem admitti volumus, quin prius ab aliquo perito Sacerdote, ritum celebrandæ Missæ in quodam libello ad hoc novissime hic edito, & in ipsis Missalibus præscriptum, studiose didicerit: ut tandem sub una eademque formula singuli paulatim id facere assuescant. *Ex Stat.* 1588.

IV.

Sacerdos in hac Diœcesi celebraturus, tam alibi ordinatus, quam hic ordinandus, prius exerceri debet in Cæremoniis Missæ.

Tanta in cœlestibus Altaris mysteriis tractandis reverentia, tamque accurata sacrorum Rituum observatio in Dei Ministris requiritur, ut nulli deinceps Sacerdoti, sive extero, sive ex nostra Diœcesi oriundo (qui tamen in aliena Presbyteratus Ordinem, etiam de consensu nostro receperit) Missæ Sacrificium celebrandi facultatem concedere, tutum judicemus; nisi prius per Sacerdotes a Nobis deputandos, tam super Rubricis Missalis, quam Officii Divini examinatus, & in ipsius Missæ cæremoniis exercitatus, idoneus reperiatur. Qui vero e Seminario nostro egressi, ad eumdem Ordinem promoveri cupiunt, non ante admittentur, quam de eorum in cæremoniis exequendis, capacitate Nobis constiterit. *Ex Stat.* 1677.

V.

Missæ Parochiales non debent celebrari de Sanctis in Calendario Bisuntino non expressis, quibusdam tamen exceptis.

Curati se conformantes in omnibus Ecclesiæ nostræ Bisuntinæ (quæ est omnium Ecclesiarum Civitatis & Diœcesis matrix) de nullo alio Sancto celebrent, quam de nominatis in Calendario Bisuntino, & qui sunt de Ordinario: nisi tales Sancti sint Patroni Ecclesiarum suarum, aut eorum Officia ex speciali devotione fundata sint in Ecclesiis ipsorum per aliquos Fideles Catholicos, & in hoc casu nostra licentia speciali requisita & concessa. *Ex Stat.* 1573.

VI.

Duæ Missæ uno die non sunt celebrandæ.

Nullus Presbyter duas Missas celebrare præsumat eodem die, nisi necessitate compulsus: & in die Nativitatis Domini; & tunc in prima non debet ablutiones sumere, ut sit jejunus in alia. *Ex Stat.* 1573.

VII.

VII.

Idem interdicitur sub pœna excommunicationis.

Cum sacris Canonibus passim interdicta sit duarum Missarum una eademque die celebratio, Christus enim semel tantum passus, totum genus humanum redemit: neque modica res est unica eadem die digne celebrare: id ne deinceps fiat a nostræ Diœcesis Sacerdotibus sub quovis prætextu extra casus a jure permissos (& tunc nonnisi in prioribus Missis a vini sumptione post Communionem abstinendo) præter peccati mortalis reatum, quem alias incurrent, sub pœna excommunicationis, & alia arbitraria prohibemus. *Ex Stat.* 1600.

VIII.

Non est celebrandum tempore Concionis.

Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat tempore, quo Curatus seu Prædicator verbi Dei sermonem habet ad populum: ne per hoc impediatur verbum Dei. *Ex Stat.* 1573.

IX.

Missæ privatæ celebrari non debent tempore Missæ Parochialis.

Ne aliqua detur occasio populis Missas Parochiales negligendi, aut etiam irreverenter & cum tumultu deserendi; maxime cum id absque animarum detrimento fieri nequeat: prohibemus omnibus Sacerdotibus, tam sæcularibus, quam Regularibus, tempore Missarum Parochialium, ante peractam Consecrationem, Missas privatas in eadem Ecclesia celebrare, nec ullas incipere, nisi ante ultimum Missæ Parochialis pulsum finiri possunt. *Anno* 1691.

X.

Celebrans omnia ex libro legere debet.

Presbyter in celebrando Missam, totum Officium in libro dicat, nihil sine libro, quantumcumque sit peritus; quia etiam in apertione & complicatione libri aliqua significantur mysteria. Nec Ritus aut Orationes de suo sensu faciat. *Ex Stat.* 1573.

XI.

Tria vitanda in celebratione Missæ.

Caveant ab avaritia, quæ est idolorum servitus: ab irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta est: & a superstitione, veræ pietatis falsa imitatrice; quare pacta & mercedis conditiones pro Missis non fiant; rejiciantur, qui non decenti cum habitu ad celebrandum accedunt; Ritus novos, vel cæremonias, vel preces ne faciant. Missarum vero & candelarum certum numerum, tanquam a superstitione deductum, Synodus Tridentina damnavit. *Ex Stat.* 1573.

XII.

Non permittatur celebrare, qui coronam non gestat.

Præcipimus, ut Curati gerant suo statui Presbyterali convenientem coronam: & ut non permittant ulli Presbytero celebrationem Missæ in ipsorum Ecclesiis, qui similem coronam apparentem non gestet. *Ex Stat.* 1640.

XIII.

De Celebrantibus cum calota.

Audientes etiam nonnullos Sacerdotes sine licentia celebrare sacrum Missæ Officium cum galericulo, seu calota vulgo nuncupata, capiti imposita, quod a jure prohibitum est; vobis etiam mandamus, ut singulis vestrorum Decanatuum Parochis sedulo injungatis, ne tale quid inposterum in suis Ecclesiis permittant. Si tamen aliquis eorum tali infirmitate detineretur, ut non possit sine suæ sanitatis incommodo aliter celebrare, poterit illud ipsis permitti usque ad Præfationem duntaxat, & post Communionem, licentia ad hoc opportuna a Nobis, seu a Vicario nostro Generali desuper obtenta: ad quam obtinendam dicti Sacerdotes dabunt suæ infirmitatis testimonium. *Ex Stat.* 1641.

XIV.

De Calicibus stanneis abolendis.

Calices stannei ob quorumdam locorum paupertatem, temporis ac bellicorum tumultuum injuria subortam, ad tempus tantum permissi, ad-

huc hodie tam frequentes ſunt in hac Diœceſi, ut iis uti non deſinant, qui habent argenteos, idque cum tanta ſorditie, ut etiam intuentium oculos plerumque offendant. Hinc fit, ut eos omnino abolendos, nec poſtmodum aliquos conſecrandos eſſe cenſeamus, niſi quorum cuppa ſaltem ſit argentea. *Ex Stat.* 1605.

XV.

Qualia debent eſſe corporalia & ampullæ.

Corporalia de lino, non de ſerico eſſe debent: quia Chriſtus in ſepulchro fuit involutus in ſyndone munda; & ſemper debent alba & munda teneri. Ampullas quoque mundas habeat: quas ligneas aut cupreas eſſe non licet. *Ex Stat.* 1573.

XVI.

De decentia & munditia tam ſacrorum vaſorum, quam veſtium.

Cum nimis abſurdum videatur in Sacris ſordes negligere, quæ dedecent in profanis; & indecentia in iſtis, vix in illis ab impietate ſejuncta ſit: omnibus Sacerdotibus, Eccleſiarum Cuſtodibus & Miniſtris præcipimus, ut ſingularem imprimis dent operam, quo nihil deſit ex ſacris vaſis, veſtibus & ornamentis ad Divinum cultum neceſſariis: ſordesque omnes & immunditiæ (quæ interdum aliquibus ſunt horrori, & ipſos etiam populi oculos offendunt) ab Eccleſiis, earum Capellis, Oratoriis, Altaribus, calicibus, vaſis, ſacriſque veſtibus amoveantur: Altaris mappæ, cujuslibet calicis purificatoria, corporalia item, & quæ ſunt hujus generis alia Miſſæ Sacrificio ſervientia, ſæpe laventur, munda, nitida, pura & integra honeſte conſerventur, nihilque in eis lacerum aut immundum reperiatur. *Ex Stat.* 1588.

XVII.

De mutandis frequenter linteaminibus ad ſacrum Miniſterium requiſitis.

Quoniam autem, quæ Statuto ſeptimo ejusdem Synodi de Eccleſiarum, Altarium, ſacrorum vaſorum, veſtium, corporalium, & aliorum ad Dei cultum pertinentium ornatu & munditie decreta fuerant, ſegnitie plane agreſti fere paſſim negligi animadvertimus; id noſtræ intentionis fuiſſe declaramus, ut purificatoria, corporalia, mappæ, mantilia, albæ, amictus, & cætera id genus in ſingulis Eccleſiis mutatoria; ſingulis ſaltem menſibus, præter majorum ſolemnitatum dies, mutentur; niſi id ſæpius fieri res ipſa requirat, uti in mantilibus, altaris mappis, ſaltem ſuperioribus, amictibus, albis, & aliis Miſſæ Sacrificio ſervientibus: alioquin hujus noſtræ declarationis præſcripto non obtemperantes, arbitraria pœna, eleemoſynis, vel ipſarum Eccleſiarum augendæ ſupellectili applicanda, plectentur. *Ex iisdem Statutis.*

XVIII.

A quibus Eccleſia purgari, & linteamina lavari debeant.

Exigit inſuper ſacræ ſupellectilis nitor, ut deſtinata Sacrificio linteamina terſa imprimis ac nitida ſint: unde Statutum vetus, quo per annum lavari quater a ſolis Sacerdotibus purificatoria injungitur, ſic interpretamur, ut ea bis, terve primum ipſis Sacerdotum manibus aquæ immerſa, aliis poſtea quibuslibet perſonis piis ac honeſtis tradantur, decenter abluenda: maxime ſanctis virginibus, quæ urbes & oppida incolunt, quæque ad idem officium ultro ac libentiſſime feruntur. *Ex Stat.* 1648.

XIX.

Veſtibus benedictis uti debet Celebraturus.

Sine veſtimentis Sacerdotalibus benedictis ab Epiſcopo, vel ab altero Sacerdote de Epiſcopi licentia, nullus Sacerdos præſumat Miſſam celebrare. *Ex Stat.* 1488.

XX.

Religioſi veſtes hujusmodi benedicere non debent.

Religioſis prohibemus, ne præſumant benedicere veſtes ſeu utenſilia ad celebrationem Miſſarum adhiberi ſolita & neceſſaria; ſicuti ſunt corporalia, mappæ, pallæ, & alia ſimilia; quibus non magis competit facultas benedicendi, quam ſimplicibus Presbyteris: cum ſi aliquam habeant, illa ipſis ſolum competat pro uſu ſolo ſuorum

rum Monasteriorum, seu locorum ab ipsis dependentium. *Ex Stat.* 1645.

XXI.

Celebraturus vestes de Altari non accipiat.

Sacerdotes Sacrum facturi, vestes in ipso Altari non sumant, sed in destinato ad hoc Sacrario, si habeatur; in quo variæ, piæ & aptæ ad Sacrificium rite peragendum Orationes serventur. *Ex Stat.* 1648.

XXII.

Sacerdotes exteri ad celebrandum non admittantur, nisi de Ordinarii licentia.

Inhibemus omnibus & singulis Presbyteris, qui ex Diœcesi Bisuntina non sunt oriundi, nec in Diœcesi Beneficiati, ne Missas aut alia Divina Officia celebrent in dicta Diœcesi sine nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia: omnibus Curatis sub gravi pœna inhibentes, ne tales Clericos transeuntes in suis Ecclesiis ad celebrandum admittant, nisi viros magnæ dignitatis esse cognoverint, & venerabiles personas. *Ex Stat.* 1682.

XXIII.

Idem prohibetur.

Ut major inposterum cautela adhibeatur in Sacerdotibus extraneis recipiendis, qui nonnunquam criminibus vel censuris irretiti, a propria Diœcesi recedentes per alienas vagari solent: inhibemus quibuscumque Ecclesiarum tam sæcularium, quam Regularium Præpositis, Ædituis, ac aliis illarum curam gerentibus, ne ullum Sacerdotem extraneum sæcularem & Regularem ad Missæ celebrationem admittant, nisi prius ipsis constiterit de Vicarii nostri Generalis licentia, aut si Regulares fuerint, de alicujus noti Superioris ejusdem Ordinis testimonio in scriptis ostenso. Si tamen præfati Sacerdotes ita aliunde cogniti sint, ut nullum de eorum statu & probitate dubium oriri possit, a celebratione impediri non debent, dummodo in habitu decenti compareant.

XXIV.

De tempore celebrationis Missæ.

Quamvis a primo illucescente diei crepusculo usque ad meridiem, & non aliis horis celebrare licitum sit: dicimus tamen Sacerdotibus Parochias, præsertim variis pagis distinctas habentibus, non esse usque adeo liberum inter auroram & meridiem celebrare, ut eis pro arbitrio, aut ex privata quacumque causa Parochiales Missas anticipare vel differre liceat, sed illa tantum hora celebrare, quæ populo magis sit congrua, ut commode se præparare, & ad Ecclesiam opportune conferre possit. *Ex Stat.* 1588.

XXV.

In Ecclesiis, ubi plures Missæ celebrantur, non simul, sed successive dicantur.

In Ecclesiis autem Collegiatis, aut aliis, ubi plures Missæ singulis diebus dici solent, illam earum celebrandarum seriem populo accommodatam ab omnibus observari præcipimus, ut prima diluculo, reliquæ successivis horis, non autem plures simul, ut fere fit, celebrentur. Quod si forte præ Missarum multitudine plures uno, eodemque tempore celebrare sit necesse, talis ineatur ratio, ut Celebrantes se invicem non interturbent. *Ex Stat.* 1588.

XXVI.

Pœna statuitur in contravenientes.

Quæ de psallendi ratione, præsertim cum mediatione seu pausa decenti in medio cujuslibet versiculi Psalmorum, veteri Statuto fuerunt constituta, & de pluribus Missis, non simul, sed successive in una, eademque Ecclesia celebrandis, in prima nostra Maji Synodo jussa, sedulo posthac mandamus observari: qui contra fecerit, omni prorsus suæ præsentiæ, præstitique sic perperam Officii emolumento careat, ut pro absente habeatur; crescenteque contumacia severius ab eo, qui præerit, compescatur. *Ex Stat.* 1591. *Renovat.* 1592.

TITU-

TITULUS XX.

De Concionibus & Concionatoribus.

STATUTUM I.

Parochi singulis diebus Dominicis Concionem ad populum habeant de præcipuis illius muneribus.

Parochi omnes singulis diebus Dominicis tempus aliquod impendant proprio gregi pascendo concione aliqua familiari, & ad captum auditorum accommodata, aut libri alicujus spiritualis, Catechismi potissimum Tridentini lectione; curentque, ut addiscant & sciant omnes tam minores, quam provectiores, quomodo Sacramenta ad Dei gloriam, suamque ipsorum salutem percipere debeant, & qua ratione vitam omnem, moresque suos ita instituant, ut juxta votum, quod semel Deo in Baptismo nuncuparunt, probos, integros ac inculpatos illi se Christianos exhibeant. *Ex Stat.* 1614.

II.

Quænam in Prono & Concionibus referre debent.

In diebus Dominicis commendent orationibus populi statum Principum & Prælatorum; & in Festis Sanctorum recitent vitas Martyrum, gesta ipsorum cum laude, ad exemplum auditorum; nihil tamen admiscentes fabulosum. *Ex Stat.* 1573.

III.

Quæ omittere Concionatores debent.

Ipsi vero Prædicatores juxta Statuta Synodalia, neque apocrypha, neque obscura nimis, aut difficilia & alta Mysteria simplici populo enarrare præsumant; sed tantum ea, quæ fidem confirmare possint, ut duodecim articulos fidei, & bonos mores commendare, præceptaque Dei & Ecclesiæ, tam augendo spem vitæ æternæ in bonis, quam timorem supplicii æterni in malis. *Ex iisd. Stat.*

IV.

Hæreticorum argumenta non sunt populo in concionibus proponenda.

Argumenta & rationes hæreticorum ne referant, nisi fuerint viri doctrina & authoritate præstantes: sed potius orthodoxorum Patrum sententias; & multo minus phrases hæreticorum retineant. *Ex Stat.* 1573.

V.

Prædicatores non admittantur sine literis Ordinarii.

Ne pravis doctrinis hominum mente corruptorum simplices inficiantur: ordinamus & districte præcipimus vobis Curatis & Rectoribus Ecclesiarum nostræ Diœcesis, aut Vicariis vestris, ne ullos Prædicatores aut Concionatores admittatis in vestris Ecclesiis ad prædicandum, nisi literas nostras, vel Vicarii nostri Generalis in forma authentica habuerint: nec in hoc negotio cujusquam persuasionibus vel diplomatibus pareatis. *Ex Stat.* 1573.

VI.

Literæ Prædicatorum a Parochis examinandæ.

Diligenter præterea observabitis datam ipsarum literarum, num sint pro anno, in quo ad Ecclesias vestras accesserint: & ne sit aliqua in ipsis rasura, vel falsi suspicio. *Ex Stat.* 1573.

VII.

Concionaturi debent prius examinari & approbari ab Ordinario.

Cum juxta sacrorum Lateranensis & Tridentini Conciliorum Decreta, ad sanctæ prædicicationis officium salubriter exequendum, viri idonei, potentes in opere & sermone, talesque examine prævio judicati, a Nobis mittendi sint: propterea omnibus & singulis hujusce nostræ Diœcesis Parochis, Vicariis, Fabricariis, aliisque Rectoribus, etiam sæcularibus, serio inhibemus quemquam ad conciones in Parochiis tempore Adventus & Quadragesimæ habendas admittere, nisi ad tam pium opus pro toto Adventu, integraque Quadragesimia idoneus repertus & approbatus fuerit, vel nisi antea dictis temporibus Adventus scilicet & Quadragesimæ verbum Divinum cum approbatione debita annunciarit. *Ex Stat.* 1652.

VIII.

VIII.

Non debent reluctantibus Parochis populum ad Ecclesiam convocare Concionatores.

Inhibemus omnibus & singulis, sive sæcularibus, sive Regularibus verbi Divini in hacce nostra Diœcesi Concionatoribus, inconsultis vel reluctantibus Parochis nostris, campanas Ecclesiæ ad convocandum populum pro habendis concionibus in ipsorum Parochiis pulsare, cathedramque ante designatum tempus & horam a dictis nostris Parochis conscendere, sub pœna revocationis facultatum a Nobis, aut a Vicario nostro Generali dictis Concionatoribus concessarum. *Ex Stat.* 1653.

TITULUS XXI.

De Prono & Catechismo.

STATUTUM I.

Quæ in Prono annunciari debeant.

Curati singulis diebus Dominicis denuncient Parochianis suis in Missa Festa Sanctorum, quæ erunt in proxima hebdomada sequenti: præcipiendo eis, ut devote illa colant, abstinendo ab omni opere servili. Similiter denuncient jejunia quatuor temporum, & vigiliarum Apostolorum & aliorum, quæ cadunt sub præcepto Ecclesiæ. *Ex Stat.* 1560.

II.

Quæ in Prono doceri debeant.

Singulis diebus Dominicis postea-quam Præcepta denunciaverint, dicant Orationem Dominicam: videlicet: *Pater noster*: Salutationem Angelicam: *Ave Maria*: & Symbolum Apostolorum: *Credo in Deum Patrem*, &c. *Credo in Spiritum Sanctum*, &c. alta & intelligibili voce, tractim, cum pausa & per clausulas & articulos, inculcando, & non decurtando verba: ut juvenes & senes discant, quomodo perfecte & plene debeant pronunciare & recitare; & in fine doceant eos facere signum sanctæ Crucis, dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ex Stat.* 1560.

III.

Anniversaria & Fundationes in Prono declarari debent.

Veteri Statuto sub titulo: *Statuta Pastorum*, in quo de Vigiliis seu Anniversariis, & aliis Divinis Officiis congruis horis pulsandis, & de celebrandis Missis agitur, hoc etiam addimus, ut singulis quibuscumque diebus Dominicis Anniversaria, quæ eadem hebdomada peragenda fuerint, eorumque Fundatores publice in Pronis, ubi id hactenus observatum est, denuncientur; in aliis vero nostræ Diœcesis Ecclesiis, in quibus id fieri non solet, idem introducatur, ut piæ Fundatorum defunctorum intentioni, & superstitum devotioni satisfiat. *Ex Stat.* 1599.

IV.

Parochi legant Pronum distincte.

Renovamus antiqua Statuta, maxime circa proni recitationem; quæ cum sit animarum saluti tantopere utilis & maxime necessaria, præcipimus omnibus & singulis Parochis nostræ Diœcesis, ut articulate & distincte pronum recitent, juxta formam & modum a Prædecessoribus nostris inductum & approbatum, non vero memoriter, & alia interim de more præstando; cujus nostri Decreti executionem commendamus Curiæ nostræ Fiscalibus. *Ex Stat.* 1664.

V.

Tempore Proni nullæ celebrentur Missæ, nec legantur Monitoria, nisi eo peracto.

Ut autem pronum solido & consueto fructu suo non careat; prohibemus, ne sub idem tempus, quo Parochus verba ad populum habet, quisquam Missam, sive quæ Proni vocatur, sive aliam quamlibet, in eadem Ecclesia celebrare ausit. Et interdicimus eidem Parocho, ne ulla prælegat monitoria, nisi eodem prono peracto; ita ut ob frequentiam monitoriorum popularis instructio non relinquatur. Quæ quidem monitoria alicujus Advocati, vel Notarii Curiæ Archi-Episcopalis Bisuntinæ manu subscribantur. *Ex Stat.* 1648.

VI.

De iis, qui exeunt ab Ecclesia tempore Proni.

Non sine mœrore accepimus, nonnullos Parochianorum in tantam suæ salutis incuriam, ac Divini verbi contemptum devenisse; ut cum primum a Parochis pronus, sive alia instructio inchoatur, a Templo discedant, & ante illius fores toto concionis tempore confabulentur; mandamus propterea Parochis & eorum Vicariis, ut si post habitam hujus nostri Statuti notitiam, in eamdem culpam inciderint, eos Fiscalibus Curiæ nostræ sine mora deferant, ut pœna arbitraria pro delicti gravitate puniantur. *Ex Stat.* 1676.

VII.

Parochi pueros Fidei rudimenta docere tenentur, etiam diebus non feriatis.

Etsi veteri Statuto jussum esset Patres & Matresfamilias sedulo admonendos esse, ut liberos & familiam domi ad pietatem erudiant, eosque singulis saltem diebus Dominicis ac aliis Festivis ad Ecclesiam suam Parochialem secum ducant, & ad Seminaria seu Scholas transmittant, quo semel Fidei rudimentis imbuti, Religionis & cultus Divini habitum a pueritia contrahant; & in iis studiis simul cum ætate adolescant. Quia tamen id ita negligenter a rudi saltem plebecula, latinæ pronunciationis propemodum ignara, hactenus observatum est, ut non solum pueri, sed etiam adulti quidam prima Doctrinæ Christianæ elementa penitus ignorent, aut perperam teneant: animadvertentes, quantum momenti habeat ad veram pietatem Catholica & fidelis juventutis institutio; mandamus in locis, in quibus fuerint Ludimagistri, ea, quæ de iis olim statuta fuerunt, ad unguem custodiri; in aliis vero id a Parochis, quantum eis licebit, sedulo præstari: utrobique autem præter solitam in prono Orationis Dominicæ, & totius Fidei Catholicæ distinctam & articulatam recitationem, statis diebus pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta, obedientiam erga Deum & Parentes, cæteraque hujusmodi ex præscripto Concilii Tridentini, & antiqui Statuti nostri Synodalis, juxta parvi Catechismi novissime ad hoc editi formam, doceri præcipimus: alioquin in negligentes per censuras Ecclesiasticas, juxta culpæ gravitatem, animadvertetur. *Ex Stat.* 1593.

VIII.

Catechismum faciant omnibus & singulis diebus Dominicis.

Quoniam nihil tantopere confert animarum saluti, quam Doctrinæ Christianæ & Catholicæ frequens Catechisatio; ne Diœcesani nostri Fidei nostræ principia ignorent; serio itidem & districte præcipimus sub gravi animadversionis pœna, a Nobis, seu Officiali nostro declaranda & arbitranda, omnibus & singulis Parochis, Rectoribus Ecclesiarum, aut aliis curam animarum habentibus, singulis diebus Dominicis, suos Parochianos, in vera, sancta & Catholica Fide instruere, catechisare, juxta præcedentia Statuta, antehac super hoc articulo seu decreto promulgata; quæ hic renovanda duximus & renovamus. Quod ut accommodatius ad Parochianorum intellectum majorem & clariorem fiat: oportet, ut Parochi prædicti (prout eis tenore præsentium expresse injungimus) singulis diebus Dominicis præmemoratis, Capitulum unum ex Catechismo, authoritate nostra ordinaria approbato, eisdem gratuito a Nobis cuilibet Parochorum per Decanos nostros rurales distribuendo, publice & in eorum Ecclesiis, circa meridiem legant & explicent, seduloque invigilent iis, qui negligenter dicto Catechismo & Fidei Catholicæ doctrinæ assistere contempserint, eosque Procuratori nostro Fiscali & Generali deferant, sub pœna animadversionis a Nobis, seu Officiali nostro arbitranda & declaranda. *Ex Statutis* 1647. *Renov.* 1640. 1645. 1655. 1656. 1661.

IX.

Pœna Parochorum Catechismum obmittentium.

Cum Doctrina Christiana sit animarum spiritualis refectio, & in nostra Diœcesi admodum necessaria, ut id in visitatione nostra generali pluribus in locis

locis comperimus: hinc eſt, quod Statutum hujus rei gratia multoties iteratum renovantes, diſtricte omnibus Parochis, Vicariis, aliisque animarum curam habentibus præcipimus, ut inpoſterum, ſub pœna quinque librarum Stephanienſium, ſingulis diebus Dominicis ejusdem Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſia lectiones faciant, moneantque Parochianos ſuos, ut in eis ſedulo compareant. *Ex Stat.* 1677.

X.

Idem præcipitur ſub pœna ſuſpenſionis.

Gravis ignorantia rerum ad æternam ſalutem neceſſariarum, quæ adhuc hodie in populis reperitur, partim ex negligentia Parochorum, qui licet ſæpiſſime admoniti, Doctrinam Chriſtianam maxima anni parte omittunt; partim etiam ex incuria Parochianorum, qui ſolitis inſtructionibus intereſſe contemnunt; Nos compellit tot tantisque animarum periculis, novis conatibus & remediis providere: quapropter ad excitandam Paſtorum ſomnolentiam, declaramus eos, qui per tres dies Dominicos continuos Catechiſmum per ſe, vel per Vicarium idoneum non fecerint, ſuſpenſionis pœnam a Nobis declarandam incurſuros.

XI.

Omiſſo Catechiſmo per duas hebdomadas, eſt Caſus reſervatus.

Non ſine intimo animi dolore accepimus, tot Statuta a Nobis hactenus edita ad excitandum Paſtorum torporem in Chriſtiana Doctrina populis tradenda, vix aliquem habuiſſe effectum. Unde ne muneri noſtro ullatenus deeſſe videamur, aut in re tanti momenti aliquod remedium intentatum relinquamus, quo animarum jacturæ occurratur; declaramus Parochos ſeu Vicarios, qui duabus Dominicis diebus continuis Catechiſmum publice populo tradere neglexerint, gravis peccati reatum incurrere, cujus abſolutionem Nobis duntaxat reſervamus. Renovantes inſuper alias pœnas in præfatis Statutis contentas. *Anno* 1686.

XII.

Quæ in Catechiſmo tradere conveniat.

Supra modum innovatus eſt cordis noſtri dolor, ubi accepimus poſt tot Statuta a Nobis hactenus edita, quibus ſomnolentos deſidum Paſtorum animos ad Doctrinæ Chriſtianæ principia populis tradenda, excitare voluimus; plures nihilominus adhuc inveniri, qui ſpretis adhortationibus noſtris ac præceptis, gregis ſibi commiſſi ſalutem non minus, quam ſuam æternæ damnationis periculo exponunt; dum rudes populos aut nunquam, aut raro (exigua videlicet ſolum anni parte) inſtruere negligunt. Propterea ſub pœnis a Nobis & Prædeceſſoribus noſtris antehac conſtitutis, denuo præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, & eorum Vicariis, diebus ſaltem Dominicis, populos Divina Fidei myſteria, & Sacramentorum effectus, diſpoſitionesque ad eorum dignam ſuſceptionem requiſitas, infatigabiliter edocere; ſerio mandantes Decanis noſtris ruralibus, ut hujus Decreti executioni diligenter invigilent; Procuratoribus vero noſtris Fiſcalibus & Generalibus, ut contra delinquentes ſine mora procedant. *Ex Stat.* 1678.

XIII.

Parentes mittant liberos ad Catechiſmum.

Toties imperatam, & his temporibus calamitoſis adeo neceſſariam Doctrinæ Chriſtianæ inſtructionem, Parentum negligentia inutilem reddi, a plerisque Parochis accipimus, eo quod puerorum pauci & fere nulli mittantur: unde ſerio mandamus Parochis, ut horam, qua dictam inſtructionem ſunt habituri, inter Miſſarum ſolemnia indicent, parentesque moneant, ut erudiendos pueros ad Eccleſiam mittant, imo deducant; ſi quos vero negligentes repererint, hos Procuratori Fiſcali deferant, pœna a Nobis arbitraria puniendos; præcedentia Statuta circa Catechiſmum facta renovantes. *Ex Stat.* 1657.

XIV.

Decani Rurales significent Vicario Generali Parochos omittentes Doctrinam Christianam.

Volumus autem & statuimus, quo major per Diœcesim nostram in rudimentis Doctrinæ Christianæ progressus fiat, rationem illius per singulos Decanos rurales de singulis Parochiis Vicario nostro Generali singulis trimestribus reddi per literas; ut si qui a locorum Pastoribus hac in re desides reperiantur, provideatur modo & forma in aliis Statutis a Nobis ante editis præscripta. *Ex Stat.* 1648.

XV.

Congregatio Doctrinæ Christianæ instituenda.

Plane quia non leves fructus perceptura videtur tenera juventus, si in singulis Decanatibus Diœcesis nostræ congregatio Doctrinæ Christianæ, secundum PII V. Papæ sanctissimi Constitutionem, instituatur; mandamus singulis nostris Decanis ruralibus statim atque reversi in Decanatus suos fuerint, hanc nostram intentionem & mandatum serio singulis Parochis significare, ut hoc negotium velut maximi ad salutem animarum momenti ponderantes, postpositis rerum sæcularium curis, instituendæ huic congregationi incumbant, ejusque initia & incrementa Vicario nostro Generali, tanquam hujus congregationis Doctrinæ Christianæ capiti significent, ut operarios in desertam hisce bellis Christi vineam missos, gratiis spiritualibus prosequamur, & a sancta Sede Apostolica eosdem cumulari procuremus. *Ex Stat.* 1648.

TITULUS XXII.

De Fidei Professione emittenda.

STATUTUM I.

Fidei professio emittenda ab omnibus de Beneficio Ecclesiastico & Dignitate provisis.

Statuitur & ordinatur, ut quicumque in Episcopum vel Archi-Episcopum eligetur, in prima post suam creationem vel electionem Provinciali Synodo, cui ipse intererit, veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeat, Fideique professionem faciat, juxta formam a PIO IV. Papa traditam. Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, eandem obedientiam spondere, & Fidei publicam confessionem facere teneantur in manibus Episcoporum suorum, vel Vicariorum Generalium. Provisi autem de Canonicatibus vel Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo suo, seu Vicario, sed etiam in Capitulo; Abbates, coram Episcopo a quo benedictionem accipient, & coram toto Conventu; alii vero de Monasteriis provisi, coram Conventu tantum. Item Universitatum & Studiorum generalium Magistri & Doctores publice profitentes, singulis annis in prima quaque prælectione sua, solemni juramento spondeant se nihil docere vel interpretari velle, quod huic Fidei Catholicæ repugnet. *Ex Statutis* 1573.

II.

Emitti etiam debet ab iis, qui ad aliquod Officium vel Munus Ecclesiasticum promoventur.

Cum præcipua Pastoralis nostri Officii cura in eis versari debeat, quæ ad Fidem Catholicam (sine qua impossibile est placere Deo) pertinent; eorum autem, quæ corde creduntur ad justitiam, ore fieri debeat confessio ad salutem: propterea quæ a Patribus Sacrosancti Concilii Tridentini, & Statutis Synodalibus decreta sunt de Fidei professione, intra duos menses a die possessionis adeptæ emittenda, ab omnibus Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Monasteriorum Præfectis, in Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium constitutis, earumdem aliarumque Collegiatarum Canonicis, & cæteris quibuscumque curam animarum habentibus; quibus nec aliter fructus suos facere, nec aliqua adeptæ possessionis prærogativa frui licet, volumus observari. Et ut judicium incipiat a domo nostra, & omnia ordinate in ea fiant, neminem deinceps ad Concilium nostrum Archi-Episcopale, vel alicujus digni-

dignitatis, sive illius judiciarii, vel extrajudiciarii nostri Archi-Episcopatus Officii exercitium admitti debere, nisi qui prius in manibus nostris, Vicarii nostri Generalis, aut Officialis, orthodoxæ suæ Fidei publicam fecerit professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansurum spopondérit ac juraverit, juxta formam Constitutionis PII IV. prædicto Statutorum volumini inferram. Non tantum ut quoddam quasi fundamentum futuris actionibus positum esse videatur, sed etiam ut hoc velut fidei, quam singuli profitebuntur, scuto armati, ad munera quique sua rite obeunda fortiores fiant. *Ex Stat.* 1588.

III.

Nec non a Professoribus & ad Doctoratus gradum admissis.

Idemque in almæ Universitatis Dolanæ (quæ sola est in nostra Diœcesi) Rectoribus, Professoribus, ad gradus aliquos promovendis, & aliis juxta Bullæ Pontificiæ super hoc editæ formam, studiose observetur; ut ea quoque nostræ Ecclesiæ pars non infima, & virorum Doctorum communis parens integra permaneat, & conservetur. *Ex Stat.* 1588.

IV.

Ludimagistri & Typographi eamdem Fidei professionem emittere debent.

Iis autem, quæ de minorum Scholarum Magistris dicto Statuto Synodali cauta sunt, hoc etiam addimus, ut ex forma dicti Statuti, recepti & approbati, antequam ad docendum admittantur, prædictam Fidei confessionem (ad Nos, vel Vicarium nostrum Generalem in scriptis transmittendam) in manibus Decani ruralis, sive Parochi loci facere astringantur. Et idem observent (in manibus tamen nostris, aut dicti Vicarii nostri Generalis) quotquot in finibus nostræ Diœcesis fuerint Typographi, seu librorum Impressores, ejusdemque Concilii Tridentini, & LEONIS X. Constitutioni in Concilio Lateranensi, super prævio librorum, aut cujuscumque scripturæ examine & approbatione editæ, sub pœnis ibidem statutis pareant: ne ulla unquam hæresum lues in Scholis aut libris sumat incrementum. *Ex Statut.* 1588.

Forma Professionis Fidei.

" Ego N. firma fide credo &c."

TITULUS XXIII.

De lectione Librorum ad Religionem spectantium.

STATUTUM I.

De Scriptura sacra sive Bibliis.

Librorum sacrorum veterem ac vulgatam editionem solum veneramur, & in Officio Ecclesiastico publicis lectionibus & expositionibus pro authentica habendam declaramus: cæteras vero eorum voluminum integras versiones in vernaculum vel latinum idioma, sic prohibemus, ut nisi licentia in scriptis obtenta, nemo habere audeat Biblia vernacula, vel ab aliquo alio traducta, sub pœna excommunicationis. *Ex Stat.* 1573.

II.

De Bibliis in vernaculam linguam traductis non legendis, etiam a Monialibus.

Bibliorum sacrorum vernaculam seu gallicam versionem nolumus in cujusquam manibus versari, maxime Sanctimonialium, & mulierum, sub pœna excommunicationis, ut alias Eminentissimus CLAUDIUS Cardinalis A BAUMA declaravit. *Ex Stat.* 1648.

III.

Quibus conceditur facultas legendi sacram Scripturam lingua vernacula.

Cum Prædecessorum nostrorum Leges & Statuta, juxta temporum varietates & rerum exigentiam, moderari conveniat, ne quod olim fuerat utile, nunc in subditorum vergat detrimentum: idcirco antiqua Statuta, quibus sacræ Scripturæ lectio in vernaculam linguam translatæ omnino prohibebatur, ob vitiosas & corruptas hæreticorum tunc temporis grassantium traductiones; sublato nunc hujusmodi periculo, interpretari volentes: declaramus non licere quidem sacram

Scripturam gallica lingua a quibuslibet Authoribus traductam legere, sed solum versiones a Nobis probandas, cum licentia nostra, aut Vicarii nostri Generalis, vel etiam Parochi, ac Superioris Monialium sibi subditarum, qui prudenter judicabunt, quibus personis, & quos Scripturæ libros legendos illis permittere debeant. *Anno* 1701.

IV.

De libris Hæreticorum.

Hæresiarcharum libros omnes, cujuscumque argumenti vel tituli fuerint, prohibemus; veluti Lutheri, Stancari, Serveti, Zuinglii, Calvini, Pacimontani, Zuenfeldii, Bucceri, Davidis Georgii, Rinchii, Petrobusii, Valdonis, Brentii, & similium, qui hæreticorum duces fuere. Aliorum quoque hæreticorum libri, qui de Religione ex professo tractant, omnes damnantur; sed qui aliis de rebus, & non de Religione loquuntur: & quorum Authores constat fuisse hæreticos, sine licentia in scriptis obtenta nemo habeat. *Ex Stat.* 1573.

V.

De libris Magiæ, superstitionum & obscœnis.

Prohibemus libros omnes incantationum, vel sortilegiorum, atque superstitionum. Item qui res lascivas & obscœnas ex professo narrant aut docent. Ab Ethnicorum autem hujusmodi prælectionibus (licet doctorum & elegantium) arceatur ætas puerilis. *Ex Stat.* 1572.

VI.

De libris anonymis & non approbatis.

Libros de rebus sacris sine nomine Authoris, nisi examinatos prius, probatosque ab Ordinario, edere, vendere, aut apud se retinere nemo audeat. Eosdem in locis suspectis impressos prohibemus. *Ex iisdem Statutis.*

VII.

Concilium Tridentinum alio idiomate, quam Latino non est imprimendum.

Ex mandato etiam sancti Inquisitionis Officii prohibetur, sub censuris & pœnis, imprimi aut divendi Concilium. Tridentinum in alio idiomate, quam latino. *Ex Stat.* 1627.

VIII.

De declarationibus super Decretis sacri Concilii Tridentini ad Indicem librorum prohibitorum rejectis.

Cum S. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum innotuisset, quam plures ex declarationibus a se diversis temporibus, juxta casuum contingentiam factas, fuisse alteratas, imminutas, ac mentito forsan S. Congregationis nomine confictas: eadem S. Congregatio tantis obviare abusibus, ac scandalis voluit, Decreto ex ordine Sanctissimi D. N. lato, quod eadem Sanctitas Sua publicari & observari per singulas Diœceses mandavit, prout ex literis dicti Illustrissimi ac Reverendissimi D. Nuntii, Bruxellis 4. Novembris 1631. datis, videre est. Dicti autem Decreti tenor sequitur.

DECRETUM.

" Cum sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, sæpius & novissime sub die 29. Aprilis 1621. inhærendo Constitutioni fœl. rec. PII IV. quæ incipit: *Benedictus Deus, &c.* decreverit Indici librorum prohibitorum addendas esse omnes & quascumque declarationes, interpretationes, seu decisiones, sub nomine ejusdem Congregationis Concilii, absque illius authoritate impressas, & imprimendas: cumque ad illius notitiam pervenerit quam plures ex declarationibus, interpretationibus, seu decisionibus, juxta contingentiam casuum, illorumque qualitates & circumstantias a se diversis temporibus factis, secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, imminutas, diminutas, ac forsan alias mentito sacræ Congregationis nomine confictas, nulloque propterea authentico sigillo munitas, istasque per Tribunalia tam in urbe, quam per urbem circumferri, & imprimi; confideransque, quantum detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhiberetur: ex speciali Sanctissimi D. N.

UR-

" URBANI Divina providentia Papæ
" VIII. jussu mandat, & præcipit hujusmodi declarationibus tam impressis & imprimendis, quam manu scriptis, nullam fidem esse in judicio, vel extra, a quoquam adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica forma solito sigillo & subscriptione Eminentissimi Cardinalis præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & sigilli nostri impressione communiri, ac typis mandari jussimus. Datum Romæ die secunda Augusti 1631.
" R. Cardin. UBALDINUS imprimatur.
" F. Archiepiscop. Compl. Nuntius
" Franc. Paulutius S. Congreg. Secret.
Ex Stat. anni 1632.

IX.

Liber Cornelii Jansenii, cui titulus: Augustinus, *prohibetur.*

Quia vero exigit a Nobis debita sanctæ Sedis Apostolicæ obedientia, ut cum ea, qua par est, sedulitate & diligentia doctrinas ab ea, velut cæterarum Ecclesiarum Matre, damnatas, damnemus & Nos, inhærentes vestigiis Majorum nostrorum, quorum mentibus ab ipsis fidei incunabulis, alte impressa erga eamdem Sedem, nedum in maximis, quin & in minimis fuit reverentia; emanatam a fœlicis recordationis URBANO VIII. summo Pontifice Constitutionem, quæ incipit: *In eminenti Ecclesiæ*; & qua Cornelii Jansenii liber, cui titulus: *Augustinus*, legi, aut etiam a non legentibus servari, districte prohibetur, propter damnatas in illo opere opiniones: Apostolica prædicti URBANI Papæ VIII. & INNOCENTII X. Decreta, in omnibus venerabundi admittimus, & usque adeo stricte servari mandamus, ut inposterum (quod Nobis placuerit) nullus omnino ad curam animarum admittatur, nisi qui post solemnem Concilii Tridentini Fidei professionem, formulam hic adjectam coram Vicario nostro Generali attente legerit, & juraverit. *Ex Stat. anni* 1648.

FORMA JURAMENTI.

EGO N. profiteor me obedientem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimo Domino nostro N. Divina providentia Papæ, ejusque Successoribus, atque ideo me acceptaturum, prout de facto, & debita submissione accepto, Constitutionem fœlicis recordationis URBANI Octavi, anno ejus Pontificatus decimo nono editam, Incarnationis vero millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, pridie nonas Martii, quæ incipit: In eminenti Ecclesiæ, *in qua prohibetur liber Cornelii Jansenii, cui titulus:* Augustinus, *nec non Constitutionem INNOCENTII Papæ X. quæ incipit:* Cum ex occasione, *pridie Kalendas Junii anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio editam & publicatam, in qua quinque propositiones in dicto Jansenii libro contentæ, tanquam hæreses condemnantur; sicut etiam Constitutionem ALEXANDRI Papæ VII. super eadem re, de data decimæ sextæ Octobris, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto; quas quidem Constitutiones integre accepto, & cum eis in omnibus sentio & consentio, ac promitto, quantum in me est, curaturum, ut præfatas Constitutiones omnes & singuli acceptent, & in omnibus cum eisdem sentiant & consentiant. Ita spondeo, voveo, ac juro, Ego idem N. Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.*

X.

Interdicitur lectio libri de frequenti Communione, *Antonii Arnaldi, & opuscula Abbatis sancti Cyrani.*

Prohibemus lectionem piorum in speciem operum Antonii Arnaud, olim Sorbonici Doctoris, *de frequenti Communione*, & variorum opusculorum Joannis du Verget de Havranne, sancti Cyrani Abbatis, quorum jam mense Octobri superioris anni, adjecta pœna arbitraria, lectionem per Diœcesim nostram interdixeramus. *Ex Statut. anni* 1648.

XI.

Prohibetur Bibliopolis libros de Religione tractantes sine licentia imprimere, vel vendere.

Cum deprehenderimus libros nocivos, & aliquando de hæresi suspectos, sensim a vicinis Provinciis in hanc Diœcesim inferri, non sine evidenti ani-

animarum ac fidei periculo; inhibemus tam Bibliopolis, quam cæteris omnibus, quoscumque libros, ac disjunctas cartulas, Religionis dogmata continentes, vel pietatis species & devotionis materias præseferentes, in quibus nulla aut Ordinariorum licentia, aut Doctorum Catholicorum approbatio apparebit; quovis prætextu divendere, vel apud se retinere; idque sub gravi animadversionis pœna. *Ex Stat. anni* 1671.

TITULUS XXIV.

De Festorum celebratione.

STATUTUM I.

De Festis diebus de præcepto deinceps celebrandis, ex Bulla URBANI VIII. Papæ.

Cum serio ac in virtute sanctæ obedientiæ Nobis a sanctissimo D. N. URBANO Divina providentia Papa VIII. injunctum ac mandatum fuerit, ut in hac nostra Diœcesi publicemus, & observari exacte & ad unguem faciamus Constitutionem, quam novissime edidit Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, idibus Septembris, quæ incipit: *Universa per orbem*, &c. pro determinatione Festorum, quæ sub præcepto celebrari debent: Nos tanquam obedientiæ filii, Apostolicis volentes parere mandatis, dictam Constitutionem in hac Synodo publicandam duximus ac voluimus, prout hic publicamus, & ubique per hanc nostram Diœcesim observari mandamus. *Ex Stat.* 1643.

Porro Festa in dicta Constitutione expressa sunt sequentia:

" Dominici dies totius anni, Festum Nativitatis D. N. JESU CHRISTI, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis S. Crucis. Nec non festivitatis Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Ss. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, Ss. Philippi & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Ss. Simonis & Judæ, & S. Matthiæ, Christi Domini Apostolorum. Item S. Stephani Protomartyris, Ss. Innocentium, S. Laurentii Mart. S. Sylvestri Papæ & Conf. S. Josephi, & S. Annæ Deiparæ respective Sponsi & Genitricis, solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia; & alterius principalioris in quacumque Civitate, oppido, vel pago, ubi hos Patronos haberi & venerari contigerit."

II.

Quorum Sanctorum Festa tanquam Patronorum in hac Provincia & Civitate observari debeant.

Quia vero idem Sanctissimus Dominus noster Papa URBANUS VIII. in eadem sua Constitutione statuit, unum ex principalioribus Patronis cujusque Regni seu Provinciæ, nec non cujusque Civitatis, oppidi, seu pagi, posse eligi, cujus Festus dies celebrari debeat sub præcepto: declaramus diem festum Conceptionis Immaculatæ Beatæ MARIÆ semper Virginis, & gloriosissimæ Dei Genitricis, erga quam tota hujus Comitatus Burgundiæ Provincia, ob plurima ab ea percepta beneficia, singulari ducitur sub hoc nomine, cultu ac devotione, & quam ideo tanquam principalem Patronam suam ac Protectricem colit ac veneratur, die octava mensis Decembris, prout antea observabatur: (ita etiam rogante, nomine totius Provinciæ, excellentissimo illius Gubernatore, & supremo Parlamento Dolano) per totum hunc Comitatum celebrandum esse sub præcepto. Et in hac Civitate Bisuntina diem passionis Ss. Ferreoli & Ferrucii, quæ est decima sexta Junii, tanquam principaliorum ejusdem Patronorum; ita etiam requirentibus ejusdem D. D. Gubernatoribus. In aliis autem Civitatibus, oppidis, seu pagis dies Festus sub eodem præcepto solen-

colendus, is eligetur, quem Clerus, five Parochus, fimul cum Magiftratu locorum convenerit effe obfervandum. *Ex Stat.* 1645.

III.

Fefta minus principalia Patronorum cujuslibet loci non funt obfervanda de præcepto.

Attendentes in pluribus locis noftræ Diœcefis Fefta minus præcipua Patronorum, veluti Translationis, aut Inventionis alicujus Sancti folemnius, quam ipfa principalia Fefta celebrari, quod incongruum, & ab Ecclefiæ inftituto prorfus alienum apparet; idcirco decernimus illos dies Feftos Patronorum deinceps a Parochianis folemniter celebrandos effe, qui in Ecclefiafticis tabulis cæteris præponuntur; ad Feftorum vero minus principalium obfervationem ipfos amplius non teneri, fed operibus fervilibus in iis vacare poffe, de quo Parochi eos quamprimum monere debent. *Anno* 1685.

IV.

An Fefta ex voto celebrari folita obligent.

Quia dubitatum fuit a pluribus Communitatibus, an ftante Conftitutione URBANI VIII. fuper obfervatione Feftorum; quæ incipit: *Univerfa*, Communitates, quæ emiferant vota de obfervandis quibusdam Feftis, authoritate Diœcefani approbata, teneantur ad illorum obfervationem? Super hoc dubio, habito recurfu ad Sac. Rituum Congregationem, ut quid faciendum declararet, eadem Sacra Congregatio, ad inftantiam plurium Reverendiffimorum Epifcoporum cafum refolvit. Cujus refolutionis tenorem, ut omnibus innotefcat, hic fubjungendum duximus. *Ex Stat.* 1646.

Decretum facræ Congregationis Rituum.

" An ftante Conftitutione Sanctiffimi D. N. URBANI Papæ VIII. fuper obfervatione Feftorum, quæ incipit: *Univerfa*, Idibus Septembris 1642. promulgata, Univerfitates feu Communitates Civitatum feu locorum teneantur ex præcepto fervare Fefta ex voto earumdem inducta. Die 10. Aprilis 1643. Sacr. Rituum Congregatio, referente Eminentiffimo & Reverendiffimo Domino Cardinali SACCHETTO, cenfuit ex difpofitione Conftitutionis prædictæ, perfonas voventes tantum teneri: quam S. Congregationis Sententiam fibi relatam Sanctiffimus D. N. laudavit & approbavit. *Signatum*, JULIUS Epifcopus Tufcus Cardinalis Sacchettus. *Et inferius*: C. Paulutius S. Congreg. Rit. Secretarius."

V.

De Fefto S. Ludovici Confefforis de præcepto deinceps celebrando.

Cum inter Cœlites illos præcipue Ecclefia venerari percupiat, quos certis Regionibus ac populis fingulares Patronos a Deo conceffos agnofcit; a Nobis etiam exigit, ut S. Ludovicum Confefforem, & Galliarum Regem peculiari cultu profequamur, cujus protectione & tutela hæc Diœcefis non minus, quam aliæ Regni Provinciæ gloriatur: propterea ut tanti Patroni continuis reddamur digni præfidiis, volumus ipfius feftum, quod in diem 25. menfis Augufti cadit, tanquam de præcepto ab omnibus deinceps celebrari, ac ejus Officium ab iis, qui ad Horas Canonicas, five publice, five privatim exfolvendas tenentur, fub ritu duplici celebrari. *Ex Stat.* 1679.

VI.

De diebus Feftis in piis operibus, non vero fervilibus tranfigendis.

Cum Feftorum obfervatio curæ Nobis effe debeat, audimus tamen, prætextu fublevandæ paupertatis alienæ, etiam dies Dominicos in operibus fervilibus, & propterea prohibitis, paffim & absque fcrupulo tranfigi: decernimus & ftatuimus, ut cum pietate deftinati in Ecclefia dies Fefti, fed maxime Dominicales, celebrentur in orationibus; neque faciles adeo fint Parochi in concedendis fimilibus facultatibus, quarum conceffio ad ipfos non fpectat, fed potius Parochianos fuos moneant, ut frequentent Ecclefias, & juxta intentionem fanctæ Matris Ecclefiæ, opera pia & Deo placentia exequantur. *Ex Stat.* 1664.

VII.

Prohibentur ludi publici in Festis Patronorum.

Non ferendam judicamus eorum impietatem, qui in Festivitatibus Beatæ Virginis, Martyrum, aut aliorum Sanctorum, quibus Ecclesiæ, Parochiæ, urbes, aut pagi devoti sunt, alearum ludos in plateis & locis publicis frequentare, exercere & exponere audent. Omnem proinde ejusmodi abusum de medio tollere volentes, ne quid tale inposterum fiat, authoritate nostra, ac etiam Apostolica qua fungimur, sub pœna decem librarum fabricæ loci applicandarum, per contravenientes incurrenda, præcipimus, brachii sæcularis, Scabinorum loci, Dominorum temporalium, Officiariorum omnium, & potissimum Serenissimorum Principum auxilium pro exacta hujus nostri Decreti executione implorantes. *Ex Stat.* 1614.

VIII.

Nundinæ, commercia, & contractus non fiant Festis diebus præcipuis.

Quantum ad Dei cultum & pietatem augendam pertinet devota & religiosa dierum Festorum observatio; tantum Divinæ laudi detrahi manifestum est ab iis, qui dies hos omni interiori, exteriorique cultu dignos, profano vel aliquo simili opere polluunt. Hinc est, quod præcedentibus nostris Statutis adversus Festorum violatores, inhærentes, omnes & singulos nostræ Diœcesis Decanos, Parochos, vel eorum Vicarios monemus & hortamur, ut cum locorum Magistratibus, seu Parochianis, & aliis, quorum interest, communicatione habita, quo meliore modo, quave ratione id fieri cum minori commerciorum jactura possit; ne diebus ad Dei, Deiparæque Virginis, aut Ss. Apostolorum honorem feriatis, aliisque Festis præcipuis, publicæ nundinæ aut mercatus, aliique profani actus fiant; sed in commodiora tempora sine cujusquam injuria transferantur, nullique, nisi peracto Divino Officio & Missa audita, contractus aliquos, qui moram patiuntur, Festis diebus celebrare liceat, diligenter prospiciant: quodque ipsis visum erit, quam cito ad Nos referant, ut tandem prout æquum fuerit, statuatur. Curabunt autem interim nostræ Diœcesis Parochi, & Concionatores, ut prædictis diebus non aliis, quam rebus sacris vacet populus; nec a laboribus manuum tantum, sed & a vitiis potissimum quiescat. *Ex Stat.* 1594.

IX.

Diebus Festis tabernæ Mercatorum non sunt aperiendæ, nec merces exponendæ.

Ne autem Dominici dies, & ex præcepto Festivi in Catholicæ Religionis dedecus, nimia lucri cupiditate violentur: prohibemus Mercatoribus, aliisque Institoribus, prædictis diebus non solum merces suas venales exponere, sed etiam tabernas, in quibus serventur, ullatenus aperire. Qui secus fecerint, non aliter, quam Divini & Ecclesiastici præcepti infractores punientur. *Ex Stat.* 1679.

X.

Molitores non debent molere diebus Dominicis & Festis solemnibus.

Quoniam dies Divino obsequio dicati, prætextu quotidianæ necessitatis, aut etiam utilitatis propriæ, cum Religionis dedecore, frequenter violantur, ab illis præsertim, qui Festis diebus tritico molendo omnem operam impendunt: prohibemus tum molitoribus, tum cæteris ad molendina confluentibus, ne diebus Dominicis & Festis solemnibus, Christi Domini, & Deiparæ Virginis, quovis quæsito colore, deinceps molere præsumant. Quod aliis quidem Festis, accedente necessitate, & audito Missæ Sacrificio, conceditur. *Anno* 1686.

XI.

Onera non sunt vehenda diebus Festis.

Iisdem rationibus permoti inhibemus, ne prædictis diebus Dominicis & Festivis ullus ad onera deducenda, & vecturas de loco in locum transmittendas, iter aggrediatur; si tamen ob nimiam locorum distantiam ante diem Festum occurrentem, sedes repetere nequeat, in illo viam prosequi ei liceat. Sicuti etiam si ex urgenti necessitate,

ſitate, aut publici commercii causa, hujusmodi diebus iter ſit inchoandum: quod nonniſi audito Miſſæ Sacrificio, & petita a Parocho licentia fieri debet. *Ex Statutis* 1679.

XII.

De iis, qui ab operibus vacant diebus Sabbati.

Statuimus & ordinamus, cuſtodiendam omnino eſſe eorum, inter quos vivimus, inoffenſam ſocietatem. Et quod B. Auguſtinus *in Epiſtola ad Caſulanum* de jejunio diei Dominicæ tradit, hoc nos ad otium Sabbati transferamus: Nam ſicut malum eſt homini, qui per ſcandalum manducat (ut docet Apoſtolus;) ita malum eſt homini, qui per ſcandalum jejunat; & ſicuti malum eſt homini, qui per offenſionem operatur, ita malum eſt homini, qui per offenſionem vacat. Quare his diebus, quando per ſomnia & vanas revelationes quarumdam fœminarum, ſuperſtitioſi aliqui noſtræ Diœceſis ſine cauſa dogmatizare cœperunt, quod quaſi ſacra ſolemnitate ſtatuta otium obſervari debeat in pomeridiana parte Sabbati: (etiamſi ſuam hanc obſervationem a Judaiſmo alienam eſſe contendant) tamen ne majus malum incurratur ex ſcandalo, quam bonum percipi poſſet ex merito: prohibemus omnibus & ſingulis noſtræ Diœceſis, ne quis poſthac vacandum eſſe aſſerat, aut ſtudioſe ſic vacet in Sabbato, niſi cum Feſta celebrat Eccleſia. Laudamus tamen omnes eos, qui in honorem diei Dominicæ, Veſperis & Officio Eccleſiaſtico Sabbati, & aliorum profeſtorum dierum interſunt cum Catholicis. *Ex Stat.* 1573. *Renov.* 1685.

TITULUS XXV.

De diebus Jejuniorum & Abſtinentiæ.

STATUTUM I.

Jejunia quatuor anni Temporibus ſervanda.

Jejunia ex præcepto Eccleſiæ obſervanda in hac Diœceſi ſunt hæc: primo jejunandum in feriis quatuor Temporum uſque ad horam nonam, id eſt, uſque ad meridiem: abſtinendumque ab eſu carnium. Sunt autem feriæ iſtæ dies Mercurii, Veneris & Sabbati ſequentes Dominicam ſecundam Quadrageſimæ, quæ dicitur *Brandones*; Feſtum Pentecoſtes; Exaltationis S. Crucis; & S. Luciæ. *Ex Stat.* 1560.

II.

In quibus Vigiliis ſit jejunandum.

Eodem modo jejunandum in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis, omnium Sanctorum, Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ, Paſſionis Ss. Petri & Pauli, Matthæi, Andreæ, & Laurentii Martyris, Ss. Simonis & Judæ Apoſtolorum. *Ex Stat.* 1560.

III.

De Jejunio Quadrageſimali.

Jejunium Quadrageſimale debet obſervari, abſtinendo ab ovis, & lacticiniis, & carnibus: in aliis autem jejuniis licet uti ovis & lacticiniis. *Ex Stat.* 1560.

IV.

Quando refectio ſumenda diebus jejunii.

Jejuniorum tempore ſumenda eſt refectio ſemel in die, duntaxat hora nona, quam meridianam nunc interpretamur, vel circa illam horam. *Ex iisdem Statutis.*

V.

Diebus Dominicis non eſt jejunandum.

Diebus Dominicis prohibitum eſt jejunare: quia ſuperſtitionem ſaperet gentilium. Eodem modo tam jejunia, quam Feſta ſuperſtitionis Judaicæ, vel Mahometicæ, prohibentur ſub excommunicationis pœna. *Ex Stat.* 1560.

VI.

Quando abſtinendum a carnibus.

In ſingulis hebdomadis, præter dies jejuniorum, abſtineatur ab eſu carnium diebus Veneris & Sabbati, in memoriam mortis & ſepulturæ Chriſti. Tribus quoque diebus, feſtum Aſcenſionis Domini præcedentibus, qui Rogationum nomine nuncupantur, propter

propter publicas supplicationes iisdem temporibus ab Ecclesia institutas, similis abstinentia servanda est : *Bona enim est oratio cum jejunio.* Tob. 12. *Ex iisdem Statutis.*

VII.

Testimonia Chirurgorum & Pharmacopolarum ad usum carnium infirmis concedendum, debent a Parochis subsignari.

Ut tollatur abusus, qui in concedendo infirmis usu carnium diebus ab Ecclesia prohibitis frequenter emergit : declaramus nullam deinceps Medicorum extra Civitatem Bisuntinam degentium, aut Chirurgorum vel Pharmacopolarum attestationem valituram ad hujusmodi licentiam obtinendam, nisi a Parocho, vel ejus Vicario fuerit subsignata ; poterunt tamen ipsi Parochi eam licentiam ægrotis concedere in repentinis morbis, qui moram non patiuntur, & dum tempus non suppetit, ut ad Nos recurratur. Solius vero Medici facultas non sufficit, nisi urgens necessitas id expostulet. *Anno* 1697.

VIII.

De esu carnium diebus Sabbati a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis prohibito.

Permissum in aliquibus Diœcesibus vicinis a festo Natalis Domini usque ad Purificationem B. MARIÆ semper Virginis, diebus Sabbati esum carnium, quem plerique sub consilii Divi Augustini prætextu sibi licere putant (dum fueris Romæ Romano vivito more) abolere cupientes districte prohibemus, ne quis inposterum nostræ Diœcesis captata occasione ad ea loca in prædictum finem proficiscatur. *Ex Stat.* 1603.

TITULUS XXVI.

De Sanctorum cultu, eorumque Imaginibus ac Reliquiis.

STATUTUM I.

Quo cultu Sancti venerari debent.

Curati doceant populum solum Deum adorandum adoratione latriæ : Sanctos vero dulia colendos, quia non sunt ipsi Deus, sed servi Dei & creaturæ ejus : quorum intercessione & suffragiis juvari possumus & postulamus. *Ex Stat.* 1573.

II.

De Cultu Imaginum.

Imagines quoque doceant Curati & Pastores non esse superstitiose colendas : luminaria, thurificationes, genuflexiones, & similes honores, qui exhibentur ipsis, in prototypum referendos esse : sicut sancta generalis septima Synodus & Patres docuerunt. *Ex iisdem Statutis.*

III.

Imagines indecenter pictæ aut sculptæ tollantur ab Ecclesia.

Quamvis Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & venerationem ad prototypa, quorum illæ similitudinem gerunt, relatam, impertiendam esse, nemo nisi impius negare audeat ; ne tamen procaci venustate, aut cum aliqua deformitate pingantur aut erigantur : Concilii Tridentini Decretis inhærentes, omnino prohibemus, & jam sic pictæ aut sculptæ seu erectæ ut omnino deleantur, præcipimus. *Ex Stat.* 1603.

IV.

Signum Crucis humi non pingendum.

Nemini licere signum Servatoris Christi, quod est signum Crucis, vel in silice aut marmore insculpere, vel pingere, ipsorum etiam Imperatorum Theodosii & Valentiniani constitutione cavebatur : & si quod reperiretur, tolli jubebatur, iis gravissima pœna mulctandis, qui in contrarium tentarent ; quod ut in hac nostra Diœcesi observetur, ex hujus Synodi sententia jubemus. *Ex iisdem Stat.*

V.

Cruces in viis publicis erigendæ.

Quia in plerisque Parochiis relatum Nobis fuit, Cruces in itineribus publicis apponi solitas, tam per temporum injurias, quam ventorum agitatio-

tationes, seu impetuositates collapsas esse seu dirutas; ordinamus Curatis, ut curent illas reponi seu reparari, cum ex laudabili consuetudine, & ad bonum finem illæ ibidem defixæ fuerint. *Ex Stat.* 1645.

VI.

Novæ Reliquiæ sine licentia non sunt exponendæ.

Inventas de novo Reliquias venerari non liceat, nisi a Sede Apostolica atque Ordinaria approbatas. *Ex Stat.* 1560.

VII.

Neque Imagines miraculosæ, antequam sint recognitæ, exhibendæ.

Cum sacrosancta Tridentina Synodus decreverit, nemini licere nova Miracula admittere, nec novas Reliquias recipere, nisi recognoscente & approbante Episcopo: idcirco districte prohibemus sub pœnis a jure in hoc casu comminatis, ne quis imagines B. M. Virginis de Monte Acuto vulgo nuncupatæ, Mechliniensis Diœcesis, ex quercu, in qua imago ipsius Virginis existebat, fabricatas, in Ecclesiis nostræ Diœcesis solemniter constituere & erigere audeat uti miraculosas; nisi prius per Nos, aut Vicarium nostrum Generalem recognitæ fuerint. *Ex Stat.* 1611.

VIII.

Quando nova Miracula evulgantur, de iis monendus est Prælatus.

Ordinamus omnibus nostræ Diœcesis Parochis, Nos vel Vicarium nostrum Generalem certiores facere, dum intra fines suarum Parochiarum aliqua contigisse Miracula, vel frequenter contingere enunciabitur, ut serio super veritate ipsorum inquiratur, impediaturque quominus sub specie pietatis graves irrepant abusus. *Ex Stat.* 1650.

TITULUS XXVII.

De Ecclesiis, Altaribus, & Cœmeteriis.

STATUTUM I.

In Ecclesiis ruinosis, exustis, aut pollutis, vel in Altaribus fractis Missa non est celebranda.

Prohibemus imprimis, ne Missæ in Altaribus fractis, nec in Ecclesiis ruina vel incendio vastatis, aut pollutis, Divina celebrentur; nec in earum cœmeteriis sepeliantur Fideles, donec hæc omnia Episcopali benedictione, vel de ejus licentia reconciliata sint. *Ex Stat.* 1573.

II.

Quænam Ecclesiæ dicantur pollutæ.

Pollutas autem Ecclesias declaramus, & cœmeteria denuo consecranda, in quibus hæretici vel excommunicati expresse denunciati sepulti fuerint: deinde in quibus cædes factæ, vel sanguis violenter effusus, vel Veneris quæcumque opera per voluntariam humani seminis effusionem perpetrata. Omnes hujusmodi, si factum sit publicum, reconciliatione indigent. Sed in quibus equi, boves, sues, aut alia animalia stabulata fuerint, vel in quibus ipsi milites, sive propter suas necessitates, sive in contumeliam loci sacri turpe aut fœdum quidvis commiserint: hæc poterunt pro hac vice tantum, Sacerdos, Curatus vel Diaconus, & Abbas, & Prior in Regularibus, propter populi scandalum, expiare cum aqua Gregoriana seu exorcizata. *Ex iisdem Statutis.*

III.

Quorum sumptibus Ecclesiæ Parochiales restaurari debent.

Parochiales Ecclesias refici procurent ex fructibus ipsarum Ecclesiarum, vel Parochianorum. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad viciniores vel matrices transferantur. *Ex Stat.* 1573.

IV.

De nitore & munditia Ecclesiarum.

Cum navim Ecclesiæ, ac latera ejusdem nimius pulvis plurimum dedecoret, & intolerabiles in Templo Dei sordes pietatem accurrentium minuant: injungimus omnibus & singulis Parochis, ut die Dominica qualibet in prono Parochianos moneant & hortentur, qui Dominica sequenti panem benedictum ordine consueto oblaturi sunt, ut Sabbato dictam Dominicam diem præcedenti sacram ædem verri ac purgari procurent. *Ex Stat.* 1648.

V.

De decentia Tabernaculi Ss. Sacramenti.

Tabernaculum, in quo Sanctissimum Sacramentum conservatur, sit totum extrinsecus, aut saltem magna ex parte inauratum, reliquis partibus decenter pictis: in majoris Altaris medio, conspicuoque loco, in quantum commode in unaquaque Ecclesia fieri poterit, ita apte & firmiter collocetur, ut ad extrahendum, reponendumque Eucharistiæ Sacramentum, Altare ascendere non oporteat; intrinsecus autem decenter ornatum sit, & aliis rebus omnibus vacuum remaneat: ita ut nihil in eo ponatur, præter vas, in quo Eucharistia servetur. *Ex Stat.* 1600.

VI.

Lampas ardens & alia vasa, ac etiam supellex ad Ecclesiæ decorem comparanda.

Cum maxime conducat ad excitandam Fidelium pietatem, & cultum Dei promovendum, Templorum nitor, decens Altarium compositio, aliaque sacra ad cæremonias Ecclesiasticas necessaria supellex: Nobisque per Decanos rurales Bisuntinæ nostræ Diœcesis relatum fuerit, multis in locis piam ac laudabilem sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti venerandi consuetudinem tepescere; propterea Nos antiqua circa hæc Decreta Synodalia renovantes, præcipimus Diœcesanis nostris lampadem continuo ardentem coram augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in qualibet Ecclesia Parochiali Diœcesis nostræ, sumptibus Parochianorum habere; vasa, mappalia, vestimenta Sacerdotalia, thuribulum, & naviscellam thure refertam, funalia, quæ ad deferendum ægrotis sacrum Viaticum accendantur; cæteraque Altaris ornamenta, ubi defuerint, comparare; comparata munda & decentia servare: injungentes serio Parochis, hujusmodi nostrum Decretum observari curare; alias negligentiæ circa præmissa ipsimet insimulabuntur. *Ex Stat.* 1644.

VII.

Arcæ ab Ecclesiis tollantur.

Auferantur ab Ecclesiis (hostili cessante timore) arcæ illæ, sive granaria, quas instante aliquo periculo, plenas tritico vel supellectilibus eo importarint Parochiani: quia impedimento hæc sunt & dedecori in domo Dei, ubi nonnisi spiritualia tractare convenit. *Ex Stat.* 1573.

VIII.

In Choro nulla sedilia mulierum tolerentur.

Ob reverentiam tanti Mysterii amoveri jubemus subsellia mulierum a Presbyterio & a Choro, si qua inveniantur in Ecclesiis, hoc est, juxta Altare majus, vel intra cancellos chori. *Ex iisdem Statutis.*

IX.

In Presbyterio nulla omnino sedes adesse debet, in Choro vero solius Domini loci.

Quia nimis propinquus ad Altare Laicorum accessus, Sacerdotes illic celebrantes, ac Divina peragentes Officia, plurimum turbare solet; præcipimus singulis, ne ulla sedilia in Presbyterio, sive intra cancellos, ubi sancta Communio recipitur, ad majus Altare collocare præsumant; & si qui posuerint, sine cunctatione removeant: in cæteris vero chori partibus nullis etiam liceat hujusmodi sedilia apponere, præterquam locorum Dominis, qui in iis omnimodam jurisdictionem obtinent; quæ ab Altaris cancellis tantum distare volumus, ut populus ad sacram Synaxim sumendam absque impedimento accedere valeat; domestici tamen Dominorum, & Conductores, sive Receptores illorum, in eorum absentia aliquod jus in hæc loca sibi arrogare non præsumant, cum jura honorifica ad ipsos nequaquam pertineant. *Ex Stat.* 1676.

X.

Sedilia in Ecclesiæ navi sita tollantur, vel ordinentur.

Tam immensus est hodie in plerisque Ecclesiis sedilium seu subselliorum

rum numerus, ut non tantum summam in domo Dei pariant deformitatem; verum etiam viam ingredientibus, & quandoque ipsum Altaris ministerium impediant; quæ ideo jubemus amoveri, aut tam congruo ordine disponi, præsertim quæ in Choro vel ad latus Altaris sita sunt, ut omnis vitetur confusio: omnibusque & singulis hujus nostræ Diœcesis interdicentes, ne aliqua denuo sine nostra, aut Parochorum licentia erigant, in quibus & aliis jam erectis nullum jus petitorium aut possessorium acquirant; sed si quod sibi competere prætendant, coram Officiali nostro jure experiantur. *Ex Stat.* 1604.

XI.

De Reverentia sacris Altaribus exhibenda.

Quia audivimus in plerisque Ecclesiis ita irreverenter plerosque se gerere erga Altaria in Ecclesiis sita ac fundata, ut sine respectu illorum consecrationis, præsumant super dictis Altaribus accumbere, & super iis etiam reponere panem & vinum in Missa offerenda: serio præcipimus singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, ne quid simile in illis permittant; quin imo, ubi fieri poterit, super tabula dictorum Altarium sternant tapetem seu telam aliquam cereatam, qua illa adversus omnes immunditias cooperiant. *Ex Stat.* 1641.

XII.

Vigiliæ populi in Ecclesia abolendæ.

Ut omnis tollatur abusus, qui plerumque etiam cum gravi scandalo nascitur ex vigiliis, quæ in Ecclesiis, juxta quorumdam locorum consuetudinem, fiunt pridie Festorum solemnium, vel Commemorationis Defunctorum: curent authoritate nostra Parochi & Decani, ut ea facilitate, qua nata est hujusmodi corruptela, paulatim sopiatur; & ab ingressu Ecclesiæ, ac præsertim chori, quantum fieri poterit, eo tempore populus arceatur, sub comminatione sententiæ excommunicationis, & alterius pœnæ a Nobis arbitrandæ, cum imploratione brachii sæcularis. *Ex Stat.* 1603.

XIII.

Comestiones in Ecclesia prohibentur.

Nec minus reprobanda est eorum insolentia, præsertim Sacerdotum, qui certo anni tempore sub nomine Calendarum, vel de fructu, non tam honestis conviviis, quam crapulæ incumbunt; idque, quod prorsus abhorrendum est, in ipsa Ecclesia (cum domos ad manducandum & bibendum habeant) facere etiam cum bonorum scandalo minime verentur, adhibitis quandoque ludicris cantionibus; quæ omnia jam quodammodo antiquis Statutis reformata succrescente abusu omnino tollimus, & sub pœna censuræ Ecclesiasticæ, & decem librarum a singulis contumacibus interdicimus. *Ex Stat.* 1601.

XIV.

Pauperes non permittantur mendicare in Ecclesiis.

Quamvis eleemosyna inter cætera pietatis opera Deo sit gratissima, quia tamen bona fieri non sufficit, nisi bene fiant; Constitutioni bonæ memoriæ PII Papæ V. inhærentes prohibemus, ne mendicantibus pauperibus, seu aliis eleemosynas petentibus, per Ecclesias tempore prædicationum, Missarum, aliorumque Divinorum Officiorum ire liceat; sed ad valvas Ecclesiarum per earum Custodes, Æedituos, Clericos, seu quoscumque alios stare cogantur; hincque recordentur omnes Divinæ eos ultionis judicio subjacere, qui in dictis Ecclesiis deambulare, impetum seu tumultum excitare, vana, fœda & profana colloquia exercere, & alia, quæ Divinum perturbare possint Officium, facere præsumpserint. *Ex Stat.* 1588. *Renov.* 1614. *Item* 1627. & 1669.

XV.

Idem denuo prohibetur.

Cum pluribus alias Statutis nostris cautum sit, ne pauperes in Ecclesiis mendicare sinantur, idque Constitutione fœl. record. PII Papæ V. expresse prohibeatur: nunc vero crescente in dies mendicantium multitudine, iis Templa repleri videamus, qui Fidelium orationes importunis exactio-

actionibus præpediunt, & Divina Officia perturbant: idcirco jubemus Ecclesiarum Rectoribus, ne pauperes intra earum septa eleemosynas quærere permittant; prohibentes omnibus tum Ecclesiasticis, tum Laicis, sub inobedientiæ pœna, in locis Deo dicatis stipem egenis erogare, quæ non solum merito careat, sed etiam dantibus fiat in peccatum. *Anno* 1691.

XVI.

Deambulationes, colloquia, & transitus per Ecclesias prohibentur.

Et quoniam domum Dei decet sanctitudo, deambulationes, profanos transitus, vana colloquia, & alia minus decentia, quæ in Ecclesiis non solum, quando Divina Mysteria a sacris Ministris peraguntur, sed etiam dum peractis Officiis, & silentibus hominum linguis, Divinas laudes in eis soli concinunt Angeli, fieri (non sine magno doloris sensu) advertimus; deinceps omnino prohibemus. *Ex Stat.* 1614.

XVII.

Idem interdicitur de mandato Apostolico.

Deambulationes in Ecclesiis, olim a fœl. record. PIO V. anno Domini millesimo quinquagesimo sexagesimo sexto, nuper vero a Sanctissimo Domino nostro ALEXANDRO Papa VII. prohibitas, nec non in eis negotiationes, deambulationes, obverso tergo augustissimo Altaris Sacramento, sessiones, aliave cultui Divino indecentia, eodem edicto contenta, in Diœcesi Bisuntina posthæc fieri omnino prohibemus sub pœnis arbitrariis; quin & Sacristas, ac fabricæ Præfectos monemus, ne pauperes seu mendicantes, præcipue inter Missarum solemnia, per Ecclesias vagari, uti eodem edicto prohibetur, inposterum patiantur; dictam Summi Pontificis prohibitionem typis mandari, & per omnes Parochias publicari ordinantes. *Ex Stat.* 1657.

XVIII.

Nihil venale exponendum in Ecclesiis.

Cum ab Ecclesia, quæ est domus Dei & domus orationis Divino testimonio nuncupata, omnis negotiatio, omneque rerum mundanarum commercium arceri debeat; propterea antiqua Statuta super his renovantes, inhibemus omnibus & singulis Parochis, Vicariis, Eremitis, Capellanis, Fabriciariis, Clericis, Scabinis, aliisque in hac nostra Diœcesi commorantibus, candelas, cereos, lampades, aliaque ad usum piarum oblationum inservientia, in Ecclesiis venalia exponere, sub pœna viginti librarum Stephaniensium, decem scilicet Receptori excessuum Curiæ nostræ Bisuntinæ solvendarum, & decem fabricæ Ecclesiæ, in qua hæc fient, applicandarum. *Ex Stat.* 1651.

XIX.

Laicorum conventicula in Ecclesia, aut circa illam non tolerentur.

Ex parte nostra prohibeant Curati Parochianis suis, ne congregationes suas pro rebus publicis habeant in Ecclesiis, seu ante illarum portas, aut etiam in illarum cœmeteriis; ad evitanda, quæ inde provenire solent aut possunt, scandala, & rebus Deo dicatis inconvenientia. *Ex Stat.* 1645.

XX.

Prohibetur tibiarum aut chelium lusus intra Ecclesiæ aut cœmeterii septa, dum cereus aut panis benedicendus defertur.

Cum in plerisque locis prava consuetudo inoleverit, ut diebus solemnibus, præsertim Patronorum festis, cereus aut panis benedicendus cum tibiis, chelibus, aliisque chorealibus instrumentis in Ecclesiam & ad ipsum usque Altare ingenti strepitu ac tumultu deferatur; tantum abusum tollere volentes: interdicimus universis cereos vel panes benedicendos, aut aliud simile, cum hujusmodi instrumentis ac profanis symphoniis intra Ecclesiæ, aut etiam cœmeterii septa deinceps inferre: injungentes Parochis, eorumque Vicariis, ut omnem immodestiam & irreverentiam a sacrorum Mysteriorum celebratione arceant.

XXI.

XXI.

Juxta Ecclesias neque ludi, neque choreæ permittantur, nec Sodalitates tempore Divinorum.

Ut loca Deo consecrata, sicut par est, ab omnibus venerationi habeantur, ac in ipsis Divina Officia majori cum devotione, & reverentia peragantur; prohibemus, ne juxta Ecclesias, aut intra cœmeteriorum septa, pro rebus communitatis conveniant, aut morentur; neque illic, aut etiam alibi tempore prædictorum Officiorum ludis vel choreis vacent, sed potius Christianæ pietatis operibus incumbant, ac Dei ministerio frequenter intersint. Idcirco Pastores animarum, ac eorum Vicarii sedulo attendere debent, ne, dum Parochialia Officia celebrantur, aliqua licet pia Sodalitatum aut Confraternitatum exercitia fiant, quibus populus a proprio ovili, ad Parochialis Ecclesiæ obsequiis ullatenus avertatur. *Ex Stat.* 1671.

XXII.

Neque illic nundinæ, aut judicia Laicorum habeantur.

Clerici non patiantur in Ecclesiis aut cœmeteriis suis choreas fieri, aut negotiationes mercantiarum & nundinarum, seu etiam judiciorum laicalium strepitus & causas teneri. *Ex Stat.* 1480.

XXIII.

Neque merces ante fores Ecclesiæ exponendæ.

Inhibemus, ne inposterum merces in cœmeteriis, foribus, sive atriis aut vestibulis Ecclesiarum exponantur, aut divendantur, eo præsertim tempore, quo Divina peraguntur. *Ex Stat.* 1614.

XXIV.

Repræsentationes ridiculæ tam in Ecclesiis, quam in Processionibus prohibentur.

Ad tollendum abusum, qui sensim irrepsit, tam in publicis supplicationibus, quam in decoratione & ornatu locorum, ubi Sanctissimum Christi Corpus die Jovis sancta reponi solet; in quibus non raro ridiculæ Sanctorum effigies, aut quorumdam Mysteriorum ineptæ repræsentationes, cum scandalo & populorum accurrentium irreverentia exhibentur; prohibemus serio, ne in Ecclesiis seu Capellis ad Sacrosanctam Eucharistiam die Jovis sancta servandam destinatis, hujusmodi fictiones, quæ adstantium curiositatem magis, quam devotionem provocant, deinceps exponantur. Interdicimus pariter, ne in processionibus publicis pueri aut puellæ Beatorum personas, in comicorum morem, repræsentent, aut in compitis & ante domos exhibeant; cum hæc profana spectacula potius redoleant, quam Christianæ Religionis pietatem præseferant. Licebit tamen puellis, juxta laudabilem quorumdam locorum consuetudinem, in habitu candido & modesto publicis supplicationibus interesse. *Anno* 1689.

XXV.

Sclopi non explodantur in Ecclesiis vel Cœmeteriis.

Insolens quorumdam locorum consuetudo, qua plerique ex armato solemni nuptialium comitatu bellicorum tormentorum crepitu, etiam in ipsius Ecclesiæ facie excitato, sacra omnia complent; Nos ad id omnino inhibendum permovet, statuentes, ne quid tale in nuptiarum, aut aliis conventibus, præsertim in Ecclesiis aut cœmeteriis sub pœna a Nobis arbitranda fiat. *Ex Stat.* 1589.

XXVI.

Pulsationes campanarum immoderatæ & horis indebitis non fiant in pervigilio Commemorationis omnium Defunctorum.

Etsi justa & laudabilis sit Ecclesiæ consuetudo, quæ in pervigilio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum campanas diutius pulsari voluit, ad excitandam populorum pietatem erga animas in purgatorio detentas; quia tamen hisce temporibus in occasionem scandali plerumque vertitur, per compotationes & jurgia, quæ in campanilibus & ipsis Ecclesiæ foribus ad seram usque noctem, cum gravi Divini Numinis offensa protrahuntur; ad evitandas tot excessuum causas, interdicimus, ne posthac vinum in campanilia deferatur, neve campanæ pulsentur

ſentur in pervigilio præfatæ ſolemnitatis ultra horam ſextam ſerotinam; in ipſo vero die Commemorationis Defunctorum nonniſi a ſexta matutina uſque ad Miſſæ Officium peractum. *Anno* 1686.

XXVII.

Capellarum reſtauratio & ornatus præcipitur, nec non Officiorum in iis fundatorum celebratio.

Ex Decanorum noſtrorum ruralium relatione comperimus quamplurimas Capellas & Altaria in hac Diœceſi, ſine cultu & ornatu remanere, imo etiam in ruinam vergere; ideo præcipimus Capellanis, aliiſque omnibus, quibus illa decorandi & reparandi onus incumbit, hujusmodi Capellas & Altaria in debitum ſtatum intra finem præſentis anni reponere, atque in iis Officia fundata diligenter per ſe, vel alios Sacerdotes perſolvere, quavis licentia in contrarium obtenta poſt illud tempus ceſſante. Ordinantes Parochis, ut Statuto ſuperiori anno hac de re edito, diligenter pareant. *Anno* 1682.

XXVIII.

Capellarum neglectarum ſtatus ad Vicarium Generalem a Parochis deferri debet.

Etſi antehac injunctum fuerit omnibus, qui Capellanias in Eccleſiis Collegiatis, ſive Parochialibus obtinent, ut earum tam reparationi & ornatui, quam Divino ſervitio explendo, cæteriſque oneribus ſupportandis ſerio incumbant; quia tamen id a pleriſque negligi deprehendimus, ita ut non paucæ Capellaniæ in maximum Capellanorum dedecus ruinam minentur: præcipimus omnibus Parochis, & eorum Vicariis, ut ſingularum Capellaniarum, quæ in eorum Eccleſiis aut ruinoſæ, aut ſine debita decentia, aut abſque Miſſarum, aliorumve Officiorum celebratione conſpiciuntur, ſtatum, redditus, & Capellanorum nomina, quantum dignoſcere poterunt, ad Vicarium noſtrum Generalem ſedulo transmittant, ut ſuper hujusmodi defectibus omni meliori via provideatur; præcipientes noſtris Decanis ruralibus ad id peculiarem curam in eorum viſitationibus adhibere. *An.* 1681.

XXIX.

Cruces in cœmeteriis reponantur.

Cruces vetuſtate, vel ventorum impetu humi dejectas, tam ſuper cœmeteriis, quam locis ſacris, in quibus ſepulta olim fuerunt defunctorum cadavera, de novo erigi a Parochianis præcipimus in iisdem locis, quibus antea erectæ fuerant, ne inpoſterum uſui profano inſerviant. *Ex Stat.* 1661.

XXX.

De Cœmeteriorum clauſura.

Quoniam hactenus durantibus hiſce bellis rupta fuerunt pleriſque in locis cœmeteriorum clauſtra, ita ut jam beſtiis omnis generis ſint pervia: ſtatuimus deinceps a Parochianis eorum reſtaurationi ſerio incumbendum eſſe, & craticulas ſaltem ligneas ad eorum ingreſſum beſtiis arcendis reſtituendas. Si quæ vero Chriſtianorum, in unione fidei defunctorum, cadavera profano in loco ſepulta ſint, & magnus ſit eorumdem numerus, mandamus eo in loco, ubi ſimul ſic jacent, a Parochianis crucem figi. *Ex Stat.* 1648.

XXXI.

Cœmeteria purgari & undique claudi debent.

Cum cœmeteria inhumandis Fidelium corporibus ab Eccleſia deſtinata, ſingularem venerationem mereantur, nec fas ſit eorum ſanctitatem profanis uſibus, aut animalium injuriis exponere; hodie tamen in pluribus ita neglecta conſpiciantur, ut non ſolum ſentibus & arbuſtis repleta, ſed etiam macerie deſtructa pecudum incurſibus undique pervia appareant; idcirco Parochiarum incolis præcipimus, ut cœmeteria a tribulis & arboribus diligenter expurgent, & firma clauſura circumdent. Quod ſi intra duos menſes non paruerint, Parochi defunctorum corpora illic humo mandare non præſumant, donec omnino claudantur. *Anno* 1688.

TITU-

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis & Exequiis Defunctorum.

STATUTUM I.

Decedens, non electa sepultura, inhumari debet in Parochiali Ecclesia.

SI quis intestatus decesserit, vel non electa sepultura, apud Ecclesiam suam Parochialem, in qua vivens, recepit Ecclesiastica Sacramenta, sepeliatur. *Ex Stat.* 1573.

II.

Qui alibi, quam in Parochiali sepeliendus est, debet in ea prius præsentari.

Defunctus, qui elegit sepeliri apud aliam Ecclesiam, quam apud Ecclesiam suam Parochialem, repræsentetur in Ecclesia Parochiali, in cujus Parochiatu defunctus est, & in qua Sacramenta Ecclesiastica suscepit, ut in ea ultimum vale faciat, antequam deferatur in Ecclesiam, in qua elegit sepeliri, quæcumque fuerit illa Ecclesia, in qua elegit sepulturam, sive sit sæcularis, vel Regularis, cujuscumque Ordinis, sive mendicantium, sive non mendicantium: alioqui talis defunctus non sepeliatur in Ecclesia, ubi sepulturam elegit. *Ex Stat.* 1573.

III.

De iis, qui sunt in Ecclesia inhumandi.

Tam frequens est hodie sepeliendorum in ipsis Ecclesiis corporum usus, ut non modo a præscripto per antiquos Canones ea in re moderamine longe recessum sit; sed & moto sæpius, quam oporteat, ad sepulchrorum usum pavimento, tot supersint in ejus superficie scopuli, ut facile ad lapidem pedem offendere liceat. Ne ergo domus Dei decorem minus, quam Civitatum (in quibus olim defunctorum corpora sepelire vetitum fuerat) dilexisse videamur: omnibus & singulis nostræ Diœcesis Parochis, vel aliis, penes quos ejus rei jus est, mandamus, ne quosvis passim inposterum, sed cum personarum delectu in Ecclesiis sepeliri sinant, neve illos, qui in eis jus sepulchri familiaris aut hæreditarii prætendunt, eo uti patiantur, nisi prius cautione de sepulchro decenter ac honeste recludendo accepta. Iis enim autem, qui curam Ecclesiasticæ fabricæ habent, deformata jam Templorum pavimenta pristino nitori a sepultorum hæredibus restitui, & aspera in vias planas reduci, vel ipsimet expensis fabricæ quamcito fieri procurent. *Ex Statut.* 1590.

IV.

Noctu sepultura non detur.

Corpora defunctorum de nocte sepeliri inposterum prohibemus. *Ex Stat.* 1652.

V.

Sepultura denegari non debet ob non solutionem jurium Parochialium.

Sepultura non denegetur defuncto per Sacerdotem Parochialem propter non solutionem jurium funeralium; sed sine mora aut contradictione devote secundum ritum Ecclesiæ impendatur. *Ex Stat.* 1573.

VI.

De Quarta Funeralium.

Quarta funeralium, quæ solita erat persolvi ante quadraginta annos Ecclesiæ Cathedrali vel Parochiali, redintegretur; non obstantibus quibuscumque. *Ex iisdem Statutis.*

VII.

De Jure Mortuarii.

Proposita sunt Nobis plura dubia circa jura mortuaria, & portionem funeralium canonicam, persolvi Parochis solitam; quibus scilicet Parochis debeantur, quando Parochianus mutavit domicilium, seu habitationem? quibusdam volentibus debere persolvi Curato, in cujus Parochia defunctus diem suum obiit, quia scilicet ab eo perceperit Sacramenta; quibusdam aliis prætendentibus debere persolvi Curato originis, etiamsi in ejus Parochia defunctus diem suum non clauserit extremum: Nos ad amputandas litium, quæ desuper oriri possent, ambages, & tranquillitati nostrorum Diœcesanorum, quantum possumus, consulere studentes, statuendum hic etiam & declarandum duximus, mortuarium aut

aut portionem illam canonicam persolvendam esse Curato originis, nisi ab illo obtentæ sint literæ dimissoriales, seu *de Recedo*; quo casu persolvenda erit Parocho, in cujus Parochia defunctus resederit per annum, seu saltem majorem anni partem, & diem suum obierit, cum perceptione in ea Sacramentorum. *Ex Statut.* 1646.

VIII.

Quibus competant emolumenta Sepulturæ & Exequiarum decedentium ac sepultorum extra propriam Ecclesiam.

Ne deinceps controversia oriatur inter Parochos pro juribus & emolumentis, quæ eis competere possunt ratione obitus ac sepulturæ defunctorum: statuimus, ut quoties aliquis in aliena Parochia sepelietur, spolia exequiarum, oblationes & cæteræ obventiones, quæ intra annum obitus secundum locorum consuetudines præstari solent, ad Parochum loci, in quo sepultus fuerit, omnino pertineant; solo jure mortuarii excepto, quod Parocho originis defuncti debetur. *Anno* 1695.

IX.

Parochi defunctorum Registrum habeant.

Pium antiquæ Ecclesiæ morem insecuti, tum ut in Christo pie defunctorum memoria servetur, tum ut multis litibus via rescindatur: omnibus ac singulis Parochis ordinamus, quatenus omnium in sua Parochia defunctorum nomina, eorumque obitus annum, mensem, diem, & horam, quantum fieri poterit, in necrologio seu registro inposterum describant; ut a Procuratore Generali Curiæ Archi-Episcopalis cum registris baptizatorum quotannis visitari queat; mediante quinque assium solutione pro quolibet defuncto, per hæredes ipsius seu successores facienda; idque præter jura jam antea Parochis pro mortuariis solvi consueta. *Ex Stat.* 1658.

TITULUS XXIX.

De Fabricis & Confraternitatibus.

STATUTUM I.

De Eleemosynis ad fabricam Ecclesiæ Metropolitanæ spectantibus non usurpandis.

Quæsitum a Nobis fuit, an Decani rurales, Parochi vel Fabriciani Ecclesiarum aliquid ex eleemosynis, quæ fiunt ratione facultatis per Nos subditis nostris per totam nostram Diœcesim concessæ, lacticiniis, caseo & ovis, tempore Quadragesimali utendi, percipere possint? Respondemus simul & declaramus, quod licet ex textu ipso licentiæ a Nobis concessæ, has eleemosynas fabricæ Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ cedere debere notum sit: ne tamen ullus dubitandi locus supersit, iterum declaramus, prædictas eleemosynas fabricæ Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ applicandas, exclusis fabricis aliarum Ecclesiarum hujusce nostræ Diœcesis, exclusis etiam Decanis ruralibus, Parochis, Vicariis, & aliis curam animarum habentibus: nec quemquam ex eis quovis prætextu, vel occasione cujusvis pii operis, quidquam sibi retinere posse; imo ordinamus ipsis Decanis ruralibus, & aliis hic memoratis, omnem operam conferre, ut dicta Ecclesia nostra Metropolitana fructibus prædictis, sive eleemosynis in totum & sine diminutione fruatur & gaudeat. *Ex Stat.* 1649.

II.

Ecclesiarum restaurationes & ornamenta Parochianorum oneri incumbunt.

Quando per Pastores fieri non poterit, curabunt Fabriciarii, ut populus sarta tecta conservet Ecclesiam & cœmeterium; ornamenta etiam Altaris. & reliqua necessaria ad cultum Dei, pro loci facultatibus procurabunt, & munda omnia servabunt. *Ex Stat.* 1573.

III.

Rationes redditaum Fabricarum & Confraternitatum reddendæ coram Parocho vel Decano.

Et quoniam quæ de reddenda ratione Episcopo singulis annis ab Administra-

niſtratoribus Fabricarum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum veteri Statuto conſtituta ſunt, ſegnius in noſtræ authoritatis contemptum obſervantur; id ne poſthac in quolibet noſtræ Diœceſis loco fiat, etiamſi ex fundatione, aliis quoque eædem rationes reddi deberent, niſi Decano rurali aut Parocho loci, vel alii Commiſſario a Nobis ad hoc deputando præſente, ſub pœna nullitatis liberationum, quæ aliter fient, diſtricte prohibemus. *Ex Stat.* 1599. *Renovat.* 1631.

IV.

Idem denuo præcipitur.

Ne penitus corruant ea, quæ ad promovendam Fidelium devotionem ſalubriter ſunt inſtituta, novo ſubſidio fulciri neceſſe eſt. Unde cum plurimæ Confraternitates in Eccleſiis noſtræ Diœceſis ſint erectæ, quibus nonnulli redditus ſunt attributi, ut in pia opera inſumantur; qui tamen a Laicis aut occupantur, aut ad profanos uſus convertuntur: ordinamus Confraternitatum Rectoribus, Procuratoribus & Confratribus, ut ſingulis annis de redditibus illarum ſedulam rationem coram Parocho & duobus a Confraternitate deputatis reddant; & quod reſiduum fuerit poſt illarum onera & officia perſoluta, in pios uſus impendant. Ubi vero Confraternitates Rectoribus fuerint deſtitutæ, procurent Parochi, ut quamprimum aliqui eligantur, qui hujusmodi munus fideliter exerceant. Quod ſi Confratres ſupradicta exequi neglexerint, tales Confraternitates a Nobis ſupprimentur, & earum redditus Eccleſiarum, in quibus ſitæ ſunt, reſtaurationi applicabuntur. *Anno* 1692.

V.

Redditus Confraternitatum non debent in uſus Laicorum converti.

Cum plurimum Eccleſiæ interſit, ut bona, quæ a Fidelibus ad Dei cultum augendum peculiariter ſunt deſtinata, in pios uſus convertantur; contingat tamen ſæpiſſime redditus Confraternitatibus adſcriptos ad privatas Laicorum utilitates inſumi, ſicque Fidelium intentiones defraudari: propterea inhibemus dictarum Confraternitatum Prioribus ſive Rectoribus, cæterisque Confratribus, quidquam de hujusmodi bonis ac redditibus in ſuos aut Communitatis uſus adhibere; ipſis injungentes, ut exactam de iis rationem ſingulis annis coram loci Parocho reddant, & quam utiliter eos impenderint, edoceant. *Ex Stat.* 1677.

VI.

Confraternitates ſine authoritate Ordinarii erectæ abolentur.

Cum ſub pietatis & devotionis prætextu, in multis Parochiis nonnulli Parochiani ac etiam Presbyteri, absque licentia & authoritate noſtra inter ſe conveniant, & Confraternitates erigant, in quibus tamen ad eorum libitum vivunt, & bona opera, prout decet, non exercent; imo etiam dictarum Confraternitatum redditus & proventus in toto vel in parte ad profanos uſus, vel ad compotationes impendunt: tales prætenſas Confraternitates penitus abolemus, donec Regulas & Statuta a Nobis habuerint approbata, ſub quibus deinceps vivere, & bona opera (prohibitis prorſus compotationibus) exercere poſſint & debeant. *Ex Stat.* 1666.

VII.

Confraternitates, quæ Statutis carent, ſibi fieri & approbari procurent, redditusque earum in pios uſus convertant.

Confratres approbari curent Confraternitates ſuas, ſi nondum approbatæ ſint, & Leges ac Statuta a ſingulis Fratribus obſervanda componant, quæ Nobis intra trimeſtre proximum examinanda, confirmanda, & approbanda exhibeant: redditus ſuos in comparandis & conſervandis Confraternitatum ædificiis, altaribus, & ornamentis impendant: & ſi qui ſint reſidui, eos piis uſibus, potiſſimum vero infirmorum & indigentium Confratrum neceſſitatibus applicent & impendant. *Ex Stat.* 1614.

VIII.

Priores Confraternitatum vestibus Ecclesiasticis indui non debent.

Reprobata omni jure alieni habitus usurpatio, in vestibus potissimum & ornamentis Divino cultui dicatis, damnanda videri debet; quo fit, ut abusum quemdam, quo sub Confraternitatum, cujusque nominis prætextu, qui eis præest, quem Priorem vocant, quantumcumque Laicus, & plerumque plebeïus, superpellicio & pluviali seu cappa indutus statis diebus ipsius Sodalitatis a vespera in vesperam, Clero comitante, & hymnos cantante; a propriis ædibus ad Ecclesiam usque duci solet, omnino ab hac nostra Diœcesi tollendum esse duximus; id ne inposterum fiat, neve profani illi homines signo Crucis facto populo benedicant, vel Sacerdotes eis cum prædicto habitu id facientibus ullo modo adsint, aut cantica sacra temere & inepte usurpent, sub pœna sententiæ excommunicationis interdicimus, non obstante quacumque immemoriali consuetudine, quæ mera est corruptela. *Ex Stat.* 1601. *Renov.* 1604.

TITULUS XXX.

De Beneficiis, & eorum Redditibus.

Statutum I.

De Residentia.

Clerici Beneficiati, quorum Beneficia residentiam requirunt personalem, non dimittant sua Beneficia, causa studii vel peregrinationis, sine nostra, vel Vicarii Generalis licentia speciali. *Ex Stat.* 1480.

II.

De Beneficiis authoritate Laicorum non possidendis.

Cum in Apostolorum Canonibus sancitum sit, eum, qui a Laicis Ecclesiam assequitur, deponi, & omnes cum eo communicantes excommunicari debere; eumque non Ecclesiæ Ministrum, sed furem & latronem per ostium non ingressum, decernat Statutum vetus (Beneficium enim Ecclesiasticum sine canonica institutione obtineri non posse, sacris Canonibus definitum est:) Omnibus & singulis Decanis præcipimus, ne quem in suo quisque Decanatu sola Laicorum authoritate ad Beneficium quodcumque Ecclesiasticum, præsertim curam animarum habens, vocatum & institutum, seu potius intrusum, Sacris ministrare patiantur; sed protinus ad Procuratorem nostrum Generalem deferant, qui re cognita, pœnalem in eum actionem instituat. *Ex Stat.* 1589.

III.

De præsentationibus ad Beneficia sine diminutione redditiuum faciendis.

Quamvis jus Patronatus, etiam ex fundatione Ecclesiarum quæsitum, nihil juris in earum rebus Patrono afferat, quam quod sacris Canonibus receptum est, aut ipso fundationis tempore de Episcopi consensu expresse reservatum; tantum tamen abusum irrepsisse intelleximus, ut novos census imponere, veteres augere, seu (quod prorsus simoniacum est) pecuniam, aut quid aliud pro obtinenda præsentatione elargiri, vel fructuum partem ipsi Patrono aut alteri relaxare præsentati quandoque non erubescant: omnes hujusmodi illicitas pactiones, etiam juramento firmatas, restitutioni & aliis pœnis usque adeo obnoxias esse declaramus, ut ad Beneficia quæcumque, etiam simplicia sic promoti, ab eis perpetuo excludantur; & Patroni excommunicationis, interdictique pœnis irretiti, suo jure Patronatus privati, ipso jure existant: quarum quidem pœnarum executionem Procuratori nostro Generali injungimus. *Ex Stat.* 1594.

IV.

Possessio simplicis Beneficii non apprehendatur, nisi exhibito Titulo Rectori Ecclesiæ.

Quia expedit Divino obsequio, ut Capellaniarum, aliorumque Beneficiorum simplicium Possessores innotescant Rectoribus Ecclesiarum, in quibus sita sunt: propterea mandamus universis, qui ad aliquod simplex Beneficium instituentur, ne prius illius possessionem

nem assequantur, quam suæ provisionis literas Ecclesiæ Parocho exhibuerint: inhibentes quibuscumque Presbyteris ullum de Beneficio provisum in possessionem immittere, nisi prius monito Ecclesiæ Rectore, vel ejus Vicario, qui nomen Beneficiarii & diem captæ possessionis in Registro reponat; illis vero absentibus, tenebitur Beneficiarius scripturam hujusmodi possessionis in ædibus Parochi relinquere. *Anno* 1691.

V.

Beneficia in locis, ubi sita sunt, deserviri debent.

Cum ex visitatione nostra generali, cui hactenus vacavimus, Nobis constiterit, illos, qui Capellanias & præstimonia obtinent, Missas, aliave Divina Officia in eis fundata plerumque prætermittere: ne deinceps pia loca, ac fidelium devotio suis fraudentur obsequiis: jubemus omnibus, qui hujusmodi Beneficia obtinent, illa in locis, in quibus sita sunt, diligenter deservire. Verum si per seipsos id præstare nequeant, Parochis dictorum locorum sine mora significent, quosnam Sacerdotes ad eorum vices supplendas deputaverint; ipsis Parochis injungentes, eos, quos in his muneribus persolvendis negligentes agnoverint, ad Nos incunctanter deferre, ut ex Beneficii redditibus eorumdem fundationibus adimplendis provideamus. *Ex Stat.* 1669.

VI.

Contractus alienationum bonorum Ecclesiasticorum non fiant sine solemnitatibus requisitis.

Abstineant Parochi, & alii nostræ Diœcesis Clerici quælibet Beneficia Ecclesiastica obtinentes, ab omni bonorum & jurium Ecclesiasticorum alienatione, permutatione, jurium Parochialium tractu & omni alio contractu, qui de jure alienationis speciem redolet, nisi prius causa per Nos cognita & probata, ne alioquin censuris & pœnis in temere alienantes ipso jure latis, subjaceant. *Ex Stat,* 1596.

VII.

Parochi inventarium bonorum ac redditūum omnium Beneficiorum in suis Ecclesiis sitorum transmittant Ordinario.

Dissipatas præteritis bellorum calamitatibus Ecclesiæ facultates, & Beneficiorum dotes, quantum in Nobis est, recolligere cupientes: omnibus & singulis Ecclesiarum parochialium Bisuntinæ Diœcesis Rectoribus præcipimus, ut omnium censuum, terrarum ac fundorum a dictis Ecclesiis dependentium seriem, sicut etiam numerum & invocationem Capellaniarum, & ut vocant, Præstimoniorum in iisdem fundatorum, eorumque reddituum declarationem & Beneficiatorum nomina, intra sex menses a die publicationis hujus nostri Statuti computandos, Decanis ruralibus tradant; & Officia hactenus in iis celebrari solita, in quantum fieri poterit, enuncient, ne Fundatorum intentio defraudetur, & Ecclesiæ patrimonium deperdatur. *Ex Stat.* 1660. *Renov.* 1670.

VIII.

Idem præcipitur cum ampliatione.

Quia accepimus Officia Divina in pluribus Capellaniis, & Beneficiis Ecclesiasticis, juxta piam Fundatorum intentionem non adimpleri, eademque negligi a Possessoribus ipsorum, dictorumque Beneficiorum fundos usurpari: universis & singulis Diœcesis nostræ Bisuntinæ Parochis præcipimus, ut intra sex menses a die publicationis præsentis nostri Decreti computandos, tam Parochiarum suarum, quam Capellaniarum, Præstimoniorum, & Confraternitatum in eis existentium invocationem, Patronorum nomina, fundos, ac redditus eorumdem a Notario, vocatis Scabinis, cum juramento adhibitis testibus, describi procurent. Item Capellanorum nomina, ac officia in iisdem Beneficiis & Confraternitatibus fundata Decanis ruralibus transmittant, a quibus traditæ declarationis hujusmodi apocham habere tenebuntur dicti Parochi, ut in negligentes serio possit animadverti, quam apocham ipsi Parochi Curiæ nostræ Fiscalibus in visitatione Registrorum tradent, ut ipsi in

in deficientes, quod eorum eſt muneris, exequantur. *Ex Stat.* 1664.

IX.

Tituli Beneficii Parochialis non debent relinqui in manibus Laicorum poſt obitum Parochi.

Damna, quæ emergunt ex deperditione vel occupatione librorum baptiſmalium, ac etiam titulorum jura Parochialia concernentium, quæ plerumque a Laicis poſt obitum Parochorum detinentur, Nos inducunt horum inſtrumentorum ſecuritati conſulere: propterea ordinamus Parochis, cæterisque Sacerdotibus, qui adminiſtrationem alicujus Parochiæ ſuſcipient, ſive tempore ægritudinis Parochi, ſive poſt ejus obitum, ut præfatos libros ac titulos a Laicis, & præſertim ab hæredibus defuncti, quibus nullum jus in illis competit, vendicare, & præripere ſtudeant; eosque tamdiu ſervent, donec alius de Beneficio proviſus fuerit, in cujus manibus ipſos reponere valeant. *Anno* 1689.

X.

Locationes bonorum Eccleſiæ in perpetuum factæ non noceant Succeſſoribus.

Locationes rerum Eccleſiaſticarum factæ a defunctis nullatenus validæ ſunt in præjudicium Succeſſorum: etiamſi ſolutio anticipata ſit. Et quæ ad longum tempus, etiam authoritate Apoſtolica confirmatæ ſunt, Synodus Provincialis (quando in damnum Eccleſiæ factas noverit) revocabit. *Ex Stat.* 1573.

TITULUS XXXI.

De Judiciis & Pœnis.

STATUTUM I.

In Judiciis breviter procedendum.

Judices omnes tam noſtri, quam delegati obſervabunt diligenter *Cap.* 10. *Seſſ.* 24. & *Cap.* 10. *de Reform. Seſſ.* 25. Sac. Concilii Trident. ut legitime in judicio & breviter procedatur, & litigantium artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurratur. *Ex Stat.* 1573.

II.

Excommunicantur impedientes Jurisdictionem Eccleſiaſticam.

Authoritate Sacroſancti Concilii Tridentini excommunicantur, maledicuntur, & anathematizantur omnes cujuscumque Ordinis, gradus, dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis: qui Eccleſiaſticam jurisdictionem vi vel metu tollere vel impedire præſumunt. *Ex Stat.* 1573.

III.

Clerici contra Clericos coram Judice ſæculari litigare prohibentur.

Excommunicamus omnes Clericos, qui contra Clericum ſeu aliam quamcumque perſonam Eccleſiaſticam coram Judice ſæculari litigaverint in perſonalibus actionibus, & eos præcipimus excommunicatos publice nunciari ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis. *Ex Stat.* 1481.

IV.

Nonniſi habito in ſcriptis Mandato, citatio dari debet.

Omnibus & ſingulis Parochis, Clericis & Curiæ noſtræ Archi-Epiſcopalis Notariis, ſeu aliis, ad quos Mandatorum noſtrorum, vel Vicarii noſtri Generalis, aut Officialis executio dirigi conſuevit, ſub pœna viginti librarum prohibemus, ne quem ſine Mandato in ſcriptis, nec niſi ſuæ executionis copia, ei, cujus intereſt, tradita, citare audeant, aut quidquam authoritate noſtra præcipere. Alioquin, ut omnis tollatur abuſus, hujusmodi executionem nullam eſſe, ipſosque citatos ad ejus virtute comparendum non teneri, declaramus. *Ex Stat.* 1600.

V.

In quibus caſibus appellationi non eſt deferendum.

Ne remedio appellationis, quod ad innocentiæ præſidium inſtituta eſt, ad iniquitatis defenſionem abutantur improbi; ſtatuit ſancta Synodus, ut in cauſis viſitationis, correctionis, inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Epiſco-

Episcopo, seu ejus Vicario, ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine, non appelletur, nec appellationi deferatur; nisi gravamen ipsum per definitivam reparari, vel a definitiva appellari non possit. *Ex Stat.* 1573.

VI.

Introducenda est Appellatio in loco, ubi est copia peritorum.

Quoniam sæpe contingit injurias inde oriri, unde jura nasci deberent, multosque gratia Sedis Apostolicæ abutentes, literas seu rescripta ad remotos Judices in locis, in quibus non est copia peritorum, impetrare, ut reus fatigatus laboribus & expensis liti cedere cogatur; hinc est, quod in tali casu per præsentes declaramus appellantem sive impetrantem literarum Apostolicarum teneri suis expensis, & absque ulla spe recuperationis ipsarum, dare Judicem & Scribam non suspéctos in locis, in quibus juxta sacros Canones copia erit peritorum, ut litibus, quo minimis fieri poterit sumptibus & laboribus, finis imponatur. *Ex Stat.* 1653.

VII.

Quando in causis supplicatoriis coram Vicario Generali partes ad Officialem remitti debeant.

Ut autem pluribus controversiis, quæ ortæ sunt circa causas supplicatorias, quas interdum verti vidimus coram Vicario nostro Generali, occurratur: statuimus & declaramus, quod inpostetum in similibus causis supplicatoriis, ubi super responsionibus factis ad supplicem libellum, causa decidi non poterit definitive; tenebitur idem Vicarius Generalis noster, partes ad judicium contradictorium coram Officiali Curiæ nostræ Bisuntinæ remittere, ibidem jura sua via ordinaria deducturas. *Ex iisdem Stat.* 1647.

VIII.

Qualis debeat esse Judicii Ecclesiastici Minister.

Finis judicii Ecclesiastici est, ut litigantes reconcilientur, & ne quis maneat in peccato. Cum sit ergo res adeo seria, videant, quid agant Judices Ecclesiastici, Vicarii, Officiales, Procuratores, Decani, cæterique Officiarii nostri; se Dei Ministros esse arbitrentur, non mammonæ; electos ad animadvertendum in discolos & Ecclesiæ rebelles, favendumque simplicibus & piis. Caveant sibi a muneribus non minus, quam a gravi peste, ne corrumpantur, si quidem munera excæcant etiam prudentes, & subvertunt verba justorum. *Exodi* 23. *Ex Stat.* 1573.

* * *

Sequens Statutum ad Tit. II. spectat.

XXXVI.

Clerici ad vestem talarem obligati, tenentur eam deferre, ubi plusquam octiduo commorati sunt.

Circa Statuta ad vestes talares deferendas obligantia, præcipimus sub pœna in ipsis contenta omnibus in sacris Ordinibus constitutis, & iis, qui Abbatias, Canonicatus, Prioratus & Hospitalium Rectoratus obtinent, togam talarem in locis suæ residentiæ & Parochiæ, ab humeris ad pedes longam deferre. Qui vero extra prædicta loca breviori veste, a Laicorum tamen habitu & ornatu distincta utentur, si ultra octo dies in uno loco commorentur, ad vestem talarem illic gerendam sub eadem pœna teneantur. Nulli porro liceat sine hujusmodi toga sacrum Missæ Sacrificium offerre, aut cum ficta cæsarie quovis prætextu ad celebrandum accedere. *Anno* 1702.

FINIS.

Vesontione, Typis Franc. Ludov. Rigoine & Antonii Alibert, Illmi ac Revmi Archiep. Typogr. nec non Societatis. 1707.

NOTA.

FRANCISCUM JOSEPHUM DE GRAMMONT, Capituli Metropolitani Majorem Decanum, qui Antonio Petro, ab ALEXANDRO VII. P. M. ad istud officium nominato, (quem Joannes Saulnier Suffraganeus, adsistentibus duobus tantum Canonicis, a. 1663. in Ecclesia subterranea Abbatiæ S. Vincentii intra muros Vesuntinos consecraverat,) atque e vivis a. 1698. æt. 84. (Non 34, ut refert in *qq. Hist.*

polit. Part. VIII. Hübnerus.) Reg. circiter 35. sublato in Sedem Archiepiscopalem successit, Coadjutorem dixerat LUDOVICUS XIV., Philadelphiæ mox factum Episcopum. Insigni hic Præsul ferebatur in Virginem Deiparam pietate, Concilii Tridentini Sanctionibus fixo hærebat vestigio, ex iisque Diœcesin suam moderabatur; erga Romanos Pontifices & eorum Decreta reverentem se assidue ac pium gerebat. Monasteriis variis qua Abbas, variis qua Prior cum laude præfectus, atque supplicum libellorum Magister, obiit a. 1717, memoria vel ob solam, quam hic damus, Statutorum Synodalium tum collectionem, tum editionem immortali dignissimus.

Vid. Joann. Jac. Chiffletii Lib. Vesuntio Civitas Imper. Libera, Sequanorum Metropolis. *Et Foppens. Histor. Eccl. Germaniæ de Archi- & Episcopatibus Tom. II. pag.* 119.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS, Eodem anno Christi MDCCVII.

SUB REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO ARNOLDO, (*) *Monasteriensi LXI. & Paderbornensi XLVII. Episcopo, S. R. I. Principe,*

CELEBRATA

DIE II. OCTOBRIS.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS ET PADERBORNENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS, BURGGRAVIUS STROMBERGENSIS, COMES PYRMONTANUS, DOMINUS IN BORCKELOH &c. &c. UNIVERSIS ET SINGULIS SALUTEM IN DOMINO.

Cum muneris Nobis divinitus concessi ratio exigat omni studio ad hoc intendere, ut non modo commissi Nobis gregis commodis prospiciatur, sed & omne illud ab eodem avertatur, quod in ejus perniciem quoquo modo vergere posset, prima nostra cura fuit in Clerum nostrum oculos conjicere, qui

NOTA.

(*) Ortus fuit FRANCISCUS ARNOLDUS ex perillustri Metternichiorum in *Gracht* familia ad diem 9 Maji anno 1658, & literis, viro nobili dignis, a pueritia deditus; quarum bene munitus auxilio, interque Paderbornenses Canonicos recensitus, nec non Præpositi Osnabrugensis clarus dignitate, Coadjutor Hermanni Werneri in Ecclesia Paderbornensi a. 1703. die 15 Septembris eligebatur. Magno successit Patruo suo 1704. die 21 Maji. Tandem præ Carolo Duce Lotharingiæ, Osnabrugensi jamtum Antistite, post Archiepiscopo & Electore Trevirensi, competitore suo, Infulam Monasteriensem tulit a. 1706. die 30 Septembris, Princeps sacrarum rerum custos, tutorque optimus, qui Paderbornensem patriam a fœce *Pietistarum*, Lugdam illius oppidum maxime obtinentium, strenue purgavit; bonarum artium egregius cultor, qui literas easque latinas, & terso componebat stylo & propria passim manu exarabat, verus patriæ atque egenorum pater, hoc, ut memorant, usus symbolo: *Pro Lege & Grege.* Mitram utramque posuit Ahusii in Westphalia die 16. Decembris a. Chr. 1718. æt. 60. Reg. Paderb. 15. Monast. 12. Coesfeldiæ illatus tumulo in templo PP. Soc. JESU, quod a D. Patriarcha Ignatio nuncupatum, decennio ante, anno nimirum hujus Sæculi X. solenni ipsemet ritu publicos inter plausus, votaque communia dedicarat.

Hæc ad me bini PP. Franciscus Liese & Matthias Spee, Soc. ejusd. Sacerdotes, iterum heic nominandi.

qui vitæ ſuæ ac morum integritate, ſicut prodeſſe plurimum, ita liberiori vivendi modo multum nocere valet, cum Eccleſiaſticorum vitam & mores reliquus populus digito quaſi notet, ſibique ad imitandum proponat, quemadmodum nunc laudabili eorundem ac probata converſandi, vivendique conſuetudine percepta mirifice delectati ſumus, ſic quorundam licentiorem vivendi rationem non ſine intimo doloris ſenſu percepimus; potiſſime illorum, qui Eccleſiaſtici decoris & ſacri ſtatus immemores non ſine ſæcularium manifeſto ſcandalo tabernas vinarias, aut cereviſiarias in- aut etiam extra urbem profanis & ſæcularibus immixti frequentant, atque inibi compotationibus, indignisque ſuo ſtatu luſibus, ut ſunt alearum, chartarum, ac ſimilium, etiam cum viciniæ gravi nota aſſueſcunt, illudque Divi Bernardi *Epiſt.* 42. (cernitur in nonnullis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus) per mores & vitam ſuam, quod ſummopere dolendum, exprimunt. Nos itaque gravioribus offendiculis ex tam indecenti vivendi modo plerumque provenientibus prævenire cupientes, pariter volumus, ut omnibus & ſingulis jurisdictioni noſtræ ſubjectis Clericis nomine noſtro ſerio demandetur, ut ejusmodi tabernas publicas, ſive vinarias, ſive cereviſiarias omnino devitent, ſtudeantque probatæ vitæ exemplo præ Laicis, ut par eſt, eminere, ne Eccleſia hæc noſtra merito conqueri poſſit ſe maximum pati ſcandalum ab iis, a quibus deberet potiſſimum ſperare emolumentum, & ne alias Nos quoque cogamur in delinquentes ſeverioribus pœnis animadvertere. Datum in Civitate noſtra Monaſterienſi anno 1707. 5. Octobris.

Franciſcus Arnoldus mpp.

(L. S.)

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCCVIII. Clementis XI. PP. VIII. Joſephi I. Imp. III.

Sub eodem Revmo & Illmo Domino FRANCISCO ARNOLDO, Monaſterienſi Epiſcopo,

CELEBRATA

DIE 12. MARTII.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum inter graves Epiſcopalis muneris noſtri curas præprimis eo vigilantiæ noſtræ aſſidua ſtudia convertenda eſſe arbitremur, ut, quæ pro ordinato Eccleſiæ regimine ac decore a ſacris Canonibus Summorum Pontificum, & Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus rite & recte ſancita ſunt, inviolabiliter obſerventur, ac gliſcentes abuſus, qui conniventia & temporis decurſu invaleſcentes cum ſummo Chriſtianæ Reipublicæ diſpendio, Eccleſiæ, quæ ſicut caſtrorum acies ordinata eſt, graviſſima & nonnunquam irreparabilia damna infligunt, reprimantur, & plane e medio tollantur, hinc Conſtitutionibus eorundem Deceſſorum noſtrorum fœl. record. inhærentes, de aſſenſu Venerabilis Capituli noſtri ſequentia Decreta publicanda decernimus.

Primum: Quandoquidem in Eccleſia Dei nihil ſanctius, excellentius, aut magis Divinum habetur, quam no-

væ legis Sacramenta, ceu certa ſalutis noſtræ inſtrumenta, quibus inter fideles vera juſtitia gignitur, augetur, vel amiſſa reparatur, ea ſane illo tempore diſpenſari oportet, quo magis illorum ſanctitati, reverentiæ, & venerationi conſulitur. Cum igitur relatum Nobis fuerit nonnullos Parochos aut Sacellanos dignitatis Sacramentorum immemores ex levibus & perſæpe confictis cauſis poſt meridiem baptizare, & eodem tempore Matrimoniis in ædibus privatis aſſiſtere; ideo ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio & Beneficio contravenienti infligenda, & uſque ad arbitrium noſtrum duratura inhibemus, ne Parochi aut Curati modo dicta Sacramenta, niſi tempore matutino & in Eccleſia, quæ Sacramentorum locus proprius eſt, adminiſtrare præſumant.

Secundum: Et quo impenſius exoptamus per eos, qui in ſortem Domini vocati, Chriſti militiæ nomen dederunt, ſpiritualem Eccleſiæ hierarchiam non perturbari, eo magis eorum audaciam & temeritatem deteſtamur, qui cum propter delicta, exceſſus, malos mores, aut ſuſpectam doctrinam ex aliis Diœceſibus ejecti, ſeu quod magis abominandum eſt, ſacro Presbyteratus Ordine non initiati ſunt, contra jus fasque ſe Divinis celebrandis intrudere non exhorrent; Nos innumera mala inde provenientia animo volventes, illisque, quantum valemus in Domino, occurrere ſolicite cupientes, omnibus & ſingulis Rectoribus, Parochis, Curatis, Vicecuratis, Cuſtodibus, Sacriſtanis, aliisque, quibus Altarium & Sacriſtiarum cura vel cuſtodia demandata eſt, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, vel reſpective beneficio ſevere authoritate ordinaria & delegata præcipimus, ne permittant, ut quis extraneus, vagus, ignotus, vel peregrinus, imo nec ullus alius ratione originis, ſeu domicilii, ſeu beneficii noſter Diœceſanus a Nobis, ſeu ab alio Epiſcopo ordinatus, etiam Regularis quomodocunque exemptus, in ulla Civitatis aut Diœceſis noſtræ Monaſterienſis Eccleſia ad celebrandum Miſſam, confeſſiones excipiendas, & alia Sacramenta miniſtranda, aut etiam verbum Dei prædicandum admittatur, niſi exhibito prius conſecrationis, aut licentiæ a Nobis obtentæ, aut authoritate noſtra datæ teſtimonio, peregrini vero & alius quicunque Extradiœceſanus, ne ſuppoſitas pro Ordinis functione literas obtrudere poſſint, ad explenda ſacri miniſterii munera non recipiantur, niſi prius ipſorum teſtimoniales ſeu commendatitiæ literæ a Nobis viſæ, examinatæ, & approbatæ, atque pro talibus a Nobis, aut authoritate noſtra recognitæ, & ſubſcriptæ fuerint.

Tertium: Porro cum temporum vitio, ſive Miniſtrorum negligentia ratione Altarium mobilium, quæ portatilia ſive viatica nuncupantur, prægraves abuſus quoque irrepſerint, & multi Sacerdotes cum manifeſto tremendi Myſterii deſpectu vivificam illam Hoſtiam, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in ædibus privatis, ac locis ad Sanctum Sanctorum recipiendum, nec decenter aptatis aut exornatis nimium humanis favoribus indulgentes offerre non vereantur. Nos authoritate noſtra ordinaria omnibus Sacerdotibus ſæcularibus, delegata autem Regularibus, uſque dum privilegia a ſancta Sede Apoſtolica in contrarium uni aut alteri eorum forſan conceſſa Nobis exhibuerint, diſtricte inhibemus, ne quis impoſterum ſive Eccleſiaſticus, ſive Religioſus in ædibus privatis, ſeu illarum oratoriis, ſine licentia a Nobis aut authoritate noſtra in ſcriptis obtenta, aut niſi illam pro oratorio, ſeu alio loco honeſto a Nobis ad cultum Divinum deſignato & deputato facultatem impertitam viderit, ac legerit, Miſſam celebrare attentet.

Quartum: Ut multis etiam periculis, quæ ex hominum malitia & fraude in Matrimoniis contrahendis proveniunt, obviemus, ſub pœna arbitraria contravenienti irremiſſibiliter infligenda præcipimus, ne Parochi aut Curati denunciationes a ſacro Concilio Tridentino præſcriptas, duas ſimul una die faciant, aut eo die, quo poſterior facta fuit, in Matrimonium deſponſatos conjungant, ſed ad minimum duorum aut unius diei intervallum, ne temporis anguſtiæ impedimenti detectio

tectionem præcludant, exſpectent: Milites vero nonniſi præviis trinis denunciationibus & licentia Officialium ſuorum Parocho in ſcriptis exhibita, a tali Parocho, ſub cujus Parochia hoſpitium ſeu ſtationem ſibi aſſignatam habent, copulentur.

Quintum : Et quoniam omnium voluntatum ultimarum & piarum diſpoſitionum ſuprema executio & tutela Nobis incumbit, vel maxime a Nobis providendum eſt, ut ſecundum defunctorum deſiderium ac ultimum elogium omnia fideliter peragantur, non raro autem accidat, quod Clericorum teſtamenta & extremæ voluntates, ſicut etiam Laicorum quoad legata pro locis ſacris, & ad pios uſus deſtinata, doloſis machinationibus varie impediantur & retardentur, aut quod pejus eſt, ex alienis bonis lucrum inique aucupantes, voluntati teſtatorum ſatisfacere tergiverſentur. Hinc ut Eccleſiarum commodum juxta ac voluntatem teſtatorum promoveamus, mandamus, ut omnes omnino Executores intra annum & ſex ſeptimanas a die mortis teſtatoris computandas coram Nobis bonorum relictorum legale inventarium exhibere, & rationes executionis ſub pœna arbitraria reddere omnino teneantur, quod ſi autem legitimum obſtiterit impedimentum, ut intra præfixum terminum omnia expediri nequeant, tunc ante prædicti temporis lapſum idipſum indicare, & a Nobis neceſſariam dilationem petere obligentur.

Quare omnibus & ſingulis Diœceſis noſtræ Clericis ſerio mandamus, ut ſupraſcripta Decreta exacte, & diligentiſſime obſervent, niſi noſtram animadverſionem, ſi illis contraveniant, atque condignam correctionem experiri velint.

In quorum omnium fidem præſentes propria manu ſubſcripſimus, & ſigillo, quo in ſpiritualibus utimur, fecimus communiri. Datas Neuhuſii die 12. Martii 1708.

Franciſcus Arnoldus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Chriſti & ſub eodem Epiſcopo Monaſterienſi

HABITA

AD DIEM 12. OCTOBRIS.


FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Quandoquidem ad Nos cum ſumma noſtra diſplicentia perlatum fuit, quod nonnulli ſine præmiſſis denunciationibus a S. Concil. Tridentino ſalubriter ſancitis, & absque Sacerdotali benedictione (a qua fauſta & auſpicata nuptialis fœderis initia, atque uberiores Divinæ gratiæ fructus exſpectandi eſſent) etiam extra Eccleſiam & in privatis ædibus coram Parochis Matrimonium contrahendum neſcientibus, & ad illius aſſiſtentiam prævie non requiſitis, aut etiam per fraudem inductis, Matrimonia perperam contraxerint, hujusmodi autem contrahendi modus plane deteſtabilis ſit, ſacroſanctis Canonum inſtitutis repugnet, & enormibus ſcandalis viam ſternat, præſertim dum quandoque, prout intellexerimus, priori ſponſa, cui fide matrimoniali adſtricti erant, relicta, non absque gravi læſæ conſcientiæ nota & irreparabili interdum proximi damno cum alia contrahere non verentur.

Hinc Nos mala ex Conſtitutionum Eccleſiæ & ſacrorum Rituum contemptu provenientia animo perpendentes, & ne in hoc, quas Chriſto Domino atque Eccleſiæ debemus, officii partes explere prætermittamus, pernicioſam & temerariam iſtiusmodi hominum auda-

audaciam opportunis remediis reprimendam & coercendam esse rati, per præsens Decretum sub gravi pecuniaria mulcta arbitrio nostro contravenientibus irremissibiliter infligenda, etiam quoad humilioris status personas sub pœna incarcerationis omnibus sæcularibus Diœcesis nostræ Monasteriensis subditis, cujuscunque conditionis & gradus existant, serio & districte inhibemus ac præcipimus, ne imposterum Matrimonia sine præmissis denunciationibus in ædibus privatis, aut alibi extra Ecclesiam præfato modo coram Parocho per dolum ad assistendum allecto, & Matrimonii contrahendi ignaro, aut etiam invito contrahere ullo modo præsumant & attentent, condignam animadversionem nostram, ut præmittitur, certo non evasuri. In quorum omnium fidem præsentes manu propria subscripsimus & sigillo nostro jussimus communiri. Datas Ahusii 12. Octobr. 1708.

Franciscus Arnoldus.



SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXI. Clementis XI. PP. XI. Josephi I. Imp. VI.

Sub eodem Revmo & Illmo FRANCISCO ARNOLDO, Monast. Episcopo,

CELEBRATA

DIE 12. MARTII.

In Autumnali, ad diem 13 *Octobris e. a. habita nihil singulare.*

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.


Cum muneris Episcopalis, quod Deus humeris nostris formidandum imposuit, sit providere, ut valori Sacramentorum, quibus nihil in Ecclesia sanctius, nihil Divinum magis habetur, quantum in Nobis est, imprimis consulatur, deinde vero pericula, quæ a grassante in vicinia Jansenianæ factionis hæresi, pullulare possent, quam longissime a Diœcesi nostra arceantur. Hinc de assensu Venerabilis Capituli nostri sequentia Decreta publicanda decernimus.

Primum: Quandoquidem relatum est Nobis nonnullos Parochos ac Sacellanos extra districtum, pro quo approbati sunt, Sacerdotum sæcularium confessiones, ubi requisiti fuerint, sine ullo conscientiæ remorsu excipere: alios econtra expendentes limitosam approbationem suam id muneris suscipere non audere, hinc ut Sacramenti Pœnitentiæ adeo necessarii valori omni meliore modo consulatur, atque omnis porro scrupulus eximatur, approbationem pro certo districtu datam ad quorumvis Sacerdotum sæcularium confessiones etiam extra districtum illum excipiendas extendimus.

Secundum: Quo occultius ceu tecti ovina pelle lupi Jansenii sequaces doctrinæ suæ toties reprobatæ virus tanquam Augustinianum dogma ab Ecclesia universa receptum animis hominum infundunt, eo impensius Nobis vigilandum est, ne quam luem a pestilentissima illa secta in terminis Diœcesis nostræ Monasteriensis dominante ac extollente caput trahant subditi nostri, ideoque ad arcendum omne periculum, quod ex vicinia imminere posset, districte mandamus, ne quis

quis ad Ordines ſacros promoveatur deinceps, niſi prævio juramento ſecundum formulam INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. & quidem in ſenſu declarato a S. D. N. CLEMENTE XI. in Conſtitutione: *Vineam Domini* &c. quod idem juramentum intra tres menſes omnino exigendum decernimus a Parochis, Sacellanis, aliisque Curatis; præſertim a Monialium Rectoribus. Volumus inſuper, ut quicunque habuerint ex libris præſertim in materia Janſenii doctrinam concernente, prohibitis ad eosdem mox a publicato hoc Decreto extradendos Ordinario ſub gravi obligatione teneantur, & ſi qui unum vel plures ex iis contra Decretum hoc noſtrum occultare & retinere attentarent, a Divinis ſuſpendantur, aliisque Canonicis pœnis ad obediendum compellantur. In quorum fidem haſce commiſſionis literas propria manus nota ſignatas, ſigillo noſtro communiri juſſimus. Datas Neuhuſii 12. Martii 1711.

Franciſcus Arnoldus.



SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCCXII. Clementis XI. PP. XII. Caroli VI. Imp. I.

Sub eodem Revmo & Illmo Domino FRANCISCO ARNOLDO, Epiſcopo Monaſterienſi,

HABITA

DIE 8. MARTII.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum acceperimus, quod abuſus nonnulli in Diœceſin noſtram Monaſterienſem paucorum vitio irrepſerint, Nos, quibus ea cura ex officio incumbit, hujusmodi malis mederi cupientes, de aſſenſu Venerabilis Capituli noſtri decernimus.

Primo. Quandoquidem animadverſum eſt, quosdam parentes parvulorum ſuorum Baptiſmum plus juſto differre non attendentes, quantum in hujusmodi dilatione ſit periculi & noxæ, diſtricte præcipimus, quod a Concilio Rotomagenſi jamtum anno 1581. præceptum eſt, ut parvuli, quamprimum fieri commode poteſt, ad Baptiſmum deferantur, nec ad ſummum ultra octavum diem Sacramenti tam neceſſarii ſuſceptio differatur.

Secundo. Quia non raro cum maximo populi ſcandalo videre contigit ex Sacerdotum numero aliquos in ficto capillitio Miſſam dicere, quem morem, ſi cauſa utendi a Medicis pro rato habita, & ab Ordinario prævie approbata ſit, uti non improbamus, ita indignum cenſemus, ſi tali capillitio pulvis, ut vocant capillaris, inſperſus ſit, non absque periculo, ne prædictus pulvis ſpeciebus Euchariſticis admiſceatur, & deinde ſi in memorato capillitio corona Sacerdotalis non appareat, quare decernimus, ne cui poſthac liceat ad aram facere cum capillitio, quod pulvere prætacto abundet, corona autem ejusmodi careat.

Tertio. Etſi ſecundum S. Conc. Tridentini Decretum laudabiliter ſancitum ſit, ne Monialis aliqua ad Novitiatum, aut Profeſſionem admittatur absque prævio examine Ordinarii, paſſim tamen notatur hujusmodi ſaluberrimo

rimo Decreto prætextu quodam consuetudinis contrariæ ab aliquibus contrairi. Nos igitur ejusmodi consuetudinem velut corruptelam reprobantes, decernimus, ne Monialis ulla deinceps sive ad habitum, sive ad professionem admittatur, nisi prius per Nos, aut Vicarium nostrum in spiritualibus Generalem, aut de nostro, seu de ejus consensu ab alio, secundum præscripta Tridentini, prævio examine idonea reperta fuerit sub pœnis in eodem Concilio contentis.

Quarto. Ut uniformitati, quæ præcipuam sacris Cæremoniis authoritatem & majestatem conciliat, consulatur, & omnis difformitas, quæ hactenus in Diœcesi hac propter varietatem Agendorum Pastoralium in usu fuit, penitus tollatur, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut omnes deinceps Agenda nova, jussu nostro recenter prælo supposita & propediem typis vulganda, usurpent, iisque se accommodare per omnia & in omnibus studeant.

Horum itaque uti & aliorum a Prædecessoribus nostris, & Nobis assentiente Venerabili Capitulo nostro Cathedrali latorum, alias successive Decretorum, exactam observantiam omnino volumus, contravenientes pro officii ratione severe correcturi. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris roboratas dedimus in Residentia nostra Neuhusana 1ma Martii 1712.

Franciscus Arnoldus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

HABITA

Eodem anno Christi MDCCXII.

ET

Sub eodem FRANCISCO ARNOLDO, Monast. Episcopo, DIE II. OCTOBRIS.

INSTAURATIO STATUTORUM IN PRIORIBUS SYNODIS.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum non sine dolore animi videamus, ea, quæ salubriter hucusque & a Nobis, & a nostris Prædecessoribus fuerant decreta, lapsu temporis fere negligi seu memoriæ vitio, seu defectu voluntatis; Nos pro Pastorali munere, quod Deo disponente gerimus, cupientes non minus sancte supradicta observari, quam solicite sancita sunt: Mandamus omnibus & singulis Diœcesis nostræ subditis, ut ea, quæ quemque concernunt, quisque sedulo exequatur sub pœnis vel expressis infra, vel in delinquentes arbitrio nostro decernendis. Porro ut memoriæ facilius occurrerent, & ne prætextus aliquis obtendi posset, præcipua quædam Capita in compendio exprimi typo, & in præsenti Synodo promulgari denuo curavimus, ut sequitur.

1. Nemo in Sacrificio Missæ ficta coma utatur, conformiter Decreto, quod emanavit 1688. 11. Octobr. sub glor. mem. FRIDERICO CHRISTIANO. Qui tamen eandem gestandi facultatem justis de causis obtinuerint: nullatenus utantur prolixiori, aut quod omnino indecens est, capillari pulvere aspersa, aut corona Sacerdotali destituta.

2. Laudes Divinæ non cursim & festinanter, sed tractim cum pausa decenti, debitam tamen faciendo inter solenne ac feriale Officium differentiam, reve-

reverenter persolvantur. Item omnes ad chorum destinati a scandalosis actibus & impertinentibus fabulis sub Divino Officio, horisque Canonicis abstineant: Tabernas publicas, seu vinarias, seu cerevisiarias devitent, studeantque probatæ vitæ exemplo pro Laicis, ut par est, eminere, conformiter *Decretis* 1690. 7. *Martii.* 1702. 14. *Octobr.* & 1707. 6. *Octobr.*

3. Ordo habeatur in compulsatione campanarum: eam in vigiliis Festorum non protrahendo ultra horam nonam vespertinam, mane autem ipsis diebus festis ante Officium non ultra horæ unius spatium, neque per diem ultra finem Officii Divini, conformiter *Decreto* 1691. 15. *Octobris.*

4. Clerici gestent vestes statui convenientes, scilicet vestem nigram, & togam ultra genua dependentem, pallium nigrum, aut in itinere vel aura pluvia alterius coloris, non item cærulei: collare quoque modestum ac decens, nisi justa causa a jure Canonico expressa eos excuset, conformiter *Decreto* 1692. 12. *Octobris.*

5. Animarum Curatores studia statui suo conformia diligenter recolant, revocandi alias, quando & quoties visum fuerit, ad examen, conformiter *Decreto* 1694. 22. *Martii.*

6. Tollantur abusus in defunctis terræ mandandis, ob nimios sumptus eorum, qui sepeliri curant, dum post funus terræ mandatum ad domum mortualem reditur, & vinum vel alius quiscunque liquor potabilis copiose ministratur, nihilque aliud retinendum jubetur, quam quod ad honestam sepulturam conferre, & animabus defunctorum prodesse dignoscatur, conformiter *Decretis* 1694. 10. *Octobris* & 1700. 23. *Martii.*

7. Clerici omnes sub pœna 50. florenorum accurata bonorum & redituum ad Beneficia sua pertinentium registra, ex quibus reditus, soluta, & restantia bona conspici queant, diligentissime conficiant, & eadem de anno in annum compingi curent, quorum unum Vicario in Spiritualibus ad archivium Vicariatus reponendum, alterum vero Archidiacono, & tertium Successoribus intra mensis spatium ab obitu computandum sine ulteriori monitione per Executores suos sub eadem pœna extradere teneantur, conformiter *Decreto* 1700. 11. *Octobris.*

8. Pastoribus, Curatis, Vicecuratis, Sacellanis &c. ad assistentiam Matrimonii quovis modo vocatis aut vocandis districte inhibemus, ne Matrimoniis Militum sub ullo prætextu vel colore assistere audeant, nisi præmissis in Parochia, ubi tunc degunt, aut stationem figunt, tribus denunciationibus, licentia Officialium suorum in scriptis exhibita, cæterisque a Tridentino requisitis, idque sub pœnis arbitrariis, imo carceris, suspensionis &c. conformiter *Decretis* 1703. 19. *Martii* & 1708. 12. *Martii.*

9. Inhibetur sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, ne Parochi aut Curati Sacramenta Baptismi & Matrimonii, nisi tempore matutino & in Ecclesia administrent. Item præcipitur Rectoribus, Parochis, Curatis, Vicecuratis, Custodibus, Sacristis sub pœna suspensionis &c. ne permittant, ut quis extraneus, vagus, vel peregrinus, imo nec Diœcesanus etiam Regularis & exemptus, nisi eorum persona bene nota sit, ad celebrandam Missam, confessiones excipiendas, aliave Sacramenta ministranda, aut etiam verbum Dei prædicandum admittatur, nisi exhibito consecrationis aut licentiæ ab Episcopo obtentæ testimonio, nullus quoque Ecclesiasticus vel Religiosus in ædibus privatis, sive illarum Oratoriis sine licentia in scriptis obtenta Missam celebret, conformiter *Decreto* 1708. 12. *Martii.*

10. Executores testamentorum Clericorum, & Laicorum ad causas pias intra annum & sex septimanas a die mortis testatoris computandas, coram Episcopo relictorum bonorum legale inventarium (sine præjudicio tamen jurium & privilegiorum Cathedralis Capituli, Archidiaconorum, nec non aliorum Capitulorum & Ecclesiarum, quæ simili privilegio gaudent) exhibeant, & rationes executionis reddant, legitime autem impediti ante prædicti temporis lapsum impedimentum indicent,

cent, & dilationem petant, conformiter *Decreto* 1708. 12. *Martii.*

11. Præcipitur, ne Parochi aut Curati denunciationes Matrimonio præmittendas duas ſimul una die faciant, aut eo die, quo poſterior facta, deſponſatos conjungant; inhibetur quoque ſub gravi pœna pecuniaria, aut etiam incarcerationis pro humilioris ſtatus perſonis, ne Matrimonia ſine præmiſſis denunciationibus in ædibus privatis, aut extra Eccleſiam coram Parocho per dolum ad aſſiſtendum accerſito, & Matrimonii contrahendi ignaro, aut etiam invito contrahantur. Conformiter *Decretis* 1708. 12. *Martii & 1708. 12. Octobris.*

12. Diſtricte mandatur, ne quis ad Ordines promoveatur, niſi prævio juramento ſecundum formulam INNOC. X. & ALEX. VII. & quidem in ſenſu declarato a S. Domino noſtro CLEMENTE XI. in Conſtitutione: *Vineam Domini* &c. conformiter *Decreto* 1711. 12. *Martii.* quo etiam approbatio Parochis & Sacellanis pro certo diſtrictu data, ad quorumvis Sacerdotum ſæcularium confeſſiones etiam extra diſtrictum illum excipiendas extenditur.

Cum tam Breviaria, quam Gradualia ritu Monaſterienſi edita deficere notentur, facultatem facimus, ut qui voluerint, in- & extra chorum Miſſalibus, Breviariis, & cæteris Ritus Romani libris uti, & Romano cantu poſthac libere uti poſſint. *Anno* 1711. 12. *Octobris.*

Cum dolenter intellexerimus varios in hac Diœceſi noſtra libros prohibitos nonnunquam vendi, ordinamus, ut ſub pœna in Tridentino conſtituta, nulla librorum venditio fiat, niſi omnium librorum catalogus Ordinario prævie ſit exhibitus. *Anno* 1711. 12. *Octobris.*

Quandoquidem animadverſum eſt quoſdam parentes parvulorum ſuorum Baptiſmum plus juſto differre non attendentes, quantum in hujusmodi dilatione ſit periculi & noxæ, diſtricte præcipimus, quod a Concilio Rotomagenſi jamtum anno 1581. præceptum eſt, ut parvuli, quamprimum commode fieri poteſt, ad Baptiſmum deferantur, nec ad ſummum ultra quintum diem Sacramenti tam neceſſarii ſuſceptio differatur. *Anno* 1712. *in Martio.*

Etſi ſecundum S. Conc. Tridentini Decretum laudabiliter ſancitum ſit, ne Monialis aliqua ad Novitiatum aut Profeſſionem admittatur absque prævio examine Ordinarii, paſſim tamen notatur hujusmodi ſaluberrimo Decreto prætextu quodam conſuetudinis contrariæ ab aliquibus contrairi. Nos igitur conſuetudinem ejusmodi velut corruptelam reprobantes decernimus, ne Monialis ulla deinceps ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem admittatur, niſi prius per Nos, aut Vicarium noſtrum in ſpiritualibus Generalem, aut de noſtro, ſeu de ejus conſenſu ab alio, ſecundum præſcripta Tridentini prævio examine idonea reperta fuerit ſub pœnis in eodem Concilio contentis. 1712. *in Martio.*

Ut uniformitati, quæ præcipuam ſacris Cæremoniis authoritatem & majeſtatem conciliat, conſulatur, & omnis difformitas, quæ hactenus in Diœceſi hac propter varietatem Agendorum Paſtoralium in uſu fuit, penitus tollatur, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ: ut omnes deinceps novo Agendorum libro juſſu noſtro recenter typis vulgato utantur, illique in omnibus ſe accommodare unice ſtudeant. Cui ut eo celerius initium detur, præcipimus ſub arbitraria pœna, ut omnes ante ſequentis anni initium memoratum Agendorum librum ſibi comparent.

In quorum omnium fidem præſentes propriæ manus nota ſignatas ſigillo noſtro muniri juſſimus. In Reſidentia noſtra Monaſterienſi 1712. die 6ta Octobris.

Franciſcus Arnoldus.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA EICHSTETTENSIS,

Anno Chriſti MDCCXIII. Clementis XI. PP. XIII. Caroli VI. Imp. II.

SEU

STATUTA DIOECESANA

REVERENDISSIMI & CELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,
D. JOANNIS ANTONII (*), *Eichſtettenſis Epiſcopi LXIII.* (**)
AD EJUSDEM DIOECESIS CLERUM
DIRECTA
DIE 13. APRILIS.

JOANNES ANTONIUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS, S. R. I. PRINCEPS, OMNIBUS DECANIS, CAMERARIIS, CURATIS &C. SACERDOTIBUS UNIVERSIS DIOECESIS NOSTRÆ EYSTETTENSIS SALUTEM IN DOMINO.

CUm nihil magis Nobis curæ & ſolicitudini ſit, ac juxta officium noſtrum, a Domino Nobis commiſſum, eſſe debeat, quam ut inter alia, Clerum noſtræ Diœceſis, ſub debita obedientia & diligentia in ſuis officiis ac vitæ honeſtate, ad communem Eccleſiæ utilitatem & populi ædificationem retineamus, atque conſervemus, defectus etiam, abuſus & ſcandala, ſi quæ forte hactenus irrepſerint, tollamus, & in melius, quantum poſſumus cum Dei gratia, reformemus; idcirco cunctis Decanis, Camerariis, Parochis & Sacerdotibus univerſis Diœceſis noſtræ præcipimus ac ſub obedientia injungimus, quatenus impoſterum ſequentia ſervent & a ſuis ſervari faciant.

QUOAD MORES.

I.

Cum gravis abuſus & veſtium luxus hactenus in Clero noſtro fuerit notatus, ſic, ut aliqui Sacerdotum mundanas potius, quam Eccleſiaſticas perſonas in eo referant, dum loco decentium collarium, vitas portent, albi aut nigri coloris, tunicas ſciſſas, cum amplis manicis & prominentibus induſiis, vel quod noviſſime irrepſit, tunicas apertas cum pectoralibus: qui vero inceſſus cum a modeſtia habitus Clericalis vel prorſus abhorreat, & in Laicis nil, niſi ſcandalum, & obloquendi anſam præbeat, inſuper ſuperfluitas ejusmodi exterior, interioris vanitatis certiſſimum indicium ſit; ideo profana hæc veſtimenta Clericis noſtris omnino interdicimus & ſtrictiſſime mandamus, quatenus impoſterum Curati & Sacerdotes noſtræ Diœceſis omnes clauſis utantur veſtimentis, Ordini ac dignitati congruentibus, remotis amplis manicis & pectoralibus, omnes ſic veſtiti incedent, ut per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtas oſtendatur

(*) Vide ſub calcem Statutorum.
(**) Henricus Ferdinandus L. B. de Leyen Jubilæus, Senior, Eccleſiæ Eichſtettenſis & Moguntinæ Præpoſitus, poſt mortem Joannis Martini in Succeſſorem electus quidem fuit, ſed Infulam recuſavit.

datur intrinſeca & e veſtibus Vir agnoſci, ac pro dignitate Sacerdos revereri valeat.

II.

A capillis fictitiis abſtineant omnes; cum ſcriptum ſit: Clericus neque comam nutriat neque barbam. *Cap. 5. X. De vit. & honeſtat. Cler.* Et *C. 21. diſt.* 23. Prohibete fratres per univerſas Regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant. Qua de cauſa ſub pœna decem Imperialium prohibetur omnibus & ſingulis Clericis, ne capillos fictitios portent æſtivali tempore. Ii vero, qui infirmitatis vel frigoris cauſa hyemali tempore fictitiis capillis uſi ſunt, ad Vicariatum mittant, ac facultatem conceſſam & confirmationem expectent.

III.

Querela eſt communis omnium Graduatorum: differentiam non eſſe amplius inter illos & Theologiæ moralis Candidatos, quoad externum habitum & decentem titulum, eo quod plurimi inveniuntur Curati, Caſuiſtæ, leviter docti, titulum Excellentiæ ambientes, & a ſuis Parochianis arroganter prætendentes, inſuper caputiis aut capillaribus & manicis holoſericis libere utentes, ſic ut nulla amplius ſit diſtinctio inter Graduatos & non graduatos. Quare ut ordini & gradui Doctoratus & Licentiæ honor habeatur condignus, ſtricte mandamus, quatenus Curati noſtri impoſterum conditionis ſuæ memores, ab ejusmodi prætenſione inani abſtineant, & caputia holoſerica cum manibus holoſericis deponant, qui Doctoratus vel Licentiæ gradu inſigniti non ſunt: ſecus Fiſco adjudicata ſint ipſo facto. Qui vero ſorte ſua aut titulo contentus non fuerit; arbitrarie punietur; Decanisque præcipitur, ut deſuper accurate invigilent.

IV.

Quia vero habitus non facit Monachum, neque Sacerdotem, aut Paſtorem, ſed honeſtas morum & ſanctitas vitæ, prout ſcriptum eſt: Sacerdotes Dei incenſum & panes offerent Deo ſuo, ideo ſancti erunt & non polluent nomen ejus; a ſanctitate autem maxime abhorreat luxuria, gula & avaritia; ideo monentur omnes, talem quisque vitam ducat, ut is, qui ex adverſo eſt, nihil habeat mali dicere de illis.

V.

Caveant hoſpitalia publica, & illa non niſi itineris cauſa frequentent.

VI.

Fugiant convivia & ſolemnitates nuptiarum ac puerperiorum, neque nundinas frequentent; cum indecorum ſit, Sacerdotem nundinari in foro, quod pro neceſſitate ab œconomis fieri poterit.

VII.

A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, vinum ſibi & ſe a vino temperent; cum ebrietas mentis inducat exilium & libidinis provocet incentivum.

VIII.

Erga pauperes liberales ſeſe oſtendant; cum proventus Eccleſiaſtici patrimonium pauperum ſint.

IX.

Saltationes & choreas in ædibus parochialibus tum ab aliquibus Sacerdotibus, tum aliis fuiſſe ductas, relatum eſt. Quare ſeveriſſime & ſub pœna incarcerationis prohibentur ejusmodi exceſſus Clericis omnibus, eandem pœnam incurſuri, ubi Laicis ejusmodi ſaltationes permiſerint in ædibus ſuis propriis.

X.

Continenter & caſte ſtudeant vivere, amoventes a ſe mulieres & tales fœminas, ex quarum cohabitatione & nimia familiaritate vel ipſi redduntur ſuſpecti, vel ſe ipſos reddunt ſuſpectos; tales domeſticationi præficiant œconomas, quæ vel ſorores conſanguineæ aut provectæ ætatis ſunt, juvenculis remotis bene audiant, pacem cum communitatibus colant, contentiones non ſeminent, neque dominari præſumant, & ex hoc ipſæ ſe ſuſpectas reddant. Sacerdotes vero ſic vivant, ut, quod verbis docent, exemplo confirment.

QUOAD

QUOAD CURAM.

XI.

Cum Parochis & Curatis fidelium animæ ea ratione sint commissæ, ut illas vel recte custodiant, & salutari pabulo ad beatam æternitatem alant: ideo cordi sibi habeant, ut bono exemplo concreditis oviculis præeant & per viam salutis ad patriam cœlestem ducant.

XII.

In elaborandis & dicendis concionibus, omnem operam & conatum adhibeant, ut prævio diligenti studio, omnibus saltem Dominicis & solennibus diebus festis conciones ad populum habeant, eamque ratione nundinarum, prout in aliquibus Parochiis fieri solet, nunquam intermittant: opportunum quoque & consultum erit, si concionem ad populum, post Evangelium Missæ simplicis & cantandæ, dicendum introducant, nisi contrarium expedire videatur.

XIII.

Christiana doctrina diebus Dominicis tam in hyeme, quam æstate a Parochis & Curatis hora pomeridiana vel circa 12 vel 1 accurate habeatur in Ecclesia Parochiali, & nunquam intermittatur, licet pauci catechizandi & nundinæ essent.

XIV.

Erga ægrotos magna & indefessa charitate afficiantur, quos etiam non vocati frequenter & quoties necessitas postulat, invisant, idque etiam postquam salutaribus Sacramentis provisi fuerint, sæpius præstent & ad ultimam luctam assistere studeant; præcipue vero caveant, ne in emungendis juribus stolæ duri & exacti sint, sed hoc accidens discretioni ægrotorum relinquant, pro se & provisura, ante obitum penitus nihil petendo; & hoc statim e cathedra quivis suis oviculis proponat, ne pauperes intuitu mercedis, Ss. Sacramenta & se ipsos ægritudinis tempore negligant.

XV.

Personas vagas nullus Parochorum sine licentia Vicariatus copulare præsumat imposterum; omnes indulgentias ex urbe per Vicariatum procurent.

XVI.

Sacra Olea in ædibus parochialibus nullus asservet, sed in Ecclesia custodiantur. Omnes ad ægrotos Ss. Viaticum nunquam pallio vestiti, sed superpelliceo induti, præcedente Æditu cum campanula & lumine; Ss. Olea sine lumine ad ægrotos deferant, idque strictissime observent in partibus, ubi hæretici non sunt.

XVII.

Ocreati nunquam sacrificent, & confessiones suas, ad minimum quovis mense peragant. In urbe, missis baculis, palliati incedant.

XVIII.

Libros baptismales, parochiales, & alios bene custodiant, nomina omnium diligentissime inscribant, conciones pariter conscriptas habeant, ut ad petitionem exhiberi valeant.

XIX.

Peregrinationes novas non instituant, sed antiquis inhæreant. Absque licentia extra Diœcesin, nullam peregrinationem, præter pervetustam illam ad S. Salvatorem, instituant; sed ubi, viciniores urbi Eystettensi, novam introducere cupiunt, pergratum erit, si Eystadium ad S. Willibaldum aut ad S. Walburgam subditos suos ducant, & cultum antiquum restaurare incipiant.

Ubi vero aliquam peregrinationem antiquam vel novam instituerint, omnibus Curatis præcipitur, ut sicut populum duxerunt ad Ecclesias Sanctorum, sic pariter reducant ad Parochiales Ecclesias eorum, ne, prout hactenus abusus tulit, remanente Pastore in convivio, Parochiani hæreant in hospitio & domum revertantur cum scandalo.

XX.

Relatum & observatum est in multis Parochis, quod absque licentia Ordinarii juvenes Sacerdotes assumant, quibus animarum curam, præsertim ubi infirmi sunt, demandant & committunt.

Item quod aliqui Curati adeo ſocordes ſint, ut omnem curam animarum & filialium Eccleſiarum Cooperatoribus ſuis committant & demandent, quaſi animæ ruri commorantes non eſſent eodem pretio redemtæ; qui abuſus quantum abhorreat a vero Paſtore, nomen probat & experientia docet. Ad hunc tollendum omnibus Curatis ſtrictiſſime mandamus, ut imposterum in functionibus parochialibus & proviſionibus Eccleſiarum filialium, alternent. Cooperatoribus autem ſub pœna amotionis præcipimus, ut ejusmodi mercenarios, qui ovium curam non habent, eisque pabulum per vices alternas porrigere detrectant, pondusque diei & æſtus illis ſolis imponere cupiunt, ad Vicariatum deferant. Tertio compertum eſt, quod a Parochiis ſuis, intuitu hujus occaſionis, ſine ulla licentia crebro abſint & alibi pernoctent: Quod cum ratione curæ animarum, cui per ejusmodi Subſtitutos minus proviſum eſt, tolerare amplius non cogitemus; hinc omnibus Parochis præcipimus, ut quoties Sacerdotem aſſumpſerint vel ad dies vel ad menſes, id prius Vicariatui noſtro Eyſtettenſi inſinuent & ab eo licentiam petant; Parochos vero absque licentia pernoctantes, Decanus prima vice 3. imperialibus puniat; ſecunda vice Eyſtadium transgreſſorem deferat: quod pariter intelligendum erit de Cooperatoribus, qui nunquam ſine Parochi licentia excurrent, minus pernoctabunt, inobedientia eorum per mutationem a Nobis caſtiganda.

XXI.

Notatum eſt inſuper, aliquos non ſolum arma deferre in equis, ſed ſclopetis & armis incedere in ſylvis & venationibus ut plurimum occupatos, quod vero quam alienum ſit a ſtatu Clericali, per ſe patet. Hinc arma & venationes iterato prohibemus ac cupimus, ut Paſtores capiant ac multas venentur animas.

XXII.

In celebratione Dedicationum & Exequiarum dicuntur Parochi ſe invicem invitare, nonnunquam jocos exercere ſcurriles, largioribus potibus indulgere, ut vix incedere queant: Id quod cum intuentium oculos animosque graviſſime offendat, ſibi quoque ab hujusmodi ingurgitationibus, in quibus luxuria eſt, ſub pœna ſex imperialium, vel etiam ſi ſæpius in hoc peccarint, ſub privatione ſui Beneficii maxime caveant.

XXIII.

Pro ultimo, magna advertitur corruptela & abuſus in Neomyſtis, quorum aliqui primitias ſuas, adinſtar mundanorum ſponſorum, celebrare conſueverunt, conſtituendo puellas & alios extraneos, ſub titulo conſanguineorum colorato, ubi poſtmodum finitis ſacris epulis, devenitur ad epulas ſæculares, convivando plerumque ad ſeram & mediam noctem, choreis paſſim a convivantibus ductis: qui abuſus quam indecens ſit dignitati & ſolemnitati, omnes conſiderabunt, qui Sacrificium Miſſæ perpendent. Quare ut ab ejusmodi indecentia in futurum abſtineant Neomyſtæ, hic monentur; omnibus autem Sacerdotibus interdicitur, ut abhinc absque licentia prævia Vicarii Generalis ejusmodi primitiis non interſint.

Et hæ ſunt Conſtitutiones antiquæ, quas Prædeceſſores noſtri, piæ memoriæ, promulgarunt ſæpius, ſine effectu tamen ſperato, prout compertum eſt & experientia docuit.

Quare, & ne Nobis ſimile quid contingat, & ſaluberrimæ Conſtitutiones fiant noſtræ Perſonæ proſtitutiones aut illuſiones publicæ: Hinc omnes monemus ſedulo & paterne, ut ſine mora omnes & quascunque Conſtitutiones ad amuſſim & ad unguem ſervare ſtudeant, atque obedientiam præſtare intendant, præcipientes omnibus Decanis Ruralibus, ut hanc reformationis chartam, quam primum publicam faciant, & ne quis allegare valeat excuſationem aut ignorantiam, omnes & ſinguli Decani per capitularem curſorem has Conſtitutiones cuilibet Parocho & Cooperatori præſentari faciant, & mandatum a ſingulis, proprio nomine & cognomine ſubſcriptum, ad Officium Vicariatus remittant, vigilantes

tes

tes in omnibus, ut ex toto obſerventur. Quod ſi vero unus aut alter, auſu temerario, contraire tentaverit, noverit, ſe indignationem noſtram incurſurum, & pœnam arbitrariam minime evaſurum; Decanum vero Capituli Ruralis, negligentem in uno alterove puncto inventum, ſemper duplici mulcta irremiſſibiliter puniendum. Datum Eyſtadii in Monte S. Willibaldi die 13. Apr. 1713.

JOANNES ANTONIUS
S. R. I. Princeps, Epiſcopus Eyſtettenſis.
(L.S.)

Cl. de Falckenſtein cit. Cod. diplom. loco Sect. XIII. a pag. 121. *hæc, quæ non habet Lunigius, Statuta exhibet, inde huc tranſcripta.*

NOTA

addenda iis, quæ ſupra pag. 276. de JOANNIS ANTONII I. Anteceſſore, JOANNE MARTINO, referuntur.

Ex Joan. Sebaſt. Heiſteri *Templo Virtut. & Honor. S. Willibaldi & Præſulum Euchſtettenſ.* Edit. Herbipol. A. 1716.

Prima Joannis Martini, Principis optimi cura erat, inflicta Reipublicæ vulnera ſanare, bonis ejusdem tam ſpiritualibus, quam temporalibus invigilare ſedulo, omnibus benignum ſeſe, facilem ac beneficum exhibere. Pauperes certe Patrem experti in illo & venerati: iis enim non modo dirutam a Suecis Eccleſiam Hoſpitalis, a S. Spiritu nuncupati, cum ſpectabili hujus ædificio, Almonium verſus Euſtadii de novo reædificavit in vivis, ſed poſt mortem hæredes ſuos ex aſſe voluit, legatis Hoſpitali 62000 florenis... Dum anno 1700. Carolus II. Hiſpaniarum Rex ſine hærede filio fatis conceſſerat, indeque, ab optata dudum, quæ Imperium inter & Galliam Ryswici a. 1697. die 30 Octobris coaluerat, pace, bellum graviſſimum recrudeſcebat; Mars quoque Bavarus, Gallis junctus, occupata *Ulna & Neoburgo*, Euſtadium ingreſſus, duos abduxit Conſiliarios aulicos, velut ingentis pecuniæ exſolvendæ obſides; ipſe Joannes Martinus, exantlatis calamitatibus plurimis, fugam denique a. 1703. capeſſere, ſeque Euſtadio *Herriedam*, tum *Vorchemium* extra territorium ſuum conferre coactus eſt, commiſſa interim Diœceſis ſuæ cura D. *Ludovico Schliderer* de *Lachen*, Canonico Capitulari.

Redux *Herriedam*, finem & miſeriarum & vitæ invenit, ibidem ex pleuritide defunctus 1704. die 6 Dec. Sedit annis 7. menſibus 7. diebus 7. (MS. Cl. cujusdam Collectoris ac Præfecti Bibl. Epiſcop. Euſtad. adhuc viventis, notat *dies* 20.)

In Epitaphio, quod eidem poſitum eſt Euſtadii in Sacello Cathedrali, ab ipſo in vivis exſtructo, hæc leguntur: *Inter alios honores, ampliſſimo Epiſcopatui, quem* TRIENNIO (ultimis exilii annis non computatis) *rexerat, mundo ſtupente, vitam privatam prætulit, omnibus magnus, ſibi prope nullus.*

Hæc tranſmiſit Euſtadio R. P. Franciſcus de Benedictis Soc. JESU p. t. Prof. & Præſ. Caſ. & Exam. Ordin.

Ex P. Gregor. Kolb *S. J. libello:* Tauſendjährige8 Eychſtätt *a.* 1745. *hæc in latinum a me verſa, adjicio:*

JOANNES MARTINUS ſtrenuus imitator fuit Nepotis ſui *Gabrielis ab Eyb*, Euſtadienſ. LII. Epiſcopi a. 1535. defuncti atque de Epiſcopatu, quem annis omnino novem & triginta, inter turbulentiſſima plenaque periculis tempora rexerat, quam optime meriti. Dignitatem Epiſcopalem omni, qua potuit ratione, etiam de genibus, etiam cum lacrymis deprecabatur; quanquam tulit acerbius, Coadjutorem ſibi, neſcio quorum cuniculis, deſignari. Totus erat in amplificanda ubivis locorum majore DEI O. M. gloria: quod fecit, ut in dies ſingulos, æger licet pedibus, & Sacrum diceret & alterum audiret. Penſum canonicum, remoto quovis utut magni momenti negotio, ſtatis perſolvebat horis, nec tempus in aliud differebat, debita, aſſerens, ſummo Deo officia eſſe negotiorum omnium graviſſimum, maximeque neceſſarium. Ad honorem MARIÆ Dei Matris & amplitudinem omne conſilium, & ſtudium, omnem laborem ac diligentiam conferebat, pulcherrimoque feſtis præſertim ejus Dominæ diebus, exemplo palam faciebat.

Cum

Cum viris probitate ſimul ac zelo divino conſpicuis in ſermone verſari jucundum ipſi & perfamiliare erat; quare multos e Clero regulari habebat ſibi cariſſimos, in Religioſorum templis Hoſtiam ſacram litabat, & prandebat in tricliniis; quos ſecum ad palatium frequenter invitabat, largis recreabat eleemoſynis, & in adverſis quibuscunque paterno tum ſolatio, tum auxilio levabat. Meritis igitur plenus ad ſummum abiit Sacerdotem, præcipuo eos honore Epiſcopos adfecturum, quos deſiderat Apoſtolus eſſe Diſpenſatores fideles, quorumque e numero Joannes Martinus quin fuerit, dubitari nullo modo poteſt.

Excerpſit hæc R. P. Ignatius Lenz Soc. JESU atque e Collegio Auguſtano ad me miſit.

NOTA
de JOANNE ANTONIO I. Eyſtadiano LXIII. Epiſcopo & S. R. I. Principe.

Natus eſt anno 1646 die 19 Octobris JOANNES ANTONIUS ex avita & antiquiſſima Familia Rhenana LL. BB. de Knebel a Katzenelenbogen, familia, inquam, ab annis quingentis & amplius, Metropolitanæ Moguntinæ, Cathedralium Eychſtettenſis, Spirenſis, & Auguſtanæ Eccleſiarum Prælatis, atque Canonicis, nec non in Ludis Equeſtribus præclaræ virtutis, magnique animi viris nobiliſſimis inclyta. Dabat vel a puero luculenta præſtantis & artium omnium, linguarum ac ſcientiarum capacis ingenii ſpecimina. Romæ in Collegio Germanico ad S. Apollinarem diſciplinas altiores hauſit, ibidemque a. 1666 feſto omnium SS. ſacrum egit, obſtupeſcente cum Purpuratis Patribus Alexandro VII. S. P. Encomiaſten. Digreſſus inde ad Regum ac Principum aulas, amorem ad ſeſe omnium & favorem tum ſuaviſſimis moribus, tum virtutum vere regiarum ſplendore rapuit. Certare pro illo videbantur Eccleſiæ Cathedrales Auguſtana & Eychſtettenſis, utpote utriusque Canonico: ſed enim vicit Eychſtettenſis, quæ ut ſibi ſervaret, *Decanatum* ei die 27 Julii a. 1688 obtulit: quem tamen ſponte is ſua honorem eſt deprecatus, ſola contentus *Cantoris* appellatione. A Marquardo II. Eyſtett. LX. Epiſcopo ſecretioribus adhibitus conſiliis, ad Aug. Imp. Leopoldum I. & S. R. I. Electores ac Principes in negotiis politicis ablegabatur, non ſine optimo inter graves turbines fructu & Auguſtanæ juxta ac Eychſtettenſis Eccleſiarum commodo. Reſpiravit ſane Auguſta tam a difficili, quæ 10 Decembr. a. 1703 accidit, expugnatione, quam a calamitoſa ad 7 uſque Auguſti a. 1704 occupatione, & publicam per Joannem Antonium tranquillitatem ſibi eſt gratulata; cujus labores, præclare utiliterque in Diœceſis utriusque rebus poſitos, coronavit Euſtadium 9 Febr. a. 1705, quo Infulam Epiſcopalem ipſi detulit.

Novo ſub Epiſcopo, in die Pentecoſtes anni 1706 ſolenniter inaugurato, aliam mox faciem hæc induit Diœceſis: ſoluta per eundem plus 150 florenorum millia æris alieni; tributorum tamen gravaminibus partim mitigatis, partim penitus ſublatis. Principale, quod Suecus diruerat, palatium in urbe conſtructum, ubi Dicaſteria Aulicum & Camerale inſtituit. Noſocomium, in quo & Sacerdotes emeriti aluntur, ſingulari cœptum munificentia; conſtitutum pro erudienda & educanda juventute maſcula Seminarium; Cœnobium magnificum Monialium virginum ſub titulo *Congregationis B. M. V.* quæ puellas non moribus tantum bonis, ſed artefactis etiam & lingua gallica imbuerent, erectum ab illo, fundatumque. Hæc & alia ſparſa per Diœceſin ædificia poſteritati Principem hunc commendabunt. Laudes augebunt devotio in S. Joannem Martyrem, cujus corpus pridem ex Urbe advectum ſolenni ſupplicatione, rituque honorifico in Eccleſiam S. Spiritus conduxit; laudabiliſſima millium aliquot florenorum fundatio, qua Roſarium in Eccleſia parochiali Eychſtettenſi diebus ſingulis recitandum, cum pia eleemoſynæ in centum & ultra pauperes diſtributione decrevit; eximia tandem ad aram quotidie faciendi conſuetudo. Accedit mira ejusdem temperantia & ſobrietas; pietas in egenos; in neophytos liberalitas; gregis ſibi commiſſi amor, Religionis conſervandæ, ac promovendorum Eccleſiæ jurium ardor ac ſtudium. Obiit die 27 Aprilis a. 1725, æt. 79, Reg. 20, poſtquam ſupremis tabulis, quidquid gemmarum & ſupellectilis pretioſæ poſſidebat, in pauperes tranſcripſiſſet, theſaurum idcirco expectans non deficientem in cœlis. Supra cryptam in choro Willibaldino, ubi Joannis Antonii cineres conquieſcunt, legitur inſculptum lapidi:

SPES

SPES IN DEO

IN MEMORIA ÆTERNA ERIT JUSTUS. Ps. 3.

JOANNES ANTONIUS KNEBEL A CATZENELENBOGEN,
natus a. 1646, electus Princeps & Episcopus Eystettensis a. 1705.
Princeps Scientiarum & Philosophiæ, præsertim Christianæ,
ac vitæ moralis apprime practicus,
Cognitionis mundi & utriusque fortunæ admodum expertus,
in acquirendis sudores, in possessis anxietates, in pluribus inanitatem;
vanitatem in omnibus reperit.
Pie obiit a. 1725 die 27 Aprilis.
Cujus anima DEO æternum vivat,
& tu amice Lector eidem bene precare
& sequere.

Præter cit. Heisterum & Kolbium vid. Cl. Joan. Henr. Falckensteinii Antiquit. Nordgaviens. P. I. Cap. 63. & 64. P. II. C. 1. Ejusd. Cod. Diplom. pag. 436... Edit. Francof. & Lips. Grates refero binis supra scriptis Patribus ex inclyta Provincia Germaniæ super.



SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXIV. Clementis XI. PP. XIV. Caroli VI. Imp. III.

HABITA

Sub eodem FRANCISCO ARNOLDO, Monast. Episcopo,

DIE 10. OCTOBRIS.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum ad Nos perlatum sit nonnullos Provisores Ecclesiarum aut Hospitalium jurisdictionem, quæ Laicis non competit, sibi temere arrogare, de reditibus Ecclesiarum pro beneplacito proprio disponere, rationes de iisdem non coram legitimo Ecclesiastico Superiore reddere, aliaque potestatem laicam excedentia attentare; Nos ejusmodi, quam obtendere forsitan possent, consuetudinem ut corruptelam reprobantes sub gravi arbitraria pœna severe mandamus, ut intra laicæ administrationis limites sese contineant, de Ecclesiarum aut Hospitalium reditibus, aut rebus ad hæc pertinentibus absque authoritate legitimi Superioris Ecclesiastici nullatenus disponant, & nonnisi hoc præsente rationes expediant, aliave nulla, quæ hujus consensum requirunt, illo non obtento conficiant. Quo accuratius, studiosiusque caveatur, ne quid ex bonis hujusmodi alienetur, vel in usus a Fundatorum intentione alienos convertatur.

Cum SSmus Dnus noster CLEMENS Papa XI. per expressum Breve ad Nos datum, sub gravissima obligatione Nobis imposuerit, ut Clerum nostrum pro imposito Nobis officio commoneremus, ut convenientibus Ecclesiastico statui vestibus & moribus digna se ejusdem membra esse probarent, ut officio nostro hac in parte satisfaciamus, ipsa prout in Brevi expressa continentur SSmi Dni Nri verba ad eorundem notitiam hujus Synodi occasione devenire voluimus, sunt autem sequentia:

" Quandoquidem non pauci ista-
" rum partium Canonici, ut plu-
" ries non sine intimo animi no-
" stri dolore percepimus, officii sui
" immemores, æternæque salutis obliti
" a veteri Ecclesiæ disciplina eatenus
" desciverunt, ut quasi Christi mini-
" sterium, ejusque insignia erubescen-
" tes, vestibus, quæ proprio Ordini
" congruunt, juxta sanctissimas Con-
" cilii Tridentini leges, uti detrectent,
" ac nedum sæcularium indumenta fre-
" quentissime palam usurpent, verum
" etiam (quod multo magis dolendum
" est) in extero vitæ cultu, morumque
" libertate ab ipsis laicis hominibus vix
" discerni possint, ac insuper Ecclesia-
" sticis proventibus, quos tanquam
" vota fidelium, pretia peccatorum, pa-
" trimonia pauperum in pios duntaxat
" usus convertere deberent, ad vo-
" luptates suas, ad luxum, ad pompas
" & vanitates sæculi abutantur. Unde
" non modo gravem animæ suæ labem
" contrahunt, sed præterea fiunt do-
" mui Israël in offendiculum iniquita-
" tis. Nemo quippe, ut Beatus Gre-
" gorius sapienter advertit, amplius in
" Ecclesia nocet, quam qui perverse
" agens, nomen vel ordinem sanctitatis
" habet, delinquentem namque hunc
" redarguere nullus præsumit, & in
" exemplum culpæ vehementer exten-
" ditur, quando pro reverentia Ordi-
" nis peccator honoratur. Quæ si ita
" sunt, flentes dicimus ac gementes
" cum eodem B. Gregorio denuntia-
" mus, quod cum Sacerdotalis Ordo
" intus cecidit, foris quoque diu stare
" non potest. Etsi autem, ubi ejus-
" modi Canonici tua etiam in Diœcesi
" reperiantur, minime vereamur, quin
" pro perspecta pastorali solicitudine,
" ac Divini honoris zelo, quo flagras,
" strenuam sedulamque operam hacte-
" nus dederis, & daturus imposterum
" sis, ut eos ad bonam frugem revo-
" ces, & ad mores ac vitam sacrorum
" Canonum disciplinæ consentaneam
" instituendam adducas: Quia tamen
" Pontificiæ voces semper aliquid sti-
" muli adjiciunt Præsulibus bonæ men-
" tis, idcirco Fraternitatem tuam, quo
" majori possumus animi nostri studio
" hortamur & paterne admonemus,
" ut quos tanta labe infectos noverit,
" arguat, obsecret, increpet in omni
" patientia, & doctrina, nihilque pror-
" sus intentatum relinquat, quo erran-
" tes in viam justitiæ redeant, & præ-
" teritas culpas ac negligentias celeri
" pœnitentia morumque mutatione re-
" dimere satagant. Neque enim dissi-
" mulari tuto possunt publicæ cor-
" ruptelæ, quæ magnum adeo tum
" famæ, tum æternæ saluti ejusmodi
" Ecclesiasticorum afferunt detrimen-
" tum, quæ tam gravem in Catholicis
" bonisque omnibus offensionem, con-
" temptum ac invidiam excitant: quæ
" dum universo Ecclesiastico Ordini
" tantam subsannationem & derisum
" comparant apud eos, qui in circuitu
" sunt, Cleri non minus, quam ortho-
" doxæ Religionis hostes. Qui vero
" ea emendare potest, & negligit, se
" procul dubio participem delicti con-
" stituit."

Hucusque Beatissimus Pater: cujus salutaribus monitis non dubitamus eos obsecuturos, qui illis quam maxime se indiguisse comperient, ne Nos etiam invitos pro reverentia Sedi Apostolicæ debita ad urgendum eorum effectum deinde compellant.

In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris roboratas dedimus in Residentia nostra Ahusana 1714. 10ma Octobris.

Franciscus Arnoldus.



SYNO-

Synodus Dioecesana *Verna* Monasteriensis,

Anno Chrifti MDCCXVI. Clementis XI. PP. XVI. Caroli VI. Imp. V.

Sub eodem FRANCISCO ARNOLDO, Monaft. Epifcopo,

CELEBRATA

DIE 18. MARTII.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum Nobis non obfcure innotuerit quosdam Parochos, aliosque curam animarum exercentes tum Sæculares, tum Regulares in vim approbationis olim obtentæ, in cujus formula forte conceditur facultas abfolvendi a cafibus refervatis Epifcopo ante vulgationem novorum Agendorum Paftoralium, etiam poft eorundem promulgationem, non obftante, quod cafus Nobis refervati in dictis Agendis fpecialiter exprimantur & enumerentur, eandem facultatem fibi arrogare & ufurpare: hinc ad tollendum hujusmodi abufum, & facultatem contra noftram intentionem ufurpatam, neceffarium effe duximus mentem noftram apertius declarare, & notum omnibus facere, antiquam illam conceffionem facultatis abfolvendi a cafibus Epifcopo refervatis, poft refervationem in Agendis novis publicatam nullatenus hoc tempore illis fuffragari, fed nova conceffione opus effe cum claufula: etiam a cafibus Epifcopo refervatis in novis Agendis expreffis, decernentes irritum & inane effe, fi quid deinceps fecus attentatum fuerit. In cujus fidem has manu noftra fubfcriptas & figillo noftro munitas dedimus in arce Refidentiæ noftræ Neuhufanæ 18vâ Martii 1716.

Francifcus Arnoldus.

Synodus Dioecesana *Autumnalis* Monasteriensis,

Anno Chrifti MDCCXVIII. Clementis XI. PP. XVIII. Caroli VI. Imp. VII.

Sub eodem FRANCISCO ARNOLDO, Monaft. Epifcopo,

CELEBRATA

DIE 7. OCTOBRIS.

FRANCISCUS ARNOLDUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Cum ipfi experientia compertum habeamus, quod in nonnullis hujus Diœcefeos locis adultorum fepultura in diem Dominicum & Feftivum ftudiofe differatur, licet alio feriato die commode peragi potuiffet, non atten-

to, quod cultus Divinus & fidelium Festis, Dominicisque diebus major devotio non parum hac ratione diminuatur, omnibus Parochis & Curatis nostris, simulque eorum Parochianis ac subditis sub pœna arbitraria hisce interdicimus, ne prædictis Dominicis, Festisque diebus, nisi specialis id necessitas exigeret, adultorum funera ad cœmeteria vel Ecclesias deferantur, aut terræ mandentur.

Etsi non dubitemus, quin omnes Parochi nostri ac Curati incumbentium sibi obligationum probe gnari sint, hisce tamen eos admonere paterne voluimus, ut singulis Dominicis, Festisque diebus pro commisso sibi grege sanctissimum Missæ Sacrificium offerre non obliviscantur, prout jam pridem a sacra Congregatione decretum, & a SSmo D. N. INNOCENTIO hujus nominis XII. anno 1699. confirmatum fuit. In fidem præsentes propria manu subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus Monasterii 1718. 7ma Octobris.

Franciscus Arnoldus.

EPISTOLA PASTORALIS

REVERENDISSIMI & SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,
D. JOSEPHI CLEMENTIS, (*)
Archiepiscopi XLIX. & Electoris Coloniensis, utriusque Bavariæ Ducis &c. &c.

Anno Christi MDCCXIX. Clementis XI. PP. XIX. Caroli VI. Imp. VIII.

SUPER CONSTITUTIONE *UNIGENITUS.*

AD CLERUM POPULUMQUE COLONIENSEM, HILDESIENSEM, LEODIENSEM, & BERCHTESGADENSEM sibi subditum,

DATA
BONNÆ DIE 6. JULII.

JOSEPHUS CLEMENS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. I. PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, ET PRINCEPS ELECTOR, LEGATUS NATUS S. SEDIS APOSTOLICÆ, EPISCOPUS ET PRINCEPS HILDESIENSIS AC LEODIENSIS, ADMINISTRATOR BERCHTESGADENSIS, UTRIUSQUE BAVARIÆ, SUPERIORIS PALATINATUS, WESTPHALIÆ, ANGARIÆ, ET BULLIONII DUX, COMES PALATINUS RHENI, LANDGRAVIUS LEUCHTEMBERGENSIS, MARCHIO FRANCHIMONTENSIS, COMES LOSSENSIS, HORNENSIS &c. CLERO, POPULOQUE SUO COLONIENSI, HILDESIENSI, LEODIENSI ET BERCHTESGADENSI SALUTEM IN DOMINO.

Omnem operam pro Pastoralis solicitudinis munere semper adhibuimus, ut creditæ Nobis Christi oves, unanimes in fide, multa pace fruerentur in Domino, proculque ab illis exularent dissidia, ea præsertim, quæ ex (a) *doctrinis variis & peregrinis*, animas certum in interitum trahentibus, nasci solent: (b) *Multi enim lupi,* ut cum Divo Martyre Ignatio loquamur, *velleribus tecti, in Dei stadio currentes, captivos comprehendunt: verum in vestris concordibus animis nullus dabitur illis locus.*

Os

(*) Vide inferius. (a) Ad Hebr. 13. (b) Epist. ad Philad.

(*c*) *Os nostrum patet ad vos*, Fratres charissimi. Numquam acerbius (*d*) *urimur*, quam si inquieti homines (*e*) *profanis vocum novitatibus* vos conturbent, (*f*) *non acquiescentes sanis sermonibus*, (*g*) *errantes*, & *in errorem mittentes.* (*h*) *Hi viam pacis non cognoverunt.* (*i*) *Abundat vero* consolatio *nostra*, si eam, quam ardentissimis votis & omni conatu firmare satagimus, ipsi vos (*k*) *soliciti fueritis servare unitatem spiritus in vinculo pacis*; *unum corpus* & *unus spiritus*, *una fides. Hoc* (*l*) *gaudium*, hæc *corona* nostra. Gaudium autem nostrum non essetis, Fratres charissimi, nisi pariter & corona; nec corona esse poteritis, nisi arctissimo in spiritu Christi vinculo conjuncti; nec sacro hoc vinculo conjungi, nisi (*m*) *tenentes* supremum in terris Ecclesiæ *Caput*, *in quo totum corpus per nexus* & *conjunctiones subministratum* & *constructum*, *crescit in augmentum Dei*, *fitque* (*n*) *speciosa* illa in terris Ecclesiastica Hierarchia, *almæ Sionis*, ubi omnia *aptis juncta nexibus locantur*, cœlestisque Hierarchiæ *æmula*, quia (*o*) *unitatis origo*, ut Augustinus ait: Si vero *sit schisma in corpore*, si Ecclesiæ membra a capite sejungantur, si (*p*) *filii Matris pugnent contra eam*, si ponatur (*q*) *abominatio desolationis in loco sancto*, *ac* (*r*) *totus Hierarchiæ Ecclesiasticæ Ordo confundatur*, *non erit* amplius illi formosæ Christi Sponsæ *species neque decor*: & quis deinceps in ea cœlestis Hierarchiæ imaginem agnoscet, quæ nihil referat cœlestis concordiæ, sed illum potius diffidii ac furoris locum adumbret, (*s*) *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*?

Nostrum interim (*t*) *gaudium impletum est*, (*u*) *abundat consolatio nostra*, cum attendimus Ecclesias Divina providentia curæ nostræ commissas, *omnium* Ecclesiarum Matri ac Magistræ, illiusque summo Capiti, Christi in terris Vicario, indissoluto omnimodæ obedientiæ ac reverentiæ nodo esse conjunctas, parique obedientia & reverentia Constitutionem *Unigenitus* tanta sapientia a Sanctissimo Domino nostro Papa CLEMENTE XI. editam, tanta submissione animi & alacritate ab omnibus prope Orbis Catholici Episcopis, atque etiam a Nobis receptam & publicatam, ceu veram fidei regulam amplexas esse, eique firmissime adhærere.

Hinc (*x*) *Pax vobis multiplicata*, & (*y*) *tranquillitas facta est magna*, dum sævi maris non procul tument procellæ, & vicina littora concutiunt. Ipso sonitu fluctuum, ad vos licet nondum pertingentium, admonemur, navim, cujus regimen Nobis licet indignis traditum est, omni ope subsidioque munire; & ne sufflantibus e vicinia ventis quatiatur, diligentissime providere. Quare animos vestros in ea, quam suscepistis, veritate usquequaque confirmatos, solidatosque cupimus.

Quo conducent maxime indubitata, & luculentissima, nuper typis vulgata, Ecclesiæ Præsulum toto Orbe Catholico diffusorum, de suscepta non sine plausu suis in Provinciis Constitutione *Unigenitus* testimonia, quibus profecto obstruitur os omni homini contentioso, effugiumque tergiversanti præcluditur. Quis enim universæ Ecclesiæ rem dogmaticam (cujusmodi est, nemine discrepante, laudata Constitutio) omnium prope primariorum Pastorum suffragiis firmanti, fidem aut obedientiam negare præsumpserit; nisi forsitan sanctum hoc abjecerit Christi effatum, (*z*) *Portæ inferi non prævalebunt*, aliudque in caput suum detorquere voluerit, (*aa*) *Sit tibi sicut Ethnicus* & *Publicanus?*

Nos quidem Constitutionem illam ceu Divinum, Christi Sponsæ oraculum, CLEMENTIS XI. voce prolatum ea veneratione colimus, qua divinitus Petro suggestam de Christi Divinitate confessionem, (*bb*) *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Confidenter pronuntiamus,

Ccc 3

(*c*) 2.Cor.6. (*d*) 2.Cor.11. (*e*) 1.Tim.6. (*f*) 1.Tim.6. (*g*) 2.Tim.3. (*h*) Ps.13. (*i*) 2.Cor.1. (*k*) Ad Eph.4. (*l*) Ad Philip.4. (*m*) Ad Coloss.2. (*n*) Brev.Rom. in Off. Dedic. Eccles. (*o*) De unit. Eccl. (*p*) Cant.1. (*q*) Matt.15. (*r*) Bulla Pii II. quæ incipit: *Execrabilis.* (*s*) Job.10. (*t*) Joan.3. (*u*) 2.Cor.1. (*x*) 1.Pet.1. (*y*) Marc.14. (*z*) Matt.16. (*aa*) Matt.18. (*bb*) Matt.16.

tiamus, Fratres chariſſimi; non minori religione proſequimur, quæ, Deo authore, CLEMENS XI. quam quæ Petrus effatus eſt. Cur enim ſit venerationis cultusve diſparitas, ubi una eſt fidem facientis authoritas? Neque vero ideo Petrus enuntiatur a Domino beatus, quod JESUM Filium DEI vivi edicat (Hoc ipſi dæmones proclamarunt) ſed quod, Deo revelante, ſeu inſpirante edixerit (cc) *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus*, qui in cœlis eſt.

Os Domini per CLEMENTEM XI. locutum eſſe, univerſa (quid enim paucorum Nos moveat, moreturque cunctatio?) agnoſcit, profiteturque Eccleſia. Nullus igitur ſupereſt tergiverſationi locus. Ipſius Petri confeſſio certam præſtat definitionem CLEMENTIS: ab illa nimirum confeſſione, tanquam merces a Domino reddita, dimanavit in Petrum, Petrique Succeſſores ſuprema omnisque erroris expers in rebus fidei & morum decernendis authoritas; cum Petro, Chriſti Divinitatem confitenti, Chriſtus ipſe Petræ ſoliditatem in Eccleſia ſua fundanda pollicitus eſt: (dd) *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quibus verbis conceſſam Petro fundamentalis lapidis prærogativam priſci Eccleſiæ Doctores plerique omnes agnoverunt. Hinc aſſerta Petro, Petrique cathedræ fides, quæ deficere non poſſit. Et vero ſi ſuperpoſitum fundamento ædificium nutare impoſſibile eſt, & ipſum labefactari non poſſe fundamentum nemo ierit inficias: quaſſato *enim fundamento, ſuperpoſitam ruere molem neceſſe eſt.*

(ee) *Imitatores hic mei eſtote*, Fratres chariſſimi, *ſicut & ego Chriſti.* Ad Petri reſponſum Patre revelante emiſſum vocem extollit Chriſtus, comprobans laudansque Diſcipuli confeſſionem. Et Nos vocem cum univerſali Eccleſia extollimus venerantes & laudantes editam a CLEMENTE XI. Deo authore, id eſt, Spiritu Sancto juxta Chriſti promiſſa aſſiſtente ſeu dirigente, Conſtitutionem. Præcludantur aures omni voci alienæ a voce Petri. Dixerint (ff) *Alii Filium hominis eſſe Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis:* ſentiunt ut homines: Petrus vero humana tranſcendens, quod Divinum eſt, ſentit, ſapit, loquitur.

Præcludamus & nos aures omni voci alienæ a voce CLEMENTIS XI. quantumvis aliter ſapiant, aut obloquantur nonnulli; ſapiunt ut homines, garriunt ut homines. Petrus per CLEMENTEM locutus eſt: (gg) *A Domino egreſſus eſt ſermo: non poſſumus extra placitum ejus quidquam aliud* vel audire vel *loqui.* Quare & ipſius CLEMENTIS plenis Paſtorali ſolicitudine & paterno affectu vocibus vos adhortamur: (hh) *Nolite, Filii dilectiſſimi, vosque potiſſimum, qui ut loco, ita & periculo propinquiores eſtis*, nolite omni ſpiritui credere: *ſed ſanam & orthodoxam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinam, quæ ſacrum Fidei depoſitum intemerate ſervat, tuto ſequimini & firmiter cuſtodite.*

(ii) *Attendite* ergo, Fratres chariſſimi, *ad Petram*, in qua fundata eſt Eccleſia: ab ea ne latum quidem unguem diſceſſeritis. Quis enim *Columnæ Veritatis*, quæ Eccleſia eſt, adhærere poſſit, qui ad lapidem fundamentalem, cui innititur columna, propius non acceſſerit?

Idipſum Nobiscum ſapere vos in Domino confidimus, Fratres chariſſimi; Et ſi quis veſtrum (quod abſit) aliter ſentit, non Deus, (kk) *ſed caro & ſanguis revelavit.* Nec vos moveant captioſa cavillantium ſpirituum argumenta, & frivola, aſſequendæ veritatis ſpecie fucata, ad Generale Concilium appellatio: quoniam (ll) *ad Sedem* quidem *B. Petri Apoſtoli de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab ipſa autem nemo ſit* (in rebus præſertim dogmaticis) *appellare permiſſus*; (mm) *Et Apoſtolica Sedes, frequenti more majorum, damnandi, quos oportuit, nulla exiſtente Synodo, habeat facultatem. Nec veremur, ne Apoſtolica ſententia*

(cc) Matt. 16. (dd) Ibid. (ee) 1. Cor. 11. (ff) Matt. 16.
(gg) Gen. 24. (hh) Bull. Paſtoral. officii. 1. Joan. 14. (ii) Iſa. 51.
(kk) Matt. 16. (ll) Gelaſ. Papa ad Epiſc. Dardaniæ. (mm) Idem in Commonit. ad Fauſt.

tia (nn) (*cujus authoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi semper secutæ sunt*) *resolvatur*, *quam & vox Christi*, & *Majorum Traditio*, & *Canonum fulcit authoritas*.

Si quis igitur ad vos venerit, aut si cujus in consortium incideritis, qui laudatæ Constitutioni, etiam sub prætextu temerariæ & schismaticæ appellationis ad futurum Generale Concilium perperam interjectæ, debitam obedientiam recusarit, nostris vestigiis inhærentes, procul ab eo fugite, sentiatque nullam vobis cum eis, quos nuper sancta Sedes Romana a se separatos declaravit, Communionem Ecclesiasticam existere, nec exituram deinceps, donec (quod faxit Deus) penitus resipiscant. Quin & ejusmodi pacis Ecclesiasticæ perturbatores, a quibus non minus, quam a teterrima peste abhorremus, si rescieritis in Diœcesibus nostris aut palam grassari, aut dolosi serpentis instar (qui mos eorum est) clam virus suum spargere, illos ut ad Nos quamprimum deferatis, per vestram totiusque Dominici gregis salutem adjuramus; ut ex Pastoralis vigilantiæ ac solicitudinis præscripto, opportunum exitiali malo, priusquam latius serpat, remedium omni solertia afferamus. Nos enim, sicut cum Patribus Concilii Constantinopolitani (oo) *sequemur* semper *Apostolicam Sedem*, & *obediemus*; ita etiam *ipsius Communicatores*, *Communicatores habebimus*, & *condemnatos ab illa & Nos condemnabimus*, refractarios insectabimur: Et qui (pp) *Ecclesiam non audierit*, erit nobis *Ethnicus & Publicanus*. Datum Bonnæ in Residentia nostra Electorali die sexta mensis Julii anno millesimo septingentesimo decimo nono.

JOSEPHUS CLEMENS
Archi-Episc. & Elector.

(L.S.)

MELCHIORRI.

(nn) Agatho Papa ad Imper. Constant. & Heracl. ac Tiber. August.
(oo) Conc. Constantinop. an. 536. Act. 4. (pp) Matt. 18.

N O T A.

Quartus hic e Serenissimis Bavariæ Ducibus, qui ab anni 1583 X. Cal. Junii ad Ecclesiæ Metrop. Coloniensis clavum serie non interrupta sederunt, JOSEPHUS CLEMENS lucem aspexit a. 1671 die 5 Decembris, patre Ferdinando Maria, Electore Bavaro, matre Henrica Adelaide, Victoris Amedæi, Sabaudiæ Ducis filia, ortus, ab iisdemque omni virtutum domui tantæ propriarum ac familiarium genere ita excultus, ut orbi universo ceu exemplum ad imitandum proponi posset. Anno 1685 in Episcopatus Frisingensem & Ratisbonensem nepoti suo Alberto Sigismundo successit; a. 1688 ex Præposito Bergtesgadensi electus Princeps, & eodem anno die 19 Julii novem suffragiis Coloniensis Archiepiscopus. Illum egregie contra Wilhelmum Egonem Fürstenbergium S.R.E. Cardinalem & Episcopum Argentinensem a die 7 Jan. Maximil. Henr. Coadjutorem, votisque tredecim inde postulatum, Innocentius XI. summus Pontifex, ac Leopoldus I. Imperator, Ludovico XIV. Galliæ Rege omnem licet in contraria lapidem versante, tum decreto tum edicto defenderunt.

Anno 1690 die 19 Januarii coronationi Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ, die vero ejusd. mensis 24. Josephi I. Regis Hungarici in Regem Romanorum electioni Augustæ Vindelicorum aderat, quem pariter die 26 una cum Electore Trevirensi ibidem coronavit. Anno 1693 die 8 Maji Archifraternitatem sub invocatione S. Michaelis Archangeli, tota tunc Germania propagatam in Castri Josephini, Monachio propinqui, Sacello erexit, novumque eodem mox anno die 29 Sept. creavit Equestrem Ordinem sub ejusdem cœlestis genii tutela.

Anno 1694 die 28 Januarii electus est Episcopatus Hildesini Coadjutor; ac 20 Aprilis e. a. ab eligentibus 24 de Capitulo Canonicis Leodiensis Episcopus renuntiatus; aliis 21 Canonicis ad hanc dignitatem Ludovicum Antonium Comitem Palatinum Magnum Ord. Teuton. Magistrum designantibus: quod tamen ad diem 4 Maji paulo post defuncto, salva stetit Josephi Clementis possessio, maxime quod favens illi sententia ad diem 18 Septembris ex Urbe advenerit.

Anno

Anno 1698, quo reſpirare nonnihil a turbis inſidiisque gallicis licebat, primum poſuit Sacelli aulici hodie tam magnifici Bonnenſi in urbe fundamentum: quodque verſus annum 1700 eo provexit, ut, quo fieri potuit apparatu maximo, ad diem 18 Julii conſecraretur. Hæc fiebant non ſine eximio Sermi Electoris gaudio; quod tamen brevi tenuit: Defuncto enim Calendis e. a. Novembribus Carolo II. Hiſpaniarum Rege, funeſtum tam ipſi, quam toti Colonienſi Archidiœceſi, ac Leodienſi patriæ bellum exarſit de Succeſſione Hiſpanica nuncupatum. Suo ad partes gallicas acceſſu, favore & auxilio Joſephus Clemens vehementiſſime offendit Leopoldum Cæſarem, hujusque filium Joſephum I.: qui ab obitu patris ſui ad diem 3 Maji a. 1705 ſecuto, fatalem contra Archiepiſcopum noſtrum, & fratrem ejus Electorem Bavarum Maximil. Emmanuelem ſententiam primum Viennæ die 6 Aprilis 1706, tum Ratisbonæ, Coloniæ & Leodii publicari, locisque patentioribus adfigi juſſit.

Hæſit Princeps noſter, utroque exul Epiſcopatu, inter graviſſima lugentis animi vulnera, votaque ardentiſſima tantisper in Galliis, inde profectus Inſulas, ubi majores S. R. E. Ordines, autore Cameracenſi Archiepiſcopo, Franciſco de Salignac, die nimirum 13 Auguſti a. 1706 Subdiaconatum, die 8 Decembris Diaconatum, & die 25, in ipſa Natalis Domini nocte Presbyteratum, per Ludovici de Coetlogon, Tornacenſis Epiſcopi manus, ſuſcepit, litavitque primam DEO hoſtiam Cal. Jan. a. 1707 in templo PP. Soc. Jesu, conſecratus in Archiepiſcopum Cal. Majis a laudato jam Archiepiſcopo Cameracenſi, Epiſcopis Atrebatenſi, Iprenſi, Audomarenſi ac Namurcenſi adſiſtentibus; præſentibus etiam, ut quidam ſcribit, Suffraganeis Colonienſi ac Leodienſi, nec non Abbatibus mitratis ſex ſupra viginti.

Annus 1715 felix erat ac diu deſideratus, qui Joſephum Clementem, per Art. 15, 16, & 17 pacis Badenſis a. prior. die 7 Sept. fixæ, menſe Januario Leodienſibus; Colonienſibus Februario menſe inter uberes gratulantium & adclamantium fletus reddidit.

Vixit hinc Præſul gregis ſui ſtudioſiſſimus octo duntaxat annos, morbo tandem hydropico extinctus Bonnæ die 12 Nov. a. Chr. 1723, æt. 51. Reg. Archiep. Colon. 25, Epiſcop. Hildeſ. 9, Leod. 29, Adminiſt. Bergtesgad. 35, Sacerdotii 17, Conſec. Epiſcop. 16. Corpus 5 Jan. 1724 inſigni translatum pompa ad Ubios, atque exuviis Prædeceſſorum e regione Sacelli trium Regum adlocatum fuit.

Fortiſſimum a Sede Apoſtolica habebatur Joſephus Clemens *Religionis propugnaculum*; oſor Janſeniſtarum merito fuit acerrimus; incredibili in Auguſtiſſimum Sacramentum amore ferebatur, illud comitari publicis in ſupplicationibus, cum illo dies noctesque agere, illius Congregationes extollere laudibus, in iisque Præfecturam gerere quam ſæpiſſime viſus. Non minus tenero pietatis ardore complectebatur Deiparam: hanc certe quot diebus eligebat in matrem; ei, cum cedendum a. 1703 Bonna eſſet, ſe ſuosque cives commendabat, adpenſis ejusdem imagini publico in templo urbis clavibus (quæ religio vel hodie obtinet) Eidem Dominæ ſuæ Oettingæ Veteris cor; ad Sacellum vero Lauretanum, Inſulis a ſe conditum, viſcera teſtamento legavit. In D. Sponſum Joſephum, in S. Michaelem, aliosque Angelos & Cœlites quis pariter fuerit, longum eſſet commemorare. Hoc addo. Sub vitæ occaſum pulcherrime & auguſtiſſime virtutum omnium ſplendor in Joſepho Clemente eluxit. Dici igitur de eo poteſt: Fuit *Joſephus Clemens* in vita magnus, in morte maximus; Princeps bonus, Chriſtianus optimus.

Vid. de elect. Fürſtenb. in Coadj. Col. Puffendorff, *Frid. Wilh. Lib.* 19. §. 59. ſq. *De geſtis reliquis* Struvium, *Hiſt. germ. Tom. II. Period. X.* Foullon *Hiſt. Leod. Tom. III.* Caſtillion, Pütters & alios.



ORDI-

ORDINATIONES
ARCHIEPISCOPALES, (*)
AD USUM
ARCHIDIOECESIS TREVIRENSIS

Anno Christi MDCCXX. Clementis XI. PP. XX. Caroli VI. Imp. IX.

A

REVERENDISSIMO, EMINENTISSIMO, & SERENISSIMO DOMINO,

D. FRANCISCO LUDOVICO (**) *S.R.I. Principe, Archiepiscopo LXXXV & Electore Trevirensi, Comite Palatino Rheni &c. &c.*

EDITÆ,

DONEC STATUTA SYNODALIA IN FORMA AUCTIORE PUBLICARI POTUERINT.

FRANCISCUS LUDOVICUS, DEI gratia Archiepiscopus Trevirensis, S.R.I. per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius & Princeps Elector, generalis Militiæ Hierosolymitanæ Ordinis B. MARIÆ Teutonicorum Russiæ Administrator, ac ejusdem per Germaniam, Italiam, partesque transmarinas Supremus Magister, Episcopus Wormatiensis & Vratislaviensis, Præpositus Princeps Elwacensis, Administrator Prumiensis perpetuus, Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Guliæ, Cliviæ & Montium Dux, Princeps Mœrsiæ, Coadjutor Archiepiscopatus Moguntini, Comes Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ & Ravensburgi, Dominus in Ravenstein, Freudenthal & Eulenberg &c. &c. Ad Clerum, Populumque Trevirensem.

Cum ab initio suscepti Regiminis Archi-Episcopalis primas curas spiritualium gerere teneamur, quatenus Divini cultus augmentum, Religionis antiquæ puritas, domus Dei decor, Ecclesiasticæ disciplinæ vigor, ac communis ovium Nobis desuper commissarum salus tam conservari, quam ulterius promoveri valeant. Proinde ex suprema Pastoralis Officii nostri solicitudine Ecclesiarum omnium per vastam Archidiœcesin nostram spiritualibus, & temporalibus commodis providere, necessariam in Clero & populo reformationem assumere, excessus & defectus occurrentes corrigere, demum abusus quosvis temporum ac hominum malitia inductos, præcipue vero periculosos errores hac rerum tempestate in confiniis Archidiœcesis nostræ serpentes procul arcere cupientes; funesta tamen experientia noscentes, frustraneum fore, leges etiam saluberrimas condi, si earundem vigor & observantia non urgeatur, congruum & opportunum esse judicavimus, diversas Constitutiones Archiepiscoporum Electorum Prædecessorum nostrorum felicis recordationis in memoriam revocare, aliasque novas exigentibus excessuum, defectuum, & abusuum circumstantiis publicari, ac eo potissimum collimari, ut Constitutiones seu Ordinationes nostræ per Vicariatum nostrum in Spiritualibus Generalem, Consistoria Ecclesiastica, Decanos & subordinatos Definitores,

(*) Deest in Exemplari annus, quo hæ Ordinationes primum emanarunt. Nos ad annum 1720 rejiciendas duximus.
(**) Vide sub finem.

tores, Camerarios, Paſtores, & Vicarios curatos debitæ executioni mandentur. Quem in finem ſequentia ſtatuimus, ordinamus, & inviolabiliter obſervari mandamus, donec habita exactiore totius Archidiœceſis notitia Statuta Synodalia in formam redigi, & ulterius publicari potuerint: quod dum ulteriori noſtræ diſpoſitioni reſervamus, interea in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub arbitrariis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, præſentes Ordinationes noſtras rite publicari, earundemque debitam obſervantiam, vigore juramenti Deo, Eccleſiæ, & Nobis præſtiti, quantum fieri poteſt, adimpleri.

INDEX CAPITUM
IN HIS ORDINATIONIBUS CONTENTORUM.

CAPUT PRIMUM.
De Officiis, obligationibus, vita & honeſtate Cleri, præſertim curati.

I.

Cum nihil ſit juxta ſaluberrimum monitum ſacri Concilii Tridentini, *quod alios magis ad pietatem & Dei cultum inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarunt, nec ullum gravius præjudicium, quam a Sacerdotibus, toleret Deus*, ut verbis loquamur S. Gregorii Papæ, *quando illos, quos ad correctionem aliorum poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit: perit namque reverentia, & adimitur diſciplina*, ſi, *qui culpas debuit emendare eas committat*; quod ipſum omnes quidem Clericos in ſortem Domini vocatos, præcipue tamen animarum Curatores reſpicit, quibus onus Angelicis humeris formidandum incumbit, ac e quorum manibus commiſſorum animæ requirentur; proinde ſerio monemus, ut animarum Curatores propriæ & alienæ ſalutis memores in omnibus *ſe ipſos præbeant exemplum bonorum operum, nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium eorum*, ſolicite fugientes ea non tantum, quæ mala ſunt, ſed quæ ſpeciem mali habere poſſunt, apud pios fideles, illa præſertim, quæ ob inſignem ſui turpitudinem Apoſtolus nominari vetat in Sanctis, *paſcentes gregem Dei non turpis lucri gratia, ſed voluntarie forma facti gregis ex animo*, ut, cum apparuerit Princeps Paſtorum, recipiant meritorum coronam.

II. Cum vero Deus in Angelis ſuis repererit pravitatem, & humana fragilitate ſæpius ruant, qui ſtare videbantur, candidique Nazaræi ſupra carbones denigreſcant; in hac tamen vaſta Archidiœceſi ad externa territoria longe diffuſa, ipſimet ſingulis neceſſitatibus invigilare non poſſimus, cumprimis Vicariatus noſter Generalis, & Conſiſtoria vices noſtras ſupplere teneantur, idipſum autem absque ſufficiente, & continua e partibus longinquis informatione adimpleri nequeat, inhæremus Prædeceſſorum noſtrorum

ſtrorum antehac emanatis Ordinationibus, præſertim Archiepiſcopi LOTHARII piiſſimæ memoriæ de anno 1622. Decanis ubilibet per Archidiœceſin noſtram conſtitutis ſub arbitraria gravi pœna, etiam ſuſpenſionis a Divinis, mandantes, ut ſingulis tribus menſibus exceſſus ſeu defectus in Clero vel populo, ſicut etiam abuſus ſeu errores quosvis contra legem Dei vel Eccleſiæ in diſtrictibus Decanatuum ſuorum irrepentes, Vicariatui noſtro Generali ſeu Conſiſtoriis noſtris quoad contentioſa juxta con- & ſcientiam ſuam pertinenter denuntient, ad effectum neceſſariæ reformationis ſeu prompti remedii malis gliſcentibus afferendi: Ubi tamen caſus urgens & gravis de exceſſu vel defectu publice ſcandaloſo occurrit, qui promptum remedium requirat, Decani, Definitores, Camerarii & Paſtores ante lapſum trimeſtre indilate deſuper referre teneantur.

III. Sicut tempus trimeſtre ad hoc deſignavimus, ita conveniens duximus materias muneri Paſtorali proprias & eſſentiales exprimi, nimirum, ut ſinguli Decani ſpecifice denuntient, an gravis defectus notatus fuerit in adminiſtratione Officiorum Paſtoralium, præſertim quoad Catecheſes, ſermones, Sacramenta morientium &c. An occurrant graves defectus quoad honeſtatem morum Clericalium? an ſcandala ſint, ſeu præbeantur in Clero ſeu populo? an orthodoxa Religio & ſana doctrina patiantur ab Acatholicis viciniis, ſeu hujus temporis Novatoribus quavis hæreſi aperta deterioribus? an bona, reditus, & jura Eccleſiarum, temporum & hominum injuriis detrimentum ſubeant? an Templa, Capellæ, cœmiteria, domus Parochiales in bono ſtatu reperiantur? an domus Scholares habeantur, & inſtructio juventutis non negligatur? an ſuper reditibus & proventibus Eccleſiarum ſingulis annis juſtæ rationes reddantur? an gravis ſit egeſtas alicujus Eccleſiæ Parochialis, ejusdemque Rectoris, & unde proveniat? an Edicta Archiepiſcopalia ſeu Ordinata viſitationum executioni dentur? circa quæ & ſimilia Parochorum, Vicariorum, Capellanorum, & Parochianorum commiſſorum vitam, mores, doctrinam & converſationem reſpicientia, Decani ex officio ad exonerandam propriam & aliorum conſcientias ſe fideliter informare, & in ſcripto referre teneantur.

IV. Ad ſublevandam in hoc Decanorum operam ſinguli Paſtores Definitoribus, ſeu Camerariis Capituli quovis menſe ſtatum Parochiarum in diſtrictu ſuo fideliter exponant, hi vero Decanos circa finem trimeſtris deſuper informent, qui ſubordinatione debita ad Vicariatum noſtrum Generalem referenda transmittant, quatenus Nobis præſertim circa graviores cauſas exacta relatio ſubmitti valeat.

V. Cum Archidiœceſis tota per Vicarium noſtrum Generalem aut ſpecialiter deputatos, præſertim in exteris territoriis integre viſitari per iteratas vices nequeat, Decani in hoc vices ſuppleant, Capitula ſibi commiſſa cum aſſiſtentia unius ſaltem Definitoris & Secretarii, ſi non omni anno ad parcendum ſumptibus, ſaltem frequentius viſitando, & juxta præſcriptum Tridentini ſummariam & fidelem ſeriem Actorum ad Vicariatum noſtrum Generalem infra menſem a viſitatione peracta transmittendo.

VI. Attenta vero difficultate ſingulos Decanatus quot annis viſitandi, ſeu identidem per ſubjectas Parochias diſcurrendi, congruum & opportunum cenſemus conferentias menſtruas, ſeu Congregationem ſub invocatione S. Caroli Borromæi magni illius diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtauratoris antehac in quibusdam Decanatibus laudabiliter introductam, ſed ſenſim ſine ſenſu ob abuſus quosdam facile tamen corrigibiles intermiſſam, in quibusdam vero Decanatibus ingenti fructu Cleri curati, & ædificatione populi fidelis reſumptam, poſthac ulterius continuari, tanquam informationis neceſſariæ circa ſtatum Parochiarum facilius habendæ, exercitationi in ſtudiis, mutuo Confratrum auxilio & conſilio, ac reformationi vitæ Clericalis, morumque diſciplinæ cumprimis ſervientem, eoque magis amplectendam, quod Sanctiſſimus Dominus noſter CLEMENS XI. Summus Pontifex Congregationem

nem hanc conceſſis plenariis indulgentiis clementiſſime approbaverit : ad evitandos tamen quosdam abuſus, præſertim exceſſus in conviviis, quæ ſaluberrimum inſtitutum odioſum reddunt, & uſum ſitui Capitulorum diverſorum congrue adoptandum, libellus impreſſus methodum ubivis ſummarie docebit.

VII. Omnes ac ſinguli Decani debita cum ſolicitudine attendant, ut non tantum ii, qui ad regimen animarum in qualitate Paſtoris, ſive Vicarii, aut Sacellani amovibilis, aut perpetui deſtinantur, literas inveſtituræ Archiepiſcopalis ſeu Archidiaconalis, inſuper & commiſſionis regendi ſeu approbationis exhibeant, ac coram iisdem publicam profeſſionem fidei emittant, reliqui vero ſimplices ad ſacrum tribunal non approbati Sacerdotes certæ Eccleſiæ adſcribi, & in diſtrictu, ubi habitant, Decano ſubeſſe, & obedientiam præſtare teneantur.

VIII. Cum Synodus Provincialis in hac Archidiœceſi ob temporum injurias diu intermiſſa absque magnis difficultatibus ſervari nequeat, mandamus hunc defectum per Capitula generalia omnium & ſingulorum Decanatuum Ruralium quotannis haberi ſolita, quantum fieri poteſt, ſuppleri, ac in iis exacte ea ſervari, quæ de jure ſtatutario vel conſuetudinario introducta reperiuntur.

IX. Inhærentes Conſtitutionibus Archiepiſcopalibus Prædeceſſorum noſtrorum LOTHARII *de anno* 1622. §. 23. & 25. JOANNIS HUGONIS *de* 12. *Aprilis* 1677. & noviſſimæ CAROLI *de* 6. *Aprilis* 1713. Ordinamus, ut omnes & ſinguli Curati, ſeu Vicecurati, Clerici ſæculares vel regulares, etiam Parochiarum plene unitarum, non obſtantibus quibuscunque prætenſis exemptionibus ſeu privilegiis in annuo Capitulo ſeu conventione capitulari perſonaliter compareant, & ibidem debitam Decanis obedientiam, aliaque præſtanda præſtent, vel legitimas cauſas in ſcriptis exhiberi faciant, quare perſonaliter comparere nequeant, ſub arbitrariis pœnis etiam ſuſpenſionis a Divinis, contra inobedientes & refractarios ex officio decernendis, quos proinde Decani Rurales denuntiare teneantur.

X. Decani Rurales leviores defectus & exceſſus Clericorum ipſimet corrigant ſub arbitrariis mulctis ad cauſas pias applicandis, graviores vero cauſas ad Vicariatum noſtrum Generalem ſeu Conſiſtoria noſtra deferre teneantur, quatenus ex officio deſuper inquiri, & deficiente propria confeſſione reorum ſervatis ſervandis denuntiatum crimen probari, ac congruum malo remedium afferri valeat.

XI. Cum ſub auſpiciis novi Archi-Epiſcopalis Regiminis Decani Rurales quatuor Capitulorum Wallonicæ nationis, Longionenſis, Juvigniacenſis, Ivodienſis ſeu Carigniacenſis, & Bazelienſis pro renovatione facultatum primæ inſtantiæ ſuper quibusdam cauſis perſonalibus Clericorum, & aliis foro Eccleſiaſtico propriis humillime ſupplicare, eæque ob diſtantiam locorum, & ſublevamen fidelium Diœceſanorum ex ſpeciali gratia, non aliter nec alias, ac ſub limitatis clauſulis concedi ſoleant: Nos ad evitandas quascunque nullitates, quæ ex defectu jurisdictionis enaſci ſolent, juxta patentes Archi-Epiſcoporum Electorum Trevirenſium Prædeceſſorum noſtrorum felicis recordationis, noviſſime CAROLI CASPARI *de anno* 1663. JOANNIS HUGONIS *de anno* 1677. CAROLI *de anno* 1715. harum tenore expreſſiſſime declaramus, ab hac conceſſione mere gratioſa ad inſtantias humillimas quatuor Decanorum hactenus factas cognoſcendi cauſas minores Eccleſiaſticas & perſonales Cleri, ſemper excipi, & exceptas eſſe cauſas matrimoniales, beneficiales, & fiſcales gravioris momenti, utpote Nobis & Conſiſtoriis noſtris reſervatas, ſpecialiter inhibentes, ne quisquam Decanus, ſeu alius inferior in cauſis ſupra exceptis ſine ſpeciali noſtra, vel Vicariatus noſtri Generalis, ſeu Conſiſtorii Archiepiſcopalis commiſſione informationes ullas ſumere, minus cognoſcere temere præſumat ſub pœna ſuſpenſionis & revocationis quarumcunque facultatum : quoad cauſas minores actoribus liberum relinquen-

quentes, an habitis forte diffidentiæ motivis contra Decanos in prima etiam instantia coram Consistorio nostro Trevirensi, vel in partibus coram Decanis agere voluerint, salva tamen appellatione ad Nos, seu tribunal nostrum ordinarium competenter introducenda.

XII. In Decanatibus jurisdictioni nostræ spirituali simul, ac temporali subjectis mulctæ pecuniariæ ob leves culpas muneris Pastoralis a Decano cujusvis Capituli fideliter colligantur, super quibus in usus proprios nihil disponat, sed Vicariatui Generali annue computum reddere teneatur, ubi ad pios usus publicos applicatio congrua decernetur.

XIII. Nunc ad obligationes Cleri ulterius progrediendo, renovamus iteratas Ordinationes Archiepiscoporum Prædecessorum nostrorum BALDUINI *de anno* 1339. 20. *Maji*, CAROLI CASPARI *de anno* 1667. 1. *Februarii*, JOANNIS HUGONIS *de anno* 1680. 27. *Augusti*, & postremas CAROLI *de anno* 1714. 25. *Octobris* circa gestationem habitus Clericalis nigri coloris, sicut etiam inhibitionem conviviorum baptismalium, nuptialium, popinarum, chorearum & ludorum antehac quidem publicatas, sed non ea, qua decet, reverentia & obedientia ab omnibus & singulis Canonicis, Parochis, & aliis Clericis executioni datas. Nos proinde ex Archiepiscopalis nostri muneris exigentia hujuscemodi in opprobrium status Clericalis vergentibus corruptelis occurrere, & supra memorata Decreta exactiori posthac observantiæ dare volentes, omnibus & singulis districte præcipiendo mandamus, ut in Sacris constituti per *decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, ac in forma vestium, quæ mentis indicium est*, regalis Sacerdotii dignitatem a filiorum hujus sæculi vanitate distinguant, sed habitum Clericalem ordini suo congruentem, quem juxta Decreta Pontificia talarem esse optamus, semper deferant, neque cæruleis palliis seu vestibus alio, quam nigro colore tinctis aut colaribus, quam ordini Clericali propriis, sub quocunque prætextu uti, nec tabernas citra necessitatem itineris ingredi, aut convivia nuptialia, baptismalia, nundinas publicas cum scandalo piorum fidelium frequentare, minus vero chartarum, alearumque ludo prohibito deservire, vel quod in Sacerdote horrendum est, choreas ducere præsumant sub arbitrariis mulctis & pœnis, etiam suspensionis a Divinis, ubi bis moniti non resipuerint, mandantes Decanis, ut transgressores denuntient, Curiis vero nostris Ecclesiasticis, ut contra refractarios via juris procedant, seu procedi faciant.

XIV. Posteaquam Nobis innotuit quosdam Curatos, hoc tamen nomine indignos, oneris sui & annexæ rationis desuper aliquando reddendæ parum memores, extra Parochiam magna anni parte circumvagari, imo, quod pejus est, litibus & negotiis sæcularibus implicari, *quærentes, quæ sua sunt, non quæ JEsu Christi*, ita ut gregem suum ad plures septimanas deserant, vel imperitis mercenariis, quibus cura non est ovium, concredant: Nos residentiam personalem jure Divino juxta monitum Tridentini Concilii singulis Pastoribus injunctam promovere cupientes, districte præcipimus, quatenus omnes & singuli Curati in Parochiis personaliter resideant, nec inde vel ad octiduum sine rationabili causa, & expressa Decani licentia, ad longius vero tempus absque gravi causa & obtenta a Nobis, seu Vicariatu nostro Generali in scriptis permissione, abesse præsumant, sub pœnis juris ad arbitrium nostrum infligendis.

XV. Ne defectu necessariæ instructionis catecheticæ vox illa horroris & confusionis plena per Archidiœcesin nostram audiatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren. 4. & ex hoc probroso neglectu ignorantiam mysteriorum fidei etiam necessitate medii requisitorum ad feram usque ætatem promanare damnabiliter contingat, ita ut multis incuriis propriæ & alienæ salutis occini possit illud Propheticum: *O Pastor & idolum derelinquens gregem. Væ! Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges a Pastoribus pascuntur? lac comedebatis & lanis operiebamini, gregem autem non pascebatis.* Proinde Nos juxta diversas

Conſtitutiones Archiepiſcopales Prædeceſſorum noſtrorum ſub pœnis inibi contentis ſerio mandamus, ut omnes & ſinguli Paſtores primam & eſſentialem hanc muneris ſui partem poſthac adimpleant, & non tantum per Adventum & Quadrageſimam, ſed toto anni tempore ſingulis Dominicis & Feſtivis doctrinam Chriſtianam populo fideli tradant, vel ad minus alternativis Dominicis & diebus feſtivis, ubi impedimenta occurrunt, concionentur & catechizent, negligentes in hoc pro qualibet vice a Decanis arbitraria mulcta corrigantur, moniti vero ter ad officium deferantur, graviore pœna corrigendi, ut noſſe diſcant de quavis etiam bubulci anima infinito pretio redempta ſtrictas eis coram Deo rationes reddendas.

XVI. Quamvis tempus Catecheſi opportunum ſit pomeridianum, ſi tamen ea ſit pagorum filialium conſtitutio, ut major pars Parochianorum hyemali præſertim tempore ob viarum difficultates vel diſtantiam ad templum redire nequeant, volumus eam ante meridiem poſt Miſſæ Officium, vel loco concionis alternative intra Officium ſolenne haberi: ubi vero occurrit in aliqua Parochia duo Sacra celebrari matutinum & ſolenne, conveniens judicamus Catecheſin etiam in Sacro matutino tradi, ne ædium & pecorum cuſtodes hac inſtructione priventur.

XVII. Ad doctrinæ Chriſtianæ frequens exercitium, & tandem laudabilem non minus, quam neceſſariam uniformitatem in tradendis populo Chriſtiano fidei, morumque principiis ſummopere commendamus Confraternitatem doctrinæ Chriſtianæ ſub titulo JESU & MARIÆ, ac patrocinio S. FRANCISCI XAVERII Indiarum Apoſtoli, quem in finem optamus introduci in ſingulis Parochiis Catechiſmum R. P. *Philippi Scouville* S. J. Miſſionarii, dum viveret zeloſiſſimi, ab Archiepiſcopis Prædeceſſoribus noſtris immediatis, eorundemque Vicariis Generalibus Epiſcopis Hieropolitano, & Arbenſi, ſicut a moderno noſtro Vicario Generali Epiſcopo Roſmenſe in forma correctiore recenter approbatum, commonentes hiſce Decanos Rurales, ut hanc intentionem noſtram clementiſſimam in promovenda dicta Confraternitate præ aliis Sodalitiis Paſtorali muneri & Parochianorum directioni magis congrua urgere ſatagant.

XVIII. Ad ſtabiliendam uniformitatem in ſacris Ritibus, ſerio mandamus, ut omnes & ſinguli Curati utantur proprio Rituali, ſeu libro Agendorum noſtræ Archidiœceſis, ſicut etiam Miſſali & Breviario Romano Trevirenſi juxta propria Feſta impreſſa, & Directorium quot annis juſſu & authoritate noſtra edi ſolitum, ulterius ordinantes eum in finem conciones ex Evangelio Dominicali juxta Directorium occurrente in ſingulis Parochiis conformiter haberi.

XIX. Monemus propitiatorium Miſſæ Sacrificium, cui Angelorum chori cum tremore aſſiſtunt, a ſingulis debita cum præparatione, nitore conſcientiæ, & in habitu talari cum requiſitis paramentis ad ædificationem piorum fidelium devote ſemper celebrari, ſingulis vero menſibus ad minus Confeſſario pio & timorato, non ejusdem farinæ ſocio, Confeſſionem Sacramentalem fieri, ac Decanis, ubi conveniens judicarint teſtimoniales deſuper exhiberi, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis.

XX. Pro conſervando ſpiritu Eccleſiaſtico hortamur Clerum, præſertim curatum, ad peragenda ſingulis annis, vel ad minus bienniis exercitia ſpiritualia ſeu recollectionem mentis in domo quadam Religioſa, ac cum *inter mundanos pulveres* (verba ſunt S. Gregorii) *ſoleant etiam religioſa corda quandoque ſordeſcere*, commendamus omnibus, ut quotidie lectionem aliquam ſpiritualem peragant, ac mediam ad minus horulam meditationi ſacræ circa finem hominis, vocationem & dignitatem ſtatus Sacerdotalis, obligationes muneris Paſtoralis, aliasque æternas veritates impendant, ac intentionem puram ad Deum ſæpe renovent.

CAPUT

CAPUT II.

De administratione debita Sacramentorum.

I.

Cum juxta oraculum S. Concilii Tridentini *Seſſ.* 7. *de Sacram. Can.* 13. recepti & approbati Eccleſiæ ritus in ſolenni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſueti contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari non poſſint, ſerio monemus Miniſtros Altaris, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei, ut ritus etiam extrinſecos & accidentales ab Eccleſia, ſalva Sacramentorum ſubſtantia, præſcriptos, exacte obſervare ſatagant, ſciantque eos ſine gravi noxa negligi, mutari, vel omitti non poſſe juxta illud ſacri textus: *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.*

II. Quem in finem abuſibus quibusvis obviare cupientes, diſtricte præcipimus, ut ſine veſte talari nullus unquam ad Altare Domini accedat, vel Sacramenta adminiſtret, omnes & ſinguli vero ad Rubricas Miſſalis, aliasque ſacras cæremonias cum in- & attentione debita reflectant, quatenus fideles per hæc externa Religionis ſigna ad Myſteriorum Dei, quæ in eis latent, contemplationem & venerationem magis excitentur.

III. Cum Eccleſia locus ſit proprius adminiſtrandis Sacramentis, ſub pœna ſuſpenſionis inhibemus, ne quisquam Sacerdos Sacramentum Baptiſmi ſine conſuetis Eccleſiæ cæremoniis, vel in privatis ædibus extra caſum gravis neceſſitatis adminiſtrare præſumat, præcipue vero aboleri mandantes gravem abuſum in aſſecurandis, ut vocant, privatim prolibus ob abſentiam patrini vel matrinæ, & adhibendis poſt lapſum plurium ſæpius annorum ſacris cæremoniis, indignum judicantes, in Baptiſmo maxime neceſſario Sacramento, ubi quisque operibus ſatanæ, ejusque pompis renuntiat, prophanas ejusmodi vanitates ulterius tolerari, maxime, ubi præſcriptas cæremonias per ſubſtitutos nomine principalium adimpleri convenit: mandantes inſuper nullas obſtetrices admitti, niſi bonæ famæ de forma Baptiſmi rite inſtructas, ac juxta præſcriptam formam Ritualis noſtri juratas.

IV. Inhibemus horrendum & ſuperſtitione plenum abuſum unius ſeu alterius Parochiæ in reponendis ad Altare S. Crucis, ſeu B. M. V. prolibus in utero materno ſine Baptiſmate mortuis, iisque, ubi colorem in facie ex cauſa pure naturali mutare viſæ fuerint, cum prophanatione ſacrilega Sacramenti vel a Sacerdote, vel etiam Eremita vicino, vel a muliere quadam impie baptizari ſolitis, eo duntaxat fine, ut proles mortuæ in loco cœmeterii benedicto ſepeliri valeant; quæ ſuperſtitio, ne alios Parochianos attrahat, inhibitam eandem eſſe volumus ſub pœna ſuſpenſionis contra Eccleſiaſticos, excommunicationis contra Laicos, & interdicti in ipſas Eccleſias ferendi.

V. Sub arbitrariis pœnis aboleri ſerio mandamus alium abuſum in quibusdam Capitulis introductum, ut prima puerpera pauper aut dives tempore Paſchali poſt factam diſtributionem ſacrorum Oleorum pro ſua prole (quam hircum Paſchalem nominant) omnes expenſas itineris in recipiendis Treviris vel in Capitulo generali ſacris Oleis nomine Parochiæ perſolvere teneatur, ſerio mandantes eam ſolutionem a ſingulis Parochianis, qui Sacramenta conjunctim participant, debite præſtari.

VI. Facta Nobis relatione a Suffraganeo noſtro in Pontificalibus & Spiritualibus Vicario Generali, qualiter in curſu viſitationum circa Sacramentum Confirmationis Epiſcopali caractere proprium duo extrema cum tædio ingenti notata fuerint, ut quidam tardius in provecta jam ætate necdum ſatis inſtructi venerint, alii absque ullo ordine vel reverentia Sacramento debita proles infra diſcretionis annos adduxerint: proinde ſerio mandamus, ne proles confirmandæ ante uſum rationis & ſpecies rememorativas ſacræ functionis præſententur, Parochi vero aliique Catechiſtæ populum fidelem

de

de inſtitutione, diſpoſitione, forma & effectibus hujus Sacramenti vivorum eo majore zelo ad orthodoxæ noſtræ fidei robur inſtruant, quo magis convenit hac rerum tempeſtate, ubi Novatores fundamenta ſanctæ noſtræ Religionis concutere in vanum laborant, fideles ad ſuſtinendam Catholicam veritatem ſeptiformi Spiritus Sancti gratia confirmari.

VII. Cum Nobis ulterius relatum fuerit Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod non modo gratiam, uti reliqua Sacramenta novæ legis confert, ſed ipſummet omnis gratiæ & ſanctitatis Authorem continet, minus decenter haberi & adminiſtrari, pluresque Eccleſias ſtabulo Bethlemitico ſimiles reperiri, ubi adoranda Majeſtas Salvatoris, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, non invenit locum, ubi caput digne reclinet, reponi plerumque ſolita in tabernaculo lacero, vel pulveribus obſito, Ciboriis aut Monſtrantiis abjectis, corporalibus, purificatoriis, & mappis ſordidis, quibus accedunt ſacræ ſupellectilis defectus, vel immundities aperta: proinde ut huic irreligioſitati, quam Divina Nemeſis in arca veteris teſtamenti, quæ tantum umbra & figura fuit, incruenti novæ legis Sacrificii, morte ſæpius vindicavit, occurratur, mandamus in ſingulis Eccleſiis tabernaculum erigi, illudque a ſordibus & pulveribus cuſtodiri, mundum ſemper corporale Sacramento ſubſterni, purificatoria nitida Sacrificio applicari, Hoſtias conſecratas majores vel minores quolibet menſe ad minus, vel frequentius, ubi humidæ ſunt Eccleſiæ, renovari, negligentes vero in his a Decanis locorum deſuper moneri & arbitrarie corrigi.

VIII. Ob tanti Sacramenti debitam reverentiam, in quo *Deus fecit memoriam mirabilium ſuorum, & Divini ſui erga homines amoris divitias effudit*, ardeat coram tabernaculo lumen perpetuum, defectu fundationis ſpecialis, aut mediorum fabricæ e piis collectis Parochianorum eo majori cum fiducia impetrandæ benedictionis ſupernæ comparandum, quod Authori omnium bonorum, *qui lucem habitat inacceſſibilem, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, hoc exiguum devotionis homagium præſtetur.

IX. Dum Venerabile Sacramentum ad ægrotos pro viatico vel Communione Paſchali defertur, mandamus lumen cum tintinnabulo præferri, & dum de die ſolenniter deportatur, umbellam adhiberi, ſpecialiter commendantes omnibus & ſingulis fidelibus, ut Deum incarnatum in hoc Sacramento amoris devote adorare, & uſque ad Eccleſiam pro obtinenda deſuper benedictione comitari non negligant, quem in finem qualibet vice quadraginta dierum indulgentias in forma Eccleſiæ conſueta concedimus ac impertimur.

X. Inhærendo S. Concilii Tridentini Decretis & diverſis Archiepiſcopalibus Statutis diſtricte inhibemus, ne Sacerdotes extranei ſæculares vel regulares, ex aliis quandoque Diœceſibus cum ſcandalo dimiſſi ſeu fugitivi, ad nuptias agni immaculati forſitan ſine veſte nuptiali, ſeu ad tremenda Myſteria minus diſpoſiti admittantur, antequam literas teſtimoniales Ordinariorum ſuorum (vulgo exeat) & a Nobis licentiam in ſcriptis deſuper exhibuerint. Declarantes hac inhibitione prædicationem verbi Divini ſpecialiter comprehendi ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis.

XI. Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ meminerit in hoc ſacro tribunali tria ſibi officia, iisdemque annexas obligationes graviſſimas incumbere, Judicis nimirum in recte judicando, ubi pœnitens rei, actoris, & teſtis perſonas ſuſtinet, Doctoris, in recte inſtruendo circa neceſſaria neceſſitate medii & præcepti, & Medici in curando ſeu pœnitentias delictis congruas applicando, proinde ſemel approbati, aut ordinaria ſeu delegata juriſdictione præditi nunquam deſiſtant a ſtudio Theologiæ, præſertim moralis, ne, dum alias ſpecies Theologicæ ſenſim evaneſcunt, ſæpe numero cæcus cæcum ducat, & ambo in foveam cadant, aut eveniat inter temporales curas modici quæſtus illud querulantis Prophetæ:

Viola

Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt. Ezech. 13. 19. Ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, quæ vera ſunt, falſa, quæ falſa ſunt, vera demonſtrantes.

XII. Volumus examen rigidum approbandorum pro excipiendis confeſſionibus, ſeu cura ſubſidiaria animarum coram Vicario noſtro Generali & Examinatoribus ad hoc ſpecialiter deputatis prima feria quarta cujuslibet menſis inſtitui, & ab approbandis teſtimonia ſtudiorum, vitæ, & morum produci, quibus ſingulis conſideratis digni & habiles admittantur, ordinarie tamen cum certa limitatione temporis ad biennium ſeu triennium, ut interea in ſtudiis & praxi ſe magis exerceant, ac ulteriorem approbationem mereri valeant, niſi vita exemplaris & excellens doctrina approbandorum eos ad revocationem uſque approbari perſuadeant.

XIII. Nemo præſumat confeſſiones Monialium excipere, vel a caſibus jurisdictioni noſtræ Archiepiſcopali ordinariæ reſervatis abſolvere absque prævio examine, & expreſſa deſuper a Vicariatu noſtro Generali in ſcriptis obtenta licentia, ne defectu approbationis & jurisdictionis in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ nullitas committatur, & Confeſſarii ſimiles largæ manicæ per hoc ſacrilegii gravisque pœnæ ſe reos conſtituant.

XIV. Ad evitandum defectum jurisdictionis in re, ubi de valore Sacramenti agitur, ac ſententiam probabiliorem & tutiorem practicari oportet, declaramus, ubi Parochus intra annum moritur, & hæredes alium Vicarium curatum pro adminiſtratione Parochiæ ſuis impenſis, uſque ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ proximum ſubſtituere tenentur, vicariam commiſſionem regendi a Vicariatu noſtro Generali in ſcriptis requiri debere, præterquam enim quod delegata jurisdictio Capellani per mortem Parochi concedentis exſpiret, eamque Ordinarius regulariter non concedat, nec conceſſiſſe cenſeatur, periculoſum foret ab hæredibus quoscunque approbatos, forſitan ad regimen etiam vicarium tantum hujus vel illius Parochiæ minus habiles cum diſpendio quandoque ſpirituali Parochianorum pro libitu aſſumi, ubi tamen Vicarius pro certa Parochia approbatus & jurisdictione delegata præditus ibidem poſt mortem Parochi ſubſtiterit, fungi pergat officio Vicarii, & in ejus defectu Decanus loci alium idoneum pro Capitulo approbatum ob diſtantiam forte notabilem proviſionaliter ſubſtituat, eo uſque donec res Vicariatui Generali denuntiari, ac congrue diſponi potuerit.

XV. Nulli Sacerdoti liceat in privatis ædibus, vel etiam in Sacriſtia, ſeu alibi, quam in confeſſionali Eccleſiæ patente confeſſiones pœnitentium, præſertim alterius ſexus excipere, niſi gravi neceſſitate idipſum exigente: quamvis reliqua Sacramenta absque veſte talare & ſuperpellicio adminiſtrare non liceat; permittimus tamen ex rationabili cauſa idipſum in Sacramento Pœnitentiæ privatim fieri.

XVI. Parochi Sacramentum Extremæ Unctionis, non tantum Pœnitentiæ, ſed totius vitæ Chriſtianæ conſummativum mature & gratis adminiſtrent, neque pro Viatico quicquam exigere præſumant ſub quocunque prætextu vel colore, ne alias pauperes quandoque defectu mediorum tardent, aut prorſus negligant hoc extremum pro reſtaurandis corporis & animæ viribus inſtitutum remedium, vanam illam perſuaſionem ægrotis auferendo, quaſi ſuſcepto hoc Sacramento neceſſe foret diem claudere extremum.

XVII. Quoad Sacramentum Ordinis cum inter Pontificalis Officii Nobis ab Altiſſimo concrediti partes ea præcipua ſit, quam mediante noſtri in Pontificalibus Vicarii Generalis opera deligendis ac promovendis dignis Eccleſiæ Miniſtris, qui fideles exiſtant Myſteriorum Dei diſpenſatores, ac piis fidelibus verbo & exemplo præluceant, impendere tenemur, ne minus dignis quoad titulum, vitam, mores & doctrinam undequaque defectuoſis cum vilipendio Regalis Sacerdotii manus impo-

imponi, ac domum Dei ignavis fungis repleri ſæpius contingat, qui alieno melle deliciari, laboris vero nihil in commune bonum conferre poſſunt, aut volunt, dum in præſenti morum corruptela, ut verbis S. Bernardi loquamur, *curritur paſſim ad ſacros Ordines & reverenda ipſis quoque Spiritibus Angelicis miniſteria, homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione, verendumque ſit iſtos non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat:* Nos proinde quoscunque abuſus & defectus in admittendis, ad ſublime hoc vitæ genus, tollere volentes, ſerio hortamur ea, quæ ſacri Canones, Conſtitutiones Pontificiæ, Concilia, præſertim Tridentinum, ad collationem, ſuſceptionem, & executionem Ordinum ſaluberrime præſcribunt.

XVIII. Signanter ordinamus Bullam INNOCENTII XII. Papæ, quæ incipit: *Speculatores domus Iſrael,* pro tollendis abuſibus & fraudibus circa Ordinationes aliorum ſubditorum editam, tum vero Conſtitutionem noviſſimam Eminentiſſimi JOANNIS HUGONIS Archiepiſcopi Electoris Prædeceſſoris noſtri p. m. *de* 10. *Novembris* 1678. rite publicatam, exactius poſthac adimpleri, cum primis, ut juxta ſanctæ Sedis Apoſtolicæ & aliarum Diœceſium exemplum, omnes & ſinguli, qui in hac Archidiœceſi noſtra Trevirenſi in Clerum cooptari deſiderant, recollectione ſpirituali prævia (de qua doceant in ſcriptis) expendant onus, quod ultra appetunt, & ex motivo pure ſupernaturali, non ex intentione ſiniſtra commoditatis aut lucri temporalis, ſanctuarium ingredi præſumant.

XIX. Circa titulos Ordinationum ſeveriſſime inhibemus, ne quisquam fucata teſtimonia concedat ſuper patrimoniis fictitiis aut ſterilibus, ſeu beneficiis non legitimis, ſeu ita modicis, ac ad Clericalem ſuſtentationem minus congruis, ut ordinati deſuper cum opprobrio Ordinis Clericalis mendicare, aut ſordidum quæſtum in ſervitio Laicorum exercere præpoſtere cogantur, hiſce decernentes contra falſi & fraudis ejusmodi reos ſub gravibus arbitrariis pœnis ex officio procedendum.

XX. Ordinandi titulos patrimoniales & penſionum integro menſe ante tempus ordinationis Sigillifero Conſiſtorii noſtri fideliter & mature exhibeant, qui juxta tenorem alterlatæ Conſtitutionis de iis primitus accurate diſcuſſis, poſtea in plena Domini Epiſcopi Ordinatoris & Conſiſtorialium congregatione vi juramenti ſui docebit, dictos titulos non eſſe falſos, fictitios, aliunde a Decanis, Paſtoribus, aliisve quibuscunque perſonis tam Eccleſiaſticis, quam Regularibus accommodatos, atque in Eccleſiæ fraudem emendicatos: inſtrumenta vero de patrimoniis in titulum totalem vel partialem aſſignatis coram Curiis locorum, unde bona dependent realizata, ſigillata, & approbata fuiſſe, cum exacta hypothecarum deſignatione, & atteſtatione valoris ad minimum ſexaginta imperialium annui cenſus, ac legitimæ cohæredibus, ſi exiſtant ſeu congruæ ſuſtentationis aliunde parentibus relictæ, ſicut & trinæ proclamationis e cathedra per Parochos locorum factæ, qui deſuper literas teſtimoniales Eccleſiæ ſigillo munitas authentice transmittent.

XXI. Quoniam titulus patrimonialis a ſacro Concilio Tridentino nonniſi diſpenſative pro iis, qui judicio proprii Epiſcopi Eccleſiis aut utiles, aut neceſſarii ſunt, admittitur, ſtatuimus omnes & ſingulos, qui titulo diſpenſativo patrimonii ad ſacrum Presbyteratus ordinem aſpirant, poſthac non admittendos, niſi prævie ad curam ſubſidiariam Eccleſiæ, cui adſcribi volunt, impendendam, per examen idonei reperti fuerint, ne alias hac ætate noſtra plures deſides Sacerdotes, ſed paucos operarios in meſſe multa reperiri contingat, *qui officium Sacerdotale ſuſcipiunt* (ut loquitur S. GREGORIUS Papa) *ſed opus officii non adimplent*, ſuam potius, quam Eccleſiarum utilitatem quærentes, quibus merito illud propheticum ingeminare convenit; *quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*, quam tamen ordinationem ita mitigatam eſſe volumus, ut in certis caſibus, ubi de vocatione ad ſtatum Eccleſiaſticum, ſufficientia patrimonii, ſcientia, moribus, & vita promovendorum

dorum constat, similes dispensative ad sacros Ordines etiam sine doctrina ad curam vicariam requisita promoveri valeant, ea tamen lege, ne ullus unquam absque præviis attestatis Professorum tam de scientia, quam vita & moribus fidem facientium ad sacros Ordines admitti debeat.

XXII. Ne vero similes Sacerdotes ex benignitate & dispensatione extraordinarie admissi incertis sedibus vagentur, Nos ad mentem sacri Concilii Tridentini antiquam Ss. Patrum disciplinam præ oculis habentis, intenti volumus, ut ad titulos patrimoniales ordinari cupientes, suum, cui adscribi velint aut commode possint, Ecclesiæ desiderium, simulque Rectoris Ecclesiæ illius judicium in scriptis exhibeant, sub cujus directione peragenda juxta status Sacerdotalis exigentiam adimpleant, atque ita promoti ab Ecclesia, cui semel adscripti sunt, ultra bimestre continuum citra nostram, aut Vicariatus nostri Generalis permissionem abesse, minus vero stationem absque novo beneficio pro libitu deserere præsumant sub arbitrariis pœnis alias infligendis.

XXIII. Ordinatum quidem reperimus per Constitutiones binas a Prædecessoribus nostris piissimæ memoriæ CAROLO CASPARO & JOANNE HUGONE emanatas, ne ullus ad sacrum Subdiaconatus ordinem ante absolutam Philosophiam promoveatur; verum cum per Subdiaconatus susceptionem voto solenni, & per caracterem impressum irretractabili statui promotus altringatur, & notatum fuerit plures, qui vix extremis labris studium Theologicum vel Canonicum degustarunt, imo sæpius in doctrina catechetica debiles reperti fuerint, præcipitanter ad sacros ulteriores Ordines occasione vacantium in Collegiatis nostris Ecclesiis locorum Capitularium promotos fuisse; Nos proinde tam pietatem, quam scientiam in Clero nostro tanquam duo militantis Ecclesiæ brachia promoveri volentes, authoritate nostra Archiepiscopali statuimus & ordinamus, ac supra memoratas Ordinationes ita extendimus, ut ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus ordines nemo posthac admittatur, nisi qui ad minimum biennio in aliqua Universitate vel Gymnasio quodam Theologiæ speculativæ seu morali, & etiam Juri Canonico sedulo vacaverit, aut saltem de actuali studio tali biennali sub attestato Professorum, sufficienter docuerit, quod illud ante susceptionem Sacerdotii adimplere valeat. Ulterius pro Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum hujus nostræ Archidiœcesis statuentes, nullum ad sacros Ordines promovendum, nisi qui nomine Capituli a Scholastico præsentatus fuerit, aut attestatum Capitulare sub proprio Ecclesiæ illius sigillo circa vitam & mores attulerit, ad locum vero capitularem seu qualemcunque perceptionem fructuum non admittendum, nisi qui juxta Ordinationes Archiepiscopales Prædecessorum nostrorum specimen cantus choralis dederit, ita, ut omnes etiam ad loca capitularia antehac admissi, cantum tanquam proprium Canonicorum pensum sub arbitraria subtractione redituum addiscere teneantur; super quo, sicut aliis ad observantiam Statutorum requisitis, Decanorum conscientias oneramus.

XXIV. Pensiones cessas aut donationes libere factas non aliter admitti volumus pro titulo, quam sine præjudicio prolium cessoris seu donatoris, & authentico testimonio Parochi, pensiones illas reales esse, nec ullam fraudem latere; quantum ad matricularia seu alia officia Ecclesiastica, cum investitura supponat approbationem, solum ea admitti permittimus, si ex fundatione a Nobis, seu Vicariatu nostro Generali approbata, perpetua, & inamovibilia, ac ad competentiam desuper ordinandi sufficientia reperta fuerint.

XXV. Inviolabiliter demum observari præcipimus ea, quæ per sacros Canones, Concilia, & Ordinationes Archiepiscopales hujus Archidiœcesis circa ætatem, vitam, mores, doctrinam, aliasque corporis ac animi dotes pro tam sublimi statu requiruntur, signanter Edictum nostrum *de* 10. *Junii* 1717.

1717. adverſus Janſenianos errores editum hiſce renovantes, ac ſpecialiter declarantes, neminem poſthac in Archidiœceſi noſtra Trevirenſi ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, Eccleſiaſtica Beneficia vel officia, excipiendas confeſſiones, prædicandum Dei verbum, ſeu dirigendas animas admiſſum iri, niſi præter formularium ALEXANDRI Papæ VII. pro more debito Archidiœceſis noſtræ a ſingulis ſubſcribendum, etiam juxta Sanctiſſimi Domini noſtri CLEMENTIS XI. Eccleſiam Dei feliciter regentis Conſtitutionem, quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, pariter in hac Archidiœceſi noſtra publicatam tenuerit, Conſtitutionibus INNOCENTIANÆ & ALEXANDRINÆ contra ſectam Janſenianam editis non ſatisfieri per obſequioſum, ut vocant, ſilentium, ſed ſenſum damnati libri, ab omnibus hæreticum, non ſolum ore, & externa quantumvis ficta obedientia, ſed interius & corde rejici debere, mandantes pariter Bullam CLEMENTINAM, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, in hac Archidiœceſi noſtra mox ab initio rite publicatam & integerrime receptam, ab omnibus & ſingulis ordinandis ſeu promovendis ea, qua par eſt, integritate & devotione recipi, nec eidem in minimo directe vel indirecte verbo aut opere contrairi ſub pœnis excommunicationis per ipſam Bullam & iterata Edicta noſtra Archiepiſcopalia comprehenſis, & ipſo facto incurrendis.

XXVI. Quod attinet magnum Matrimonii Sacramentum, cum tam ex relatione Decanorum ruralium, quam per querelas Magiſtratuum ſæcularium ſatis innotuerit, qualiter quidam caractere ſuo indigni Sacerdotes cum ingenti Cleri noſtri Diœceſani Trevirenſis in confiniis vicinarum Diœceſium opprobrio contra rigoroſa Decreta ſacri Concilii Tridentini per hanc Archidiœceſin noſtram Electoralem debite publicati & recepti, iisdemque conformia Statuta Archiepiſcopalia, ac in iisdem præſcriptam formam, turpis lucri cauſa Matrimoniis clandeſtinis nulliter aſſiſtere, ſeu omiſſis trinis proclamationibus, vel iis absque intervallo dierum de præcepto feſtivorum, aut tempore vetito Adventus & Quadrageſimæ factis ad ſolemnizationem matrimonialem temere procedere, vel etiam extra Eccleſiam proprium Sacramentorum locum in privatis ædibus, cauponis, ſeu aliis diurnis & nocturnis conventiculis inter militares, peregrinas & vagas perſonas, nec non inter Calviniſtam aut Lutheranum cum Catholica & vice verſa cum periculo ligaminis ſeu alterius impedimenti dirimentis, aut priorum ſponſalium ſeu alterius impedientis copulationes matrimoniales impie peragere præſumant: deinde quidam Matrimonium contrahere volentes, ſponſalia clandeſtina cum frequentatione damnabilis commercii inire, vel ad celebrationem Matrimonii per verba de præſenti, ſpretis trinis Eccleſiæ proclamationibus ad detegendum, ſi quæ lateant impedimenta, ſalubriter inſtitutis ſine conſenſu parentum, ſine prævia Sacramentali Confeſſione coram proprio Parocho quidem, ſed invito, ſeu coram ipſo Ordinario renitente in- vel extra Eccleſiam valide quidem ſervata quoad ſubſtantiam aſſiſtentiæ teſtium forma Tridentini, ſed illicite & doloſe progredi non perhorreſcant. Nos proinde ſcandalis quibusvis, nullitatibus, ſacrilegiis, & animarum periculis obviare, eosque quos timor Dei & miniſterii ſanctitas vel Catholicæ Religionis profeſſio in officio non continent, pœnarum rigore ab ejusmodi nefariis attentatis retrahere volentes, authoritate noſtra Archiepiſcopali ordinaria pro legitima Sacramenti Matrimonii adminiſtratione ſequentia ſtatuenda & ordinanda duximus.

XXVII. Quicunque Parochianos alienos, ſine proprii Parochi, aut noſtra, ſeu Vicariatus noſtri Generalis licentia copulare, atque ita clandeſtinitatis vitium attentare præſumpſerint, præter cenſuram ſuſpenſionis, quam ipſo facto incurrunt, juxta Decretum Tridentini *Seſſ.* 24. *C.* 1. *de Reform.* his formalibus: " Quod ſi quis Parochus, " vel alius Sacerdos, ſive regularis, ſive " ſæcularis ſit (etiamſi id ſibi ex pri- " vilegio vel immemorabili conſuetu- " dine licere contendat) alterius Pa- " rochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licen-

" licentia Matrimonio conjungere, aut " benedicere ausus fuerit, ipso jure " tamdiu suspensus maneat, quamdiu " ab Ordinario ejus Parochi, qui Ma- " trimonio interesse debebat, seu a quo " benedictio suscipienda erat, absolva- " tur: " Noverint simul ejusmodi transgressores contra eos, ubi correcti non resipuerint, etiam ad incarcerationes & privationes Beneficiorum canonice procedendum.

XXVIII. Cum omissio proclamationum absque rationabili causa & dispensatione graviter peccaminosa censeatur, pariter esse clandestina quoad omnes effectus & pœnas juris, præter quam nullitatis Matrimonii, ubi tale Matrimonium in præsentia Parochi proprii & testium contractum fuit, sub eadem pœna suspensionis pariter inhibemus, ne quisquam deinceps sine præviis trinis proclamationibus, sive bannis per tres Dominicas, vel dies de præcepto festivos interpolatos, non autem feriales tantum, neque eodem die Dominico vel festivo, vel tempore vetito per Adventum & Quadragesimam faciendis, vel absque intervallo unius saltem diei inter ultimam proclamationem, & ipsius Matrimonii celebrationem intercedente, Parochianos suos matrimonialiter copulare præsumat, nisi desuper per Nos, seu nomine & authoritate nostra legitimis de causis fuerit dispensatum.

XXIX. Cum Matrimonium in Ecclesia, quæ Sacramentorum proprius est locus, ac inter Missarum solennia celebrari debeat, sub pari suspensionis pœna inhibemus, ne in privatis etiam Nobilium ædibus, vel a meridie aut de nocte absque speciali nostra, vel Vicariatus nostri Generalis licentia quisquam Matrimonium solennizare præsumat, volentes serio inculcari Parochianis, id magis auspicatum fore, & majorem inde Divinæ benedictionis fructum sperandum, ubi res sacra in loco sacro administrata fuerit.

XXX. Quicunque sæculares impia & Sacramento injuriosa praxi Matrimonium non servatis proclamationibus coram Ordinario, vel Parochis invitis & reluctantibus clandestine contrahere præsumpserint, ad comprimendam hanc extremam temeritatem noverint se ipso facto censuras interdicti personalis & excommunicationis incursuros.

XXXI. Nullus intra tertium & quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum, vel etiam spirituali cognatione ex Baptismo seu Confirmatione conjunctos sine prævia legitima dispensatione, nemo item Acatholicos sine expressa Vicariatus nostri Generalis licentia copulare præsumat casu nimirum, quo impia pacta de educandis in alia secta prolibus alterius sexus, seu periculum perversionis quoad compartem Catholicam abesse dignoscatur.

XXXII. Quantumvis parentum consensus juxta sacros Canones non de necessitate absoluta, sed de honestate tantum requiratur, curent tamen Parochi, ut eorum consensus sponsalibus accedat, quem si justa de causa desponsandis denegent, moneant paterne liberos, ne invitis aut insciis parentibus sponsalia concludant, eo magis, quod in partibus hujus Archidiœcesis temporali Dominio Regiæ Christianissimæ Majestati subjectis Matrimonia sine consensu parentum inita, quoad substantiam quidem valida, quoad effectus civiles dotis & successionis hæreditariæ cassari seu præpediri soleant.

XXXIII. Sponsus & sponsa ante copulationem matrimonialem, prævia Confessione Sacramentali & devota Communione se disponant ad gratiam, quam Sacramentum confert, uberius impetrandam, eaque mediante onera Matrimonii animo Christiano ferenda.

XXXIV. Parochi neo-sponsos de doctrina Christiana examinabunt ad dignoscendum, an statum, qui Christianam prolium educationem requirit, assumentes obligationi gravissimæ instruendi proles satisfacere sciant, in quo si deficiant, statuimus & ordinamus, proclamationes trinas & celebritatem Matrimonii eousque differri, donec neo-sponsi in rudimentis fidei satis instructi appareant.

XXXV. Pro evitando vitio clandestinitatis, declaramus, non sufficere præsumptam seu interpretativam tantum

tum licentiam proprii Paſtoris, ſed expreſſam omnino requiri: proprium vero Parochum cenſendum, in cujus Parochia ſponſi tempore copulationis matrimonialis ſine fraude vel dolo habitaverint, ibique ſubſtituerint animo ſincero non ficto manendi, ſeu domicilium figendi: cum tamen in re tanti momenti via tutior ſemper eligi, & cautela etiam abundans ſervari debeat, ſi ſponſi tanto tempore in Parochia commorati non fuerint, ut Parochus de omnimoda eorundem libertate ſecurus eſſe valeat, volumus juxta præſcriptum Concilii Provincialis Trevirenſis ſub BALDUINO Archiepiſcopo celebrati *de anno* 1310. proclamationes tam in loco originis, quam noviſſimi domicilii rite publicari, deſuper teſtimoniales libertatis ſeu non latentis impedimenti canonici afferri, a proclamato ſeu proclamata vero unicuique Parocho medietatem tantum jurium conſuetorum perſolvi: ubi vero ſponſi ſunt e diverſis Parochiis oriundi, in utraque trinas proclamationes ſervari.

XXXVI. Cum juxta Decreta S. Concilii Tridentini antiquorum Canonum inhæſiva ſolis Epiſcopis, ſeu eorundem Officialibus, non vero Archidiaconis, Diaconis, ſeu aliis inferioribus cognitio cauſarum matrimonialium de jure competat; ſicut etiam jurisdictioni ordinariæ tantum poteſtas ferendi cenſuras in ſubditos competere dignoſcatur. Proinde ſi quæſtio juris ſeu dubium de valore ſponſalium vel matrimonii de præſenti oriatur ob incidens impedimentum canonicum, mandamus ſub iterata pœna ſuſpenſionis a Divinis, ad ſolennizationem ſeu uſum Matrimonii non procedi, vel etiam conjuges per divortium ſeparari, antequam res Vicariatui noſtro Generali ſeu Conſiſtorio noſtro pro diſpenſatione vel deciſione congrua denunciata fuerit, nullus vero inferiorum de juſtitia appoſitionis vel natura impedimentorum nulliter & incompetenter cognoſcere præſumat.

XXXVII. Quamvis Sponſalia clandeſtina valida ſint, nec ſub lege irritante clandeſtina Matrimonia comprehendantur, eadem tamen reprobamus & inhibemus tanquam illicita, incentiva libidinum, fomenta litium, imo ſæpius perjuriorum & tragicorum eventuum prænuntia, monentes a Parochis fideles Parochianos ad hoc excitari, ut clandeſtinitatem ſponſalium devitent, eaque in præſentia Parochi, vel aliorum teſtium, præſertim conſanguineorum peragant ſub arbitraria pœna refractariis infligenda.

XXXVIII. Quoad impedimenta dirimentia vigore indulti Apoſtolici diſpenſabilia, quæ vigore facultatum ad quinquennium Nobis conceſſarum ad tertium & quartum ſimplicem & mixtum conſanguinitatis & affinitatis gradus ſe extendunt, ad præcavendas nullitates, errores, & confuſiones ſæpenumero in hoc occurrentes, monemus Parochos in petendis & concedendis ejusmodi diſpenſationibus requiri, ut primo caſus matrimonialis, ſeu facti ſpecies cum omnibus ſuis circumſtantiis, nimirum, an ſupplicantes ſcientes vel ignorantes impedimentum bona fide convenerint, an inceſtus cum ignorantia impedimenti, & ſpe obtinendæ per hoc facilius diſpenſationis, quod totum caſum variat, intervenerit, an proles ſuſcitata ſit nec ne, ſicut etiam motiva canonica diſpenſandi apud Theologos & Canoniſtas paſſim obvia clare, diſtincte, & fideliter exponantur, deinde formetur ſchema conſanguinitatis vel affinitatis, ſeu arbor genealogica per ſuos ramos ſeu gradus, additis, quoad ſciri poteſt, ubique aſcendentium nominibus propriis usque ad ſtipitem, cum ſubſcriptione Parochi & duorum Synodalium, vel etiam conſanguineorum notitiam ſimilium majorem habentium, ut diſtantiæ graduum, & an ſupplicantes in æquali vel inæquali gradu conjuncti, & an juxta tenorem facultatis Apoſtolicæ qualificati ſint, rite cognoſci valeat, quibus demum jungatur teſtimonium Parochi ſuper paupertate diſpenſandorum, nimirum eos eſſe Catholicæ fidei cultores, pauperes vero ex ſuis labore & induſtria tantum vivere.

XXXIX. Porro in caſibus, quorum abſolutio & diſpenſatio a ſacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetrari debet,

bet, si quoad forum tantum internum res agatur, Parochus seu Confessarius casum sub nomine Titii seu Terentiæ Eminentissimo Domino Cardinali majori Pœnitentiario fideliter exponet, & inde responsum præstolabitur juxta instructionem alias typis editam & publicatam: ubi vero in foro externo petitur Romæ dispensatio in secundo, vel secundo & tertio ab eodem stipite provenientibus consanguinitatis seu affinitatis gradibus, requiritur ab Ordinariatu nostro testimonium, ut vocant paupertatis, cum attestato Parochi per Vicariatum nostrum Generalem rite legalizato.

CAPUT III.

De Juribus Ecclesiarum & obligationibus Parochianorum.

I.

Cum Ecclesia sit domus orationis, & in loco sacro sacra tantum tractari debeant, serio inhibemus publicationes rerum prophanarum & civilium in Ecclesiis, earumque cœmeteriis, vel aliud quid a sanctitate loci alienum peragi sub pœna interdicti.

II. Domus Dei decorem, quantum in Nobis est, promovere volentes, ordinamus in singulis Ecclesiis supellectilem coloris juxta Rubricas requisiti comparari, laceras & attritas casulas, sicut etiam corporalia & purificatoria minus decora vel immunda ab usu tremendi Sacrificii removeri, mutilas seu deformes imagines ad ossuaria reponi, vel in terram defodi, cœmeteria vero ubivis bene claudi, ne pecoribus pervia remaneant, sub pœna similis interdicti per Vicarium nostrum Generalem, vel Consistoria nostra; ubi res per oppositionem partium ad forum contentiosum deducta fuerit, decernendi.

III. Ad erigendas Capellas volumus a Nobis, seu Vicariatu nostro Generali licentiam expressam in scriptis prævie requiri, & invigilari, ne quicquam in præjudicium matricis Ecclesiæ, ejusdemque Rectoris irripere contingat, declarantes incolas Capellarum, seu pagorum filialium ad onera quæcunque Parochianis communia teneri, nisi ex consuetudine legitime præscripta aliud evincant.

IV. Nullus sæcularis aut regularis Sacerdos in Oratoriis privatis, aut in alio portatili, quam per Episcopum consecrato Sacrum celebrare, minus vero binare audeat, absque speciali permissione nostra, seu Vicariatus nostri Generalis sub pœna suspensionis & interdicti.

V. Cum Nobis relatum fuerit, quoad jura, ut vocant, stolæ ob diversos situs Decanatuum ruralium uniformitatem alias necessariam hactenus introduci non potuisse, mandamus receptam in singulis Capitulis observantiam seu consuetudinem antiquam eo usque servari, donec absoluto cursu visitationis generalis certum quid determinari potuerit, interea monentes, ut Parochi in exigendis juribus ad pauperes reflectant, Parochiani vero in solvendo Ministro Altaris, qui de Altari vivere debet, competentiæ juribus morosos se non exhibeant, utrimque vero jurgia & lites evitare studeant.

VI. Ordinamus computus Ecclesiarum super receptis & expositis singulis coram Pastore & Synodalibus exacte reddi, citra convivium, ut vocant, synodale & graves expensas Ecclesiæ, serio monentes, ut Pastores & Synodales urgeant exactam solutionem restantium pensionum & censuum, ita, ut quovis anno saltem currens, & una restans pensio solvatur: ubi vero debitores ad triennium in iis solvendis morosi fuerint, permittimus ad subhastationem seu distractionem judicialem bonorum Ecclesiæ hypothecatorum procedi, & summas capitales pro bono Ecclesiæ securius applicari.

VII. Pastores & Synodales vigore juramenti Deo & Ecclesiæ præstiti invigilent, ut pro creditis Ecclesiæ judiciales hypothecæ semper constituantur, expensæ tamen apud Justitiarios locorum pro diversitate majorum vel minorum capitalium moderamen accipiant, ne ex hujus necessariæ præcautionis neglectu subsecuta inopia debitorum Ecclesia damnum patiatur, ac incon-

in concurſu creditorum ipſam Eccleſiam perfidis Judæis hypotheca judiciali proviſis via juris poſtponi ſæpius contingat, cum actione ſubſidiaria contra ipſos Proviſores in hoc negligentes Eccleſiæ poſthac reſervanda.

VIII. Circa reparationes ſeu novas conſtructiones Eccleſiarum Parochialium declaramus, jus conſuetudinarium in Archidiœceſi noſtra vigere, ut Decimatores ad conſtructionem & reparationem navis, Paſtor primitivus, ſeu Vicarius perpetuus, ubi tertia parte decimarum gaudet, ad ſarta tecta chori ſibi traditi, Parochianos vero ad turrim, ſacriſtiam, cœmeterium, & oſſuarium, ſicut etiam ad vecturas & operas manuales pro reparatione navis & chori neceſſarias teneri, niſi alicubi per obſervantiam contrariam legitime præſcriptum fuerit, quod tamen tanquam facti non præſumitur, ſed pertinenter probari debet, ob uſum contrarium in Archidiœceſi noſtra etiam per extera territoria ſpirituali tantum jurisdictioni noſtræ ſubjecta uniformiter receptum. Cum vero Nobis relatum fuerit a plurimis Decimatoribus Eccleſiaſticis & ſæcularibus per Archidiœceſin noſtram conſtitutis, hanc obligationem conſtruendi ſeu reparandi ruinoſas ſeu dirutas Eccleſias, tanquam onus reale decimis inhærens negligi, authoritate Archiepiſcopali ordinaria omnes & ſingulos in Domino hortamur, ut huic debito privilegiato indilate ſatisfaciant, ſciantque ex funeſta plurium locorum experientia, fulgura, tempeſtates, ſiccitates, ac deprædationes hoſtiles ex hoc potiſſimum evenire, quod Eccleſiarum debita ſtructura, & domus Dei deſerta remaneat, prout idipſum Spiritus veritatis æternæ apud Aggæum Prophetam *Cap.* 1. terrificis & merito imprimendis verbis inculcat: *Nunquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta: propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum, & vocavi ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum &c. quam ob cauſam dicit Dominus exercituum, quia domus mea deſerta eſt, vos feſtinatis unusquisque in domum ſuam*, ac demum hortatur Propheta omnes, quicunque ad Eccleſiarum reparationes tenentur, *aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus.* Si qui vero in adimplenda hac ſtrictiſſima obligatione poſthac negligentes reperti fuerint, volumus idipſum per Decanos, & Paſtores locorum absque ulla perſonarum acceptione denuntiari, quatenus congruis juris remediis decor domus Dei promoveri valeat.

IX. Iidem Parochiani tenentur ad conſtructiones ſeu reparationes domuum Paſtoralium, ſeu Scholarum, ita tamen ut Paſtor ædes paſtorales in congruo ſtatu traditas in ſartis tectis conſervare teneatur, in quo ſi negligens repertus fuerit, hæredes ad ipſum præſtandum adſtringi poterunt.

X. Cum ab inſtructione teneræ juventutis in literis & bonis moribus reliquæ vitæ temporalis & æterna ſalus dependeat, neque prolibus ea melior hæreditas relinqui valeat, ſub arbitrariis pœnis mandamus, in ſingulis Parochiis proprias ædes ſcholares erigi, & erectas conſervari: aſſumi vero cum approbatione Paſtorum habiles & idoneos Ludimagiſtros, iisque conſuetum & integrum ſalarium perſolvi ab omnibus & ſingulis, qui proles habent inſtructionis capaces a ſeptimo uſque ad duodecimum ætatis annum, quantumvis negligentes reperti fuerint in mittendis prolibus ad Scholam communem, habita tamen in hoc aliqua conſideratione pauperum, pro quorum inſtructione alias gratuita Ludimagiſtris neceſſariæ ſuſtentationis indigis aliqua recognitio e mediis fabricæ ſeu Hoſpitalium aſſignari poterit.

XI. Cum plurimi parentes & patresfamilias negligentes reperti fuerint, in mittendis toto anni tempore prolibus & domeſticis ad doctrinam Chriſtianam contra præceptum Apoſtoli infideli deteriorem aſſerentes, qui domeſticorum curam non habet, ubi notatum fuit apud plures majorem eſſe curam cuſtodiæ pecorum, quam pro pabulo ſpirituali animarum pretioſo Chriſti Sanguine redemptarum, diſtricte præcipimus, ut parentes hoc negotium

gotium propriæ & alienæ salutis non negligant, incurii vero pro qualibet absentiæ vice mulctam Synodalem trium assium seu alborum ad pios usus Ecclesiæ, vel coemenda munuscula catechetica solvere teneantur, refractarii in ea solvenda ad duplum astringantur, ter vero monitos seu incorrigibiles ad Consistoria nostra denuntiari mandamus, graviore pœna etiam interdicti personalis in ordinem redigendos.

XII. Periculis quibusvis animarum occurrere volentes sub arbitraria gravi pœna monemus, ne Parentes Catholici proles suas, famulos aut ancillas ad servitia Acatholicorum cum periculo perversionis & frequenti neglectu exercitii Orthodoxæ Religionis transire unquam permittant, in hoc non tam lucrum modicum temporale, quam immensum animarum pretium cordi sumentes.

XIII. Synodales vigore juramenti præstiti tam circa spiritualia bonam nimirum vitæ ac morum disciplinam, quam ad temporalia seu reditus & proventus Ecclesiarum conservandos astricti, denuntient excessus & defectus occurrentes, quales sunt neglectæ doctrinæ Christianæ, commissæ prophanationis festorum, aliique similes, sicut etiam pari zelo provideant bonis & juribus Ecclesiarum, ut pro creditis sufficiens & legalis hypotheca constituatur, prædia vero agri, vineæ & prata plus offerenti, & non ultra sexennium elocentur.

XIV. Qui Festa operibus servilibus vehendo, metendo, molendo, pinsendo, vel alias absque necessitate aliqua messis aut vindemiæ, & expressa licentia Vicariatus nostri Generalis, aut Pastorum ab hac Metropoli distantium prophanaverint, arbitraria mulcta Synodali semper corrigi mandamus, quoad hoc tamen Parochos in Domino monentes, ne faciles nimium sint in ejusmodi licentia concedenda, nec nimium duri in ea post peractum Officium Divinum deneganda, ubi communis necessitas aut periculum perdendarum frugum urserit.

XV. Festa universalis Ecclesiæ in hac Archidiœcesi nostra uniformiter servari præcipimus, neque ulli Pastorum liceat pro libitu vel ex propria devotione Festa particularia, præterquam Patronorum Parochialis Ecclesiæ, promulgare, deceatque omnino reliquas jurisdictioni nostræ Archiepiscopali ordinariæ subjectas Ecclesias ritibus & exemplo Metropolitanæ Matris suæ conformari.

XVI. Festa tonitrualia, ut vocant, quæ plerumque indiscreta Religio, vel etiam superstitio citra consensum Superiorum, ac contra ordinem Ecclesiæ pertinaciter hactenus induxit, prorsus abrogari mandamus, ex caussis tamen approbantes diebus illis, in quos ita dictum Festum tonitruale incidit, in honorem Sanctorum, Missam tempore matutino erga salarium congruum Pastoris celebrari, eoque finito, absque ulteriore feriatione operibus servilibus libere vacari.

XVII. Superstitiosam feriationem Sabbatorum, præsertim solenniora Festa præcedentium, in quibusdam Capitulis Ruralibus observari consuetam omnino sublatam volumus sub pœna interdicti personalis contra refractarios decernendi: fidelem vero populum in Domino hortamur, ut post peractos in Sabbato diurnos labores, circa vesperum in honorem magnæ Matris, Litanias Lauretanas, aut Rosarium in Ecclesiis devote recitent, hocque medio ad Dominicam condigne celebrandam se disponant.

XVIII. Scandalosos abusus & excessus, ac irreverentias in processionibus seu peregrinationibus publicis committi solitas posthac evitari cupientes, inhibemus cumprimis Processiones Sacramentales, quæ ultra horam a Parochia distant, præsertim ubi contingit e pluribus quandoque Parochiis Augustissimum Sacramentum deportari, quod tantummodo in illa Parochia seu statione, ad quam aliæ processiones conveniunt, debita cum reverentia & adora ione exponi permittimus: quoad alias vero processiones, ne ob abusus loco meriti & benedictionis in demeritum & abominationem transeant,

ſeant, hiſce ſerio ordinamus, ut Paſtores, ſeu eorundem Vicarii Parochianos ſuos ad ſimiles proceſſiones ſub arbitraria mulcta comitentur, neque ſinant oves ſuas ſine duce vagari, deinde populum fidelem in Eccleſia Parochiali congregatum bono ordine educant, & reducant, caveantque omnino, ubi de nocte emanere debent, mares & fœminas in eodem loco dormire, vel utriusque ſexus juventutem permixtim domum redire, ſeu etiam finita proceſſione ab ipſis Parochis vel Parochianis exceſſum notabilem in potu fieri.

XIX. Ad præcavendas excurſiones Parochorum cum Parochianis in feſtis Dedicationum in vicinis Parochiis fieri conſuetas cum neglectu proprii parochialis Officii, & aliis inde ſecutis ſcandalis, approbamus in aliquot Capitulis Wallonicis juxta Ordinationes inhæſivas Vicariatus noſtri Generalis *de vigeſima ſecunda Auguſti* 1679. *decima quinta Octobris* 1690. feſtum Dedicationis quoad ſingulas Parochias in Dominicam proxime ſequentem feſtum S. Martini translatum fuiſſe, ubi vero hæc translatio ad uſum deducta non fuit, ordinamus ſolenne feſtum Dedicationis in ipſa feſta Ss. Patronorum Tutelarium incidens, Dominica proxime ſequente celebrari, & Ss. Patronis Eccleſiarum ſpecialem cultum exhiberi.

XX. Inhærentes Edicto noſtro pœnali inhibitorio *de nona Auguſti* 1718. graviſſime inhibemus compotationes, choreas, & conventicula tam diurna, quam nocturna utriusque ſexus, tanquam operibus tenebrarum propria, quibus feſta potiſſimum Dedicationis impie prophanari, & loco gratiæ juxta mentem Eccleſiæ, & uſum piorum fidelium in iis feſtis ſolennioribus per interceſſionem Ss. Tutelarium impetrandæ, offenſa Dei Omnipotentis magis provocari ſolet, mandantes Edictum noſtrum, ubi necdum debite publicatum fuit, de novo ubivis ſolenniter e cathedris publicari, ac valvis Eccleſiarum affigi, ne poſthac prætendi poſſit incognitum, quod tam patenter extitit publicatum, cujus exacta executio in locis Catholicis eo majore zelo promoveri deberet, quod Acatholici vicini idipſum quoad dies feſtivos & Dominicos laudabiliter obſervari faciant, ac filii tenebrarum prudentiores in hoc filiis lucis appareant, imo Catholicorum incuriam in hoc merito reprehendant.

XXI. Quanquam ex lege Divina veteris & novi Teſtamenti per ſacros Canones, Concilia, & Bullam S. PII V. quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus*, obſervantia Feſtorum piis fidelibus efficaciter injungatur: dolenter tamen intelleximus in diverſis locis Archidiœceſis noſtræ Trevirenſis, imo in ipſa Metropoli noſtra, quæ aliis ſubjectis Eccleſiis prælucere debet exemplo, ſolenniora feſta Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Mathiæ ſpecialium Patronorum hujus Archidiœceſis per nundinas & mercatus publicos cum ſcandalo vicinorum Acatholicorum prophanata, & Divina Officia neglecta, ſeu minus decenter celebrata fuiſſe: Nos proinde Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis in ultimo noſtro Edicto inhibitorio *de nona Auguſti* 1718. inſiſtentes, diſtricte præcipiendo mandamus, nundinas publicas ſeu hebdomadales, ſeu annuas in diem Dominicum ſeu de præcepto feſtivum incidentes, in diem proxime ſequentem non feſtivum, ſed ferialem pro conſtitutione cujusvis loci transferri, neque permitti, ut Diœceſani noſtri ad aliena territoria Catholica ſeu Acatholica, ubi ſimiles mercatus publicos tolerari contingeret, tranſire valeant ſub arbitraria gravi pœna, cujus executionem tam Conſiſtoria noſtra Eccleſiaſtica, quam judicia ſæcularia promovere teneantur.

CAPUT IV.

De Officio Paſtoris.

I.

Synodus habeatur prima Dominica, aut ſi impedita ſit, ſequente cujusque menſis.

II. In ea inquiratur 1*mo*. de frequentia vel negligentia Parochianorum, quoad excipiendam doctrinam Chriſtianam, 2*do*. de diligentia & modeſtia in aliis Divinis Officiis, præſertim publi-

publicis processionibus, & sacris peregrinationibus. 3tio. De cultu Festorum, & universim de observantia Christianæ disciplinæ, scandalisque ac vitiis eidem adversantibus, si quæ notata sint.

III. Sicuti Synodi est, consilio, quod pietas suggesserit, operaque juvare Parochiam in prævertendis tum malis aliis, tum iis maxime, quæ ex pravo paucorum exemplo in reliquos dimanant, nisi caveatur: ita ejusdem est, ut leves etiam defectus, saltem post admonitionem semel interpositam, coerceat, exigendo a reis confessis, vel convictis mulctas consuetas, uti antiquissimo jure Statutorum Archiepiscopalium debentur Ecclesiæ per discolos læsæ, & pro termino quidem peremptorio solvendi, quod injunctum est, habeatur sessio proxima Synodi, ita, ut qui tunc non paruerit, ipso facto reus sit pendendi duplum pœnæ, cujus sic auctæ dimidium Synodo cedat ob spretam ejus authoritatem.

IV. In denunciandis excessibus, qui in terris Electorali jurisdictioni subjectis commissi, gravitate sua postulant cognitionem officii, Synodus fideliter addet circumstantias omnes, quæ ad causam faciunt, uti nomina testium, ex quibus, si delictum notorium non est, veritas inquiri possit, totaque ea denunciatio in scriptis redigatur, non solius Parochi, sed etiam Synodalium manu vel signeto munita.

V. Meminerit Synodus, cum de delictis corrigendis vel denunciandis agitur, non rem privatam agi, sed publicam, cujus neglectus in grave præjudicium animarum & Ecclesiarum vergere possit: Ne igitur non sine periculo perjurii & damni propriæ animæ aut leviter dissimulentur, quæ sciuntur perperam esse acta, aut non ea, qua par est, fide referantur ac denuncientur, singulis angariis, ut memoriæ altius inhæreant, ex agendis, aliisque ordinationibus, quæ ad Synodi officium pertinent, publice prælegentur.

VI. Acta cujusque Synodi fideliter conscribet Præses ejus, servabitque, ut Visitatori, aut, cum oportuerit, officio ipsi exhiberi possint.

VII. Pastor sub finem cujusque mensis, Decano vel ejus vices gerenti Definitori rationes scripto reddet. 1mo: De Concione, Catechesi, aliisque Officiis Divinis qualibet septimana peractis, & hora præscripta, nec non de Scholis quater minimum visitatis per mensem. 2do: de Synodo habita. 3tio: de executione specialiter sibi injunctorum præsertim tempore visitationis.

VIII. Literis iisdem inseretur, si grave quid occurrat renunciandum, quod reformatione vel remedio egeat quoad Parochianos ac statum Ecclesiæ, præsertim si præjudicium aut periculum patiatur res orthodoxa, aut si scandala publica vigeant: Quod si non sit, quod super his præscribatur, idipsum juxta Ordinationem Archiepiscopi LOTHARII exprimendum erit.

IX. Cum prædictis literis jungentur, ubi suppetunt, denunciationes speciales a Synodo confectæ, de quibus §. 3. dictum est; itemque gravamina, si qua videantur competentis Judicis auxilio egere, ut cura Decani, quo oportuerit, illico transmitti possint, quæ sic separatim a cæteris negotiis conscripta sunt.

CAPUT V.

De Officio Definitoris.

I.

Cum personæ unius opera non sufficiat ad omnia onera, quæ officio Decani incumbunt in tanto numero Ecclesiarum Capituli Ruralis ferenda, sed ea partiri pro rata districtuum necesse sit in Subdecanos quosdam seu Definitores aut Camerarios, horum primum ac præcipuum munus erit, ut officio Ecclesiastico, cui vice oculorum ac manuum sunt in suis districtibus, fideliter renuncient, qui se habeat status Ecclesiarum subjectarum. Quare quæ de eo perspecta habent, tum ex literis Parochorum, tum aliunde, in brevem summam redigent, perscribentque eidem officio trimestri quovis.

II. Summa Capitum, de quibus rescribatur, erit 1mo: An Synodus, officiaque alia Parochialia, præsertim concionandi & catechizandi tempori-

bus præſcriptis habita ſint in omnibus Eccleſiis? *2do*: An Clericus quis notatus ſit de gravi exceſſu adverſus honeſtatem clericalem ſeu ſtatus ſui, præſertim ebrietate, aut ſuſpecta familiaritate cum altero ſexu? *3tio*: An vigeant ſcandala gravia in Parochianis locorum, præſertim quoad profanationem feſtorum, & periculoſos conventus improvidæ ætatis? *4to*: An alicubi præjudicium periculumve patiatur res orthodoxa per apoſtaſiam, tranſitum ad famulitium hæreticorum, diſſeminationem & lectionem libellorum peſtilentium? *5to*: De præjudiciis & neceſſitatibus urgentibus Eccleſiarum. *6to*: De executione ſecuta vel neglecta ordinationum temporalium, quæ tempore viſitationis vel alias poſitæ, intimatæve fuere Paſtoribus ſubjectis.

III. Cum veris Paſtoribus neceſſarium ſit, *diligenter agnoſcere vultum pecoris ſui*, *ſuosque greges conſiderare*, juxta monitum Sapientis, Definitor quovis anno viſitabit Eccleſias ſibi ſubjectas ſingulas, cum, ſi ſecus fiat, quamplurima, quæ remediari poſtulant, eum lateant, neceſſe ſit, & fides ipſa relationum menſtruarum parum firma haberi poſſit.

IV. Cum veri Superioris poteſtas Definitori, tanquam Subdecano competat in Parochos, aliosque Miniſtros Eccleſiarum diſtrictus ſui: illa vero intelligi nequeat ſine modica coercitione, qua etiam inviti compellantur ad obediendum juſtis mandatis, conſequens ſit, non ſolum jus eſſe, ſed rigoroſam etiam officii neceſſitatem, ut nemini impune abeant transgreſſiones etiam leves ſive ſacrorum Canonum, ſive Statutorum Archiepiſcopalium, quorumcunque, idque eo magis, quo notius eſt, per præpoſteram commiſerationem erga paucos veram crudelitatem exerceri erga bonum publicum nominis & ſtatus Clericalis, nullaque re perinde quam conniventia ejusmodi excitari ſolere voces blaſphemas, quaſi, quæ a DEO ordinata eſt Clericorum exemptio, licentiam præbeat impune peccandi: Igitur quæ circa correctionem delinquentium Decanis foraneis injuncta ſunt, ea quoque ad ſe pertinere, ſervata muneris proportione, & debita inferiorum ad ſuperiores ſubordinatione, pertinere ſciant Definitores; & ut absque perſonarum acceptione exequantur, curæ habeant diligentiſſimæ, tanquam rationem reddituri non hominibus modo, ſed Chriſto Judici de peccatis alienis, quibus per neglecta impoſitæ cuſtodiæ ſacrarum legum temere communicatur.

V. Utque officii, quod propter notam aſperitatis effugi ſolet, adimpletio certius obtineatur, ipſo facto, qui mulctas iis, quos plecti oportuerit, remiſerit, reus deinceps ſit ſolvendi de ſuo id totum, quod exigere neglexit: Et quovis etiam trimeſtri Præſes ruralis officio Eccleſiaſtico non ſolum ſigillatim de mulctis perceptis rationem reddet, ſed etiam, an omnes, quos ex legitima denunciatione vel inquiſitione, aut rerum inſpectione reos transgreſſionis alicujus eſſe cognoverat, puniverit juxta Ordinationum Archiepiſcopalium ſtatuta?

CAPUT VI.

De Officio Decani.

I.

Conſtat, omnia & ſingula, quæ pro munere Definitorum ordinata ſunt, etiam a Decano adimpleri oportere, circa Eccleſias immediate ſubjectas, utpote alio Rectore & Præſide diſtrictus deſtitutas: Quare repetitione non egent, quæ ſuperiore Capite allata ſunt de viſitandis ovibus, evocandis Paſtoribus ad Congregationem S. Caroli, aliisque indubitanter annexis, officio Præſidis Ruralis cujuscunque, ſive de iis dictum jam ſit, ſive addendum & dicendum reſtet.

II. Ut ea, in quibus nervus Eccleſiaſtici regiminis Decanatuum Ruralium poſitus eſt, inviolabiliter obſerventur, mulctæ unius floreni aurei absque diſpenſatione aliqua ſubjaceat, quisquis neglexerit, vel Synodum habere præſcriptam, vel adire Congregationem D. Caroli, aut ad eam convocare ex officio, vel literas aut acta conſcribere, quæ vi muneris obiti neceſſaria ſunt, ſive in viſitatione annua

ſingu-

ſingularum Eccleſiarum, ſive in celebranda Congregatione & Synodo prædictis. Neque ad hujusmodi mulctam incurrendam plus requirendum erit, quam quod probari nequeat impedimentum legitimum officii alicujus ex prædictis prætermiſſi.

III. In corrigendis exceſſibus vel negligentiis, pro quibus per Statuta Archiepiſcopalia poſita non eſt pœna certa, foranei Præſides arbitrio ſuo juſto utentur, ea tamen conditione, ut neque puniendo excedant taxam unius floreni aurei, neque indulgendo, etiam in leviſſimis erratis, impune quid abire permittant poſt monitionem interpoſitam, neque demum monitione utendum timide cenſeant in his, in quibus ſuapte natura unumquemque monet ipſa ratio officii Paſtoralis, aut Clericalis honeſtatis, ſeu potius clamat, quid prætermittendum, agendumve ſit. Penes Vicariatum vero erit, uti judicium ipſum, quæ graviore animadverſione, quam per inferiores Præſides fieri poſſit, caſtiganda ſint, ita etiam jus integrum, cum exceſſuum gravitas popoſcerit, ſive ad mulctam juſto arbitrio augendam, ſive ſuperaddendam pœnam aliam, nihil obſtante præventione correctionis in Decanatu factæ, utpote quæ charitativa potius cenſenda eſt, quam ullatenus judicialis & forenſis, aut Conſiſtorii propria.

IV. Decanus Definitores ſibi ſubjectos viſitabit quovis anno, convocatis ad eorum Eccleſias Paſtoribus diſtrictus, juxta Inſtitutum Congregationis S. Caroli.

V. Literas, ac alia quælibet, quæ a Parochis & Definitoribus ad Officium Vicariatus transmittuntur, Decanus fideliter colliget, ut certius, quo oportet, perferri poſſint, cura transmiſſionis non diviſa in ſingulos: Quem in finem neceſſarium erit opera uti Æditorum, aliorumve ſervitio Eccleſiæ adſtrictorum, ut ab una Parochia ad aliam certo ordine, quæ transmittenda ſunt, perferant, donec Decano conſignari poſſint, viciſſimque ab eodem recipiant, quæ ad Definitores perferenda ſunt, aut per eos inter Paſtores ſubjectos diſtribuenda: Utque periculum, quod in ejusmodi transportationibus frequens eſt, evitetur, conveniet, ea quæ perferuntur, ſacco includi ſera probe munito, ſic namque & Decano ſuppetet, & Definitoribus modus tutius ac certius communicandi, quæ oportet, vel ad invicem, vel cum ſubjectis Paſtoribus, ſi ſcilicet ſaccus alius ad definitionis duntaxat uſum, alius, qui Decani proprius ſit, conficiatur, ad communicandum cum Definitoribus.

VI. Præter communicationem Inferiorum cum Archiepiſcopo ſuo, quæ ordinarie fit mediante Vicariatu, convenit, ut bis ſaltem per annum etiam immediate fiat. Igitur menſe Januario & Julio Decani & Definitores literas ſuas ad Archiepiſcopum dabunt renunciando ſummarie, quæ juxta formulam trimeſtralium alias ſignificanda ſunt de ſtatu Eccleſiarum, itemque nominatim referendo. *1mo:* An Synodi habitæ? *2do:* An Congregationes menſtruæ S. Caroli? *3tio:* An peractæ viſitationes pro rata anni & Eccleſiarum? *4to:* An receptæ literæ menſtruæ Paſtorum? *5to:* An transmiſſæ ad Vicariatum trimeſtrales, recepto ad easdem reſponſo? *6to:* An mulctæ, quæ juxta Statuta imponendæ erant, impoſitæ & collectæ ſint citra indulgentiam, vel remiſſionem aliquam? Iisdem literis jungentur, ſi quas dare voluerint Paſtores alii, cum a recurſu ad Archiepiſcopum ſuum nemo prohiberi poſſit, ſed liber aditus ad communem Patrem cuique patere debeat.

CAPUT VII.

De Congregatione Sancti Caroli.

I.

Congregatio hæc componi nequit ex membris ſive invicem remotioribus, ſive pluribus, quam ut commode celebrari queat per annum in Parochiis ſingulis, ſicque numero ad ſummum duodenario perſonarum conſtabit.

II. Secretarius & Cæremoniarius, nec non eorum Subſtituti deligentur per ipſummet cœtum, accedente tamen approbatione Vicariatus; cujus etiam

eſt, confirmare electionem Definitoris, qui pro rata diviſionis diſtrictuum, præſit cœtui alicui prædicto.

III. Munera, quæ cuique obeunda fuerint, ſive concionandi, ſive catechizandi &c. in cœtu anteriore diſtribuet Definitor; eujusdemque eſt præſtituere diem & locum, quo ſubſequens Congregatio celebretur.

IV. Dominica prædictum diem præcedente promulgabitur cœtus a loci Parocho, propoſitis indulgentiis, quæ in tabella ad valvas Eccleſiæ præfixa legi poſſint, præviaque pridie illius diei compulſatione campanarum ſub veſperam ad populum denuo commonendum.

V. Die præſtituto mature, quoad fieri poteſt, aderunt, qui vocati ſunt, convenietque, ut Definitor & Secretarius cæteros prævertant, ante inchoata Divina viſitaturi cuſtodiam Ss. Euchariſtiæ, & Ss. Liquorum, itemque baptiſterium.

VI. Hora ſeptima initium Divinorum fiet cantando ſacrum funebre, cui concio (quæ ſpatium dimidiæ horæ non excedat) ſubjungetur, ac Sacrum alterum ſolemne, Sacerdotibus ſaltem ternis, dum a cæteris Divina peraguntur, occupatis in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ.

VII. Ut Catecheſis, quæ horæ ſpatio fiet poſt peracta Divina, evadat utilior; ſtatuetur certa materia, de qua tractandum ſit, juxta ſeriem videlicet capitum parvi Catechiſmi P. *Philippi Scouville*. Igitur qui officio fungitur catechizandi, ex propoſito capite deliget quæſtiones cuique audientium claſſi aptas, ita ut partim memoria exerceatur parvulorum, partim qui rationis uſum adepti ſunt, pro modulo ætatis addiſcant ſcitu neceſſaria, partim qui adultiores ſunt, non ſolum diſtinctius, quæ credi oportet, doceantur, & contra oppoſitos errores muniantur, ſed etiam ad vivendum juxta propoſitam fidem Chriſtianam juventur cohortatione accommoda. Curaque Paſtoris erit, ut nec deſit prævia exercitatio ſuorum ad reſpondendum tempore cœtus, nec munuſcula deficiant, quibus alliciatur aviditas excipiendi catechizationem hujusmodi ſolemnem.

VIII. Dum catecheticum exercitium fit coram tribus ex congregatione delectis; terni alii, quibus Definitor commiſerit, viſitabunt Sacriſtiam, ejusque ſupellectilem, prout juxta fidem Inventarii per Æditum adnumerabitur; Templum denique ipſum obeundo & cœmeterium. Definitor vero aſſumpto Secretario, ſub idem tempus audiet Synodales loci, breviter interrogando unumquemque ſuper his, de quibus ex officio teſtimonium reddere tenentur.

IX. Circa undecimam prandebitur, præmiſſa benedictione, ſubjectaque gratiarum actione juxta Ritum Romanum. Inſtruetur autem menſa ferculis quatuor duntaxat, & frugalitatem decentibus, ſcilicet juſculo, olere cum additamento, carne bubula, itemque vervecina, vel vitulina pro ratione temporis. Nec quoad potum ultra dimidiam amphoram cuiquam miniſtrari poterit. Interea vero dum corpus reficitur, ſua etiam refectio animæ tribuetur, audiendo, quamdiu accumbitur, prælegentem, quæ officii Sacerdotalis & Paſtoralis ſunt, præſertim Statuta ruralium Decanatuum. Convenit enim, horum memoriam ſingulis ſaltem angariis ea prælectione renovari publice.

X. Circa duodecimam menſa plene ſoluta, Cæremoniarius, quæ ſui muneris ſunt, exequetur, partim in ritibus ſacris exercendo convocatos, partim in cantu ſolemni, & de defectibus, ubi inciderint, admonendo fraterne, quos oportuerit: Definitor vero aſſumpto ſub id tempus Secretario, unumquemque congregatorum ſeorſim evocabit, audietque ſuper quibus juxta formulam viſitationis inquirendum fuerit, viciſſim exponendo mandata, reſponſaque, ſi qua vi officii danda ſunt.

XI. Quod reliquum temporis eſt uſque ad horam quartam, impendetur primum quidem audiendis reſolutionibus caſuum, quos per Vicariatum propoſitos, terni ad id delecti diſcuſſerint, reſpondendo etiam ad objecta per toti-

totidem delectos, eosdem nempe, qui in cœtu anteriore partes sumpserant respondentium. Cumque certo ordine materia, quæ discussioni subjicitur, deligatur ex doctrina morali; eorumdem, qui objecere, erit, personam gerere pœnitentis, accusantis se super his, quæ in materia proposita frequentius incidunt, ita ut quæ partes Confessarii sint circa sic audita priores resolvant, methodum utrinque exhibendo, qua practice obeatur munus, quod tanti momenti est: Hisce Definitor subnectet gravamina delecta, aliave, quæ ut cœtui proponantur, digna videbuntur, tractationemque publicam & consultationem exigere, sive causa ad universos pertineat, sive ad Parochiam certam.

XII. Sub finem perlecta distributione officiorum, quæ in proxima Congregatione cuique obeunda sint, statutoque die ejus cœtus, Præses nomine omnium grates dicet Hospiti, ac ejus domesticos remunerabitur munusculis piis, quæ ad hunc usum suppetere poterunt sumptibus cassæ Decanalis.

XIII. Dato subin per campanam signo, quo etiam populus loci evocetur, circa quartam vespertinam procedetur ad Templum, & coram proposita Ss. Eucharistia gratiæ condecentes agentur, cantando Antiphonam Virginis, & Hymnum Ambrosianum. Demum itinerarium recitabitur, acceptaque benedictione Ss. Sacramenti, solvetur cœtus, unoquoque itineri se suo recta committente: quin ad quemquam divertere liceat, sive loci civem, sive etiam Pastorem. Quod si forte Synodalibus, denuo Præsidem salutaturis, indicandum quid sit, id paucis & ante fiet, quam in Templo ut dictum est, finis imponatur Congregationi.

CAPUT VIII.

De Inquisitionibus.

I.

Una alterave septimana, antequam ad visitationem, quæ tempore Congregationis fit, accedat Definitor, a loci Pastore recipiet tum Acta Synodorum per anni decursum habitarum, tum rationes Ecclesiæ ab ejusdem Synodo confectas & subscriptas, ut in utrisque, quod examine vel correctione eget, annotari possit prævie, & citra dispendium temporis necessarii ad functiones Congregationis prædictæ.

II. Synodalibus simul evocatis, proponentur a Definitore *1mo.* Capita eadem, super quibus in menstrua Synodo agi solet, & an grave quid occurrat præter jam denunciata per annum? *2do.* Quoties Synodus prætermissa sit, & quam ob causam? *3tio.* An remissa sit alicui reo mulcta synodalis, & cur? *4to.* An Officia Divina in Parochia statis diebus & horis diligenter peragi soleant? *5to.* Quoties Catechesis vel concio omissa sit?

III. Posthæc ex unoquoque seorsim vocato inquiretur: *1mo.* An quid specialiter addendum occurrat circa jam inquisita? *2do.* An testis officio denunciandi in Synodo fungi frequenter soleat, vel raro? *3tio.* Qua satisfactione vel querela munia Pastoralia obeantur? *4to.* An recto exemplo sit Pastor, aliique Ecclesiæ Ministri, an vero fama laborent non bona, & in quo?

IV. Tandem toti Synodo cum Pastore evocatis, tradet Definitor annotata circa rationes Ecclesiæ, ut vel eodem die ad ea respondeant, vel alio ad respondendum præfixo, nec ante, nisi plene satisfactum sit, rationes approbabit, aut iis subscribet?

V. Cum Definitor partes Judicis sibi sumere non possit, neque aures præbere sive accusationi, sive etiam denunciationi, nisi quæ Charitativa & Evangelica sit, diligentissime cavebit, ne justitiæ vel charitati, quam Pastoribus præsertim, aliisque Clericis sibi subjectis debet, quoquo modo contraveniat. Unde ad specialem inquisitionem nunquam progredietur, nisi ante constet indubitato de fama alicujus graviter læsa super excessu delato.

VI. Generaliter igitur solum inquiret ex unoquoque Pastorum seorsim vocato. *1mo.* An his, quæ in menstruis literis perscripsit, habeat, quod addat, moneatve? *2do.* De observatione

tione Statutorum Archiepiſcopalium, an vigeat in Clero diſtrictus, an deficiat, & in quibus maxime? *3tio.* An ſciat ſive ejus, qui viſitatur, ſive alterius famam gravatam eſſe ſuper exceſſu aliquo contra honeſtatem Clericalem? Ad hoc vero ultimum Definitori reſponſio in ſcripto rite occluſo dabitur ab omnibus, ut & qui denunciat, celetur cæteris, & qui denunciatur, in ſuſpicionem injuſtam non veniat apud quemquam contra rationem & regulam denunciationis Evangelicæ, quæ quamdiu de infamia non conſtat, ſecretum poſtulat, & inter denunciantem & Superiorem ſolos fieri debet.

CAPUT IX.

De conſcribendis Actis tum Viſitationis, tum Congregationis habitæ.

I.

Neceſſe erit, ut cum Definitor domum ſe recipit a Congregatione, comitem accipiat Secretarium ſuum; vel ſaltem poſtridie conveniant ad Acta ordine conſcribenda, cum ob temporis, quod congregatio conceſſerat, anguſtias, non niſi brevibus notis juvare potuerint memoriam eorum, quæ in cœtu peracta ſunt, tametſi omnia & ſingula partim ut teſtes de viſu coram aſſiſtendo perceperint, partim ex aliis, quibus in inſpectione Templi, & Catecheſi audienda vices ſuas delegavere, eadem indubitata fide cognoverint, vel certe cognoſcere potuerint audiendo, quæ ii ſuper commiſſis referrent.

II. Ut igitur citra ambiguitatem, quæ geſta ſunt, Vicariatui ex fide Actorum conſtare poſſint, poſt annotatum diem & locum Congregationis, frequentiamque evocatorum, referendum erit ad Acta juxta tenorem ſequentium Capitum ſeu Articulorum.

1. Quæ fuerit diſtributio officiorum?

2. An omnia, & eo, quo præſcriptum eſt, ordine in congregatione peracta ſint; & de vitato exceſſu frugalis menſæ?

3. Qua ſatisfactione habita ſit concio, catecheſis, & reſolutio caſuum?

4. An inquiſitum ſit in ſingula capita, quæ complectitur formula inquiſitionum?

5. Quæ reperta ſint reformatione, correctioneve digna in viſitatione Templi, ſupellectilis ſacræ, domus Paſtoralis, librorum &c.

6. An defectus notatus fuerit circa adminiſtrationem officii Paſtoralis, vel circa mores ac vitam Parochi?

7. An circa Miniſtros alios Eccleſiæ vel Synodales, vel loci Parochianos, vel ipſum diſtrictum definitionis notatum quid ſit, quod reformatione egeat?

III. Licet Acta dicto ordine conſcripta, & manu tum Definitoris, tum Secretarii infra menſem a peracta viſitatione ad Vicariatum transmittenda ſint; tamen citra dilationem aliquam Definitor in ſcripto moneat eum, quem viſitaverit, de præcipuis capitibus, quæ per ocularem evidentiam intellexerit reformatione egere, deque iis poſtulet rationem ſibi reddi ſingulis menſibus, donec plenam executionem ſortita ſint. Conſtat namque eo maxime ex capite tot, quot fiunt, viſitationes, earumque expenſas & labores reddi omnino inutiles, quia vel ſuperficialis duntaxat monitio fit corrigendorum, vel quomodo corrigantur, attendere & vigilare negligunt ii, qui proxime aſſiſtunt cuſtodiæ ovium ſibi commiſſarum. Porro quæ Definitor ita, ut dictum eſt, corrigenda cenſuerit in Eccleſia viſitata, & perſcripſerit, etiam ad Acta, quæ ad Vicariatum transmittentur, referet & annectet: ipſorum vero Actorum exemplar penes ſe retinebit, donec ad archivium Decanatus referri poſſit.

IV. Decreta reformatoria, ſi quæ mittet Vicariatus, Definitor citra moram communicabit cum iis, ad quos pertinent, curabitque, ut Paſtores in ſeparato libro conſcribant Ordinationes, tum quæ communes ſunt, tum quæ loci propriæ, ſive ab ipſo Archi-Epiſcopo emanent, ſive a Vicariatu. Unde, ut ſupra jam notatum eſt, vigili oculo cum quisque viſitatur, attendendum erit, & an extet liber ejusmodi, & an, quæ pro tempore ordinata fuere, eidem

eidem fideliter inserta sunt, atque executionem sortiantur?

V. Quia neque damnari, nisi auditus quis potest; neque rursus infamia gravis, quæ nomini alicujus Clerici irrogatur, contemni, postquam de ea plene constiterit ex fide duorum vel trium, Definitor ex officio ad se evocabit denunciatum, eaque, quæ paternæ correctionis sunt, exequetur circa confitentem. Si vero is diffiteatur, quod denunciatum est, nihilominus inquiretur veritas ex Synodalibus loci, vel aliis, quibus illa liquido comperta esse possit, ut sive de eodem, quod publica voce proditum est, delicto, sive saltem de mali specie, qua pravis sermonibus ansa data sit, vel reus convincatur, vel probata innocentia absolvatur, eademque opera resciatur author calumniæ, & ad competentem satisfactionem compelli queat.

VI. Hactenus dicta etiam Decanus, qua supra notatum est, proportione servabit in visitandis Ecclesiis tum districtus immediate subjecti, tum Definitoris cujusque, cum Congregatio apud illum cogenda est, die per eundem Decanum præstituto ad visitandum locum.

VII. Quia vero Præses inferior, non solum qua loci Pastor, sed etiam qua Definitor a Decano tanquam Superiore suo, visitatur, ad hunc prævie transmittenda erunt præter Acta Synodalia, & rationes Ecclesiæ, etiam Acta Congregationum per annum celebratarum, nec non rationes mulctarum, quæ a subjectis Clericis exactæ fuerunt per Definitorem: Ex iis enim facile colligi poterit, quomodo is, qui definitioni præest, officio suo satisfecerit, junctis maxime testimoniis, quæ in occlusa charta a singulis congregatis tradentur Decano de iis, quæ ad regimen definitionis pertinent; an videlicet super eo querela aliqua sit, sive ob conniventiam erga nonnullos, sive ob excessum in mulctando aut corrigendo, sive ob transgressionem aliquam aliam officii Præsidis: Quæcunque vero gesta fuerint, ordine referenda erunt ad Acta, ac ad Vicariatum transmittenda, ut distincte satis expositum est, dummodo singula, quæ visitanti Definitori præscripta sunt, cum proportione debita applicentur.

CAPUT X.

De Synodo Decanali, seu annuo Capitulo Rurali.

I.

Quia juxta antiquissima Statuta Ss. Canonum Synodum Cleri, qualis pro amplitudine Diœcesium potest, celebrari quotannis, necesse est, nemini, qui curam animarum habet, abesse liceat a Synodo Rurali, quam die præstituto Decanus evocaverit; idque sub mulcta unius floreni aurei, nisi impedimentum, quod cœtui justum visum fuerit, excuset.

II. Sicuti Decani & Definitorum officium proprium est, per totum annum simpliciter quidem & de plano, & absque ulla jurisdictione, tamen solicite & cum assidua cura investigare, quæ reformatione, correctioneve sunt digna, aut alias remedio egent, atque ad id facilius præstandum adminiculis Synodorum, Parochialium, creberrimarum literarum, nec non visitationum cujusque Ecclesiæ, ac tandem Congregationum S. Caroli multipliciter juvantur: Ita iisdem incumbit, in Synodo Decanali fideliter referre, & quis universim sit Ecclesiarum status, & quæ præcipue postulent correctionem providam, & remedium?

III. Primum omnium Præses quisque Ruralis de suo districtu referet, quomodo adimpleta sint Statuta de habendis Synodis Parochialibus, adeundis Congregationibus, scribendis literis, actisque necessariis. 2. An per totum annum habitæ sint præscriptis diebus conciones & catecheses. 3. An mulctæ, quæ sive ob neglectum alicujus ex prædictis officiis, sive nomine alio incursæ fuerant, solutæ omnes sint, & ad Decanalem cassam illatæ? Decanique erit, non solum pœnam dupli a morosis solvendam infra mensem a finita Synodo exigere, sed etiam nomina earundem sigillatim deferre ad Archiepiscopum.

IV. Quod ad Parochianos attinet, referetur, utrum ab omnibus & singulis satisfactum esse præcepto Paschali, sciatur, ex schedis, quæ fidem faciant, in omni Parochia fideliter collectis, propositis dein præjudiciis, si quo alicubi Religio Catholica patiatur. Nec non scandalis, quæ præcipue vigere notata sint, audientur suffragia singulorum Congregatorum, quo remedio provideri possit adversus mala ejusmodi.

V. Ne in vanum recidant, quæ in Synodo gesta sunt, Decanus, antequam ea solvatur, adhibito consilio Definitorum selecta Capita nonnulla ex his, quæ proposita auditave fuere, tanquam præcipue postulantia correctionem aut remedium publicabit cœtui. Utque de iis, quomodo executioni mandata sint, referatur, a quibus oportet per consuetas literas, injunget efficaciter, ita ut etiam in Capitulo subsequentis anni super iisdem punctis, an plenam executionem sortita sint, aut quid obstiterit impedimenti, omnium primo in quæstionem vocandum sit.

VI. Mensa eadem prorsus frugalitate, qua pro Congregatione menstrua præscriptum est, instruetur, neque fas erit, nomine symbolæ plus exigi vel etiam dari, quam æstimatio sic frugaliter instructæ postulet, mulcta consueta ab eis, qui terminos positos quoquo modo excesserint, nihilominus persolvenda.

VII. Decanus ab unoquoque Congregatorum exiget, quæ sub custodia archivii in usus futuros servanda sunt, scilicet 1. Instrumenta authentica omnia Ecclesiæ, si qua extradita nondum sunt, aut extraditis denuo accessere. 2. Inventaria tum supellectilis sacræ, tum jurium omnium cujusque Ecclesiæ, quinquennio saltem quovis renovanda. 3. Ordinem Divinorum Officiorum, quæ per annum peragi oportet in Parochia, sive ut communia aliis, sive debita titulo particularis instructionis, aut consuetudinis approbatæ. Quem ipsum ordinem, cum mutationes diu deesse non soleant, conveniet quinquennio quovis revocari. 4. Rationes annuas, postquam a Vicariatu approbatæ fuerint, similiter in archivio reponendas: Cumque exempla earundem scripturarum in Parochia pro usu Successorum extare debeant, is, qui visitat, fidem facere tenebitur, quod easdem, quo debent, ordine conscriptas repererit, aut ne deinceps deessent, efficaciter injunxerit, curando imprimis, ut singuli Pastores librum habeant rite compactum, cui per distinctas rubricas & debito ordine præter jura & onera Ecclesiæ suæ, inserant rationes annuas accepti & expensi post receptam approbationem earum: Quæ omnia cum bono Ecclesiarum cumprimis necessaria sint, Decanus neglectum quemlibet hujusce Ordinationis plectet mulcta unius aurei floreni, injungendo nihilominus, ut, quod neglectum est, infra mensem executioni mandetur sub pœna eadem denuo repetenda.

VIII. Quia vero etiam in singulis Parochiis necessaria est diligens custodia omnium instrumentorum Ecclesiæ & Beneficii, Pastor loci quidquid eorum servat, uti & librum rationum, literasque obligationum, apochas &c. claudet in cista tribus clavibus munita, quarum duæ penes totidem Seniores Synodales sint, prorsus ad eum modum, quo pecunia Ecclesiæ custoditur, ita ut nisi omnibus præsentibus, nihil e custodia ejusmodi eximi possit, & de eo, quod exemptum fuerit, testimonium scriptum ibidem recondatur.

IX. Decanus & Definitores, si quos de Synodo negligentes esse notaverint in frequentando Sacramento Pœnitentiæ, aut quomodolibet suspectos de minore, quam Clericalem statum deceat, vitæ honestate, obligabunt ad testimonium deinceps sibi consignandum de eodem Sanctissimo Sacramento singulis octiduis obito, idque tamdiu, donec prioris vitæ nota videbitur abstersa esse.

X. Acta Synodi conscribentur in Secretario, reddendo in iis rationem officio Archiepiscopali super Capitibus singulis hactenus recensitis, fiatque scriptio in duplo, ut exemplum alterum citra moram transmitti Archiepiscopo possit.

CAPUT

CAPUT XI.
De Titulis ordinandorum Patrimonialibus.

Quanquam inter alias Conſtitutiones ab initio ſuſcepti noſtri Regiminis Archiepiſcopalis, præſertim *2da Maji* 1719. editas, eo curas noſtras intendimus, ut circa Titulos ordinationum neceſſariæ cautelæ adhiberentur, ne minus dignis, ac quoad titulum, vitam, mores, & doctrinam ſæpius defectuoſis ſacras manus imponi, Eccleſiam ſcandalis exponi, ac Sacerdotium apud Laicos vilipendi contingat: Cum tamen diverſimode Nobis relatum fuerit, cautelas à Nobis & Prædeceſſoribus noſtris felicis recordationis præſcriptas non accurate ſervari, ac complures abuſus ſuper patrimoniis emendicatis, penſionibus ſterilibus, beneficiis non legitimis aut ad ſuſtentationem Clericalem minus congruis, ſeu titulis omnino fictitiis in hanc Archidiœceſin noſtram irrepſiſſe: Nos proinde, quibus potiſſimum incumbit decorem domus Dei & Sacerdotium ejus in omnibus promovere, hujusmodi malis ſerio mederi, ac bono Cleri noſtri Diœceſani mature conſulere volentes, ſequentia eum in finem ulterius ordinanda, & exactæ poſthac executioni danda eſſe decrevimus.

I. Exigente caracteris Sacerdotalis dignitate tales in Clericorum ſortem, & diſpenſanda Divina Myſteria deligi, qui verbo & exemplo aliis præluceant, ante omnia ordinamus, ut Clerici ad titulum a Nobis, ſeu Vicariatu noſtro Generali approbandum promoveri cupientes, exhibeant literas teſtimoniales vitæ ac morum, frequentioris acceſſus ad Sacramenta, converſationis, ac propenſionis ad ſtatum Eccleſiaſticum clauſas ac ſigillatas, omnes in hos Decanos Rurales, & Parochos locorum, ſicut etiam Profeſſores publicos ſub interminatione Divini judicii monentes, ut in literis ſuis teſtimonialibus ſeu commendatitiis absque ullo reſpectu humano juxta con-& ſcientiæ ſuæ dictamen procedant, ac unice ad merita promovendorum, certamque neceſſitatem, aut utilitatem Eccleſiæ reflectant.

II. Quamvis titulos patrimoniales penſionis aut ſimiles pro victu inde habendo aſſignari ſolitæ a ſacro Concilio Tridentino nonniſi diſpenſative pro iis, qui judicio proprii Epiſcopi Eccleſiis utiles, aut neceſſarii ſunt, admitti conveniat, ſtatuimus & ordinamus omnes & ſingulos, qui titulo diſpenſativo patrimonii ſeu penſionis ad ſacros Ordines aſpirant, non aliter admittendos, niſi prævie de biennali ſtudio Theologico ſeu Canonico fructuoſe peracto docuerint, ac in examine ad curam ſubſidiariam Eccleſiæ, cui adſcribi voluerint, idonei reperti fuerint, niſi graves cauſæ in hoc diſpenſari perſuadeant; *Labia enim Sacerdotis*, ut verbis ſacri textus loquamur, *cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*, qui vero repellunt ſcientiam, merito a ſuſcipiendis ſacris Ordinibus repulſam patientur, monente Domino: *Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mibi*; indignum ſiquidem eſt, a multis propriam magis, quam Eccleſiarum utilitatem quæri, ac ignavos fungos alieno melle deliciari, nihil vero laboris in commune bonum conferre, imo ex defectu competentis tituli ad mendicandum cum opprobrio Ordinis Clericalis, ſeu alium ſordidum quæſtum exercendum ſæpius compelli.

III. Inhærentes Ordinationi noſtræ ſupramemoratæ *Cap. 2. num.* 19. & 20. vigore cujus mandatum fuerit, rite doceri titulos non eſſe falſos, fictitios, aliunde a Decanis Paſtoribus, aliisque quibuscunque perſonis tam Eccleſiaſticis & Regularibus, quam ſæcularibus accommodatos, ac in Eccleſiæ fraudem emendicatos; Inſtrumenta vero de patrimoniis in titulum totalem vel partialem aſſignatis per Curias locorum, ubi bona ſita ſunt, realizata, ſigillata, approbata, & ſufficientia reperta fuiſſe, cum exacta hypothecarum deſignatione & atteſtatione valoris ad minimum ſexaginta imperialium annue cenſus realis, ac legitimæ cohæredibus, ſi exiſtant, ſeu congruæ ſuſtentationis aliunde parentibus relictæ, ſicut & præviæ trinæ proclamationis e cathedris per Parochos locorum factæ, & non ſecutæ deſuper ullius oppoſitionis.

tionis. Verum cum nec his mediis, eousque abusus, fraudes & doli in exigendis titulis sisti potuerint, ac interea ex fide dignorum relationibus innotuerit, tam a Parochis, quam a Judicibus & Scabinis, tam communitatum sinistra sæpius affectione ad consanguineos promovendos conventicula seu collusiones fieri, pro efficaci remedio ulterius statuimus & ordinamus titulos patrimoniales nullos posthac admittendos, nisi prævie a supremis Curiis locorum rei sitæ signanter a Consilio Provinciali Luxemburgensi authenticum testimonium de legalitate, sufficientia, & firmitate tituli seu patrimonii a judiciis inferioribus designati coram Vicariatu nostro Generali debite productum fuerit.

IV. Insuper in eodem instrumento tituli patrimonialis expresse caveri volumus, quod uterque, & qui patrimonium, & cui assignatur, medio jurejurando affirment, hoc patrimonium vere absque ullo onere possideri, ac præterea nihil subesse doli, fraudis, simulationis, fictionis, aut alterius iniquæ pactionis, nullumque eo nomine contractum initum, ac promissionem factam, quo minus Clericus promovendus assignato patrimonio vere & re ipsa fruatur, & acta, gestaque in contrarium nulla & irrita declaranda fore & esse. Clericus autem super vitioso titulo promotus ipso facto ab executione Ordinis suscepti suspensus sit, nec aliis majoribus Ordinibus insigniri valeat, nisi requisita singula tam tituli, quam aliarum qualitatum compleverit.

V. Cupientes Constitutionem Archiepiscopalem circa qualitates ordinandorum *de* 10. *Novembri* 1678. rite publicatam posthac observari, serio mandamus; ab ordinandis titulos patrimoniales & pensionem integro mense ante tempus ordinationis Sigillifero Consistorii nostri fideliter exhiberi, qui de iis primitus accurate discussis postea in plena Domini Episcopi Ordinatoris & Vicarii nostri Generalis ac Consistorialium congregatione vi juramenti sui pertinenter referet, formalitates præscriptas non deesse, ac prædictos titulos nullæ falsitatis ac fictionis vitio laborare, ita ut authoritate ordinaria confirmari & servatis servandis admitti mereantur: quem in finem Vicariatus noster Generalis specialem desuper in scriptis approbationem expediri faciat ad effectum investituras desuper concedendi.

VI. Ne vero similes titulo patrimoniali promoti incertis sedibus vagentur, ac sæpe dignitatis Sacerdotalis honorem vagando prostituant, volumus, ut certæ Ecclesiæ adscripti maneant, ac sub oculis & cura Pastoris loci Altari condigne deserviant: ita promoti autem ab Ecclesia, cui semel adscripti sunt, ultra bimestre continuum sine Vicariatus nostri Generalis expressa venia non discedant, minus vero stationem absque novo reali beneficio pro libitu deserere præsumant.

VII. Sicut quoad titulos patrimoniales abusus omnes tolli volumus, ita pari solicitudine præcavendum esse decernimus, ne super beneficiis non legitimis seu ita modicis, quæ sustentationi Clericali non sufficiunt, posthac institutiones seu investituras promiscue permittantur, ac per hoc constitutiones quascunque circa realitatem & sufficientiam titulorum editas eludi sæpius eveniat. Proinde harum tenore inhibemus similes investituras super beneficiis notorie seu apparenter sterilibus permitti aut concedi, nisi prævie coram Vicariatu nostro Generali de annuis eorundem proventibus seu reditibus ac congrua competentia Clerici desuper ordinandi per authentica testimonia doctum fuerit.

VIII. Eandem inhibitionem extendimus ad Beneficia simplicia Patronatus Ecclesiastici mense Apostolico vacantia, serio mandantes investituras sub quocunque prætextu, & quæsito colore non permitti, antequam de natura similium beneficiorum seu unione plena eorum per Vicariatum nostrum Generalem rite cognitum fuerit. Ne alias in præjudicium mensis alternativi seu indulti Apostolici conferendi partes dispendiosis pro more litibus involvi sæpius contingat.

IX. Præter ea, quæ circa titulorum removendos abusus inviolabiliter servan-

servanda præcipimus, serio hortamur omnia & singula in delegendis dignis Ecclesiæ Ministris solicite adimpleri, quæ sacri Canones, Concilium præsertim Trident., Bullæ Pontificiæ & Constitutiones Archiepiscopales antehac editæ, in hac Archidiœcesi circa collationem, susceptionem & executionem debitam sacrorum Ordinum saluberrime præscribunt.

CAPUT XII.

Synopsis germanica Ordinationis Archiepiscopalis de Catechesi in Augusta Trevirorum habenda, quæ incipit:

Nachdemalen ꝛc.

CAPUT XIII.

Synopsis germanica Ordinationis Archiepiscopalis de Catechesi in aliis Civitatibus & oppidis Archidiœcesis Trevirensis habenda, quæ incipit:

Nachdemalen ꝛc.

CAPUT XIV.

De Officio Fiscalis.

I.

Die Lunæ sessioni Vicariatus scripto denunciabit Fiscalis, quidquid excessuum resciverit a Clerico aliquo admissum esse; idque citra exceptionem ullam sive personæ, sive delicti, aut transgressionis ordinationum Episcopalium, similiter excessus Laicorum quorumcunque, licet propter rei notorietatem actione non egeant: die eodem deferet, nec non scandala publica, præsertim quibus Religio festorum fœdatur sive in ipsa Sede Metropolitana, sive alibi locorum Archidiœceseos: Quod si non occurrat, quod denunciandum sit, idipsum scripto significabit.

II. Non solum quæ per se ipse detexit, sed etiam omnia & singula, quæ per quemlibet de officio, etiam extra sessionem ei manifestantur, fideliter denunciabit. Multo magis, cum ab officio ipso excitatur, suscipiet, geretque quidquid causarum impositum fuerit, quoad morum correctionem.

III. Quidquid a Procuratoribus, Advocatis, Notariis, Nunciis, partibus ipsis adversus Ordinata judicialia actum, neglectumque esse compererit, scripto similiter consignabit Consistorio.

IV. Cum notoria iniquitas sit, taxam itineris singulis, ad quos literæ officii perferuntur, imputari non pro rata, sed quasi in solidum, nunciis exire ex urbe vetitum sit, nisi literis omnibus & singulis prius exhibitis Officiali, ut in tergo earum adscribat, quid cuique eorum, ad quos Decreta destinantur, pro rata solvendum sit.

V. Consignationem mulctarum, quæ per decursum cujusque mensis imponuntur, sub finem ejusdem petet Fiscalis a Sigillifero, ut agere possit contra morosos in solvendo. Quotquot enim ejusmodi fuerint, tanquam denuo rei denunciabuntur officio, donec de paritione facta constet: Quod si Satrapiæ aut judicia Electoralia post factam requisitionem auxilio esse morentur, aliis atque aliis literis, ut executionem accelerent, per Fiscalem excitabuntur, salvo nihilominus hujus recursu ad ipsummet Archiepiscopum, quoties per prædictos aut alios quoscunque executio justitiæ retardata fuerit.

VI. Ne jus appellandi per abusum quorumdam in veram injuriam vertatur, atque adeo in gravem contemptum ipsius jurisdictionis Archiepiscopalis, Fiscalis, quoties in vocem appellationis notorie frivole prorumpitur, Procuratores, Advocatos, & Notarios, qui quoquo modo concurrerint, indilate deferet Archiepiscopo, ut a munere, quo indigni sunt, causa rite discussa, suspendantur aut amoveantur.

VII. Constat, nulla re magis gravari partes, quam cum præter expensas multiplices & graves, nec non diutissimam moram judicii, donec ad sententiam perventum sit, tandem etiam ipsa executione rei judicatæ defraudari se vident, vel in totum, vel certe in longissimum tempus, adeo ut non raro fere pro eodem reputari possit, victorem extitisse in judicio, ac plane cecidisse causa ipsa: Quare Fiscalis, si-

quidem a parte requiratur, non deerit officio suo publico, quin indefesse, & saltem de mense in mensem, aures Judicis, qui in causa executionis competens fuerit, tamdiu pulset, donec remedia executoria, & ubi fuerit opus, compulsiva cum effectu provisa sint.

VIII. Idem Fiscalis non solum Procuratores, Advocatos, partesque ipsas, quoties reos esse compererit injustæ moræ injectæ in peragendo judicio indilate deferet, sed etiam quoad lites, quæ per annum aut amplius pendent, aut alias pro causæ qualitate nimiam moram patiuntur, apud tribunal tum Ecclesiasticum, tum sæculare Electoratus scripto instabit de mense in mensem pro acceleratione justitiæ, siquidem a parte ad id requisitus fuerit.

IX. Ne in causis levibus, quæ per minores Judices expediuntur, tanto crebrius & gravius justitia lædatur, quanto minus, quæ ita minuta sunt, rigorosæ discussioni judiciali subjacere possunt, Fiscalis requisitus a parte, cujus jus notorie læsum fuerit, causam prompte suscipiet, geretque apud superiorem Judicem competentem, idque tamdiu, donec justitia cum effectu correcta sit, & vindicata.

X. Acta officii sui ordine, quo gesta sunt, conscribet in suo privato protocollo, idque sub pœna unius floreni aurei quovis mense transmittet ad Serenissimum.

JURAMENTUM FISCALE.

Ego N. juro, &c.

In quorum præmissorum omnium testimonium Sigillum meum præsentibus est appensum. Treviris.

N O T A.

FRANCISCO LUDOVICO, die 24 Julii a. 1664 Neoburgi nato, *Philippus Wilhelmus* Comes Palatinus Rheni & Elector, Princeps ævo suo prudentissimus, & *Elisabetha Amalia*, ex Hassiæ Darmstad. Landgraviis oriunda, parentes erant, numerosa ad aliarum pene invidiam Familiarum sobole, octo nimirum Principibus maribus ac novem femellis, a Deo recreati. Adolevit in spes a tenero tam amplas, ut maximum sibi ab hoc germine ornamentum Palatina domus; auxilium singulare Diœceses permultæ & patriæ; demum insuperabile robur ac præsidium orthodoxa Religio polliceretur. Multa tum naturæ tum gratiæ dona acceperat; quæ, quoad vixit, ad DEI O. M. gloriam semper omnia referebat. In omnes artes & scientias, quæ decorare Virum Principem possunt, omni virium atque ingenii, quod erat vastissimum felicissimumque nactus, contentione incubuit. Non ipsi satis, literas inferiores didicisse, quin operam altioribus, tempusque dicaret. Erat in philosophicis studiis mire industrius, in historicis indefessus, in aliis disciplinis totus & assiduus, ut temporis nihil, nisi quod virtus ac pietas subtraherent, eidem superesset. His aliisque instructum dotibus, mox factum, ut aliæ ex aliis Sedes Principem suum ac defensorem optarent summopere, & certatim studiosissime requirerent.

Prima inter illas fuit Silesiæ Metropolis *Vratislavia*, quæ pro Wolg. Georg. Friderico, intra primum sacri regiminis annum defuncto, pedum Francisco Ludovico ejusdem fratri Episcopale tradidit a. 1683 die 30 Junii, miros inde fructus consecuta. Nam præter saluberrima Clero Statuta, quæ novus Antistes condidit, varia tum ex imo erexit, tum reparavit templa; excitavit scholas; Sacellum Ss. Sacramenti pretiosum & elegans Cathedrali adjecit Ecclesiæ; Seminarium Clericorum, GREGORII XIII. Pontificis exemplo animatus, Vratislaviæ, Orphanotrophium Nissæ, ac Freudenthaliæ domicilium Patribus Piarum Scholarum ædificavit, fundavitque. Demum immortali nominis sui fama, *Smogram*, principem olim Episcopi Sedem Sæc. X. ab Rege Poloniæ MIESLAO concessam, nullis sumptibus, nullis parcens laboribus feliciter redemit, suique fecit ac Successorum suorum juris.

Vratislaviam sequebatur *Elvacum*, a quo Princeps Præpositus mense Junio a. 1694 Serenissimus Franc. Ludovicus est renunciatus: sequebatur *Wormatia*, quæ episcopali eundem Infula e. a. die 12 Julii exornavit: sequebatur *Ordo Teutonicus*, cujus illustrissimi Equites supremum ipsi Magisterium sub idem tempus communi suffragio detulerunt. Accessit *Moguntia*, quæ Coadjutorem illum a. 1710 die 5 Nov. declarabat. Accessit & *Trevirorum Augusta*, a qua ad diem 20 Febr. a. 1716 postu-

postulabatur Elector Archiepiscopus. Rexit hanc Metropolim Princeps Palatinus ad 30 Januarii a. 1729; cum Sedis Moguntinæ gubernacula post Lotharii Francisci de *Schœnborn* g. m. obitum, inter festivas totius patriæ adclamationes capessebat. Obiit a. 1732 die 18 Aprilis, Moguntiæ sepultus sub hoc, quod ipse sibi scripserat, epitaphio: *Hic jacet peccator FRANCISCUS LUDOVICUS. Orate pro ipso.*

Egregia ubivis post sese reliquit veræ pietatis, munificentiæ, ac justitiæ monumenta. Elvaci templum, quod *mons pulcher* appellatur, flammis a. 1709 die 22 Apr. absumtum, e cineribus protraxit, sibique illustrius reddidit; Wormatiam, belli calamitatibus pene exanimem, non recreavit modo, sed novis etiam accessionibus auxit; fractas, incisasque Ordinis Teutonici vires restituit; Treviris ponte Mosellam stravit, & reparavit urbis mœnia; cum Orphanotrophio excitavit Confluentiæ Seminarium. Princeps fuit, qui puritati judiciorum, solatio egentium, juribus Ecclesiarum, Romanæ Sedis authoritati nunquam non invigilabat. Bullam: *Unigenitus*, ceu genuinum D. Petri oraculum, cum subditis suis omnibus admisit; præceptorum Ecclesiæ tutor erat tam probe rigidus, ut, cum forte e vicinia ad se deflecterent Principes *Confessioni Augustanæ* dediti, die, qua abstinendum a carnibus erat, alios iis, quam sibi, parari cibos prohibuerit. Noluit sua in aula Ministros, nisi pios, justos, & catholice de Deo, de religione nostra, de hujusque mysteriis & sacris ritibus sentientes: quod expertus quidam est, quem simul, ac vocem depromserat vel incautus vel impius, Atheismi redolentem, Princeps religiosissimus a se facessere jussit, exemplo omnibus hodie imitando.

Transcripsi hæc partim ex oratione panegyrica, a Collegio Soc. JESU Moguntino VII. Id. Apr. 1729 *oblata, partim e binis funebribus a.* 1732 *habitis, altera Mergentbemii, Moguntiæ altera.* Vide etiam Imhofii *notitiam S. R. I. Proc.* Honthemii *Hist. Dipl. Trev. Tom. III.* & Anonymi *Hist. Eccles. Germaniæ*, idiomate gallico *ad annum* 1724 *editæ Tom. I. & II.* qui tamen author, dum Tom. II. pag. 171. matrem *Francisci Ludovici* fuisse scribit *Annam Catharinam* Polonam (Sigismundi Reg. Polon. filiam) a vero aberrat. De Mieslao (al. *Miesko* & *Micceslao*) vide Moreri *Lexicon.*

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXI. Clementis XI. PP. XXI. Caroli VI. Imp. X.

JUSSU

REVERENDISSIMI & SERENISSIMI S. R. I. PRINCIPIS ac DOMINI,

D. CLEMENTIS AUGUSTI, (*) *Monasteriensis LXIII. & Paderbornensis XLIX. Episcopi, Utriusque Bavariæ Ducis,*

CELEBRATA

DIE 24. MARTII.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS ET PADERBORNENSIS, VETERIS OTTINGÆ PRÆPOSITUS, UTRIUSQUE BAVARIÆ AC SUPERIORIS PALATINATUS DUX, COMES PALATINUS RHENI, LANDGRAVIUS LEUCHTENBERGENSIS, BURGGRAVIUS STROMBERGENSIS, S. R. IMP. PRINCEPS, COMES PYRMONTANUS, DOMINUS IN BORCKELOH ET WERTH.

Non sine justa animi indignatione sed pluribus vicibus in Synodis tum accepimus, quod, etsi non una, tempore nostro, tum sub Antecessoribus

(*) Vide infra post Synodum Autumnalem anno 1723 celebratam.

bus nostris habitis inculcatum fuerit, ut juxta Ss. Conc. Tridentini Decretum, visitationis Archidiaconalis pro more factæ rationes & protocollum coram Vicario nostro in Spiritualibus Generali exhibeatur, ut Episcopus pro tempore universali Diœcesis regimini Divina providentia præpositus dispicere posset, quo successu & fructu singulæ locorum visitationes haberentur, eumque in finem formulare in puncta seu articulos, secundum quos se singuli dirigere debeant, accurate divisum typis vulgatum sit; nonnulli tamen ex Commissariis Archidiaconalibus huic saluberrimo Decreto toties serio inculcato & renovato hactenus obtemperare neglexerint; hic autem morosus neglectus vergat in Ecclesiarum detrimentum, nihilque aliud, nisi confusionem in visitationibus pariat; Officii nostri ratio postulat, ut idem Decretum de novo inculcemus, prout præsentium tenore serio & efficaciter, quantum in Nobis est, inculcamus, mandantes omnibus & singulis respective Commissariis Archidiaconalibus per hanc Diœcesin Monasteriensem constitutis, ut huic nostro Decreto infra terminum sex mensium ab hac ipsa promulgatione computandum obtemperent, sub pœna suspensionis ab omni officio Commissariatus ipso facto incurrenda.

Cum insuper ad Nos relatum sit aliquos peregrinos mendicantes aut collectantes per varias Parochias Diœcesis nostræ vagari, ibique stipem colligere, & indigenis præripere; hinc districte inhibemus, ne Parochi, aliique Curati, nec non Rectores quarumcunque Ecclesiarum hujusmodi mendicantes aut collectantes intra Parochias suas admittant, aut hujusmodi collectationes quocunque modo indulgeant, nisi visa prævie licentia a Nobis vel saltem de Regimine nostro Monasteriensi, vel Vicario nostro in Spiritualibus Generali in scriptis exhibita. Horum itaque uti & aliorum a Prædecessoribus nostris latorum Decretorum debitam observantiam exigentes hasce manu propria subscriptas, sigillo consueto munitas dedimus anno 1721. 14ta Martii.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS, Eodem anno Christi MDCCXXI.

JUSSU

EJUSDEM REVmi & SERmi PRINCIPIS ac DOMINI,

D. CLEMENTIS AUGUSTI, Monast. Episcopi,

CELEBRATA

DIE 14. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Ignotum esse non potest, qualiter in Synodo Vernali proxime præcedente nomine & authoritate nostra publicatum sit Decretum tenoris sequentis: Non sine justa animi indignatione accepimus &c. (*Vide supra Synod. Vernal. pag.* 423. *usque ad:* Cum insuper.)

Cum autem hujusmodi saluberrimo Decreto non paruerint hactenus Commissarii a suis Principalibus denominati, & terminus peremptorius fuerit sex mensium a promulgatione facta computandorum, forte autem obtendere possent Decretum illud non omnibus

nibus innotuisse, hinc præsentium tenore idem Decretum sub pœna inibi lata iterum iterumque inculcamus, ut nisi ante Synodum Vernalem proxime sequentem paruerint, absque ulla alia declaratione eandem pœnam suspensionis ab officio Commissariatus incurrant, quem in finem prætactum Decretum valvis Ecclesiæ nostræ Cathedralis affigi jussimus, ne quis deinceps ignorantiam obtendere possit, id ipsum Parochis totius Diœcesis intimantes, ut si aliqui Commissarii Archidiaconales prætacto Decreto infra terminum præfixum non paruerint, atque id illis innotuerit, visitationem ab illis, quam nullam & irritam declaramus, non admittant. Ne vero excusationem prætendere possint, se relationis & visitationis instituendæ modum ignorare, poterunt Formulare impressum reperire apud Vicarium nostrum in Spiritualibus Generalem, eique se accommodare.

Constat etiam passim antehac in Synodo latum esse Decretum, ne Parochi, aliique Curati sæculares ad longum tempus in officium Curæ adsciscant Cooperatores regulares, quia videtur hoc obesse regulari disciplinæ, & Cooperatores sæculares ad curam idoneos in hac Diœcesi Monasteriensi sufficientes habere possunt, qui titulo mensæ nostræ vel Antecessorum nostrorum ordinati, & munus hoc obire commode possunt, & debent, eo quod illo fine ordinati sint, ut Parochis opera illorum indigentibus assistentiam præbeant. Quocirca idem Decretum renovamus, mandantes Pastoribus, aliisque Curatis, ut si assistentia aliorum quoad curam indigeant, desuper Ordinarium satis mature moneant, ut ex iisdem Sacerdotibus sæcularibus pro cura idoneum assignet.

Tollantur abusus præterea in defunctis terræ mandandis ob nimios sumptus & expensas eorum, qui suos sepeliri curant, dum post funus terræ mandatum ad domum mortualem reditur, & vinum vel alius quiscunque liquor potabilis copiose ministratur, nihilque aliud faciendum jubetur, quam quod ad honestam sepulturam conferre, & animabus defunctorum prodesse dignoscatur.

Præterea ordinamus & districte præcipimus, ut in magnis communitatibus peculiares Scholæ pro juvenibus, & peculiares pro puellis habeantur. In minoribus vero locis, ubi ob defectum mediorum hoc fieri nequit, juvenes ab una parte Scholæ, & puellæ ab alia parte collocentur, & separatim instruantur, minus vero tolerandum erit, ut, ubi Scholæ pro utroque sexu separatæ esse possunt, puellæ instruantur a viris. Mandamus insuper, ut, quantum fieri potest, parentes tamdiu proles mittant ad Scholas, donec judicio Pastorum in rebus necessariis satis sint instructæ, idque sub pœna arbitraria a parentibus incurrenda, qui huic Decreto contravenerint, simulque ad salarium duplex Magistro præstandum, qui non paruerint, teneantur.

Denique, quia Nobis innotuit in aliquibus locis Parochos detrectare ea, quæ ex Camera aulica publicanda veniunt, ex ambone denunciare: Hinc præsenti Decreto districte præcipiendo mandamus omnibus & singulis Pastoribus, seu Curatis totius Diœcesis sub pœna decem florenorum, ut quando hujusmodi publicanda mittuntur imposterum, ea absque ulla tergiversatione & sine præstatione jurium semper ex cathedra promulgent.

Horum itaque uti & aliorum a Prædecessoribus nostris assentiente Ven. Capitulo nostro Cathedrali alias latorum successive Decretorum exactam observantiam demandamus, alioquin contravenientes serio correcturi. In quorum fidem hasce manu propria subscriptas, sigillo consueto munitas dedimus in arce nostra Ahusana 1721. 11ma Octobris.

Clemens Augustus.



SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXII. Innocentii XIII. PP. II. Caroli VI. Imp. XI.

JUSSU

Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monasteriensis Episcopi,

CELEBRATA

DIE 17. MARTII.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS, &c. &c.

Non sine gravi offensione & animi indignatione accepimus, quod in variis Parochiis Diœcesis nostræ Monasteriensis dentur homines nullius frugi mendaces & impostores, tum viri, tum mulierculæ, qui pro captando lucro, & decipienda rudi plebecula varia fingunt somnia, diversas animarum & spirituum comminiscuntur apparitiones, & morborum causas, infortunatosque eventus hujusmodi spiritibus apparentibus temere tribuunt, aliasque hujusmodi imposturas & figmenta pro veritatibus tanquam ex tripode vendunt, media quoque præscribunt ad ea mala avertenda adhibendo superstitiose benedictiones, verba sacra & similia, quibus effectum infallibilem adscribunt: Nos igitur pro ratione Officii nostri, quod Nobis incumbit, tam detestando & execrabili abusui obviare cupientes, præsentium tenore severissime præcipiendo mandamus, ut tales ad Superiores a Parochis, aliisque Curatis deferantur. Et quia hujusmodi pythonissæ & arioli convinci difficulter possunt, nisi eorum testimonio, qui illorum opera aliquando male usi sunt, impunitatem hac in re testimonium perhibentibus pollicemur, aliis vero, quos aliunde, quam ex spontanea confessione constabit, in dictis operibus cum hujusmodi pythonissis & ariolis communicasse gravissimam pœnam irrogandam esse decernimus; Atque ne detur excusationi locus, mandamus omnibus & singulis Parochis, ut hoc nostrum Decretum in vernaculam linguam translatum ex cathedra promulgent, & de promulgatione facta coram Nobis, vel Vicario nostro Generali, vel Archidiacono doceant. Insuper Fisco nostro Ecclesiastico in mandatis damus, ut agat contra Parochos sæculares cujuscunque Parochiæ hujus Diœcesis, qui hactenus neglectis nostris & Prædecessorum nostrorum successive latis de amovendis Regularibus constanti servitio in cura animarum cooperatoribus, & assumendis Sæcularibus pro cura legitime approbatis, & si qui hac in parte inobedientes fuisse reperti fuerint, volumus illos ad debitam pœnam arbitrio Ordinarii taxandam condemnari. In quorum fidem præsentibus Sigillo Vicariatus munitis, per Vicarium nostrum in Spiritualibus Generalem subscribi jussimus, datis 1722. 14. Martii.

Franciscus Ludolphus de Landsberg, Decanus & Administr. Apostol. Eccles. Monaster.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXIII. Innocentii XIII. PP. III. Caroli VI. Imp. XII.

JUSSU

Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monasteriensis Episcopi,

CELEBRATA

MENSE OCTOBRI.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MONASTERIENSIS ET PADERBORNENSIS, COADJUTOR ARCHIDIOECESIS COLONIENSIS, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX &c. &c.

Renovamus hisce Decretum *de anno* 1722, & sic sonat: Non sine gravi offensione & animi &c. (*Vide supra Synod. Vernal. pag.* 426. *usque ad verba*: Atque ne detur.) Cum vero Decretum supradictum in paucis Parochiis observatum sit, & hujusmodi pythonissæ & arioli quotidie dentur; hic iterum mandamus ac severe præcipimus, ut hoc nostrum Decretum in vernaculam linguam translatum ex cathedra promulgent, & de promulgatione facta coram Vicario nostro in Spiritualibus Generali vel Archidiacono loci doceant; & si qui reperti fuerint post ultimum nostrum Decretum latum adhuc adhibere Regulares in cura animarum, cum possint habere Sæculares, eos amoveant, ne cogamur ad pœnam arbitrio nostro infligendam procedere. Deinde cum magna sit deordinatio, quod varii pro cura approbandi jam hoc, jam illo die veniant examinandi: Hinc prout alias ordinatum fuit, volumus, ut omnes & singuli, qui examine pro cura opus habent, singulis quibusque mensibus prima hebdomada feria 4ta coram Vicario nostro in Spiritualibus Generali, vel quem aut quos ille deputaverit, examinandi compareant. Denique cum passim observatum sit aliquos Ecclesiasticos non incedere in vestitu Clericali decenti: præcipimus, prout alias stricte præcepimus, ut hujusmodi vestes deponant, & habitum Clericos decentem assumant. Ad Altare vero sub Ssmo Missæ Sacrificio quicunque cum præscitu Superiorum ficto capillitio utuntur, non longius, nec pulvere capillari inspersum, sed modestum cum patente corona deferant. In quorum fidem hasce manu propria subscriptas, sigillo consueto munitas dedimus 1723. 3tia Octobris.

Clemens Augustus.

NOTA.

CLEMENS AUGUSTUS Maximiliani Emmanuelis, Bavariæ Electoris, e Theresia Cunegunde *Sobieski*, Poloniæ Principe, filius natu quartus primam Bruxellis lucem hauriebat a. 1700 die 17 Augusti, in impeditissimis fluctuantis ob Successionem Hispanicam Europæ temporibus quodammodo medius. Tener admodum cum quatuor fratribus suis, *Græcium* Stiriæ, mox *Clagenfurtum* Carinthiæ Metropolim, captivus abducebatur, Josephi I. Imperatoris jussu. Durior initio, quam quæ tantorum Principum consistere cum natalibus posse videretur, captivitas fuit. Ducali

abſtinentes titulo, ſola oportebat *Comitum Wittelſpachiorum* nuncupatione contentos interim agere, donec a. 1715 die 10 Aprilis ad Sereniſſimos Parentes Monachium redierint. Quo anno exeunte ad diem 19 Dec. Coadjutor Epiſcopatus Ratisbonenſis, conſilio patrui ſui Joſephi Clementis & opera, eligebatur. Romam comitante Philippo Mauritio fratre, quem tamen præmatura mors a. 1719 ibi e vivis rapuit, profectus, ſub vigili CLEMENTIS XI. P. M. oculo, Eminentiſſimum *Lambertini* (poſtea Summum Pontificem, BENEDICTUM XIV.) Præceptorem habuit, a quo ſacris diſciplinis pararetur, fulgentiſſimis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ provinciis cum laude adminiſtrandis idoneus.

Degebat adhucdum in Urbe, cum Diœceſes *Monaſterienſis* cit. a. 1719 die 26 ac *Paderbornenſis* die 27 Mart. Epiſcopale ipſi pedum offerebant. Redux inde in Germaniam, primum Coadjutor a. 1722 die 9 Maji, tum Succeſſor *Colonienſi* in Archiepiſcopatu a. 1723 die 12 Nov.: porro Epiſcopus *Hildeſienſis* a. 1724 die 8 Febr. renuntiabatur.

Anno 1725 die 4 Mart. ſacro initiatus Sacerdotii Ordine, Monachii in templo PP. Soc. JESU ſub oblatis die 3 Apr. Deo primitiis, Divino ſecum epulo totam Sermam Familiam dulces inter lacrymas refecit Neomyſta; atque a BENEDICTO XIII. P. M. die 10 Nov. anni 1727 conſecratus eſt Viterbi Archiepiſcopus, & pallio inſignitus.

Anno 1728 die 4 Nov. poſt obitum Principis *Erneſti Auguſti*, Ducis Brunsvicenſis, ad Cathedram *Oſnabrugenſem*, vota eligentium Canonicorum omnia tulit. Denique haud pluribus impar, toti *Ordini Teutonico* ex omnium Equitum ſuffragiis, ceu Supremus Magiſter a. 1732 die 17 Julii præficiebatur; tanto quidem poteſtatis ſuæ incremento, ut eccleſiaſticos inter Principes totius eſſet Imperii germanici facile potentiſſimus. Profuit, ubicunque præfuit, juxta ſolenne, quod ſibi elegerat, ſymbolum: *Pietate & Magnanimitate*, regimen ſuum omne componens. Pietate profecto in Deum, in Dei Matrem, in ſubditos erat incomparabili. Penſum canonicum in dies perſolvebat devotiſſime, Sacroque intererat; neque hoc inter graviſſima Principatus ſui negotia, in ipſis etiam difficillimis itineribus unquam omiſit. In publicis Supplicationibus nil, niſi tenerrimi erga Chriſtum Euchariſticum amoris ignes ſpirabat; propagandi cultus Divini ſtudium in Eo quantum quamque eximium fuerit, teſtantur ſatis tot vel erecta a fundamentis, vel ſplendide reſtaurata Bonnæ, Brulæ, Poppelsdorfii, Arensbergæ, Hirsbergæ, Tönneſteinii, aliisque locis pluribus ſacella, templa, monaſteria: teſtantur pretioſiſſima, quibus Francofurti in coronatione Caroli VII. Imp. fratris ſui a. 1742 die 8 Mart. uſus fuerat, Levitarum ac Sacerdotum ornamenta, Eccleſiæ huic Metropolitanæ oblata: teſtantur ſummæ inſignes, quas ſuis e terris in exteras transmiſit, cœptis templorum catholicorum ædificiis auxilio & decori futuras. Anno 1736 die 23 Jul. Jubilæum ſæculare nonum D. *Liborii* Paderb. Diœceſis Patroni honoribus Paderbornæ maxima celebravit pompa; nec minori ſacras Martyris *Agilolphi*, primi, ut aliqui contendunt, Colonienſium Archiepiſcopi exuvias in Archidiaconali templo B. M. V. ad Gradus Coloniæ a. 1737 e tenebris in lucem, publicamque venerationem protulit.

Virginem Deiparam ſuæ protectricem Archidiœceſis cupiebat eſſe perpetuam, piaque terniis Miſſæ Sacrificiis quovis Sabbato aſſiſtendi conſuetudine, voto etiam firmata, venerabatur; inviſebat loca ab iſtius Matris religione celebriora, Lauretum & Oettingam veterem; *minimum* ſe ejusdem *ſervum* ac *clientem infimum* pro ingenita humilitate nuncupabat; ejusdem Virginis effigiem in palatiorum atriis, in cœnaculis, in cubilibus amabat expoſitam.

Subditos habebat ſibi quam addictiſſimos, quia amore complectebatur ſingulos ac ſolatio replebat. In egenos profuſus, in orphanos & viduas ad ſtuporem erat munificus; ſingulis annis ultra ſexaginta florenorum millia deſignatis a clementia ſua ſtipendiis expendebat; Fratribus, quibus a miſericordia nomen eſt, ut ægris ſervirent alacrius, elegantiſſimum Monaſterii in Weſtphalia cum templo cœnobium extruxit; Palatia, quæ erexit & numero plurima, & majeſtate fere regia, non tam ſibi, quam populo erecta voluit: quippe quæ totidem erant, unde integræ tam operarum, quam inſpectorum curatorumque familiæ alerentur, patula dies noctesque promtuaria. Mutuus Procerum ubique elucebat in Principem & Principis in Proceres amor: Ille ad ipſorum felicitatem; ad illius delicias ipſi conſpirabant: quas tamen inter nihil *Clementi Auguſto* jucundius, quam promovere ad ſtatum

ſtatum religioſum pueros puellasque egentiores, ære alieno gravatos larga eleemoſyna recreare, veniam vitæ reis tribuere. Omnibus erat adiri facilis, omnibus benignus, in omnes pius.

Communem amorum conciliatricem pietatem illuſtrabat ſtupenda *Clementis Auguſti* magnanimitas: hanc prodidit Sermus Princeps in avertendis, ubi ubi poterat, ab Archidiœceſi ſua bellorum calamitatibus; in excipiendo triſtiſſimo, qui Auguſtiſſimi Fratris CAROLI VII. ante annos tres in Imp. ſolium evecti mortem adferebat, nuncio; in tolerando demum fatali morbo, quo extinctus 6 Febr. a. 1761 in palatio Ehrenbreitſteiniano, in ipſo veluti Joannis Philippi *de Walderdorf* Trev. Archiepiſcopi conſpectu occubuit Ss. Eccleſiæ Sacramentis munitus, poſtquam ſupremis tabulis hæredem univerſalem ſcripſerat ſuum in Archiepiſcopatu Succeſſorem, qui modo præeſt a Deo electus, Reverendiſſimus & Celſiſſimus Princeps Archiepiſcopus Elector MAXIMILIANUS FRIDERICUS, e S. R. I. Comitibus de *Konigsegg-Rottenfels*, natus 1708 die 13 Maji, electus Colon. Archiepiſcopus 6 Aprilis, conſecratus 16 Auguſti a. 1761, Epiſcopus Monaſterienſis 16 Septembris a. 1762. Cui pacem, gloriam, felicitatem ... *CC. Scriptor.*

SYNODUS DIOECESANA VARMIENSIS,

Anno Chriſti MDCCXXVI. Benedicti XIII. PP. II. Caroli VI. Imp. XIV.

AUTHORITATE
CELSISSIMI & REVERENDISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,
D. CHRISTOPHORI JOANNIS (*)
COMITIS IN SLUPOW SZEMBECK,
Varmienſis Epiſcopi,
IN ARCHIPRESBYTERALI ECCLESIA HEILSBERGENSI
CELEBRATA
DIE 14. & ſqq. MENSIS JULII.

SERMO PRÆVIUS EPISCOPI.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

Paſtorali Officio, quantum in Domino poſſum, ſatisfacere volendo, congregavi præſentem generalem ſtatus noſtri ſpiritualis, Diœceſis mihi concreditæ Synodum, *ſincero animo, atque vehementi deſiderio adaugendi Cultus Divini, confirmandæ, & eo magis ſtabiliendæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, atque exponendæ obligationis Rectorum, quibus incumbit cura animarum.*

Quale vero ſit hoc officium, æterna Veritas Divino ſuo effato in ſacris Literis expreſſit, binum nempe: Virtutum, amoris Dei, & proximi commendans exercitium. Hic etenim Dominus, & Salvator noſter, Fratres chariſſimi, aliquando nos ſermonibus, aliquando operibus admonet, atteſtante Divo Eccleſiæ Doctore GREGORIO MAGNO: Ecce enim binos in prædicationem Diſcipulos miſit, quia duo ſunt præcepta charitatis, DEI videlicet amor, & proximi. *In his duabus virtutibus, exinde vero plurimis ſuccreſcentibus, conſiſtit vis vocationis noſtræ, & qui has non habet, Eccleſiaſtici honoris & operis partes nullatenus ſuſcipere debet. Amoris effectus deſcribendo, vas electionis S. Paulus Apoſtolus Prædicator veritatis in uni-* verſo

(*) Vide ſub finem Synodi.

verso mundo ait: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert & sustinet.

His virtutibus amoris Dei & proximi optime instructi sancti Apostoli peragrarunt universum mundum, & lumen verum fidei eidem intulerunt. Hos secuti zelantissimi Antistites & indefessi in vinea Domini plurimi Operatores, ex amore Dei & proximi tam cruore proprio, quam exemplo sanctitatis vitæ, immarcessibiles quoad animarum salutem produxerunt fructus. Estis & Vos in hoc numero perillustres, Admodum Reverendi, Clarissimi, Fratres in Christo dilectissimi, in partem solicitudinis nostræ vocati: satagite itaque quam diligentissime munus vestrum implere, attendendo, ne unquam falsa doctrina & pravi errores quoad Fidem S. Catholicam Romanam irrepere possint, & dum, ubi amor est, labor non est, ac iste verus; timere nunquam potest, serena fronte, & amore Dei, ardua quævis suscipite in adaugendo cultu ejus, ex amore proximi mente ferventi & compatienti, vota & desideria præsertim in spiritualibus necessitatibus gregis vestri exaudite, hunc salubri esca & verbo Dei, Sacramento Sanctissimo Eucharistiæ cum explicatione sacræ Scripturæ, simulque adductione exemplorum vitæ Sanctorum & Sanctarum Deo frequenter pascite, viam mandatorum Domini suaviter inculcate, & docete, securum quoque iter ad cælestem patriam demonstrate. Sua faciendo, volente & exigente Evangelio hodiernæ Dominicæ diei, abundabit justitia vestra, & intrabitis in Regnum Cælorum, ibique juncti Choris Angelorum cum ovibus vestris DEUM ter Optimum Maximum in æternum laudabitis, quod ipse Nobis omnibus clementissime concedere dignetur. Fiat, fiat.

ACTA & STATUTA
SYNODI DIOECESANÆ VARMIENSIS.

INDEX CAPITUM.

CAPUT

CAPUT I.

De Fide Catholica, & ejus Professione.

Majestati Divinæ, & ineffabili ejus bonitati, quæ nos in admirabile lumen Fidei vocavit, ac hæredes sui, cohæredes vero Unigeniti Filii sui Salvatoris nostri effecit, qui nos inutiles servos, prima parentum nostrorum prævaricatione æternæ damnationi mancipatos, inæstimabilis Sanguinis sui pretio redemit, nunquam dignas rependere, exilitate nostra gratias possumus, quod Diœcesim & Provinciam hanc Varmiensem, undique pene hæretica pravitate cinctam, post tot adversantium & calamitosorum sæculorum discrimina, ab ævo, quo fides sancta in cordibus credentium illuxit, ad hæc usque satis ærumnosa tempora puram neque in ullo cive præsenti hæterodoxa lue afflatam, ad speculum & exemplar aliarum septentrionalium, quæ miserandum in modum a via veritatis deflexerunt, conservavit. Quare ad Synodum præsentem, plusquam a sæculo desideratam congregati, procidui coram Altissimo revereamur tanti beneficii magnitudinem, adorantes propitii Numinis providentiam, quæ pro suo sancto beneplacito vocat, eligit, prædestinat & glorificat suos; unanimi corde & lingua laudem & gloriam DEO O. M. dicamus cum ea ardenti prece & voto, ut Rex sæculorum, cujus est omnis potestas & imperium, hancce Diœcesim ad finem mundi, in eadem unice salvifica Fide Catholica perseverantem ac immobilem tueatur & foveat, eique fortis Angeli brachium adversus insultus & molimina fidei hostium destinet, quo freta jam imperterrita cum universa militante Ecclesia, Judici vivorum & mortuorum, in unitate credentium occurrat in die novissimo. Fides autem Catholica hæc est, qua DEUM unum in essentia seu natura, trinum in personis credimus, summum Bonum, principium suimet ad intra & omnium creaturarum ad extra, ad cujus imaginem & similitudinem conditi sumus. Eam quippe Fidem, in qua ceu basi & fundamento, præter quod, teste Apostolo, nemo potest aliud ponere, Synodum istam solidare, & ea, quæ ad laudis Divinæ incrementum ac salutem plebis, tum boni ordinis, tanquam rerum animæ, instaurationem, conservationem, atque consolidationem cedere poterunt, statuere cupientes, prout Symbolo Apostolorum edocti sumus, & quemadmodum Nicænum ac Constantinopolitanum, aliaque Oecumenica Concilia, tum Divus Athanasius atque PIUS IV. in Bulla, quæ incipit: *Injunctum*, præscribunt, professi sumus.

Forma Professionis orthodoxæ Fidei a PIO IV. constituta.

"Ego N.N. firma fide credo, &c.

Ad hanc vero Professionem fidei emittendam abhinc præter eos, qui Beneficia Ecclesiastica cum cura vel sine cura per institutionem Canonicam obtinent, obligatos esse volumus.

Aspirantes ad sacros majores Ordines circa inscriptionem provisionis, vel examen.

Præceptores, seu Ludimagistros, qui ad mentem Tridentini Concilii (a) tenentur in Catechesi erudire adolescentes.

Concionatores, dum assumuntur, etiam apud Regulares, de quorum facta Professione fidei, Superiores Nos certiorabunt.

CAPUT II.

De Statu, vita, scientia, & honestate Cleri.

Author ille cœlestis ac terrestris Hierarchiæ, qui Angelorum & hominum ministeria dispensat, per quem vocati sumus in societatem Filii ejus, qui alios Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Doctores fecit, Nos Sacerdo-

(a) Sess. 5. c. 1, declar. n. 23.

cerdotes Miniſtros ſuos, & myſteriorum ſuorum diſpenſatores ordinavit. Ad quem igitur ſublimem gradum aſcendimus, jugi meditatione ſuſcepti oneris & officii rationem penſemus. Si namque de quolibet Regius Vates (*b*) innuit: Paulo minus ab Angelis gloria & honore coronaſti eum, verius idem cuilibet Sacerdoti congruit, quemadmodum D. Gregorius Nazianzenus ſuper illa verba Apoc.: Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, ait: Imperium enim nos ipſi gerimus, multo præſtantius & excellentius regno terreno. Hinc nos ab omni terrena fece & ſordibus peccati depuratos eſſe oportet, ac in carne præter carnem vivendo Angelicam vitam æmulari, proprietatesque, ſcientiam nempe, caſtitatem, cuſtodiam ovium Chriſti & legationem apud Deum pro hominibus. (*c*) Profecto præ aliis qualitatibus, ſcientia decorat & commendat Sacerdotem. Etenim labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, (*d*) ubi hæc cuſtodia deficit, facile deficiet cuſtodia gregis, & inde arguuntur filii Heli, (*e*) quod neſcierunt uti officio, neque ad Deum, neque populum. Et 1. ad Cor. Si quis ignorat, ignorabitur. Hortamur proinde Sacerdotes præſertim juniores, ut exquirant ſcientiam, librorum ſacrorum atque moralium diligenti lectione, & annotatione, plurimum proficua, rerum, ad verbi Divini prædicationem & caſus conſcientiæ; tum quoque frequenti cum Senioribus de materiis fidei & controverſiis collocutione. Exemplaritatem vitæ apprime iisdem etiam inculcamus tenore ſacroſancti Concilii Trid.: " Nil " eſt, quod alios magis ad pietatem & " Dei cultum aſſiduo inſtruat, quam " eorum vita & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarunt, in eos " tanquam in ſpeculum reliqui oculos " conjiciunt, & ex eis ſumunt, quod " imitentur. Quapropter decet Clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam, " moresque ſuos ita componere, ut " habitu, geſtu, inceſſu, ſermone nil " niſi grave, moderatum ac religione " plenum præſeferant." Quapropter repurgemus nos, ut ait Apoſtolus, ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei, nec ulla aliqua in re dantes offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ac ne nos tam grandis Officii, qui pro populi peccatis Sacrificia & dona offerre debemus, indignos reddamus. Peſſimum enim hoc foret (*f*) Chriſtum conculcare, & Sanguinem ejus pollutum ducere, & Spiritui gratiæ contumeliam facere.

Itaque unusquisque Clericus in minoribus ſeu majoribus Ordinibus conſtitutus, quodcunque Beneficium vel Officium obtinens, reſpondeat ſtatui & vocationi ſuæ vita ſancta & Deo beneplacita, habitu talari & tonſura cuique Ordini congrua incedendo, modeſtia & bona converſatione ſe commendabilem reddendo, immaculatumque ab hoc ſæculo cuſtodiendo, ne fiat ſal infatuatum & ab omnibus conculcabile, aut abominatio ſtans in loco ſancto. Si enim væ mundo a ſcandalis Chriſtus dixit, ut ſcandaliſantibus appendatur mola aſinaria & projiciatur in profundum maris, ſi ſcandaliſantes oculus, manus, pes jubentur abſcindi, quale judicium imminet ſcandalis domeſticorum Dei?

Vitabit proinde unusquisque inhoneſtas converſationes, compotationes, luſus quosvis diſpendioſos, diſceſſiones cum mulieribus, venationes clamoroſas cum canibus, & alia, quæ ſine temporis pretioſi perditione minime fieri ſolent, a cujus momento propria & proximi æterna ſæpe pendet ſalus.

Commendatam deinde volumus omnibus de Clero ſenioribus ac junioribus mutuam in Chriſto charitatem, qui venit ignem mittere in terram, & quid vult, niſi ut accendatur? Hoc maximum præceptum eſt, a quo lex pendet & Prophetæ: quomodo vero præcipuam eam virtutem ſectandam, in qua juſtitiæ Chriſtianæ opera complentur, plebem docebunt, ſi ad invicem altercantes, inteſtinis odiis & contentionibus ſciſſi fuerint, quos unius corpo-

(*b*) Pſal. 8. (*c*) Ex libello intitulato: *Cibus Sacerdotum.* (*d*) Malach. 2.
(*e*) 1. Reg. (*f*) D. Paulus.

corporis myſtici membra eſſe oportet, merito donis & fructibus Spiritus Sancti conſpicua? Quare Capellanis, aliisque Beneficiatis obſervantiam Parochorum, & Parochis Capellanorum fraternam charitatem inſinuamus; ſcriptum eſt enim: (g) Presbyteri, qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt: non immemores denique triti ac vulgaris multum vero ad fovendam charitatem utilis proverbii: Cede majori, parce minori.

CAPUT III.

De Archipresbyteris & officio eorundem.

In anterioribus Conſtitutionibus Synodalibus, præſertim RUDNICIANIS, (h) ſatis prolixe enarrantur Archipresbyterorum munia, quæ præſentibus, ac ſi hic expreſſa forent, de verbo ad verbum reaſſumimus & innovamus. Id inſuper apponentes, ut Viſitationes Archipresbyterales diebus Dominicis ſeu Feſtis prævia denunciatione a Parocho loci populo facta peragantur, indagationesque ſeu inquiſitiones non tam generice, quam ſpecifice & articulatim arbitris ſemotis fiant. Volumus etiam, ut Statutum RUDNICIANUM de Conventu Archipresbyterorum, qui in deſuetudinem venit, obtineat vigorem, obſerveturque exacte. In quo conventu præter ea, quæ ibidem recenſita ſunt, reſolutio alicujus caſus moralis Theologiæ per Archipresbyterum loci antecedenter intimati, a ſingulis Parochis ſub ſua ſede conſtitutis, in ſcriptis feratur; & ante alia peragenda poſt exhortatiunculam Archipresbyteri perlegatur, ac poſt lectionem & conventum hujusmodi obſigilletur, & ad Nos, aut Cancellariam noſtram transmittatur.

CAPUT IV.

De Curatorum officio.

Præcipua inter alias Curati virtus eſt, oves ſuas agnoſcere. *Prov.* 27. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuosque greges conſidera, nimirum agnoſce, ſi quid infirmum, confractum, abjectum, debile & erraticum: non poteſt enim eſſe Paſtoris excuſatio, ſi oves lupus comedat, & Paſtor neſcit. Sacroſanctum Concilium Trid. (i) id ipſum luculentius explicat: "Cum autem præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbi Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo perſonaliter non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt; Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut Divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate paſcant." Præterea accurate de Parochorum munere obſonat Conſtitutio Synodalis, ad quam ſæpe legendam & obſervandam DD. Curatos paſtorali zelo & affectu obſecramus.

Collimitaneos Catholicos inter hæreticos manentes, qui non in loco paſcuæ, verum in terra deſerta, invia, & inaquoſa commorantur, & canticum Domini cantant in terra aliena, de longinquo feneſtras aperientes, & orantes cum Daniele ad templa ſua, nec lætari poſſunt, niſi ſubinde rarius in his, quæ dicuntur eis: in domum Domini ibimus, medullitus recommendamus Curatis, per viſcera miſericordiæ Dei adhortantes & obſecrantes, ut talibus quisque in loco ſuo ſuccurrat omni poſſibili modo per Sacramentorum adminiſtrationem, eos paterne præ reliquis complectantur, gratis etiam ſponte oblata non recipiendo, lucro animarum & gloria Dei contenti, idque ſibi proponentes, quod S. CAROLUS BORROMÆUS Conc. 4. in Synodo II. Mediolanenſi dixerat: "O ſi conſideraremus & nos! quis ſit iſte Deus, qui nos

(g) 1. Tim. 5. 17. (h) Vide de poteſtate Archipresb. foran. Inſtit. Jur. Can. tit. 14. (i) Reg. Juris in V. Decret. tit. XLI. c. 10. Seſſ. 23. de Reform. c. 1.

" nos dignatur aſpicere, cui tam gratum eſt, quidquid pro ſalute animarum fit, quam prompte & avide curreremus omnes dicentes: Domine, ecce ego, mitte me in Rhetos, in montes, in loca pauperrima, in eremos & ſylvas, ubi nec panis, nec aqua ſit, ubi nonniſi barbari, & impiiſſimi tyranni corpus meum dilacerare parati reperiantur, ibo, quocunque volueris, modo tibi gratum eſſe comperiam, nullum aliud præmium expetam, niſi te ipſum & gratiam tuam;" Addimus etiam, ut exhortentur tales ad recedendum ex finibus non ſuis, quantumcunque fieri poterit, ſeque, ac ſuos omni periculo perverſionis eximendum. Inculcabunt quoque DD. Curati patribus- & matribusfamilias, ne filios, filiasve, aut famulantes ire ſinant ad famulitium in partes hæreticas ob evitandum idem periculum.

Curam deinde pauperum & miſerabilium in noſocomiis & hoſpitalibus DD. Curatorum vigilantiæ commendatam cupimus, ut ſæpe, vel ſaltem in menſe ſemel, omnino vero in quatuor temporibus anni una cum Proviſoribus viſitent, eosque ad patientiam & tolerantiam ægritudinis, ac vitæ moleſtiarum propter æternam, quæ pios manet, beatitudinem exhortentur, & ſuaviter conſolentur, proſpiciantque neceſſitatibus illorum, utque perſeverantes ſint in orationibus, & ſaltem feſtis 1mæ claſſis peccata ſua confiteantur, & ſacram Synaxim ſumant, commoneant.

Etenim væ Prophetis inſipientibus, (k) nempe, qui non intelligunt ſuper egenum & pauperem, nec compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Sequitur in textu: Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini. Quamobrem tempora calamitatis & neceſſitatis, quæ Deus in pœnam peccatorum noſtrorum immittit, memoriæ commendata equidem DD. Curati habeant, ut vultum iræ & furoris Domini hoſtiis placabilibus deprecentur, cumque jam in anteceſſum liberum fuit, pias quandoque devotiones, ut ſunt votivæ Miſſæ, proceſſiones ac jejunia inſtituere, has & præſenti Statuto laudamus, & conſervandas decernimus, novas quidem cum ſcitu noſtro inſtituendas.

CAPUT V.

De Feſtorum obſervantia, & cultus Divini augmento.

Exodi 20. præcepit Deus: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Et *Exod.* 31. *Videte, ut Sabbatum meum cuſtodiatis.* S. AUGUSTINUS *Serm.* 20. *in Joannem:* Sacrum Sabbatum Chriſtiani ſpiritualiter obſervamus, cum ab omni opere ſervili, id eſt, ab omni peccato abſtinemus. Feſta igitur obſervanda ſunt cujusque Chriſtifidelis præſentia circa Divina, dum in Eccleſia peraguntur. Et quamvis CROMERIANA Conſtitutione ſatis cautum ſit, ut dies Dominici & Feſti religioſe a Chriſtifidelibus in hac Diœceſi obſerventur, frequentatione templorum Dei, nihilominus cum præceptum Divinum: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices:* e pluribus evaneſcit memoria, ut rari quandoque Magiſtratus in quibusdam oppidis, qui cæteris pietatis exemplo merito præire debent, quemadmodum & villani in concione & Miſſa cantata intereſſe cernantur, reaſſumimus ad rigorem prætactam Conſtitutionem CROMERIANAM, vulgo Kirchengang dictam, ut executioni mandetur.

Cuſtodes pecorum, quia tempore paſcuæ raro aut vix poſſunt intereſſe Divinis de æſtate, DD. Parochi de hyeme eo diligentius monebunt, ne negligant frequentare Eccleſiam, eosque monebunt ſimul, & examinabunt de rudimentis fidei, ac de ſuperſtitionibus, quæ ejusmodi hominibus communiores eſſe ſolent, vitandis.

Cum autem per labores manuales circa lotiones & expanſiones, tum compoſitiones lineamentorum, coctionem lixivii, dealbationem telæ, diſtillationem cremati, vecturas ad molendinum, dies feſti violantur, hujusmodi abuſibus & ſcandalis abrogandis quoquo poſſibili modo intentos, ac vigiles eſſe

(k) Ezechiel. c. 3.

esse volumus DD. Curatos, ne præsertim expansio, dealbatio, & compositio telæ fiat, cum incussione timoris Dei, imprimenda violatoribus, gravis offensæ Divinæ exaggeratione, & brachii cujusvis sæcularis imploratione. Si vero grave cuipiam damnum emergeret propter incidentias plurium festorum & pluvias, cum scitu saltem id fiat Parochorum, quorum conscientias oneramus.

Circa braxationes, quæ etiam cum prævaricatione hujus præcepti fieri animadvertimus, DD. Curati pariter vigilantes sese monstrent, ne ullatenus dies festi profanentur.

Denique, si itinera longa cum vecturis, præsertim extra Provinciam, ubi deest copia satisfaciendi præcepto Divino & Ecclesiæ, ad geminatos dies festos, studio dilata ab avaris dierum suorum ferialium, citra urgentem necessitatem, de qua deberet constare Parocho, non instituantur, præmoneant DD. Curati sub pœnis contra absentes, ut in CROMERIANA supra relata, extendendis, aliisque arbitrariis.

Liquores, cujuscunque generis sint, non propinentur ante Divina, quod sedulæ Magistratuum in oppidis, & Sculteтorum in villis inspectioni commendamus.

Quoad fora & nundinas insistimus anterioribus Ordinationibus HOSIANIS & CROMERIANIS, ad removenda vero quæque scandala extra Synodale Rescriptum extradere pollicemur.

Pro ampliando vero cultu Divino ordinamus, ut quique patres & matresfamilias imaginem Crucifixi, tum Beatissimæ, aut alicujus Sancti cum devotione in suis domibus retineant; (*l*) & coram iis, quantum fieri poterit, mane & vespere cum liberis suis & familia sua recitent *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*, *Præcepta Decalogi*, recommendando se ac labores suos, & quasvis angustias, tribulationesque Patri misericordiarum & Deo totius consolationis: omnia enim, quæcunque faciunt, in nomine Domini nostri JESU CHRISTI facere debent. Eliciant denique actum doloris de peccatis, & amoris Dei; nec unquam omittant pro capiendo cibo, brevi methodo benedicere mensam, & surgendo ab eadem, dicere saltem *Deo gratias*, &c. vel *Gloria Patri* &c.

In Diœcesi Sambiensi (*m*) celebrandum est festum S. Adalberti Episcopi Mart. Patroni principalis & Apostoli Prussiæ, sub ritu duplici 1mæ classis cum Octava, in die Dominica, ut populus hujus terræ, in qua passus est Martyr, speciali celebritate Sanctum colat, cum die incidente nullam hactenus celebritatem habuerit, nec facile eo die hic inter hæreticos celebritas institui possit, ratihabitione S. Sedis.

CAPUT VI.

De Sacramentis, eorumque administratione.

Manifesta, utpote visibilia & palpabilia signa omnipotentiæ & gratiæ Divinæ, Ecclesiæ suæ Salvator, postquam pertransiit docendo & sanando omnes, Sacramenta reliquit. Hic certe pascua, hic super aquam refectionis educamur, *Psal.* 22. Sacramenta hæc non aliunde, quam ex vulneribus Christi profluxere. Ita Sacrosanctum Concilium Trid. (*n*) " Si quis dixerit, " Sacramenta novæ legis non fuisse " omnia a JESU CHRISTO Domino " nostro instituta, anathema sit." Ut autem hæc Divina Mysteria venerentur fideles, majorique illorum exardescant desiderio, non negligant Parochi, tum alias sæpe, tum præsertim in administratione illorum, præstantiam atque dignitatem eorundem explicare. Nullum vero pretium vel mercedem ab iis, quibus ministratur, exigere quovis modo audeant, monente Salvatore: Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. (*o*) Consuetudinem tamen post ministratum Sacramentum libere aliquid offerendi Sacerdoti pro sustentatione non tollimus, sed exactiones

(*l*) Ex Synodo ult. Præmysl.
(*m*) Additamentum pro Diœcesi Sambiensi.
(*n*) Sess. 7. can. 1.
(*o*) Ex Maciejoviana Epist. Pastor.

nes ſub gravibus, iisque irremiſſibiliter extendendis a Nobis & judicio noſtro pœnis omnino prohibemus. Præcipue vero ſub judicii Divini interminatione, pœnisque graviſſimis infligendis caveant Curati, ne vel ſine Baptiſmo, vel ſine Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæque Unctionis Sacramento quenquam contingat decedere. Unde etiam propriis equis vehentur ad infirmos.

CAPUT VII.

De Baptiſmo.

Pro eo adoranda providentia Divina, quod inſtitutus fuerit in materia tam obvia, aqua naturali ut materia, & verbis paucis ſed altiſſimis myſteriis plenis ut forma, quod capacis ejusdem omnes viventes homines eſſe voluerit, (*p*) Miniſtros valide miniſtrantes vel ipſos hæreticos, cum olim Donatiſtæ, rebaptizantes baptizatos ab hæreticis, condemnati ſunt, & ſacroſanctum Trid. Concilium: (*q*) "Si " quis dixerit Baptiſmum, qui datur " ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione, " quod facit Eccleſia, non eſſe verum " Baptiſmum, anathema ſit." Circa hoc Sacramentum ordinamus præterea, quæ in Ritualibus & Theologis ſunt obvia, ut non tarde conferatur, ſed valeat illud: (*r*) *Accelera, feſtina prædari,* ut priusquam infans ſciat nominare patrem & matrem, *auferatur fortitudo Damaſci.* Item, (*s*) ut in Eccleſia, non vero in privatis domibus citra urgentem neceſſitatem conferatur. Denique ut in oppidis a Magiſtratu, in villis a Sculteтis & Communitate probæ mulieres, quæ obſtetricantur, Parochis præſententur, a quibus inſtrui debent, quomodo in neceſſitate Baptiſmus miniſtrandus eſt, neque etiam, cum baptizabunt, nomen infanti imponant, ſed juxta praxim aliarum Diœceſium, cum primum ad Eccleſiam deferri poterit, fiant ceremoniæ ſupra illum, & tunc nomen alicujus Sancti imponatur. Hæreticos pro patrinis nullatenus admitti volumus. Peracto Baptiſmo, per ipſos Parochos, quantum fieri poterit, nomen baptizati, parentum ejus, ac patrinorum libro metrices inſcribatur; quorum teſtimonio ſeu literis ortus, ex hujusmodi libris metrices deſcriptis, & ſigillo Eccleſiæ, quod Patronum repræſentare debet, munitis, atque ſubſcriptione Parochi vel ejusdem Subſtituti roboratis, plenam in judicio, & extra fidem adhiberi debere cenſemus, tanto magis, (*t*) cum actio, qua quæritur, utrum quis legitime natus ſit? apud Eccleſiaſticum Judicem competit non civilem, quamvis invidenter proponatur.

CAPUT VIII.

De Confirmatione.

Cum hocce Sacramentum characterem ſeu ſignaculum in anima cujusque Chriſtifidelis illud recipientis relinquat, & gratiam conferat ac robur ad reſiſtendum inimico, Chriſtianumque nomen & fidem Catholicam intrepide profitendum tribuat, ſæpe ac ſedulo monebunt DD. Curati non confirmatos, ad illud ſuſcipiendum Sacramentum, nequaquam vero ſuſceptum reiterandum, idque cum clara & diſtincta informatione in ordine ad præparationem, patrinos, & impedimenta cognationis ſpiritualis, ut in Epiſtola Paſtorali.

CAPUT IX.

De Euchariſtia.

Sancta Sanctorum in hoc Sacramento, quo nil præſtantius & dignius, in mortali indies fatiſcente vita degentibus ſupereſt, continuo ac irrefrigeſcente cultu revereri oportet. Illud enim Salvator noſter, ad oſtenſionem ſuæ erga genus humanum charitatis, in medicamentum noſtræ infirmitatis, in pignus futuræ beatitudinis, & jugem memoriam ſuæ pro nobis paſſionis inſtituit. Quanta igitur præparatione ad hocce ſanctiſſimum Sacramentum & alacritate accedendum eſt? Doctrina Ss. Auguſtini, Chryſoſtomi, & Cyrilli

(*p*) C. Oſtenditur 32. de Conſecr. diſtinct. IV. (*q*) Seſſ. 7. can. 8.
(*r*) Iſai. 8. (*s*) C. unic. præcedenti. tit. 15. Clement. 5ti in Concil. Vienn.
(*t*) Capit. lator. 5. & c. Cauſam 7. Qui filii legitimi.

rilli Alexandrini manuducimur. " Si " vitam æternam consequi volumus, si " largitorem immortalitatis habere in " nobis desideramus, ad recipiendam " benedictionem libenter concurramus, " caveamusque, ne loco laquei dam" nosam religionem Diabolus nobis " prætendat." (u) Nam, si peccando quisquis te a mensa Domini excusas, indignus es, & peccare non desinis, tunc expers omnino eris vivificæ hujus sanctificationis, quare pias, quæso, cogitationes suscipias, studiose, sanctèque vivas & benedictionem participes. (x) Peccata etsi sunt quotidiana, modo non sint mortifera, securus accede, Panis est non venenum. Non torpeamus igitur tanta digni charitate & honore putati, accedamus cum alacritate ad hanc mensam, & unus nobis sit dolor hac esca privari. Consideremus etiam, quod si Christus Dominus præsepe, crucem, coronam spineam, clavos, lanceam, & sepulchrum suum sanctificavit, nos quoque, ubi non tantum multiplicem gratiam, verum ipsum fontem gratiarum in nobis suscipimus, sanctificabit ad beatitudinem & gloriam. Ex vi triti Canonis Lateranensis Concilii, (y) Quilibet Catholicus semel in anno ad minus ad hoc Sanctissimum & Augustissimum Sacramentum accedere obligatus est. Intererit vero curæ & zeli DD. Curatorum, aliorumque Presbyterorum populum ad frequentandum sæpius hocce Sacramentum saltem majoribus festivitatibus exhortari. Si quis autem tempore Paschali, quod in hac Diœcesi a Dominica Passionis ad Dominicam secundam post Pascha inclusive durat, quo communicare omnes Ecclesiæ præcepto, ut præmissum est, tenentur, facere id neglexerint, & quidem in propria ipsorum Parochiali Ecclesia, deque manibus Parochi aut Vicarii ejus, excepto si vel degant tunc ipsi apud exteros, vel Sacerdos extraneus licentiam ad id nostram, Parochive habeat, notatos denuncient Archipresbyteris, vel Nobis, monitosque nihilominus inobedientes prohibitionis ingressus Ecclesiæ atque sepulturæ pœna mulctent, non obstante, quod aliqui inimicitiis, aut actione in jure impediri se a sacra Communione causentur, (z) quandoquidem petita ab offenso venia & oblata satisfactione, semotaque penitus ex animo ira & cupiditate vindictæ, habilem se quilibet ad eam reddere potest. Accedentes deinde excussis naviter conscientiarum suarum latebris, sordes & maculas omnes Confessione Sacramentali ex animis eluant, offensasque & odia, si quæ mentibus alunt, deponant, dimittantque ex cordibus fratribus suis. Matrimonio juncti uno & altero die, si non pluribus, ante & post Communionem se contineant ab invicem, jejunus quisque sit sumens a media noctis præcedentis hora. Moneantur denique fideles, ne post susceptam Eucharistiam comessationibus atque conviviis indulgeant, sed refectione contenti totum diem in visitandis Ecclesiis, Divinoque hoc beneficio recolendo impendant. Quando vero infirmis hoc Sacramentum ministrandum erit in oppidis seu villis, ubi decumbunt, deferatur ad illos quam honorificentissime a Sacerdote, induto stola & superpelliceo, in vasculo decenti & velato, sub umbella, ubi id commode fieri poterit, præcedentibus Ministris Ecclesiæ seu ministrantibus itidem superpelliceatis, cum vexillis, facibus, cereis accensis & tintinabulo, hymnosque aut antiphonas convenientes huic Sacramento canentibus, ac populo frequente, qui, ut devotus comitari assuescat, in concionibus moneatur, ubi potissimum Confraternitates extant; dicit enim Dominus: Si ego Dominus, ubi est honor meus? alioqui in paucitate plebis ignominia Principum. Et qui hunc sequuntur Agnum velatum, sequentur aliquando revelatum in gloria.

Remotius vero ab oppido & villa, omisso pretioso apparatu, in capsula auro vel serico texta, ex collo Sacerdotis cum tintinabulo pendente, eundo vel equitando seu discedendo modeste deferatur, ubi vero ad locum pervenerit, superpelliceum & stolam omnino adhibeat. Monendi sunt autem ii, qui

(u) S. Cyrill. Alex. l. 4. in Joan. (x) S. Aug. tract. 25. in Joan.
(y) C. *Omnis utriusque sexus.* sub Innoc. III. (z) Ex Epist. Pastor. Maciejow.

qui Parochum de infirmo certiorem reddent, ut mundum a ſordibus ſit cubiculum & profana omnia amoveantur, in menſa nitida mappa ſternatur cum cereis ſuper ea accenſis & cruce poſita.

Ad neminem autem deferatur, qui eam revera percepturus non eſt, quodſi interea, dum defertur, ægritudo infirmi ita invaleſcat, ut ei non poſſit tuto miniſtrari, tunc poſita Presbyter ſuper menſam pyxide, immoretur paululum, proſtratusque genibus una cum aliis, qui aderunt, Deum ſupplex oret, deinde conſolato ſalubriter ægroto, videndam ſi optet, atque adorandam eidem Euchariſtiam exhibeat, aut ſaltem receſſurus incluſa in vaſculo benedicat. Poteſt autem imo debet Sacramentum hoc miniſtrari ægrotis, cum periculum ſit, ne ſine Viatico decedant, quandoque etiam noctu, poſt ſumptum ab eis cibum, ſi nil aliud obſtet.

CAPUT X.

De Miſſæ Sacrificio.

Excellentia jugis ac vere propitiatorii Sacrificii pro vivis ac defunctis, quod Chriſtus tranſiens de hoc mundo ad Patrem, in Sacramento Corporis & Sanguinis ſui inſtituit, ſummam in nobis conficientibus & ſumentibus requirit puritatem. Ita D. Chryſoſtom. (*a*): "Quo non oportet puriorem eſſe tali fruentem Sacrificio? quo radio ſolari non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os, quod igne ſpirituali repletur? linguam, quæ tremendo ſanguine rubeſcit?"

(*b*) Utinam Dominum ſuum quis poſſet ſuſcipere, qualiter Beatiſſima Virgo eum in Incarnatione ſuſcepit in utero, vel in cruce depoſitum recepit in ſinu, vel qualiter Pater æternus Spiritum Unigeniti ſui, in quo ſibi complacuit, in manus ſuas recommendatum, in cruce emiſſum recepit ad ſe, ſed alta hæc nimis pro nobis, utamur ſaltem præparatione breviori ex Card. Bonav. (*c*) Ante Miſſam præmittenda duplex præparatio, pro remota, hæc ſervanda: Veſpere præcedente cogitet ſe craſtina die hoſtiam ſalutarem DEO Omnipotenti immolaturum, eique cogitationi indormiat, addat brevem aliquem affectum reverentiæ, amoris & deſiderii: Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet, caveatque diligenter, ne animus ita ſe negotiis immergat & ad externa dilabatur, ut cum tempus ad celebrandum advenerit, & ſe recolligere non poſſit; proxime ante Sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omnique rerum agendarum ſolicitudine mentem erigat ad cœleſtia, perpendat, qua devotione ſe ſentiat ad celebrationem invitari, quo fine moveatur, conſcientiam excutiat, & ſi aliquam maculam ineſſe deprehenderit, Confeſſione Sacramentali eluat cum intimo doloris ſenſu, ac firmo propoſito emendationis, tum breve tempus ſumat, quo fidem myſterii excitet, charitatem accendat, paſſionem Domini commemoret, dirigat intentionem, & DEI opem ſibi & aliis efflagitet, auxilium quoque B. Virg. MARIÆ & Sanctorum ferventer & humiliter imploret.

Ad mentem autem ſacroſancti Concilii Trid. ordinamus, (*d*) ut quilibet Curatus, Miſſæ Sacrificium celebrando, idem ſaltem diebus Dominicis & feſtis pro populo offerat, non immemor tamen illius, quod V. Beda dixerat: Sacerdos legitime non impeditus, celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat ſanctiſſimam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores & in purgatorio exiſtentes venia, juſtos ſubſidio & gratia, Eccleſiam ſpirituali beneficio, & ſemetipſum medicina ac remedio. Celebrent autem non quaſi ex conſuetudine & neceſſitate, ſed conſiderent, quod nullum aliud opus adeo Sanctum & Divinum tractent, quam ſit tremendum hujus Sacrificii myſterium, ideo magna cum attentione, devotione, inceſſu gravi ac modeſto, oculis demiſſis ac voce mediocri, ſervando cæremonias & ritus in Rubricis præſcriptos, ita ſemper abſolvant,

(*a*) Hom. 60. ad popul. Antioch. (*b*) Euſeb. lib. 3. (*c*) Tract. de Sacrif. Miſſ. c. 7.
(*d*) Cong. Concilii in Lucana 10. Maji 1681. & 10. Maji 1692. in Mileten. &c. apud Monacellum part. 1. tit. 2. form. 2. n. 4.

ſolvant, ut meminerint ſeſe ſpectaculum Deo, Angelis & hominibus eſſe. De reductione Miſſarum, ſi quæ juſta allegabitur ratio, extra Synodalem petentibus dabimus declarationem.

CAPUT XI.

De Proceſſionibus cum ſanctiſſimo Sacramento, ejusque expoſitionibus.

Ut religioſiſſime, decentiſſime, piisſime atque ordinatiſſime tam in oppidis, quam villis Proceſſio cum ſanctiſſimo Sacramento fiat feſto Corporis Chriſti, quæ non alio fine, quam ad repræſentandum Salvatoris noſtri de morte triumphum, tum hæreticorum perfidiam confundendam inſtituta eſt, peragatur, DD. Curati ſeu Rectores Eccleſiarum antecedenter cum Vitricis Eccleſiæ, atque Magiſtratibus in oppidis & Scultetis in villis pro ornamento quoquo meliori procurando, conferant & ſedulam operam adhibeant. Ut vero Chriſtifideles hoc auguſtum & præcelſum Sacramentum eo alacrius ſequantur, ſtipendia ſpiritualia Summorum Pontificum URBANI IV. CLEMENTIS V. MARTINI V. & EUGENII IV. largitione conceſſa, præſertim durante Octava Corporis Chriſti, populo publicabunt.

Inſiſtentes vero Brevi INNOCENTII Papæ X. *pro Regno Poloniæ*, *20ma Aprilis anno* 1645. emanato, atque variis ſacræ Congregationis declarationibus in futurum præſenti noſtro Decreto prohibemus, ne quis ſive Sæcularis, ſive Regularis absque noſtra vel Officii licentia, Proceſſiones cum Sanctiſſimo facere præſumat, præterquam in Feſto & per Octavam Corporis Chriſti, in feſto Patroni Eccleſiæ, ſub cujus invocatione illa erecta eſt. In Eccleſiis autem Regularium in feſtis Patriarcharum eorundem Ordinum, tum aliorum Sanctorum ſui Ordinis, a ſancta Eccleſia Romana canonizatorum, pariter in Eccleſiis, ubi Confraternitates ſub invocatione B. V. MARIÆ inſtitutæ. Si talis conſuetudo recepta in feſtivitatibus ejusdem Glorioſiſſimæ Deiparæ expoſitiones & proceſſiones fieri annuimus. Expoſitiones etiam permittimus fieri diebus Quadrageſimæ, quibus devotio ad Paſſionem Domini cum concione peragitur. Item ſi Confraternitates aliquæ ſub titulo aliquo Sanctorum canonice erectæ fuerint, licita maneat expoſitio. Hymnos vero circa expoſitionem ſeu proceſſiones, latinos, germanicos vel polonicos præciſe ad Dei gloriam vel ſanctiſſimi Sacramenti exaltationem intonari mandamus.

CAPUT XII.

De Pœnitentia.

Pro tribunali Clementiæ Divinæ ſedentes, ſeria mente recogitent illud: (*e*) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt.* Atque illud ſacræ Scripturæ: (*f*) *Videte, quid facitis, non hominis judicium eſt, ſed Dei.* "Majus quippe opus eſt ex impio juſtum facere, quam creare cœlum & terram." ut ait S. Auguſtinus. (*g*)

Præter poteſtatem Ordinis etiam ad valorem abſolutionis poteſtatem jurisdictionis debet habere Sacerdos, quam accipit ab Epiſcopo ordinarie in approbatione ad confeſſiones excipiendas; juxta ſacroſanctum Conc. Trid. (*h*) hæc approbatio etiam per Regulares ad audiendas præſertim confeſſiones ſæcularium eſt obtinenda, cum in Diœceſim paſſim veniunt.

Oportet etiam Confeſſarium fungi officio Medici, ſed debitam ſcientiam medendi haurire debet Sacerdos a Magiſtris, & ex libris cum diligentia legendis. Incumbit enim illi ſcire diſcernere inter lepram & non lepram, noſſe Caſus reſervatos Papæ & Epiſcopo, cenſuras, obligationes reſtituendi. Et licet vix poſſibile ſit, ut in dubiis poſſit ipſe omnia reſolvere, prodeſt illi tamen, ſi communia ſciat, de difficilioribus

(*e*) Joan. 20. (*f*) Paralip. 2. v. 19. (*g*) Tract. 32. in Joan.

(*h*) Seſſ. 23. c. 15. Clement. Dudum. §. Ac deinde. & Conſtitut. Clemen. X. quæ incipit: *Superna magni.* 1670. 11. Kal. Julii. Monacell. in append. form. leg. pract. in ead. & de Conc. Regul.

ribus, sciat saltem dubitare, & peritiores librosque consulat.

Ut Judex non semper debet remittere, sed quandoque cum sale sapientiæ retinere peccata, non ut Quesnellus voluit: " Peccatorem relinqui ad " tempus in statu peccati, ut sentiat " statum & confusionem peccati, & ad " minus incipiat satisfacere justitiæ Di" vinæ, antequam reconcilietur Deo;" prout *Propositione* 87. damnata a s. m. CLEMENTE XI. Papa per Constitutionem: *Unigenitus*, quam reverentissime recipimus, continetur & *Propositione* 17. ab ALEXANDRO, Papa VIII. damnata: per praxim mox absolvendi ordinem pœnitentiæ inversum esse loquuntur, liquet.

Sed retinere debet iracundis, qui ignoscere nolunt, recidivis, qui statim ut canes redeunt ad vomitum, sine omni etiam brevi abstinentia a peccato & conatu abstinendi, nolentibus proximas occasiones peccandi relinquere, dum possunt, nolentibus restituere vel satisfacere læsis, vel exequi officium suum.

Tanquam Medicus debet etiam proponere afflictis & tribulatis finem malorum & beatam vicissitudinem futuram, superbis, vanitatem gloriæ mundanæ, dissolutis & voluptuosis momentaneum, quod delectat, æternum quod cruciat, pusillanimes erigere spe misericordiæ Divinæ, & passione Christi, contemptim ac perfricte peccantes terrere justitia & pœnis inferni ac incertitudine diei pœnitentiæ, hæc & his similia, ubi opportunitas rei exegerit.

Ut vero Sacerdos tanto dignius administret Sacramentum Pœnitentiæ, ipse illud non negligat, prout S. Bernardus monet: (*i*) " Rectus ordo re" quirit, ut prius propriam, deinde " alienam curare studeas conscientiam:" ne similis fit illi capro emissario, cum propriis & populi peccatis in desertum inferni præcipitando. (*k*)

Caveant præterea, ne peccata audita in confessione verbo vel signo, aut quovis modo directe vel indirecte extra illam prodant, sub pœnis depositionis, carcerisque perpetui & aliis rigorosissimis. Quare ad debite administrandum hoc Sacramentum, sobrietatem cum aliis etiam piis virtutibus Confessariis inculcamus, ne vesano oris pruritu, vel ausu sacrilego, secretum Sacramentale prodant. Confitentes autem Sacerdotes non debent accedere ad hocce Sacramentum in alba & stola, quia hæc sunt signa innocentiæ.

CAPUT XIII.

De Ordine.

In Sacramento Ordinis juxta PII V. Catechismum (*l*) corona est Regalis Sacerdotii. Aspirantes ad idem Sacramentum volumus imprimis probare spiritum per recollectiones, ut in Epistola nostra Pastorali injunximus, opemque Divinam implorare, ut virtute ex alto induantur. Satis enim periculosum est ad ejusmodi gradum ascendere & non est, juxta D. Joannem Chrysost., tanti gaudii, excelsa tenuisse, quanti mœroris, de sublimiori corruisse.

Quia igitur relatum habemus, aliquos sine consideratione & reflexione debita ad vocationem, assumpto habitu Ecclesiastico, tonsuram distulisse petere, vel petita, & obtenta, scandala & excessus perpetrasse, eandemque postea cum habitu abjecisse. Nos hisce inconvenientiis, statui Ecclesiastico ac honori Sacerdotali nocivis & perniciosis, opportuna solicitudine pastorali obviare volentes, statuimus, ut nemo habitum Clericalem assumere propria sponte & libitu audeat, ac præmat sub pœnis nostris arbitralibus; quin prius coram Nobis, vel ad id Deputatis nostris examen subierit, & idoneus repertus fuerit, secumque testimonium Magistrorum & Archipresbyteri attulerit, de vita & moribus, prout Decreto S. Caroli Borromæi in 5ta Synodo Mediolanensi *Part.* 2. *fol.* 69. cautum ac præcustoditum est. Porro signa vocationis ad Sacerdotium esse debent: 1*mo.* Inclinatio & propensio ad Divinum cultum & Ecclesiæ obsequium, in Ecclesiastico statu Deo deferendum, quam quis in se ipso a tenerioribus annis ad maturiorem usque æta-

(*i*) Epist. ad Brun. (*k*) Levit. 16. (*l*) De Ordine n. 28.

ætatem eſt expertus. *2do.* An iis qualitatibus ſeu dotibus, quales talis ſtatus omnino requirit, ſit inſtructus ſaltem inchoative, ita, ut accedente ulteriore ſtudio & diligentia ſit ſufficienter perficiendus, nam neque Deus ex quovis ligno facit Mercurios. Tales autem dotes ſunt ingenium capax & profectus in literis ſaltem mediocris, animus honeſti amans, & pravis præſertim carnalibus habitibus non corruptus, cervix flexibilis, non refractaria ad obediendum. *3tio.* Si a tempore non modico ſentiat ſe zelo animarum & ampliandæ gloriæ Divinæ accenſum. *4to.* Si Prælatus ultro quem invitet, & is, cui curam animæ tuæ commiſiſti, non contradicat. *5to.* Si animo non reluctanti, triſti vel ex neceſſitate quis accedat, verum hilari jugum Domini ſuave apprehendit. Qui enim Spiritu Dei aguntur, his pollent ſignis & qualitatibus.

Sique aliquis præter præmiſſa initiatus fuerit minoribus vel ſacris majoribus Ordinibus, ſentiatque minus, quam debet, habere, diligenti applicatione ſupplere ſtudeat ea, quæ ſibi deſunt, & intentionis ſuæ oculum in timore, & virtutum ſectatione ad Deum dirigat, ut monet D. Bernardus: *(m)* "Vitæ ſanctitas ſiquidem non præceſſit, " ſaltem ſubſequatur."

Ssmi Dni N. D. INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Conſtitutio, qua plura declarantur, ac præſcribuntur pro tollendis abuſibus & fraudibus circa Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

"Speculatores domus Iſraël, &c.

CAPUT XIV.

De Extrema Unctione.

Evangelica pagina inſtruimur, Chriſtum Dominum authorem & conſummatorem fidei, antequam pro nobis Crucem ſanctam ſubiit, dum in monte Oliveti oraſſet ad Patrem, Angelum habuiſſe confortantem eum. Si quando, in ipſo periculo mortis, Chriſtifideli zelus & vigilantia boni Paſtoris impendenda eſt, quare eo ſalubriter inſtituto Sacramento eidem tempeſtive occurrendum eſt. Ait enim S. Jacobus Apoſtolus: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* &c. *(n)* Virtute namque hujus Sacramenti confertur abundanter ſuſcipienti gratia Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in Chriſto Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dœmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſalute animæ expedierit, conſequitur.

Sacramentum iſtud adminiſtrandum eſt in articulo mortis naturalis, dum ab intrinſeco uti morbo, veneno, ulcere &c. non vero ſi in inſtanti proveniat ab extrinſeco, uti gladio, ſclopeto &c. Eccleſia non permittit id etiam infantibus, perpetuo amentibus, & qui nunquam habuerunt lucida intervalla, publicis peccatoribus, vel quaſi ex profeſſo peccantibus, uti ſunt uſurarii, concubinarii manifeſti, meretrices, publice rebelles Eccleſiæ, neque quicunque ſciuntur eſſe in peccato mortali vel affectu illius, niſi dederint ſigna pœnitentiæ; permittit phreneticis & furioſis, a cane rabido morſis, ſi nil aliud obſit; illi tamen ligari, vel remota turba teneri debebunt, ne vel Sacramento irreverentiam, vel aliis periculum inferant.

Jubet conferri pueris jam doli capacibus, præſertim ſi aliud Sacramentum, uti Pœnitentiæ vel ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, percipere non poſſint.

Rituale Romanum cenſet magis ungi quemlibet, qui Catholice vixit, etſi non petierit, quia Eccleſia non neminem præſumit petere, cujus vita non contra-

(m) Epiſt. ad Adv. *(n)* Trid. Seſſ. 14. de Refor. c. 2.

contradixit, sed permittit semel tantum in eodem morbo, quod proinde neminem negligere volumus, siquidem non modo pœnitentiæ, sed & totius vitæ Christianæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum est.

Solicitudinem etiam Parochorum tangit, quatenus sæpius visitent infirmum, quantum fieri poterit, inquirendo de periculis, tentationibus, inquietudinibus, scrupulis ægrotantis; In fine hominis denudatio operum ejus: cui salutaria remedia, prout eis in Domino visum fuerit, providebunt.

(o) "Religiosi, qui Clericis aut " Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, " Matrimonia solemnizare, non habita " super his, parochialis Presbyteri licentia, aut qui excommunicatos a " Canone, præterquam in casibus a " jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ, concessa eisdem, vel " a sententiis per Statuta Synodalia aut " Provincialia promulgatis, seu ut verbis eorum utamur, a pœna & culpa " absolvere quenquam præsumpserint, " excommunicationis incurrunt sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi; quos " etiam locorum Ordinarii, postquam " de hoc eis constiterit, excommunicatos faciant publice denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit " facta fides, nullo Religiosis eis super " hoc exemptionis vel alio privilegio " suffragante."

Iis quoque irrelevantibus, quæ in *Mari magno:* expressa & ad terminos Decretorum sacrosancti Concilii Tridentini (p) per contrarias Constitutiones PII IV. quæ incipit: *In principiis Apostolorum.* GREGORII XIII. quæ incipit: *In tanta rerum.* CLEMENTIS VIII. quæ incipit: *Sanctissimus.* GREGORII XV. quæ itidem incipit: *Sanctissimus.* & ejusdem GREGORII, quæ incipit: *Inscrutabili.* sunt reducta, quæ, inquam, omnia & singula in eodem tenore & sensu, in quo & quomodo data sunt, accipientur, & observabuntur, nil contra expressam juris inhibitionem in & contra jura parochialia circa administrationem Sacramentorum, sepulturas, funeralia, & alia faciendo vel involando in illa.

CAPUT XV.

De Matrimonio.

Sacramentum hoc, quod magnum est in Christo & Ecclesia, maxima consideratione a contrahentibus præhabenda dignum. Quocirca præter ea, quæ in Epistola nostra Pastorali prælibavimus, sequentia e re necessaria scitu, explananda duximus. 1*mo.* Ut contrahentes Deum authorem humani generis suppliciter exorent, cum domus & divitiæ dentur a parentibus, a Domino autem uxor prudens. (q) 2*do.* Ut desponsationes coram Parocho de futuro fiant vel coram Substitutis eorum, juxta laudabilem praxim hujus Diœcesis. 3*tio.* Ne desponsentur, nisi præmisso examine an rudimenta fidei calleant, juxta vetera Statuta Synodalia, nisi respective ad personas examen hujusmodi necessarium non videatur. 4*to.* Quoad denunciationes, si sponsi sint diversæ Parochiæ, hactenus inter Parochos controversias excitantes, (r) ordinamus inhærendo declarationi Cardin. sacri Concilii Trident. Interpretum *Sess.* 24. *de Refor. Matrim. c.* 1. & 7. Quod alienigenis inter vagabundos non computatis, famulantibus ad certum tempus designatum, ac propterea non proprie, sed quasi domicilium habentibus, quod aliter domicilium Parochiale vocant, expleto designato famulatus sui tempore, post recessum ab eodem loco, quod idem etiam de Sodalibus opificibus sentimus, sufficiat denunciari in loco, ubi volunt domicilium figere. Quoad reliquos, diversum domicilium habentes proprie tale, servari debet praxis lege Congregationis Concilii roborata: Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diversis Parochiis, debent in ambabus fieri denunciationes. Et quando Matrimonium contrahitur inter virum, qui sit de una Parochia, & mulierem de alia, sufficit si contrahatur coram Paro-

(o) Clem. Religiosi. de Privilegiis. T. VII. (p) Sess. 25. de Regul.
(q) Prov. 19. (r) Loc. cit. ex ult. recog. Joan. Gallemart. Col. Agrip. an. 1621. edit.

Parocho in propria mulieris, vel coram Parocho in Parochia viri. Sic Congregatio censuit, quod & ipse GREGORIUS XIII. confirmavit juxta Navarr. *c.* 25. *n.* 144. Quoad vagos insistimus ordinationi in Epistola nostra Pastorali expressæ, ut sine scitu nostro nequaquam copulentur. *5to.* Demandamus, ut juxta Decretum ejusdem sacrosancti Concilii (*s*) copulationes non fiant, nisi post tertiam denunciationem, & nisi aliter Nobis videbitur, & ut non detur a Parochis in antea testimonium factæ trinæ denunciationis, priusquam tertia fiat ejusmodi denunciatio. *6to.* Ut non permittantur cohabitare secum desponsati de futuro, quovis sub prætextu vel causa disponendæ rei familiaris. *7mo.* Ut, quantum fieri possit, desponsati absque dilationibus solennizent Matrimonium ad evitanda pericula incontinentiæ & scandala, quæ ex protelationibus hujusmodi sæpe subsequi sunt animadversa. (*t*) *8vo.* Commendamus authoritate & solicitudine nostra Pastorali hanc circumspectionem Curatis animarum, quatenus curam mulierum prægnantium non negligant, piis persuasionibus, ut se a laboribus gravibus, rixis, & iracundiis cohibeant. *9no.* Rixas quoque conjugum plebejorum si Pastorali sua solicitudine, suavibus modis & remediis temperare non valebunt, aut componere, ut a verberibus abstineant, brachium sæculare ad compescendum similes motus conjugum implorabunt.

Apponimus denique Sanctionem sacrosancti Tridentini Concilii, contra impedientes libertatem Matrimonii. (*u*) " Ita plerumque temporalium Dominorum ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excœcant, ut viros & mulieres, sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes minis & pœnis adigant cum iis invitos Matrimonium contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis præscripserint, quare cum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur; præcipit sancta Synodus, cujuscunque gradus, dignitatis vel conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere Matrimonium contrahant."

Denique ad præcidendam litium ansam, & jurgia tollenda, quæ passim vel inter ipsos conjuges vel cives contubernia, atque plures conjugum legitimorum liberos suboriuntur, in fundamento noti alias & indubitati Canonis pronunciamus, (*x*) quod naturalis filius per subsequens Matrimonium legitimatur, nisi sit filius adulterinus.

De futuro Matrimonio sponsalia ex praxi hujus Diœcesis, etiam de mutuo partium consensu sine scitu nostro non solvuntur.

CAPUT XVI.

De Catechesi, & verbi Divini Prædicatione.

Quemadmodum Doctor gentium Deum videre, eique placere cupientibus asseveranter indicat: (*y*) Sine fide impossibile est placere Deo, quatenus homo ea prima virtute sese ad Creatorem referat, a quo conditus & spiraculo vitæ recepto, in animam viventem factus est, pari ratione quærit: (*z*) Quomodo credent sine prædicante? Non sine testimonio reliquit seipsum Deus. (*a*) Ipsa incarnata Sapientia, Salvator noster tanto munere functus est: Confiteor tibi Pater, quia abscondisti ea sapientibus & revelasti parvulis. Et: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Sic ab initio ad propagandum auxilium salutis humanæ per orbem terrarum satores fidei destinavit, ait D. Augustinus. (*b*) Et

(*s*) Seff. 24. de Reform. Matrim. c. 1. (*t*) C. 1. Cum multis seq. 30. q. 5. & c. Nulli. 35. qu. 2. (*u*) Seff. 24. de Reform. Matrim. c. 9.
(*x*) C. 1. Qui filii legitimi. & c. Tanta est. in 6to eodem titulo. (*y*) Heb. 11.
(*z*) Rom. 10. (*a*) Act. 14. (*b*) Lib. 5. in Luc. c. 6.

Et quidem nunc non jam binos & binos mittit ante faciem ſuam, ſed in omnem terram exivit ſonus eorum. Tales poſt primos in utraque lege Prophetas, Legislatores, Apoſtolos, Evangeliſtas in ſortem Domini vocati ſunt Paſtores & Curatos animarum. Hi ſuccedunt ad ſpargendum fidei ſemen, & poſtquam miſerunt manum ad aratrum, ſuſcepto onere paſtoralis curæ, Apoſtolico verbi Divini vomere, ſcindere & præparare debent corda ſimplicium, ut recipiant ſatum & germinent ad fructum. Hoc optime fit per Catecheſes, hæ ſunt antiquiſſimæ & primæ omnium prædicationes. Ipſorum enim Apoſtolorum conciones fere tantum erant catecheſes, ait Cornelius a Lapide, (c) ut habetur expreſſe: Communicet autem is, qui catechiſatur verbo ei, qui ſe catechiſat in omnibus bonis. Poſt illos S. Cyrillus Hieroſolymitanus ſcripſit Catecheſes. S. Aug. librum: *de catechiſandis rudibus*. S. Greg. Niſſen. *Orationem catecheticam*, quæ dicitur *Magna*. Pergit Cornelius a Lapide: Unde patet munus catechiſandi eſſe primarium Eccleſiæ & Apoſtolicum, ut merito D. Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, eo quaſi honorifico & vere Chriſtiano perfunctus ſit officio, ipſeque pueros erudire, eorumque confeſſiones aſſidue audire voluerit. Neque maximi Reges id ſubinde erubuerant, uti domeſtico conſtat exemplo de VLADISLAO JAGELLONE Poloniæ Rege, Herburtus *in ſua Hiſtoria lib.* 12. *c.* 7. quod in convertendis Ethnicis ſuis Lituanis maximam navaverat operam, non ſolum hortando & orando, ſed etiam docendo & præmiis invitando.

Quamobrem inſiſtendo Statuto Sereniſſimi & Reverendiſſimi Principis Poloniarum, JOANNIS ALBERTI Prædeceſſoris noſtri, in ultima Synodo Guttſtadii in Collegiata *anno* 1624. *die* 17. *Maji* condito; Statuimus, ut Parochi plebes ſibi commiſſas ad propagandam earundem ſalutem erudiant, ita, ut ſi fieri poſſit totum catechiſmum in concionibus per annum percurrant, quemadmodum optima methodo, de Parochorum munere in RUDNICIANA, tempora cuivis dogmati præfinita ſunt. Domos etiam Parochianorum, etiam extra Calendas Natalis Domini cum opportunitate temporis viſitent, præcipua Catechiſmi capita cum ipſis repetant, operumque miſericordiæ illos admoneant, tum confeſſionis peccatorum faciendæ modum illos doceant, jejuniorum & feſtorum dierum obſervantiam ac Sacramentorum frequentem uſum maxime illis inculcent, in tali autem viſitatione ab omni munere, aut ſpe illius ſint alieni.

Verbum autem Divinum prædicantibus ſinceritatem prædicationis Divus Paulus (d) commendat: Non ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur. (e) Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Quænam illa oſtenſio ſpiritus & virtutis, dixerit primo Iſaias: (f) Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo ſcelera eorum. Audi etiam Regiis auribus inclamantem Joannem Baptiſtam: *Non licet*. Chriſtus Dominus autem dicit: Qui fecerit & docuerit, hic major eſt in Regno Cœlorum. S. Gregorius: (g) "Prædicator quisque plus " actionibus, quam vocibus inſonet, " & non confundant opera tua ſermo- " nem tuum." Divus Hieronymus: (h) " Ne, cum in Eccleſia loqueris, tacitus " quisque reſpondeat, cur ergo hoc " ipſe non facis? Delicatus Magiſter, " qui pleno ventre de jejuniis diſputat, " accuſare avaritiam & latro poteſt, " Sacerdotis Chriſtiani os, mens, ma- " nusque concordent. In his inſtantia " indefeſſa ſæpe ſalvum facit audien- " tem, ſæpe vero prædicantem." S. Bernardus *de conſideratione* (i): Exegeris curam, non curationem. Denique illud audiſti: Curam illius habe, & non, cura vel ſana illum. Sane incrementum dat Deus, non tu; ubi voluerit, ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil, dicen-

(c) In c. 6. ad Gal. ver. 6. (d) 2. Cor. 2. 17. (e) 1. Cor. 2. 4.
(f) Iſai. c. 58. (g) Part. 3. Paſtorali c. 6. (h) Epiſt. 2. ad Nepoc.
(i) Lib. 4. c. 2.

dicente Scriptura *Sap.* 10. Reddet Deus laborem Sanctorum suorum, securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Quæ præterea in Epistola Pastorali de verbi Divini prædicatione insinuavimus, id Concionatorum recenti memoriæ hærere cupimus, non nimis etiam longas haberi volumus conciones, ne prolixitate auditoribus nauseam pariant, & multitudine conceptuum, rudium memoriam & captum confundant.

Tenebuntur etiam Parochi seu Curati post conciones cum Parochianis suis clara & distincta voce lente dicere, qualibet die Dominica 1ma mensis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, brevis confessionis generalis formulam, & actum contritionis, aliis vero Dominicis unum alterumve ex illis cum actu contritionis.

CAPUT XVII.

De conservanda puritate Religionis Catholicæ.

Sapientiæ æternæ parabola monemur, quantum somnolentia & ignavia hominum agro Dominico nociva & perniciosa fuerit: Cum dormirent homines, venit inimicus homo & superseminavit zizania. Vigiles igitur Christus habere vult operarios, qui verbi Divini semen in cordibus spargant audientium, ut germinis inepti evulsione, bonique præparatione & cultura multiplicem laborum suorum afferant fructum. Reassumimus itaque pragmaticas Provinciæ seu Diœcesis hujus Varmiensis Constitutiones, signanter Illustrissimi MAURITII *de anno* 1526. *die* 22. *Septembris* cum Venerabili Capitulo Varmiensi conditam, qua vetitum est illos, qui antiquissimam in his oris plantatam Fidem Catholicam non profitentur, in hac Diœcesi tolerare. Quare commorantes in hac Diœcesi hæretici, quomodolibet possessionati, elapso anno, abscedant & exesse cogantur, adhibito quovis brachio sæculari tam Officialium nostrorum castrensium, quam etiam Magistratuum in oppidis. Nec licitum ipsis sit bona immobilia emere, aut arendæ vel quocunque titulo tenere, etiam ad brevissimum tempus, sub nullitate contractus.

Denique licet ex conjugatis unus sit Catholicus, & alter intra annum non convertatur, abire compellatur, minus vero licet illis pacisci de prole suscipienda, ut secundum sexum, Catholicam fidem vel hæreticam sectam sequatur sub pœnis, arbitrio nostro dictandis, rigorosissimis. Renovamus pariter Statutum Prædecessoris nostri Serenissimi JOANNIS ALBERTI, de non fovendis in Curiis nobilium Vasallorum hæreticis famulantibus. Item Statuta Illustrissimorum CROMERI & RUDNICKI, de non retinendis longiori tempore hæreticis sodalibus artificum & opificum, maxime si ii scandalosi sunt, & de quibus nulla est spes conversionis, quod ex moribus, conversatione & aliis circumstantiis colligendum. Interea vero temporis præfixi præsertim ante Pascha curæ & vigilantiæ intererit DD. Curatorum, ut quoquo efficaciori modo suaviter cum gratiæ Divinæ instinctu & adjumento ad fidem disponantur, quibus cum contigerit spe conversionis, Divinis interesse, modeste pro reverentia Numinis se gerant, & temporibus vetitis, victu Catholicorum sint contenti, neque contra fidem blasphemare, & cæremoniis Ecclesiæ audeant illudere, sub pœnis, delicto ipsorum juxta demeriti rationem infligendis.

Volumus etiam, ut attendant Curati locorum, ne quispiam acatholicos libros habeat & legat, ipsi quoque sine licentia in scriptis a Nobis vigore facultatum a sancto Officio concessarum obtenta non habeant, legant aut retineant, neve per circumforaneos impressæ vel scriptæ vulgentur preces, historiæ, cantilenæ, indulgentiæ, quæ nullibi recognitæ, & approbatæ, vel a Nobis admissæ non fuerint, cum easdem sæpe pro turpi fœnore, insolenter ac malitiose concinnant, & in acatholicis Typographiis excudere præsumunt.

CAPUT XVIII.

De Divinis Officiis.

Non tantum in conſpectu Angelorum, verum etiam cum ipſis Angelis, quantum fragilitas humana ſuppetit, Eccleſia Deo pſallere & laudem dicere geſtit:

Sed illa ſedes Cœlitum
Semper reſultat laudibus,
Huic canentes jungimur,
Almæ Syonis æmuli. (k)

Hæc oratio dirigitur ad Deum publico nomine, non tantum ex privata orantis & pſallentis intentione, ſed totius Eccleſiæ, ſepties fit ex mente ejusdem, juxta ſeptem neceſſitates, quæ ſunt in ſeptem petitionibus Orationis Dominicæ, ut ajunt quidam, vel juxta ſeptem lapſus etiam juſtorum; (l) ſepties in die cadit juſtus. Petrus Damianus *Opuſc.* 10. inquit: Septem horarum Canonicarum Officia quaſi ſeptem Baptiſmatum lavacra in Eccleſiæ ſanctæ gremio conſtituta, ut 7. offenſionis maculas, quas ex quotidiana vitæ hujus converſatione contraximus, totidem orationis quotidianæ fluentis expiare conemur.

Concilium Lateranenſe ſub INNOCENTIO III. (m) diſtricte præcipit, & in virtute obedientiæ recitari ſtudioſe & devote, nempe ſtudioſe quoad officium oris, *uti gloſſa,* ut verba debite & integre proferantur, non deglutiendo ultimas ſyllabas aut ſincopando, vel tumultuarie præcipitando. Devote quoad affectum cordis, juxta Pſalmiſtam: Quid mihi eſt in cœlo, aut quid volui ſuper terram, Deus pars cordis mei, Deus in æternum.

Ideo hoc Synodali Statuto omnes in ſacris Ordinibus conſtitutos ac Beneficiatos monemus, quatenus illis non ſufficiat recitare Breviarium, ſed neceſſe eſt, ut ab unoquoque abſolvatur cum devotione & attentione, claro & diſtincto tono, articulata voce, nullibi autem præcipitanter & perfunctorie recitetur vel decantetur. Privatim denique recitans audiat ſeipſum ac intelligat, quid dicit, nec aliquando unum Divinum Officium pro altero immutet, etenim non tantum intermittentes, ſed etiam immutantes præter reatum peccati mortalis, pœnas quoque temporales incurrunt, nempe non faciunt fructus ſuos, & ad illorum reſtitutionem tenentur juxta Bullam PII V. editam in innovationem Conſtitutionum Concilii Lateranenſis, ſub LEONE X. celebrati, cujus verba ſunt: "Statuimus & ordinamus, ut, qui horas Canonicas omnes, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii ac Beneficiorum ſuorum perdat fructus, qui illi vel illis diebus reſpondeant, ſi quotidie dividerentur: Qui vero Matutinum tantum dimidiam partem, qui cæteras omnes horas alteram dimidiam, qui harum ſingulas ſextam partem ejus diei amittat."

Innovamus etiam Conſtitutionem Synodalem anteriorem, ut Matutinum & Veſperæ in Eccleſiis, ubi quoque Roſarium dicitur, ſicubi incuria vel deſuetudine intermiſſæ ſunt, juxta præſcriptam methodum dierum feſtivalium abſolvantur, idque exactiſſime.

CAPUT XIX.

De Sacramentalibus & functionibus Eccleſiaſticis.

Quemadmodum Sacramentalia & Cæremonialia Eccleſiæ, ad propulſandas artes dœmonis, animæque & corporis ſanitatem benedictione Divina tuendam inſtituta ſunt, ſic religioſe iisdem utendum, nec aliter illa, quam quo & qualiter inſtituta ſunt, adhibenda.

Quantum porro utilis aquæ luſtralis uſus, ſatis domeſtico nobis exemplo liquet, dum peculiariter in Synodo Illuſtriſſimi olim JOANNIS III. Epiſcopi Varmienſis Prædeceſſoris noſtri, poſt *annum ſalutis* 1415. (n) cui Synodo cæteri quoque Epiſcopi, qui in Pruſſia ſunt, interfuere, circuitus cum eadem per domos ſtatutus fuerit, eo tempore; quo nefaria Vicleffitarum hæreſis in has oras irrupit, & mala multa cauſavit.

(k) In Hymno Ded. Eccl. (l) Prov. 24. (m) C. Dolentes. lib. 3. Decret. tit. XLI. c. 9. (n) Leo lib. 4. Hiſt. Pruſſ.

ſavit. Nam plurimi, qui huic ſectæ nomen dabant, a recto veræ fidei tramite recedentes, Eccleſias non frequentabant, Sacramenta irridebant, & contemnebant, ſeque in popinis liquoribus ingurgitabant, a dæmonis vexati, mirum in modum cruciabantur, ut in rabiem & inſaniam verſi, more canum per plateas diſcurrerent, alii in ignem inſilientes cremabantur, alii in flumina & in puteos ſe præcipites dabant, & ſuffocabantur, qui vero aquam luſtralem adhibuerant, a periculo omni illæſi ſervabantur. Unde fiebat, ut ſalis & aquæ exorciſatæ uſus frequentior haberetur. Statuimus itaque, ut mos laudabilis circumeundi cum aqua benedicta hactenus per ſcholares practicatus obſervetur, utque in ſingulis domibus aſſervetur. Monebunt cæteroquin DD. Parochi, ut cum aqua, herbis, candelis &c. ut Epiſtola Paſtorali, benedicendis, non turmatim accedant homines. Quas benedictiones in Eccleſiis noſtra Cathedrali & Parochialibus publice duntaxat fieri debere cenſemus & declaramus, ſiquidem benedictiones hujusmodi pro populo, inter jura Parochialia merito connumerantur.

(o) Cum autem conſtet Nobis Rituale ab Eminentiſſimo olim S. R. E. Cardinale RADZIEJOWSCIO Prædeceſſore noſtro editum ſeu auctum, præter alia antiquiora Prædeceſſorum noſtrorum pro hac Diœceſi formata & in aliis etiam recepta, non pari ratione & methodo in Diœceſi hacce obſervari, proinde idem Rituale, ne cultus Divinus diverſimodis functionibus & miniſteriis Eccleſiaſticis interturbetur, quin imo integer & uniformis ſervetur, ac vigeat, decernimus, idem Rituale RADZIEJOWSCIANUM revidendum, confrontandum & reducendum, utque id quantocyus fieri queat, deputamus Illuſtres & Admodum Reverendos *Gaſparem Simonis* Seniorem Croſſenſem, & *Franciſcum Herr* Decacanum Sambien. Præpoſitum Regiomontanum, Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ Guttſtadienſis.

Interea ordinamus, ut Euchariſtia non aſſervetur in duplici loco in Eccleſia, nec ſeorſive in pyxide & Monſtratorio, ſed ſemper Hoſtia major præſertim extra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti ad pyxidem caute quidem, ne in Melchiſedecho fragmentum maneat, ex monſtratorio reponatur.

Licet exponatur Euchariſtiæ Venerabile Sacramentum, crux adeſſe debet ex Decreto ſacræ Congregationis Rituum *de anno* 1701. 17. *Aprilis.*

In Miſſis Defunctorum non eſt miniſtranda Euchariſtia, ex Decreto ejusdem Congregationis 1701. 16. *April.*

Nec in paramentis nigris. *Anno* 1707. 7. *Maji.*

Præterea introducendas eſſe mulieres conjugatas poſt partum, licet fœtum maturum non ediderint dummodo animatum, cenſemus, uti & illas, quæ ſpe Matrimonii defloratæ, Matrimonium cum defloratoribus contraxerunt, quandoquidem eo Sacramento cohoneſtantur, mulcta iisdem etiam condonanda.

Æditui, ut facile fieri poterit, non porrigent pacificale ad oſculandum puerperis, nec alteri cuipiam.

Confeſſiones Laicorum non audiendæ paſſim in Sacriſtiis, niſi ſurdorum, mutorum & infirmorum.

CAPUT XX.

De Regularibus.

Status Regularium ſeu Religioſorum eximiis laudibus & præconiis in Eccleſia Dei meretur celebrari. In illo etenim apparet digitus Dei, multiformis ac mira operatio Spiritus Sancti. Ex illo indies prodeunt viri perfecti, Nazaræi novæ legis, qui militant nobiscum, docentque multorum manus ad prælium, laborum noſtrorum cooperatores, orationibus ſuis orbem fulcientes, & vitæ ſanctimonia illuſtrantes. Quorum zelum circa Divinum cultum, & ſalutem animarum tantopere Diœceſi noſtræ utilem ac fructuoſum lauda-

(o) Monacellus in form. leg. pract. tit. X. form. 18. n. 3. Barboſ. in ſum. in deciſioni Apoſtol. collect. 391. & S. Cong. Rituum apud Quærant. verb. Miſſa in fin. 18. Maji 1602.

laudamus ipfisque indefeffum, pro æternæ mercedis retributione recommendamus. Quia vero norunt fefe ad ædificationem, non deftructionem effe, ne populus abftrahatur à Parochiali Ecclefia, ubi falutis initium confequitur, & ad quam frequentandam juxta facrofanctum Trid. Concilium hortandus eft; Nos inhærendo difpofitioni Sereniffimi & Reverendiffimi Principis JOANNIS ALBERTI, fub titulo: *de facris Concionibus*, ordinamus, ut Regulares Diœcefis noftræ diebus Dominicis & Feftivis ita expediant devotionem, ut ante horam octavam matutino tempore concionem, quæ merito in fupplementum devotionis illis, qui famulantur, & commode Divinis in Parochiali intereffe nequeunt, cedere debet, finiant, in qua Parochiali horam concionis de æftate mediam nonam, de hyeme vero nonam affignamus.

CAPUT XXI.

De Pœnitentia publica, & vitæ fcandalis tollendis, atque cavenda oppreffione puerorum.

J*eremiæ* 1. dictum eft Prophetæ: *Ecce conftitui te bodie fuper Gentes & fuper Regna, ut evellas & deftruas, & diffipes ac difpergas, & plantes.* Iftud fecundum duas partes juftitiæ Chriftianæ, declina a malo & fac bonum, ad normam illius, qui fciet reprobare malum, & eligere bonum, (*p*) fumendum eft. In eo etiam præcipua Paftoralis Officii ratio verfatur, ut eo, quo delinquentes percutimus pedo, fanemus refipifcentes. Bonis namque nocet, qui parcit malis. D. Paulus (*q*) tales acriter perftringit: Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis fervientes, neque adulteri, neque molles, neque mafculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poffidebunt. Nominantur hic primaria & maxima mundi crimina, publico bono perniciofa, & catenam malorum poft fe trahentia.

Hinc Nos malis & fcandalis, ne committantur, aut ne tandem commiffa, impunitate, conniventia feu indulgentia crefcant, & flagellum iræ & furoris Dei in Nos & Provinciam noftram Varmienfem provocent, provida folicitudine obviare fatagentes; cenfemus eos, qui publice delinquent, in Ecclefia pro modo culpæ publicam pœnitentiam agant. Quia vero plures paffim in oppidis noftris & villis ebriofi reperiuntur cives, aliique plebeji, qui rem familiarem ad affem pene dilapidantes, fæpius etiam feftorum dierum immemores potibus continuis fefe ingurgitant, atque fæpius dementibus non abfimiles in omne nefas, habenas laxant, eos proinde non tantum Curatis ad reminifcentiam præceptorum Dei, ac virtutis temperantiæ fectationem exhortandos, atque ad pœnitentiam, poft monitionem repetitam, publice in Ecclefia agendam, verum etiam Officialibus noftris caftrenfibus ad feveram coercitionem & caftigationem, atque carceris pœnam cum cibi & potus fubtractione luendam ferio commendamus.

Præfertim vero ne hæreant ceu affixi in popinis, & tabernis civitatum & villarum ufque in noctes, Præfides civitatum & Sculteti villarum inde illos expellere curabunt, punientque.

Mulieres etiam, quarum fœdiores funt potationes, & rei domefticæ magnopere damnofæ, proles & domefticos corrumpentes, de his *Eccl.* 26. *Mulier ebriofa ira magna, & quæ de bis eft, una de filiabus Belial nuncupatur*, (*r*) eafdem fevera quoque punitione ad temperantiam, quæ fexum fœmineum decorat, pariter coercendas & frænandas effe ftatuimus.

Fœminas femel lapfas ad incontinentiam, & propterea punitas, fi denuo ad peccata carnis reverfæ fuerint, propulfandas & expellendas, cura Magiftratuum locorum, nec in vicinia tolerandas declaramus.

(*s*) Propinationes & faltus in tabernis tempore Patrociniorum, & Indulgen-

(*p*) Ifai. 7. (*q*) 1. Cor. 6. 10. (*r*) 1. Reg. 1.

(*s*) Intellige propinationes tunc non debere fieri ante Divina peracta, faltus vero tempore Patrocin. & Indulg. nullatenus, fub pœnis ad ment. c. *Irreligiofa confuetudo.* 2. dift. 3. de Confecr. a Sacerdot. de Judic. dictandis, etiam poft Divina permittantur.

dulgentiarum in villis districte prohibemus, sub crumenali vel corporali pœna ipsis per Sculteτos, aut Officium Castrense dictanda, & præterea publica pœnitentia arbitrio Parochi tabernatori & saltantibus injungenda.

Superstitiones etiam omnino abrogandas volumus intendentia vigili Curatorum, vel maxime interdicendos accessus ad vetulas, de nefandis ac execrandis artibus suspectas, intra vel extra Provinciam sub pari publica pœnitentia & pœna temporali.

Quandocunque continget subinde quempiam de plebe discolum & exorbitantem puniri pœna Ecclesiastica, v. g. statione cum candela, jacendo expansis manibus in modum crucis, vel flectendo coram majori altari, vel etiam in collari ferreo stando, nullam perinde infamiam ea Ecclesiæ pœna incurri pronuntiamus, & quicunque huic nostræ legi contradixerit, noverit se graves equidem pœnas incursurum.

Circa vagabundos advenas, peregrinos volumus, ut eorum habeatur delectus, & de quibus formido est vel certitudo, eos scandalosam vitam agere, neque templa frequentare, non modo negabitur eis collectio eleemosynarum, verum etiam loco abscedere cogentur, quod non tantum vigilantiæ Curatorum, verum etiam Magistratuum in oppidis & Sculteτorum in pagis committimus.

Insuper cum dolenter nimis atque medullitus sensibili cordolio animadvertimus puerorum oppressiones, incauta præsertim mulierum ebriarum vel laboribus fatigatarum ad suum lectum positione, contra serias & districtas prohibitiones Prædecessorum nostrorum jam quasi impune, & licentiose frequenterque perpetrari, innovamus & recapitulamus Statuta eorundem Antecessorum nostrorum, signanter RUDNICIANUM, ut ante Ecclesiam in campanili, vel in eadem, per totam Quadragesimam in loco, sive civitas sit, sive villa, ubi similes peccaverunt, illis a Parochis, præsertim si secundario peccatum istud committant præmonitæ, imponendam luant pœnam, ita tamen, ut feria quinta in Cœna Domini se sistant coram Nobis, vel Deputato nostro ad recipiendam publicam absolutionem. Licitum vero sit DD. Archipresbyteris easdem simul ac viros, si qui fuerint tales delinquentes, in foro conscientiæ tantum absolvere.

Injungimus etiam Magistratibus & Sculteτis locorum, ut si secundario peccaverint, diligentem inquisitionem faciendam, circumstantias considerandas, num ipsorum culpa temeritate, vel nulla adhibita cura id acciderit?

Curati etiam non solum ex ambona, sed vel maxime circa inscribendos in librum baptizatorum infantes, moneant serio parentes, ne eos in lectum recipiant, quod & patrinis inculcandum, cum de sacro fonte levant eosdem.

Non solum vero illos, qui de facto opprimunt infantes, puniendos declaramus, verum etiam illos, qui coram Parocho convincentur infantes in lecto post labores cum periculo collocasse, ut prima Dominica vel festo, arbitrio sui Parochi publice pœnitentiam agant.

CAPUT XXII.

De Indulgentiis.

CHRISTI Passio est veluti labrum, ex quo omnia bona effluunt, (t) indulgentiarum quoque & gratiarum dona, siquidem in solis ejus meritis Passionis & gloriosorum Martyrum, Sanctorumque consistunt.

Indulgentias hujusmodi ad Ecclesias pro festis Patronorum procurandas esse quantum fieri expedit, hoc Synodali Statuto censemus.

Et quia SSmus Dominus noster BENEDICTUS XIII. feliciter universam Ecclesiam gubernans, de benignitate Apostolica & potestatis, sibi ut Vicario in terris, a Christo concreditæ plenitudine, specialissime Indulgentias perpetuas recitantibus ad pulsum campanæ pro Salutatione Angelica: *Angelus Domini* &c. Orbi universo largitus est, eas proinde Curati quantocyus publi-

(t) Tit. 14. de Indulg. Decret. Romanum a Pio IV. in 7. Decret. lit. 3. editis.

publicabunt ad augendam Christifidelium devotionem, & gratiarum cœlestium abundantem participationem.

Indulgentiæ perpetuæ pro orantibus ad pulsum Salutationis Angelicæ.

BENEDICTUS PAPA XIII. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

" Injunctæ nobis Divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Beatissimæ, atque Augustissimæ cœli Reginæ Virginis Deiparæ MARIÆ Patronæ & Advocatæ nostræ venerationem, excitandamque & confovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum. Itaque de Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus authoritate confisi omnibus & singulis Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui mane aut meridie, seu vespere, ad pulsum campanæ, *Angelus Domini nuntiavit MARIÆ, & concepit de Spiritu Sancto. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis:* cum tribus *Ave MARIA* flexis genibus devote recitaverint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: In reliquis vero anni diebus iisdem Christifidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentiarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides utrique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ ad S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIV. Septembris 1724. Pontificatus Nostri anno primo.

F. Card. OLIVERIUS.

Peculiari etiam devotionis fervore ducta Sua Sanctitas suffragia pro defunctorum, peccata sua in purgatorio expiantium refrigerio, ut æterna luce in splendoribus Sanctorum perfruantur, cumulare volendo, concessit in Cathedralibus per orbem Altaria privilegiata in singulos dies, & pro quolibet Sacerdote, perpetuo usque sub tempus Jubilæi moderni, Indulgentiæ omnes, quæ cessant pro vivis, possint applicari defunctis, quemadmodum ex ipsius Brevi &c. patet, indulsit.

CAPUT XXIII.

De Sancto Floriano, ejusque & aliorum Sanctorum Reliquiis.

Prosequendo Pastorali affectu totam hanc nostram Diœcesim ac Provinciam, eique comprecando ex animo omnia prospera & tranquilla, solicitudine nostra & zelo flagrantissimo procuravimus ex Ecclesia Cathedrali Cracoviensi insignem Reliquiam cum authentico Divi FLORIANI Martyris R. P. P. ad nostram Varmiensem, ut ejus valida intercessione ab omnibus muniamur adversis, spiritualibusque ac temporalibus repleamur bonis, postquam eundem Sanctum, olim a LUCIO III. Pontifice, Regno Poloniæ in singularem Patronum destinatum, sub die 16ta Julii, anni præterlapsi 1725. de unanimi Ordinum & Statuum hujus Diœcesis voto ac petitione, in peculiarem Patronum elegimus; ordinamus itaque, ut in Diœcesi nostra Varmiensi & Sambiensi festum D. FLORIANI Martyris celebretur sub ritu dupli-

duplici 1. classis cum Oct. die Dominica post quartam Maji immediate sequenti, nisi forte aliquo anno incideret celebrandum festum S. STANISLAI Ep. Mart. P. R. P. similiter diei Dominicæ jam antea affixum; tunc enim eo anno festum S. Floriani anticipari debebit in Dominica 4tam Maji immediate præcedenti, sub beneplacito & ratihabitione sanctæ Sedis Apostolicæ, a qua Indulgentias ex Urbe de benignitate Ssmi Domini nostri præstolamur.

Plures etiam Sanctorum Reliquias insignes, ex Urbe a Nobis procuratas, Ecclesiæ Sponsæ nostræ deponimus, ut multiplicatis intercessionibus Sanctorum, ceu forti præsidio in necessitatibus & calamitatibus, quas DEUS avertat, muniamur. Parem etiam liberalitatem effudimus in alias Diœcesis nostræ Varmiensis & Sambiensis Ecclesias, dum in præsenti Synodo in pignus benevolentiæ nostræ Præsuleæ, Ecclesiæ Collegiatæ Caput S. Pacificæ Colonia Agrippina Nobis a Perillustri Domino Barone *de Schenck*, Decano Ecclesiæ nostræ Cathedralis Varmiensis, Præposito Elbingensi, cum authentico, allatum & oblatum, una cum cranio S. Victoriæ ex cœmeterio Priscillæ de Urbe, dono dedimus, Archipresbyteralibus & Parochialibus Ecclesiis, singulis alias sacras Reliquias cum authentico etiam distribuimus. Ut igitur per exercitium bonorum operum, eorum venerationi vacantes, piis ante thronum Divinæ Majestatis eorundem suffragiis adjuvari, & exinde Deo propitio vitam æternam facilius consequi valeamus, assignavimus diem Dominicam 1mam 7bris, ut ipsarum SS. Reliquiarum festum cum Officio & Missa de communi Martyrum in Varmia quotannis celebretur, populusque moneatur, ut debita easdem veneratione prosequatur.

CAPUT XXIV.

De custodia Ecclesiarum, earumque munditie, & supellectili.

Sanctuariis *suis Dominus per Isaiam* (u) *Prophetam appromittere dignatus est expectationem Insularum, & argentum, atque aurum earum, gloriam libani ad sanctificationem & glorificationem loci pedum suorum.*

Quare incumbit præsenti Statuto omnibus Rectoribus Ecclesiæ, sacras ædes juxta Antecessorum nostrorum Statuta sartas tectasque conservandas & pro posse exornandas curare, munditiemque, quatenus quovis anno, quoad fieri possit, fornix & parietes, qui nonnullibi pulveribus & araneis sunt deformes, de æstate ante Pentecosten, vel post Octavam SSmi Corporis Christi totaliter purgentur, servare.

(x) Vasa sacra pretiosa in tuto loco collocare, neque a laicis Æditiuis nudis manibus tangi permittere, paramenta Ecclesiastica per Æditiuos bene complicata, & in loco non humido, de æstate una vel altera die ventilata & posthac asservata; corporalia, pallas, reliquasque mappas nitida & munda habere.

(y) Claves ad thesaurum bipartitæ penes Parochum & Vitricos Ecclesiæ deponentur. Claves vero ad Tabernaculum & Ciborium, nec non baptisterium Parochi soli conservabunt, nec circa usum ad aperiendum tradentur, quemadmodum & S. Carolus Borromæus *Decreto* 9. *in* 4. *Synodo Mediolanensi* claves hasce nec Clerico quidem ministro ullo modo committendas censuit. Quando vero videbitur Rectoribus Ecclesiarum quidpiam circa ornatum Ecclesiarum, ejusque supellectilem & paramenta atque fabricam disponendum, vel in melius ordinandum, in minoribus rebus consilio DD. Archipresbyterorum id fiat, in notabilioribus ad Nos se referent DD. Archipresbyteri; nulli vero licebit aliquid alienare sub pœnis in jure sancitis.

Circa

(u) Isai. c. 6. (x) C. Relinqui. 2. lib. 3. Decret. tit. 44.
(y) C. Statuimus. 1. eod. lib. & tit. ubi pœna suspension. trium mens. ab offic. & gravior. juxta incuria casum.

Circa imagines, quæ ſunt ad repræſentationem Paſſionis Chriſti & Sanctorum, ad inſtructionem ſimplicium, motum ac excitationem tepidorum, quorum honos refertur ad prototypa, ne ſint rudi vel monſtruoſa forma fabrefactæ, abſurdæ, ridiculæ, mutilæ, obſoletæ, defluentesque (z) (quod & de illis, quæ in campis extant, intelligimus) attendentiam DD. Archipresbyterorum requirimus, quorum muneris erit eas revidere in ſuis Eccleſiis, antequam etiam in campis exponentur. Circa viſitationes etiam attendent in Parochialibus Eccleſiis. Sine ſcitu vero Parochorum non erigentur in viis publicis, neque una figura penes aliam, vel unius Sancti imago penes alteram ejusdem Sancti, ſed juſto ſpatio intermediante collocetur.

CAPUT XXV.

De Juribus, bonis Eccleſiæ, fundationibus & rationibus Beneficiorum.

Jura & inventaria Eccleſiæ quisque Beneficiatus poſt adeptionem Beneficii conſcribet, & Archipresbytero viſitanti exhibebit, qui eadem ſubſcripta manu ſua, in defectu Notarii Apoſtolici, circa viſitationem Archipresbyteralem, poſtea ad Archivum Epiſcopale Heilsbergenſe remittet in una copia, retenta altera penes Eccleſiam.

Quando aliquis pio devotionis fervore ductus, ad exaltationem laudis Divinæ Beneficii alicujus erectionem procurabit, volumus, ut inveſtimentum ſeu elocatio cenſus fiat juxta Bullam PII V. ſuper certis ſtabilibus bonis & fundis *Jure Culmenſi* gaudentibus, præviis literis *Cridæ*, ſeu *Edicti generalis* contra intereſſatos, tum denique deſuper Decretum & robur authoritatis noſtræ ordinariæ accedat.

Et quando quispiam nobilis vel civitatenſis Vaſallus bona ſua vendenda vel dimittenda publicabit, rationem ſummarum adhærentium haberi volumus, quantum de jure fieri poterit, primariam. Quare attendentiam DD. Rectoribus Eccleſiarum inculcamus habendam circa intromiſſionem Caſtrenſem vel Civitatenſem ad eadem bona, ipſique Officiales noſtri & Magiſtratus attendent, ne Eccleſiæ vel Beneficia præjudicium patiantur. Si quid minus fiet, Poſſeſſores bonorum jure ad ſatisfactionem ſtringantur.

De ladulis Beneficiorum clavis una ſit apud Parochum, altera apud Proviſorem, regeſtra vero nullatenus in ædibus ſuis retineant Parochi, neque cenſus colligant, aut ipſimet exſolvant, ſed Proviſores vel de Magiſtratu, vel Scabinatu eligendi. Regeſtrationes autem annuatim in Curiis coram Magiſtratu diligenter fiant præſente Archipresbytero ſeu Parocho loci. Nulli vero liceat quidquam de peculio Eccleſiæ uſurpare, vel in uſum ſuum convertere ſine noſtro ſcitu, & conſenſu ſub pœnis in jure ſancitis.

CAPUT XXVI.

De Decimis, atque de Offertorialibus.

Sacrarum Scripturarum paginis erudimur decimas in ſuſtentationem Eccleſiaſticorum jure Divino fuiſſe reſervatas. Mirum tamen, quod nonnulli easdem reddere detrectantes vel minuere volentes, opinantur, quod ſuos augeant proventus, cum tamen Dominus dixerit: (a) Reſpexiſtis ad plus & ecce factum eſt minus, & intuliſtis in domum & exſufflavi illud; quam ob cauſam dicit Dominus exercituum, (b) ſi affiget homo Deum? quia vos configitis me, & dixiſtis: in quo configimus te? in decimis, & in primitiis. Et in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota, ſed inferte omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & beatos vos dicent omnes gentes, eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum. Mo-

(z) Conc. Nicæn. 2. actio. 3. & Trid. Seſſ. 24. de Reform.
(a) Aggæi 1.9.
(b) Malach. 3.

Monendi igitur sunt in concionibus & confessionibus Parochiani Decreto sacrosancti Concilii Trident. (c); quod occupatores & detentores bonorum, proventuum & decimarum, Ecclesiis, aut quibuscunque locis piis debitarum, juriumque iisdem servientium tamdiu anathemati subjacent, & a nullo Sacerdote absolvi possunt, nec debent, si declarati fuerint, nisi prius realiter & in effectu satisfecerint, bona, decimas, & jura restituerint.

Sed & CLEMENTINA Constitutio (d) memoria teneatur, & ab illis, a quibus debet, observetur.

De mansis itaque prædialibus, (e) decimæ pendentur per modum siliginis & modum avenæ, prout hactenus, salvo jure & possessione Parochorum, de quantitate & qualitate decimarum, hactenus etiam continuata. Si eosdem mansos prædiales contigerit in plures Curias, vel prædia dividi, pendent singuli possessores de singulis Curiis modium siliginis & modium avenæ. Quodsi vero prædiales mansi convertantur in colonales, decimabunt de iisdem, prout obloquitur Ordinatio in libro antiquo Privilegiorum, *de anno* 1390. *die* 24. *Januarii*, tenoris sequentis: Si feudalis exponit vel vendit mansos suos liberos rusticis, ut sibi pro eis annuum censum solvant, isti debent Plebano annonam missalem, de quolibet videlicet manso unum modium siliginis & unum avenæ, ut alii rustici, si vero repetiit mansos, reputabuntur eo jure, uti prius; & solvat, uti prius solvere consuevit.

Quantum ad mansos Libertinorum & Sculteторum, atque rusticorum per octo vel decem solidos, seu alias non integre decimantium, cum jam a temporibus Illustrissimi CROMERI exorta fuerint litigia & controversiæ inter Parochos & Parochianos, quorum intuitu aliquid certi velle statuere ex Synodo declaravit, aliique Prædecessores nostri non minopere allaborarunt, Nos quoque in consultatione cum DD. Archipresbyteris *die* 8. *Aprilis a. c.* in præsentia Deputatorum Ven. Capituli nostri Varmiensis, tum Collegiatæ Guttstadiensis, seria indagine negotium hujusmodi scrutati sumus, atque die 12. mensis currentis Julii ex adcitatione præfatorum Libertinorum & rusticorum ex singulis cameratibus, revisis plerorumque privilegiis negotium trutinavimus. Volentes igitur id ipsum penitius maturare, discutere, & tandem fine debito pro congrua Parochorum, in cura animarum desudantium alimonia & sustentatione, quemadmodum etiam Illustrissimi Antecessores nostri augendis non minuendis decimis intenti fuerant, terminare, siquidem nonnulli libertini medium modium siliginis & medium modium avenæ de manso pensitant juxta veterem de anno 1390, quoad villam Knipstein ordinationem, ab aliis vero DD. Curati majora offertorialia, seu jura vel accidentias ob defectum prætensæ extraditionis decimarum, idque titulo mercedis quodammodo juste videntur exigere; proinde, ut litigia & controversiæ pro æquitate & justitia sopiantur & applanentur, opportunum duximus statuere, ut supratacti Perillustres Domini Deputati Ven. Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis Varmiensis, *Adalbertus Grzymala* Cantor, & *Andreas Burchert* Oeconomus, Canonici, ad singulos Archipresbyteratus quantocyus se conferant, ibidemque vocatis vocandis, & lectis eorum juribus, reque pro ratione quoque fertilitatis agrorum perpensa & discussa, Nos luculentius informent, idque quatenus tandem Deo auspice, hoc anno finis querelis & litigiis hujusmodi imponatur.

De mansis vero colonalibus regulariter omnibus decimas participabunt Parochi per modium siliginis & modium avenæ, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus. Ex quo vero jugera & sylvæ non decimant, juxta Constitutionem MAURITIANAM, Parocho tamen pro utilitate sua, ligna intuitu decimationis licitum est evehere, non tamen ligna, quæ pro ædificiis valere possunt, nec licitum erit Parochis ex sylva in mansis suis reperibili distrahere pro pretio. Si vero

 sylvas

(c) Seff. 22. de Refor. c. 11. (d) Cupientes. de pœnis in 6to.
(e) Id est: de prædio.

sylvas Parochianorum in toto vel in parte contingeret eruncari, tunc decimæ ad proportionem eruncationis Parocho pendentur, juxta qualitatem grani & sementis.

Molæ omnes pendent Parocho de quavis rota modium siliginis & modium avenæ. Terminum pro reddendis decimis assignamus a festo S. Martini ad festum Purificationis B. V. MARIÆ, juxta Ordinationem MAURITIANAM *anni* 1526. *die* 22. *Septembris. tit.* Von den geistlichen Renten.

Porro quoad jura stolæ, seu accidentia, ut vocant, regulamen ex Cancellaria nostra sument DD. Parochi.

Offertorialia, quæ obveniunt diebus patrociniorum & per annum de altari, solius sint Parochi, quæ proveniunt ex cereis, dividantur inter Parochum & Ecclesiam; de sepulturis vero solus Parochus ceram participabit & pecuniam, sicut & de introductione mulieris post partum. De aliis videatur Constitutio LUCÆ Prædecessoris nostri.

CAPUT XXVII.

De satis & pratis, ædificiis & sepimentis, aliisque a Parochianis præstandis.

Quandoquidem hactenus inter Antecessores & Successores, sive cedentes sive decedentes Parochos, nec non alios Beneficiatos, qui agros seu mansos Ecclesiarum vel Beneficiorum possident, circa deservitionem & participationem conseminationis una & crescentiæ tam hyemalis, quam æstivalis tanta fuit variatio, ut quotquot fieri contingit Parochorum & Beneficiatorum memoratorum mutationes, tot etiam fere deservitionis & participationis hujusmodi non absque injuria tertii fiebant abusus, & controversiæ, idque ex occasione alicujus Rescripti RUDNICIANI post Synodalis, ac si interpretativi prætensi. Proinde ad tollendas in futurum quasvis injurias, abusus, variationes & controversias hujusmodi unam stabilem methodum & regulam desuper statuendam & inducendam esse duximus (quatenus inviolabiliter ab omnibus & singulis observetur & manuteneatur) prout statuimus & inducimus in fundamento non solum Statuti RUDNICIANI *de satis & pratis*, sed & S. Congregationis Concilii Trid. Interpretum *anno* 1720. *die* 24. *mensis Februarii* ad hunc Episcopatum emanatæ & regulatæ, ut si facta conseminatione hyemali Parochus vel Beneficiatus in Septembri, Octobri, Novembri cesserit, vel decesserit, quartam crescentiæ partem habeat; si vero in Decembri, Januario, Februario, mediam; si in Martio, Aprili, Majo, tres partes ex quatuor, sive tres quartas; si in Junio, Julio, Augusto, totam conseminationem hyemalem participet & percipiat. Æstivalem vero quod attinet, si quis post conseminationem factam in Majo aut Junio cesserit, vel decesserit, mediam partem crescentiæ habeat, qui vero in Julio vel Augusto, totam crescentiam æstivalem pro se recipiat.

Ea tamen conditione, ut Parochus vel Beneficiatus quicunque inde cedens vel decedens, obligatus omnino sit & adstrictus pro conseminatione sive in parte, sive in toto, prout ad cessum aut decessum suum de crescentia sive hyemali, sive æstivali deservivit & participavit, grana utriusque crescentiæ hujusmodi tam hyemalis, quam æstivalis Successori suo relinquere. Idem quoque intelligendum & pariter observandum volumus circa pensiones qualescunque sive in natura, sive in pecunia de mansis vel jugeribus Ecclesiasticis aut beneficialibus elocatis seu arendatis provenientes, quatenus eædem inter antecessores & successores Parochos vel Beneficiatos ad præscriptum Statuti præmissi exacte repartiantur. Quorum tamen mansorum aut jugerum Ecclesiasticorum vel beneficialium elocationem, sive arendationem juxta Sanctiones Canonicas quovis triennio renovari mandamus sub nullitate contractus. In reliquo Decretum RUDNICIANUM quoad fœnum, stramen, ligna &c. per omnia reassumimus, approbamus & confirmamus.

Quoad ædificia Parochialia & sepimenta servetur Ordinatio Illustrissimorum

rum Antecessorum nostrorum in Synodo RUDNIC. & recentior Eminentissimi RADZIEJOWSCII *de anno* 1686. Conservatio autem intelligenda, ut si pars integrans prudentis viri arbitrio corrupta inventa fuerit, Parochiani, qui hic & nunc ad eam reparandam obstricti sunt, teneantur procurare reparationem, si vero parvitates occurrerint, easdem Parochi reparabunt, ut in RUDNICIANA.

Quod si vero post triennium ingressus Parochi, Parochiani non tradent integra sarta tecta, teneantur eadem semper conservare.

Exactionem filorum ducendorum ab inquilinis hortulanis ac solutis interdicimus.

CAPUT XXVIII.

De Judicibus Diœcesanis & Examinatoribus Synodalibus.

Eos, præsenti Synodali Statuto, ad quos Rescripta Curiæ Romanæ emanatura dirigantur in Judices, assignamus, scilicet Illustrissimum, Perillustres & Reverendissimos Dominos *Joannem Kurdwanowski*, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Marochiensem, Suffraganeum & Præpositum, *Bernardum Theodorum liberum Baronem de Schenck* Decanum, *Michaelem Remigium Laszewski* Custodem, & *Adalbertum Grzymala* Cantorem, Prælatos & Canonicos Ecclesiæ nostræ Cathedralis Varmiensis.

Examinatores vero Synodales Perillustres Dominos *Joannem Link*, *Josephum Reyna*, *Claudium Hugvenin*, Canonicos itidem Cathedralis nostræ Varmiensis; nec non AA. RR. PP. *Josephum Rudomina*, & *Hieronymum Czernik* Soc. JESU, Professores Theologiæ, tum *Georgium Stoll* S. J. Professorem Ss. Canonum in Collegio Brunsbergensi.

CAPUT XXIX.

De Testamentis & intestatis.

Cum dolenter experimur Executiones Testamentorum remoram pati, provide igitur Executorum muneri obviare volentes, statuimus *1mo*, ut vita functo testatore, nullatenus in dispositionem derelictorum demortui se ingerant Executores, nisi prius inventarium in præsentia Archipresbyteri, vel alicujus vicinioris Parochi (nil sibi appropriando sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda) confecerint, quo confecto repositoria, seu asservatoria sigillis suis munient.

2do. Inventario confecto, testamentum simul cum eodem Nobis exhibeant in ordine ad approbationem.

3tio. Nullatenus ultra annum prorogetur testamentorum executio, executione vero peracta, calculus Nobis, seu Officio exhibeatur.

4to. Si autem aliquis ex Clericis, aut Beneficiatis intestatus decesserit, tunc Archipresbyter loci illico ad residentiam demortui descendat, ibidemque inventarium rerum derelictarum (nil pariter sibi appropriando) in præsentia duorum testium fide dignorum conficiat, vel jam confectum revideat & obsigillet, & Nobis quantocius denunciet ac inventarium remittat.

Porro ex intestatorum bonis ac derelictis, absoluta sepultura, persolutis debitis, expedita familia, consolatisque consanguineis & propinquis ejusdem, maxime pauperibus, fundatoque pro anima defuncti anniversario, in illa Ecclesia, ubi deservivit, atque parte pro fabrica Ecclesiæ designata, quod reliquum erit, arbitrio nostro in pios usus reservamus disponendum.

CAPUT XXX.

De Monialibus.

Cum nullæ Sanctimoniales cum clausura in hac Diœcesi sunt fundatæ, verum aliquæ tantum Congregationes Virginum Brunsbergæ, Vormditi, Heilsbergæ, Resselii, non quidem sub clausura stricta, obedientia tamen, aliisque votis simplicibus juxta præscriptas ab Illustrissimis Antecessoribus nostris, signanter CROMERO & TILICIO regulas, a Legato Pontificio approbatas, viventium, eo quod religiosis virtutibus & vitæ sanctimonia sint præditæ, & orationibus ac manualibus honestis

neſtis tamen laboribus vacantes, jam à duobus prope ſæculis bonæ famæ odorem, morum exemplaritate præſeferant, eas proinde, ut in ſpiritu & virtute magis & magis ad Dei laudem proficiant, libenter circa jura conſervamus.

CAPUT XXXI.

De Eccleſia Croſſenſi.

In Croſſen Eccleſiæ erectio & fundatio novella Cleri ſæcularis Diœceſani de anno 1720. 8. Sept. typis data, favore ejusdem Cleri præſenti Conſtitutione Synodali a Nobis acceptatur, firmatur & roboratur ad perpetuam rei memoriam.

CAPUT XXXII.

De Sepulturis.

Satis prolixe obſonat RUDNICIANA Conſtitutio de funeribus & ſepulturis, (*f*) cui nil ſingulare addendum duximus præter commendationem miſerabilium pauperum, quos gratis exemplo Tobiæ, Curati ſepelient. Quantum vero ad fornices familiares ſeu hæreditarios in Eccleſiis, ii non ſunt extendendi ad gratuitam in his ſepulturam ad quosvis cognatos & affines longinquos, ſed tantum ad deſcendentes in linea recta, vel proximos in collateralibus, decernimusque quoad reliquos, commodum ex eorum depoſitionibus ibi pertinere ad Eccleſiam.

CAPUT XXXIII.

De executione Statutorum Synodalium.

Ut Statuta præſentia Synodalia proficua, ſalubria, non ſolum paginis hiſce retineantur, verum in obſervantia, executione & memoria vigeant, ſtatuimus & ordinamus, ut DD. Archipresbyteri ſeriam adhibeant attendentiam circa viſitationes, Officiales etiam caſtrenſes & Magiſtratus, cum requiſiti fuerint, ſub interminatione ejusdem pœnæ, quæ in receſſu anni præteriti 1725. die 16. Julii deſcripta continetur, aſſiſtentiam præbebunt.

Acta & Statuta præmiſſa lecta ſunt & publicata in Eccleſia Archipresbyterali Heilsbergenſi anno Domini 1726. die 14. & 15. menſis Julii. Pontificatus Ssmi Domini noſtri Domini BENEDICTI Divina providentia Papæ XIII. anno III. Indictione Romana IV. Præſentibus &c.

Ita eſt NICOLAUS ANTONIUS SZULE Canonicus Guttſtad. & Eppatus Varmien. Cancell.

VOTUM

Suæ Celſitudinis Illuſtriſſimæ

poſt peractam Synodum.

DEO ter Optimo Maximo immenſæ & immortales ſint laudes, quod modernum Actum Synodi, tertium autem in vita mea inchoare feliciter ac admirabili ſua providentia terminare conceſſerit, ut autem multiplex fructus inde ſequatur pro gloria ejus, pro utilitate & tranquillitate Diœceſis hujus, ac cum temporali conſolatione, æterna omnibus in vinea Domini laborem continuantibus merces & corona, unicum eſt & intimum hoc Paſtorale votum meum, quo omnes hic præſentes me in laboribus adjuvantes, mihi aſſiſtentes, & actum hunc præſentia ſua exornantes proſequendo, fauſta quævis apprecor, eorumque ſemper cum ſingulari affectu recenti memoria recordari volo.

Ex libro Statutorum Synodalium impreſſo Heilsbergæ in 4to 1735.

NOTA.

(*f*) Idque ad mentem can. Queſta eſt. §. Unde. 13. q. 2. & §. Peti.

NOTA.

CHRISTOPHORUS JOANNES nominatus primum a. 1718 Premislavienſis Epiſcopus, tum Varmienſem ad Cathedram die 6 Dec. a. 1722 translatus fuit. *Hæc Tom. II. Hiſt. Eccleſ. Germ. apud Foppens, pag.* 391. Reliquas Viri digniſſimi laudes licet cognoſcere tum ex gratiarum actione, tum ex ſermone Synodali, impreſſo exemplari adnexis, quæ hic propter renovatam & Epiſcoporum & Statutorum, quæ ipſi dederunt, Synodalium memoriam ſubjicio.

GRATIARUM ACTIO

Celſiſſimo Principi, Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Antiſtiti poſt Synodum finitam anno 1726. *die* 15. *Julii a Promotore ejusdem Synodi Perilluſtri & Reverendiſſimo D.* MICHAELE REMIGIO LASZEWSKI, *Cuſtode Varmienſi, dicta.*

Gratulata nuper ſibi Varmia ingreſſum tuum, Princeps Celſiſſime, quia ſub auſpiciis & regimine tantæ dignitatis, tantique nominis Principis magnam ſibi ominabatur felicitatem. Magis imo maxime nunc Celſitudinem Veſtram ſibi gratulatur, uti non tantum rariſſimarum virtutum Dominum, Principem & Magnanimum Provinciæ iſtius Defenſorem, ſed quod ſummum eſt, Paſtorem Evangelicum ſe inveniſſe recognoſcit. Plurima tranſierunt luſtra, plures Olympiades, ex quo Varmia habuit Principes, non tantum æque Paſtores, qui ovibus ſuis panem frangerent, & vitiorum meandros præſcinderent ac præviderent: ades tandem exoptatiſſimus, Princeps Celſiſſime, qui Varmiæ deſideria, noſtrum omnium compleſti vota. Synodum hanc totam vides in Domino exultantem, & præ ſummo gaudio in auſpicatum epinicion erumpentem: Vivat CHRISTOPHORUS, vivat Princeps, vivat Paſtor Paſtorum gregis Dominici in Varmia. Sed quæres, Princeps Celſiſſime, cur omnes Celſitudini Tuæ dicamus Vivat? Vivas; quia diſperſa collegiſti, confracta ſolidaſti, disjuncta adunaſti; diſperſa collegiſti ſanctis in hac Synodo ſancitis legibus, ſolidaſti præceptis & monitis, adunaſti charitate & Paſtorali exemplo. Hæc tua facta loquetur ætas, teſtabuntur faſti, ſæcula mirabuntur, Patres narrabunt filiis & nepotibus, nos interim dum aliud non valemus pro Paterno zelo, labore & patientia Principi & Patri optimo, Paſtori & Præſuli vigilantiſſimo circa cordiale longævæ conſervationis & feliciſſimorum ſucceſſuum votum, æternas litamus & dicimus grates & gratias.

SERMO

Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini ADALBERTI GRZYMALA, *Cantoris & Canonici Varmienſis, in Synodo habitus.*

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

Vocavit Joſue omnem Iſraelem, majoresque natu, dixitque ad eos: Eſtote ſoliciti, ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine Legis. Joſue 23. v. 2. & 6.

Confitebimur tibi Domine hodie in toto corde noſtro, (a) *in Concilio hoc Juſtorum & Congregatione, magna opera tua admirantes, & exquiſituri in omnes voluntates tuas,* Paſtorali ſolicitudine vigilantiſſimi Præſulis noſtri congregati *Fratres in unum.* Confitebimur, inquam, tibi Domine hodie, eo quod memor fueris in ſæculum teſtamenti tui, ac poſt integrum elapſum ſæculum, Nos, *qui uſque nunc ſumus teſtes tui ad plebem,* (b) teſtes populi, convocaveris in unitate Spiritus, idem ſentientes, voce Vicarii tui zeloſiſſimi Paſtoris noſtri *conſolantis nos, teſtificantisque, ut ambulemus digne DEO, qui vocavit nos in ſuum regnum & gloriam,* (c) ad agendum & conſtituendum de iis, *quæ ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti,* (d) viſa

(a) *Pſal.* 11. *v.* 1. 2. (b) *Act.* 13. *v.* 31. (c) 1. *Theſſal.* 2. *v.* 12.
(d) *Epheſ.* 4. *v.* 1.

visa fuerint ipsi & Spiritui Sancto. O diem hanc omnibus Nobis, populisque jucundissimam! *diem expectatissimam! quam ut viderent, exultarunt in spiritu Patres nostri; nos non solum videmus, sed & celebramus & gavisi sumus:* (e) ad quam videndam, ultra centum annos expectandum erat, ut nimirum tanto gratior Nobis eveniret hodie, quanto diuturnior ac molestior fuerat expectatio. Confitebimur igitur tibi Domine, *qui glorificaris in consilio Sanctorum,* (f) gratias agentes, quod congregaveris nos, *quos posuisti regere Ecclesiam Dei, quam acquisivisti Sanguine tuo,* (g) ut prospiciamus, consulamus, & *attendamus Nobis & universo gregi.* CHRISTOPHORO deinde Domino & *Præsuli nostro optimo, atque pientissimo Pontifici, gratiæ perpetuæ ac singulares habendæ sunt* (loquor sensu infulati Tridentinæ Synodi Oratoris (*h*) ad PIUM IV.) *qui cum primum hanc Cathedram ascendit, tanto Synodum hanc instaurandi exarsit desiderio, ut in eo omnes curas & cogitationes defigeret.* Hanc inter tot, tantasque Senatorii, publicique status solicitudines ratus primam, principemque præmissa Ecclesiarum totius Diœcesis generali visitatione, qua *nostrum,* universique gregis *custodiret spiritum,* (*i*) ad coram convocatos earundem Rectores, suscepti ministerii, vocationisque suæ pastoraliter commonefacere, Apostolico, quo ipse flagrat, singulos accendere zelo, suo principali omnes animare spiritu, ut *alligato eo, quod in nobis confractum, consolidato quod infirmum, sanato quod ægrotum est, quæsito quod perierat,* (*k*) absolutissimos boni Pastoris adimplens numeros, omnes sibi conformando, Pastorum prototypo conformaret Christo.

Debet profecto post Deum perennes Diœcesis hæc Varmiensis gratias suis Præsulibus, Provincia Principibus, tuis Celsissime Princeps Prædecessoribus, quod illorum irrigata sudoribus, laboribus exculta, custodita vigiliis, propugnata præsidio, protectione munita, authoritate defensa, per Divum ADALBERTUM de stemmate Rosarum, Episcopum & Martyrem, Prussiæ Apostolum, primum annuntiatam, nullis erroribus violatam, nunquam eversam; tentatam quidem, sed Episcoporum solicitudine & pietate incorruptam stabiliter usque huc retinuerit S. Fidem Romano-Catholicam. Omnium horum peculiariter reminisci longum foret; Nonnullorum tamen hic instituere memoriam, quorum Acta in hanc Provinciam & Diœcesim adeo sancte & solide derivarunt, ut hodiedum memorabilia ac immortalia censeantur, dignum est & æquum. Vivit etenim adhuc vividum illud monumentum LUCÆ Episcopi, qui etsi nunquam risisse feratur, omnia tamen læta & jucunda huic Varmiensi Diœcesi & Provinciæ præstitit, dum pro Ecclesiastico Ordine prima de anno 1497. die 20. Febr. Constitutionum Synodalium jecit fundamenta, quæ etiamnum extant. Vestigiis ejusdem LUCÆ non minus zelose, quam salubriter incessit MAURITIUS, qui præter plurimas politicas salutares sanctiones, non sine pio mœrore advertens e Germania in Prussiam virus hæreticæ pravitatis serpere, provide cum suo Ecclesiæ Cathedralis Capitulo anno 1526. die 22. Septembris legem tulit, ne quis Hæreticus hic bona immobilia possidere, aut domicilium figere, quinimo nec ultra mensem quocunque prætextu commorari posset. Fixit tandem gentilitium pedem suum cum pedo Pastorali in hac Cathedra Varmiensi HOSIUS, qui sicuti Eminentissimus in dignitate, ita in dictis & factis gloriosus, conspicuus in virtute; qui veluti Augustinus hæresim Manichæorum in Africa, ita hic Lutheranorum & Calvinorum protunc vehementer in Prussia, Germania, imo & Polonia grassantem profligare studuit. Tam multa pie, subtiliter, & copiose scripsit, ut Doctrinam Christianam in tota Europa, præsertim in Synodo Tridentina, cujus Præses extitit dignissimus, maxime illustrarit. Successit Suæ Eminentiæ adhuc in vivis Coadjutor, vivus & verus in doctrina, zelo & scriptis Successor CROMERUS, qui peculiari sanctitate, exemplo, & exemplari Antecessorum suorum, Constitutiones Legum Synodalium auxit incremento. Non sine particulari teneritudine commemorandus hic venit Simon ille (non filium Oniæ, sed Patrem patriæ, penultimæque Synodi Varmiensis Authorem intelligo RUDNICIUM) qui nihil, quod aut Clero scitu necessarium, aut ædificationi & instructioni Fidelium expediens, prætermisit. *Vere Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* (*l*) Nam in urbe Elbingensi principalem de manibus hæreticorum vindicavit Ecclesiam, Regiomonti itidem pro Romano-Catholicis Templum ædificari, debiteque dotari procuravit, aliaque plurima singularissimæ pietatis, zeli & Religionis documenta post se reliquit. De JOANNE STANISLAO SBASCIO, tuo Celsissime Princeps, magno Avunculo, quem paterna pietas erga omnes, debitaque Pastoralis officii Religio nobis adhuc immortalem exhibet,

(e) *Orator Trid.* (f) *Psal.* 88. *v.* 8. (g) *Act.* 20. *v.* 28.
(h) *Ragazonus, Episc. Nazianzenus, in ult. Sess. Conc. Trid.* (i) *Job.* 10. *v.* 12.
(k) *Ezech.* 34. *v.* 4. (l) *Eccl. c.* 50. *v.* 1.

ber, quid dicam? Ille etenim nihil aliud, quam DEI gloriam, & salutem populi spirabat, nihil aliud, quam indigentium & miserabilium inopiam sublevabat, universæque Provinciæ & Diœcesis indemnitatem ita defendebat, ut universorum amorem vicissim in se traxisse visus fuerit, ac si fascia sua gentilitia in animum & affectum suum omnes colligasset. Hinc memorabili exemplo evenit, quod triginta circiter Theologiæ, Juris, Medicinæ Doctores, ac in Regiomontana Academia Professores, Magistros, & Studiosos, omnes insignis eruditionis Viros, in hac domo Dei anno 1694. die 25. Julii ejurata hæresi, S. Romanæ Ecclesiæ reconciliaverit, reconciliatosque liberalissime providerit. Perennat quoque adhuc in cordibus nostris amor ille, & deliciæ Cleri Varmiensis ANDREAS ZALUSCIUS, qui dum magna pro sua summa solicitudine, & ingenio, favore Provinciæ & gregis sibi crediti adniteretur, belli Suetici vastitas, armorumque & hostium intemperies, qua totum ferme ipsius regimen vertebatur, omnem hujus Præsulis præruperunt virtutem. Horum omnium nomina, cum jam beatæ prædestinationis liber adscripta retineat, nobis in benedictionibus dulcis recordationis causa meminisse sufficiat. Nec prætereundam censeo gratam memoriam Celsissimi THEODORI Regni Poloniæ Primatis, primique Principis feliciter moderni, immediati, Celsissime Princeps, in hac Cathedra Varmiensi Antecessoris tui, tuique in Celsissimo Fratre tuo STANISLAO Primatialis Eminentiæ Successoris, quem licet invida Fraumburgo Gnesna lucrata sit, illi tamen Provincia restauratas arces, illi a ruderibus & ruinis Sueticis vindicata, & pristino decori restituta debet palatia, illi Templa decorem, Religio augmentum, populus publicam tranquillitatem, posteritas memoriam, universi pro protectione devotionem, pro patrocinio submissionem, reverentiam, gratitudinem debemus ac vovemus perpetuam.

Ac ut cæteros venerabundo colam silentio (namque tutius est, melius potest reverentia muta dicere de tantis) uni Tibi Celsissime Princeps, Illustrissime & Reverendissime Præsul debemus omnia, qui & omnium merita in Te adunasti, & Oecumenicam plane Synodum in Te uno omnium laudabilium Antecessorum tuorum congregasti: qui quantopere Ecclesiasticæ disciplinæ, Clerique laudabilem institutionem desideres, ostendit Principe, & tanto digna Præsule præclara illa cogitatio & cura, qua Diœcesanæ Synodi absolutionem (*cujus scopus sit unicus bonorum morum reductio, & emendatio malorum* [m]) a Prædecessoribus tuis sæpe animo destinatam, mente simul, manuque urgendam suscepisti. (*n*) Quare cum primus post centum & amplius annos in fervore Apostolici Spiritus id renovare in grege tuo, quod antiquatum; illud revocare, quod vetustate obliteratum; redintegrare, quod antiquitate collapsum per præsentem Synodum aggrederis: *Vere Tibi & ex animo gratulamur, quod tantam Tibi lætitiam, tantam tuo Nomini laudem [id quod maxime Divinæ benevolentiæ in Te argumentum est] Dominus præ cæteris Tibi reservaverit Pontificibus, quem nos precibus omnibus & votis supplices oramus, ut Te nobis incolumem pro Ecclesiæ suæ commodo & incremento quam diutissime conservet.* [o]. Benedicite ergo Sacerdotes Domini Domino; congratulemini invicem, qui statis in domo Domini, *talem habentes Pontificem.* In voce loquitur ad Vos, quos in sortem solicitudinis suæ, & allevationem Episcopalis oneris adscivit, & convocavit: *In voce Pastorali dicit* ad Vos: *Obaudite me Divini fructus*, flos & germen Ecclesiæ. *Florete sicut lilium (& quasi flos rosarum in diebus vernis. Date odorem, & frondete in gratiam.* [p]) *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei Ministros.* (q)

Quod igitur Josue I. *c.* Dominus Salvator fecit olim convocando Israelem, majoresque natu; hoc facit hodie alter extra Palæstinam Josue Dominus Salvator moribus ac vitæ sanctitate magis, quam nomine ferens Salvatorem CHRISTOPHORUS, Celsissimus Princeps, Illustrissimus Antistes ac Dominus noster, qui pro Apostolico munere *Protector est salvationum Christi,* (*r*) dum pietate ac integritatis pro domo Dei Seraphico accensus zelo, convocat Majores natu de Cathedrali ac Collegiata Ecclesiis, & universum Israelem, scilicet: *Genus electum, gentem sanctam, populum acquisitionis, regale Sacerdotium.* (s) *Alter Josue*, cui, sicut priori ad continuanda prælia breves fiunt dies naturales & ordinarii, quibus Diœcesim lustret, ad alloquium raro affabilitatis in Principe exemplo admittat subditos, ipse pro sacro tribunali sedens pœnitentium confessiones excipere non intermittat, seque totum, cum demissione Celsissimæ Dignitatis Suæ, omnium, viliorum etiam saluti lubentem & indefessum impendat (prouti nuper in

(m) *Paul. III. in Conc.* (n) *Ult. Synod. Diœces. Varmien. fuit anno 1624. Maji.*
(o) *Orator Trid. ad Pium IV.* (p) *Ecclesiast. 29. 50. 39. v. 17. 8. & 19.*
(q) *2. Cor. 6. v. 3. 4.* (r) *Psal. 27. v. 8.* (s) *1. Petr. 2. v. 9.*

in Cathedrali, tempore Jubilæi cum intima admiratione & magna ædificatione ipsi vidimus, atque oculis nostris spectavimus) ipse verbi Divini pabulo reficiat oves, quibus cum hoste, qua visibili, qua invisibili, pro suorum indemnitate tuenda, qua fusis orationibus, indictis supplicationibus publicis, protractis consiliis confligat. *Unde Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Pontificem confessionis vestræ*, (t) & imitatores estote illius, sicut & ipse Christi, admiramini zelum Pontificis nostri, qui *ad manifestandam solicitudinem suam, quam habet pro vobis*, (u) indesinenter *Vos docet in doctrina, exhortatur in exhortando*, (x) ac præsenti Conventui præest in solicitudine. Estote igitur, adhortor vos, ore ac voce mei & vestri Pastoris (quamvis & *ipsi in omnibus abundatis fide & sermone, & scientia, & solicitudine*,) *ita ut possitis alterutrum monere.* (*y*) Estote, inquam, soliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine Legis.

In immensum fere excreverunt Legum Ecclesiasticarum volumina; in tomos, ac integras bibliothecas exundarunt Canones, Institutiones, Decreta, quibus obstringimur ac obligamur Sacerdotes Domini. Nihil siquidem a Majoribus nostris, quod ad bene beateque vivendum, tum ad sane & recte sentiendum, tum ad laudabiliter agendum desiderari possit, omissum est. Habemus continuo præ oculis, terimus quotidie manibus anteriorum Constitutionum Synodalium volumen, in quo quidquid aut Clero scitu necessarium, aut instructioni & ædificationi populi expediens, nihil prætermissum. Verum Leges, etsi optimæ sint, muta tamen res est; ut igitur loquantur & moveant; ut persuadeant & convincant, animandæ sunt. Nos vivæ ac loquentes Leges simus, & idæa quasi ac regula, ad quam mores, actiones ac studia regulentur, atque ita sibi quisque persuadeat, nihil antiquis, nihil novis Constitutionibus perficiendum, nihil e Diœcesis commodo ad salutem animarum successurum, nisi quisque quantum in se est, animata Lege, vivo exemplo, studiose præstiterit: *In omnibus vosmetipsos præbete exemplum bonorum operum.* (z) *Exemplum sitis Fidelium in verbis, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* (a) Ab hoc nimirum, quicunque vobiscum versantur, legem accipiunt, qua fit, vi quadam occulta ac suavi, ut tota voluntate in rem præceptam ferantur subditi, non aliter, ac in ea feruntur, quæ amant. Majorem longe vim & efficaciam, imo imperium in animos populi Pastorale exercet exemplum, quam magnes in ferrum, aut succinum in paleas. Nam uti ait Tridentinum: (*b*) *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt.* Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Scimus prærogativæ nostræ eminentiam, quam nobis impositio manuum, & dignatio Sacerdotalis contulit, quod habeamur, & simus mediatores, sequestri & arbitri inter Deum & homines: *Medius stat Sacerdos inter Deum & naturam humanam*, ait aureum os (*c*) Ecclesiæ, qualem se Moyses professus est *Deutr.* 5. *v.* 5: *Ego Sequester & arbiter fui inter Deum & vos. Ad mediatoris autem officium proprie pertinet* (ait Angelicus Doctor (*d*) *unire eos, inter quos est mediator.* Nam extrema uniuntur in medio. Sacerdotibus proinde curare incumbit præcipue, ut perpetuum inter Deum & homines vigeat commercium; Nihil Sacerdotibus non agendum est, ut Deum trahant ad homines, & homines ad Deum: Deum quidem ad homines precandi studio, homines ad Deum vitæ exemplo; Sed quod exemplum vulgarem virtutem superet. Nam si sequestri ac mediatoris munus est homines ad Deum trahere, consequens necessarium est, plus ut ille virtutis habeat, qui trahit, quam qui trahitur, & non sit *sicuti populus, sic & Sacerdos.* (*e*) Quare supra popularem sortem hominum evecti, assumpti ex hominibus, altiores communis perfectionis Christianæ fastigio, sint necesse Sacerdotes Altissimi; quippe illos Deus elegit de mundo, quibus dixit: *Dii estis & filii excelsi omnes.* (*f*)


Neque solum perfectioris vitæ, ac non vulgaris pietatis exemplo, verum etiam potentes verbo & opere, seu utraque manu ædificemus Ecclesiam. Prædicatione etenim summa cura & constantia suscepta instituendum populum novimus, cum habeamus legem & debitum inexcusabile, & necessitas nobis incumbat, *Vos enim estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum*, (*g*) quibus vos jurata cura præesse, prædicatione prodesse debetis; *ad eloquium vestrum corda eorum erigite*, Divinis populum imbuite mysteriis, docete viam spiritus in legis Divinæ observantia, vitiorum fuga, virtutum amore, denique in omnibus his, quæ ad salutem vestram, & vestrorum

(t) *Hebr.* 3. *v.* 1. (u) 2. *Cor.* 7. *v.* 12. (x) *Rom.* 12. *v.* 7. 8.
(y) 2. *Cor.* 8. *v.* 7. *Rom.* 15. *v.* 14. (z) *Tit.* 2. *v.* 7. (a) 1. *Tim.* 4. *v.* 12.
(b) *Sess.* 22. *c.* 1. (c) *S. Chrysost.* (d) *S. Thom.* 3. *p. q.* 26. *art.* 1.
(e) *Isaiæ* 24. *v.* 2. (f) *Psal.* 81. *v.* 6. (g) *Judith.* 8. *v.* 21.

strorum sunt necessaria. *Videte vocationem vestram*: (h) & in ejus lumine ambulantes, non declinate neque ad dextram, neque ad sinistram. *Sit nostra conversatio* sancta, ut considerantes conversationem vestram sanctam, *secundum eum, qui vocavit vos sanctum; & ipsi in conversatione sancti sitis.* (i) Sit charitas perfecta juxta monitum Apostoli (k) commendantis *Charitatem fraternitatis*. Et iterum ad Ephes. (l): *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate.* Verum *de charitate fraternitatis, non necesse habemus vobis dicere, ipsi enim a Deo didicistis, ut diligatis invicem.* (m) Sit *hospitalitas* commendata: *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* (n) Sit *mansuetudo* modesta, in corrigendis præsertim errantibus, reminiscentes, *quod & ipsi circumdati simus infirmitate, & ex hominibus assumpti, ut condolere possimus iis, qui errant.* (o) *(Servum enim Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse, ad omnes docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* (p) *Avaritia* autem, *quæ est idolorum servitus, nec nominetur in nobis*, (q) sed *sint mores nostri sine avaritia, contenti præsentibus; Ipse enim dixit, Non te deseram, neque derelinquam, ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor.* (r) In summa: Estote soliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine Legis.

Rogamus Vos ergo per adventum Domini nostri JESU CHRISTI, (s) *& nostræ Congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu.* Et quæ in hoc loco, dictante Spiritu Sancto, verbis sancita sunt, quæ in mellifluis rosarum suarum centifoliis suavitate ac lenitate Apostolici Spiritus inaravit digitus Dei per Pastoralem manum optimi & pientissimi Præsulis nostri, ea cordibus inaretis, & re ipsa præstetis reduces in Ecclesiis vestris: *Ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis, providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* (t) Tibi Celsissime Princeps, Illustrissime & Reverendissime Antistes & Præsul noster, Præconi veritatis *perpetua memoria magnæ gratiæ*; (u) Dominus retribuat pro paterna erga nos solicitudine, quos attraxisti in odorem suavitatis Rosarum tuarum, (*) ac ex iis præsenti apum examini præparas mella suavissima sapientissimarum Institutionum & Evangelicæ Doctrinæ, Tibi multi anni, totque jure debentur Celsitudini tuæ; quæ præsentem congregavit Synodum, quot inter modernam & ultimam intercessere, & qui omnium Illustrissimorum Antecessorum tuorum, Episcoporum Varmiensium adimples merita & elogia, illorum ætatem e merito superaddas annis, ac post seram ætatem, una cum commisso Tibi grege ad vitam pervenias sempiternam. Hoc Synodi præsentis, hoc Cathedræ, hoc Collegiatæ, hoc universi Cleri, hoc populi votum est. Vobis congregatis vita & felix peracta Synodo, auditis decretis ad Ecclesias vestras reditus, quibus *Decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis, & gratia primi & magni Summi Sacerdotis JESU Christi DEI, intercedente simul inviolata Domina nostra Sanctissima Virgine & Matre DEI*, (x) *ac Ss.* Andrea Apostolo, Adalberto Episcopo, Floriano Martyribus, cæterisque hujus Diœcesis & Provinciæ Patronis tutelaribus. Fiat. Fiat. Amen. Amen.

Ad M. D. Gloriam, B. V. M. Honorem, Sanctorumque omnium Venerationem.



(h) 1. *Cor.* 1. 26. (i) 1. *Petr.* 1. *v.* 15. (k) *Rom.* 12. (l) *Ephes.* 4. 12. (m) *Thessal.* 4. 9. (n) *Hebr.* 13. 12. (o) *Hebr.* 5. *v.* 1. 2. (p) 2. *Tim.* 2. 24. (q) *Coloss.* 3. *v.* 5. (r) *Hebr.* 13. *v.* 5. 6. (s) *Thessal.* 2. *v.* 1. (t) 2. *Cor.* 8. 20. (u) *Acclamat. Conc. Trid.* (x) *Acclamat. Conc. Trid.*

(*) Alludit Orator ad Stemma Celf. Principis, quod capellas properantes duas ac *rosas* tres continet.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Christi MDCCXXVI.

JUSSU

REVmi & SERmi PRINCIPIS ac DOMINI,

D. CLEMENTIS AUGUSTI, Monast. Episcopi,

HABITA

DIE XV. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMPERII PER ITALIAM ARCHICANCELLARIUS ET PRINCEPS ELECTOR, LEGATUS NATUS S. SEDIS APOSTOLICÆ, EPISCOPUS MONASTERIENSIS, HILDESIENSIS ET PADERBORNENSIS, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX, &c. &c.

Relatum est ad nostram audientiam, quod in sepulturis nimiæ expensæ fiant non sine gravamine eorum hæredum, qui personam defunctam repræsentant. Nos igitur hujusmodi excessibus, & inutilibus sumptibus obviare volentes, mandamus ac districte præcipimus, ut hujusmodi sumptus imposterum valde moderati sint, & omnis excessus penitus tollatur. Pariter relatum Nobis fuit, quod in Agendis Ecclesiasticis dudum demandata cum cæremoniis Ecclesiæ peragenda parvulorum sepultura nonnullibi absque his non sine aliorum scandalo instituatur, proinde iterum districte & sub arbitraria pœna præcipimus, ut non attentis, ulla consuetudine aut alio prætextu ejusmodi sepultura absque cæremoniis posthac non celebretur, sed ritu in Agendis præscripto infantes terræ mandentur.

Pariter inolevit perversa ac nimis pretiosa consuetudo, qua, si aliquæ Moniales recipiantur, aut etiam in certis locis ac domibus Virgines Deo devotæ cum magnis sumptibus & expensis per multos dies convivia invitatis consanguineis & amicis solenni apparatu celebrentur, quod cum vergat in detrimentum disciplinæ non modo Religiosæ, sed etiam Christianæ, multisque ex vicinia scandalo fit, gravetque parentes, eum morem & consuetudinem penitus abrogandam & tollendam esse mandamus, nec non præcipimus, ut in hujusmodi conviviis moderatio expensarum habeatur, nec ea in seram noctem protrahantur, neque continuentur per plures dies. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus 1726. 5. Octob. in Residentia nostra Neuhusana.

Clemens Augustus.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXVII. Benedicti XIII. PP. III. Caroli VI. Imp. XV.

JUSSU

Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monasteriensis Episcopi,

CELEBRATA

DIE XIV. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum per Sanctiones Canonicas saluberrime ordinatum sit, ut Clerici gestent vestes statui convenientes, idque in Decretis Synodalibus non semel, sed sæpius inculcatum sit, a multis vero non observetur, imo, quod dolendum est, gestent vestes variegatas; Hinc præsentium tenore de novo inculcamus, quod si non paruerint, Fisco nostro Ecclesiastico, aut aliis, ad quos de jure pertinet, demandamus, ut contra eos agant pœna arbitraria.

2do. Non minus sæpius statutum fuit, ut qui ficta coma justis de causis cum licentia Ordinarii utuntur, in Sacrificio Missæ nullatenus utantur prolixiori, aut quod omnino indecens est, capillari pulvere aspersa, aut corona Sacerdotali destituta.

3tio. Monentur omnes animarum Curatores, aut alii, quando Ordinarius dispensat super sepultura vesperi facienda ad parcendum sumptibus præsertim, aut alia rationabili causa sibi bene visa, nullo modo liceat exigere duplicia jura, cum id turpe lucrum & avaritiam, quæ in Clerico summopere detestanda est, sapiat.

4to. Conc. Tridentinum prudentissime cavit, ut qui ad Ss. Ordines promovendi sunt, se prævie exerceant in exercitiis spiritualibus, ut ita obligationem suam melius agnoscant, & eidem conformiter vivere studeant, cum sint de sorte Domini. Hinc ordinamus, ut nullus ad Sacerdotium saltem admittatur, nisi qui testimonium habitorum per octiduum exercitiorum spiritualium exhibuerit.

5to. Cum observatum sit nonnullos Clericos in Sacris constitutos exiguam curam habere sacrarum cæremoniarum, præcipue cum solenniter celebrant, vel officium Diaconi aut Subdiaconi gerunt; Hinc monemus omnes ordinandos, ut se in illis prævie studiose exerceant, & illud exercitium cum ratione oblivionis humanæ facile excidere possit, in memoriam revocent, & rubricas sæpius & attente perlegant.

6to. Cum Ssmus Dominus noster BENEDICTUS Papa XIII. anno 1726. salubriter jusserit in Litaniis Omnium Sanctorum, & pro commendatione animæ post S. Joan. Baptistam addendam esse invocationem S. Josephi; Hinc prædictum S. Sedis Decretum ad omnium notitiam deduci volumus. Signatum 10ma Octobris 1727.

Nicolaus Herman. de Ketteler
Vicarius in Spirit. Gener. mpp.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXX. Clementis XII. PP. I. Caroli VI. Imp. XVIII.

JUSSU

Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monasteriensis Episcopi,

CELEBRATA

DIE XVIII. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Quia Nobis relatum est varios Parochos, sive Curatos in eo negligentes esse, & librum, in quo nomina natorum, baptizatorum, eorumque parentum & patrinorum, nec non copulatorum & mortuorum accurate annotent, non habere, hinc stricte mandamus, ut Parochi sive Curati prædicti in visitatione Synodali Archidiaconis sive eorum Commissariis catalogum, ut præfertur, conscriptum, quavis vice præstare teneantur, volumus etiam, ut Archidiaconi, eorumque Commissarii diligenter inquirant, utrum Parochi, Sacellani, aliique Beneficiati accuratum registrum redituum, jurium stolæ, aliorumque emolumentorum ad Beneficia sua pertinentium annuatim conficiant, ut hi, qui in eo negligentes reperti fuerint, corrigi & emendari possint. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus Monasterii Westphaliæ 1730. 7ma Octob.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXXII. Clementis XII. PP. III. Caroli VI. Imp. XX.

JUSSU

Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monasteriensis Episcopi,

CELEBRATA

DIE XXIV. MARTII.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum nunquam possit satis magna decentia atque etiam reverenti magnificentia tractari Augustissimum Altaris Sacramentum, ideo inculcandum duximus, ut quando illud pro viatico ad muniendos infirmos defertur,

tur, id cum diſtinctiori pompa & honoratiori comitatu fiat. Cum interim poſt maturam deliberationem expenſis variis circumſtantiis viſum haud fuerit deſuper obligationem ſubditis noſtris imponere, ſed potius id ſpontaneæ eorum erga Sanctiſſimum devotioni relinquere.

Hoc ſaltem per præſens Decretum Synodale ſerio ordinamus, & clementiſſime mandamus, ut impoſterum, quando Ssmum ſive in urbe & oppido, ſive extra ad ægrum deportatur, non tam prona facilitate uſurpetur ad benedictiones dextrorſum & ſiniſtrorſum identidem & promiſcue obviantibus impertiendas, cum id compluribus viſum fuerit potius deſpectum & vilipenſionem ſapere, quam devotionem. Quare volumus & ſtatuimus, ut impoſterum benedictio cum Venerabili duntaxat detur in templo ſub egreſſum & regreſſum Sacerdotis viaticum deportantis, niſi forte ſingularis confluxus notetur, aut alia rationabilis cauſa exigat.

2do. Ne infirmi inexpiati e vivis decedant, cum evidenti animarum periculo, innovandam juſſimus publicationem Decretalis INNOCENTIANÆ ex Conc. Lateranenſi quarto, & Conſtitutionis PIANÆ, uti & noviſſimi Decreti in Conc. Romano ſub BENEDICTO XIII. anno 1725. emanati de ægrotis tempeſtivæ Confeſſionis Sacramentalis mature commonefaciendis, ſicut etiam alias jam inculcatum fuit.

3tio. Decreta de non celebrandis nuptiis pro tempore clauſo ita innovamus & obſervari volumus, ut Dominicam *Lætare* ab hoc tempore clauſo excipiendam eſſe nemo exiſtimet, omnes Parochos & Curatos monentes, ne huic tam provide ſancitæ Ordinationi ullo modo contravenire præſumant.

4to. Ad conſulendum ſubditorum noſtrorum indigentiæ & commoditati, ac ad occurrendum quorundam Curatorum cupiditati diſtricte inhibemus, ne quis duplicia jura exigere præſumat, quando ab Ordinario juſtis de cauſis conceditur facultas ſepulturæ in tenebris faciendæ. Cunctis porro animarum Curatoribus ſerio præcipimus, ut ſuæ obligationis memores ſatis tempeſtive Sacramenta, aliaque Eccleſiæ conſueta extrema adminiſtrent, & iis quidem gratis, qui rerum domeſticarum inopia premuntur, ut vel nullatenus, vel nonniſi ægre admodum jura alias dari ſolita perſolvere poſſint. In quorum fidem præſentibus ſigillo Vicariatus munitis per Vicarium noſtrum in Spiritualibus Generalem ſubſcribi juſſimus 1732. 21ma Martii.

Nicolaus Herman. de Ketteler
Vicarius in Spirit. Gener.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,
Eodem anno Chriſti MDCCXXXII.
JUSSU
Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monaſterienſis Epiſcopi,
CELEBRATA MENSE OCTOBRI.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Quoniam ex Paſtorali ſolicitudine vehementer optamus, florem in Clero noſtro præſertim curato conſervari ac augeri, ideo ad juniorum Sacerdo-

cerdotum, uberiorem exercitationem Diœcesi nostræ perutilem, & ad seniorum Pastorum levamen ac subsidium hactenus quotannis indulsimus concursum ordinandorum titulo mensæ nostræ, ut autem finis ille optimus obtineatur, & intentio nostra æquissima impleatur, monemus Archidiaconos nostros, ut Parochis singulis ac universis severe mandent, ut si Cooperatoribus ad longiusculum tempus egeant, eos a sæculari Ciero sibi adsciscant, & non e religiosis claustris evocent, contraventores autem condigna pœna mulctent. Quo super argumento dissimulare haud possumus, summopere Nobis displicere quorundam Superiorum Religiosorum facilitatem non raro cum religiosæ disciplinæ jactura in mutuandis continuo subditis ad eam operam, iisque per tempus prolixius extra clausuram emittendis, atque exponendis, id quod vergit in præjudicium Sacerdotum sæcularium recentius ordinatorum, qui ad mandatum Vicarii nostri Generalis promptos se semper & obedientes ad ejusmodi subsidiariam operam commonstrabunt.

2do. Cum jam alias a Nobis & Antecessoribus nostris multoties mandatum fuerit, ut Archidiaconi, seu eorum Commissarii Protocollum habitæ visitationis Vicario nostro in Spiritualibus transmittant, huic autem Decreto a paucis hucusque paritum sit, hinc illud iterum iterumque hisce severius inculcamus.

3tio. Cum etiam ex eo multa Capitalia ad Ecclesias, Hospitalia, Pastoratus, aliaque Beneficia Ecclesiastica spectantia deperdita fuisse experientia doceat, quod Provisores ac Possessores Beneficiorum hujusmodi ordinatum archivium sive cistam non habeant, ubi originales literas una cum relictis & redemptis forsitan capitalibus reponant in non leve Beneficiorum & Ecclesiarum detrimentum, hinc nostri Archidiani, eorumque Commissarii omnino curabunt, ut Provisores, Curati, aliique Beneficiati sibi de tali archivio sive cista provideant, omniaque ita disponantur, ut saltem duæ distinctæ claves conficiantur, eæque ita extradantur, ne unus sine alio prædictam cistam aperire, & literas inde depromere possit, sed si necessitas aperiendi exigat, uterque clavem custodiens accedat, & accuratam annotationem fieri curet, quænam literæ & obligationes, & ad quem effectum desumptæ fuerint, quas postea, quamprimum iis usi fuerint, reponere omnino teneantur.

4to. Mandatum alias, publicatumque fuit in prioribus Synodis, ne Curati jura duplicia, aut solito majora exigant, quando ex causis a Vicario nostro Generali approbatis conceditur licentia sepulturæ vespertinæ, aut ineundi absque præviis denunciationibus ex ambone Matrimonii. Quia vero huic nostræ clementissimæ intentioni adhuc a quibusdam contraveniri accepimus, & ne quis in futurum hujus Decreti Synodalis ignorantiam ullatenus obtendere possit, idipsum hisce innovamus, & denuo mandamus strictam ejus observantiam ubique accurandam; atque ut de efficaci ejusdem executione ea, quæ par est, habeatur ratio & vigilantia, Archidiaconi nostri vel eorum Commissarii in visitationibus suis urgebunt extradi sibi designationem omnium jurium stolæ, aliorumque præstandorum, sicut eadem exigere hucusque soliti fuerunt, ut litium & diffidiorum occasio inter Curatos & Parochianos imposterum omnino amputetur. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus 1732. 8va Octobr.

Clemens Augustus.



DECRE-

DECRETUM

ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI,
D. GUILIELMI DELVAUX, (*) XVI. Iprensis Episcopi,
SUPER OBSERVATIONE
STATUTORUM DIOECESIS IPRENSIS,
Anno Christi MDCCXXXIII. Clementis XII. PP. IV.
Caroli VI. Imp. XXI.
DATUM
IPRIS IN PALATIO EPISCOPALI
DIE II DECEMBRIS.

GUILIELMUS, DEI & *Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Iprensis, Universo Clero & populo Civitatis & Diœcesis Iprensis salutem.*

Ubi impositam vidimus humeris nostris Diœcesis hujus sarcinam, non immerito timuimus, Fratres dilectissimi, ne Dominus in ira indignationis suæ elevans allideret nos *oneri, cui impares nos esse omnino persuadebat imbecillitas nostra; sed qui* dives est in misericordia, supposuit manum suam, & qui consolatur humiles, consolatus est nos, *ubi post nostrum ad vos adventum deprehendimus excultum cum omni vigilantia agrum Domini, Clerum invenimus* sanum in fide & instructum in lege Domini, potentem exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere; populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum; *ex quo* repleti fuimus consolatione, superabundavimus gaudio, *sed admoniti simul fuimus, quanta inter vos solicitudine agendum foret, ne nobis forsan dormientibus superveniret inimicus homo & superseminaret zizania in medio tritici; recogitantes insuper eam jam esse conditio-*

NOTA.

(*) GUILIELMUS DELVAUX natus in Blehen, Diœcesis Leodiensis Parochia, studium Philosophicum absolvit Lovaniensi in Academia ac Pædagogio porci, ibidemque octavo inter AA. LL. Magistros loco promotus est. Hinc Theologiæ cursum in Collegio Adriani VI. P. M. insigni cum laude emensus, cathedram ejusdem scientiæ tenuit in perantiqua ac Ducali Abbatia S. Gertrudis Canonicorum Regularium S. Augustini Lovanii; nec diu post, parochiali Ecclesiæ ab eadem Sancta nuncupatæ, ibidem Pastor præficitur. Tum eodem in loco inter Professores Theologiæ ordinarios; atque Canonicos ad D. Petri admissus, a. 1716 Calend. Decembribus lauream Theologicam obtinuit, quadriennio post Collegii Vigiliani Præses, atque ab Emin. D. Cardinale Archiepiscopo Mechliniensi *Thoma Philippo* ab *Alsatia* constitutus per districtum Lovaniensem Archipresbyter; ac tandem inter Doctores Regentes Facultatis Theologicæ cooptatur. Sacris in Ecclesia Dei functionibus quotidie illustrior, meritisque de Academia Lovaniensi admodum clarus, ad infulam Iprensem evocatus, anno 1732 die 25 Maji inauguratur Episcopus per eundem Archiep. S. R. E. Cardinalem, conferentibus operam *Joanne Bapt.* de *Smet* Prædecessore, ad Episcopatum Gandavensem translato, & *Carolo d'Espinosa* ex Ord. Capucinorum Episcopo Antverpiensi. Auspiciis illius Benedictus XIV. P. M. famosis disputationibus de Matrimoniis in Hollandia contractis, finem imposuit edita ad diem 4 Nov. a. 1741 Constitutione Apostolica, incip. *Matrimonia, quæ in locis* &c. Obiit a. 1761 die 12 Octobris.

Vide Anton. Sanderi *Flandriam illustratam edit. Hagæ Comitum 1735 in fol. Tom. II. pag.* 321. *Inde excerpta hæc communicabat mecum Plur. Rev. Doctissimusque Vir ac Dominus* Jacobus Goyers *Pastor in Hümelghem non satis laudandus.*

ditionem terræ, cui maledixit Dominus, ut nonnisi ſpinas & tribulos germinet, ſi cum omni vigilantia non excolatur; ne igitur Dominus Deus ſuper nos requirat gregem ſuum de manu noſtra, veniensque dividat nos, partemque noſtram ponat cum hypocritis, ſed per humile noſtrum miniſterium ædificatio conſtructa creſcat in Templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificemini in habitaculum Dei in ſpiritu, præhabita cum iis deliberatione, quibus & nota & cordi eſt Diœceſis noſtræ neceſſitas & utilitas, infraſcriptas Ordinationes duximus publicandas, quas ſimul cum iis, quæ antea a Prædeceſſoribus noſtris provide ſtatuta ſunt, ab omnibus, quorum intereſt, diligenter obſervari mandamus.

I.

Ac inprimis, ut a domo Dei initium ſumamus, ſitque in Eccleſiæ Miniſtris & Clericis omnibus requiſita vitæ honeſtas, morum probitas, & exemplaris converſatio, hac noſtra Ordinatione renovamus, ac pro inſertis habemus ea omnia, quæ habentur tum in Statutis Synodalibus ſub MARTINO RITHOVIO *Titulo* 3. quam aliis ſimilibus Statutis ſub CAROLO MASIO *Titulo* 17. inter alia præcipue injungentes, ut omnes ſacris Ordinibus initiati in civitatibus vel oppidis ſuarum reſidentiarum incedant ſemper induti toga talari ſeu ſubtanea (*) veſte, quæ ad talos defluat. Paſtores vero, Vicarii, vel alii ruri agentes, prout & alii dum itinere ſunt, ſi ob nimias viarum difficultates ſubtanea, ut ante, uti non poſſint, (quod tamen optaremus) habeant veſtes ſaltem oblongiores, quæ ſint vulgari & ſimplici modo confectæ, habeatque manicas anguſtiores ad normam fere ſubtaneæ, nec ſacci in parte anteriori exterius appareant, ita ut omni tempore & loco cunctis innoteſcat eorum ſtatus, eosque in habitibus quærere honeſtam decentiam, non ſæcularem levitatem, qualem in oculis noſtris ii exhibent, qui Laicorum more linteos limbos extremis manicis aſſutos, aliquando etiam limbis denticulatis, vulgo *Dentelles*, ornatos deferunt, quam levitatem volumus amoveri. Paſtores, & alii Sacerdotes ruri utantur ſubtanea vel veſte talari, quando in Eccleſiis operantur Sacris; ſive celebrando, ſive concionando, ſive Sacramenta adminiſtrando. Inſuper præter ea, quæ ſupra citatis Statutis ordinantur circa tabernas; ſub quibus etiam comprehendimus *Caffè-huyſen*: volumus, ut Decani in ſuis diſtrictibus, & Paſtores in ſuis Parochiis invigilent, an Eccleſiaſtici aliqui popinas frequentent, ac delinquentes Nobis denuncient, ut contra eos talibus utamur remediis, quibus ſcandala efficaciter amoveantur, & juniores ab ulterioribus gradibus removeamus, ubi pro illis conſequendis ſeſe præſentabunt, cum nullam a Nobis promotionem expectare debeant, qui popinas frequentant.

II.

Quandoquidem Decanorum Chriſtianitatis ſit indeſinenter invigilare omnibus, quæ in ipſorum reſpective diſtrictibus occurrunt, eosdem in Domino monemus & hortamur, ut ſecundum quod ſtatutum eſt ſub RITHOVIO *Tit.* 7. *Cap.* 2. "Noſtra auctoritate curent, ut Clerici in ſortem Domini vocati, vitam & mores ſuos ita componant, ut nihil in ipſis niſi grave, moderatum ac exemplare conſpici poſſit: atque advigilare, ut Paſtores in functione Paſtoralis Officii, prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum adminiſtratione debitam ſervent integritatem, honeſtatem & reverentiam; ac eosdem (quando opus fuerit) monere, corripere, viſitare, conſolari, bono conſilio ſubvenire, ac veri Paſtoris officium erga illos exercere."

Ut autem majori cum honore & zelo functiones ſuas perſolvant, ultra facultates hactenus illis conceſſas, eisdem concedimus inſuper facultatem benedicendi ornamenta & vaſa ſacra, modo in iis unctio ſacra adhibenda non ſit; mortuo aliquo ſui diſtrictus Paſtore, deſignandi pro ea Parochia Deſervitorem, donec Nos de ea morte certiores redditi aliter ordinaverimus. Item dandi facultatem concionandi junioribus Sacerdotibus, qui ſe de conſenſu Paſtorum in concionibus exercere voluerint. Quibus tamen facultatibus

(*) Du Cagne Gloſſar. Tom. III. verb. *Subtaneum*, al. *Soutane*, quod *Sultanorum* ſeu Turcarum veſtis eſſet propria.

tibus uti non poterunt, nisi in suis respective districtibus.

III.

Cum Pastores in partem solicitudinis Nobiscum vocati, sciant se debere invigilare quasi rationem pro animabus sibi commissis reddituri, eosdem monemus & obsecramus in CHRISTO JESU, cujus pretioso Sanguine illæ redemptæ sunt, ut sæpius relegant & continuo præ oculis habeant, quæ circa eorum obligationes habentur in Statutis Prædecessorum nostrorum, sub RITHOVIO *Titulis* 8. & 9. sub MASIO *Titulo* 2. in Ordinatis a GEORGIO *No.* 1. & 2. item in Statutis sub eodem *No.* 31.

Quæ omnia cum ab iis Pastoribus præstari & impleri nequaquam possint, (a) qui gregi suo non invigilant neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt, vel frequentius pro negotiis sæcularibus, imo recreationibus excurrunt, hinc renovantes ea, quæ in hunc finem sub GEORGIO ordinata sunt, declaramus nulli Pastori, nequidem cum illa excusatione, quod alium Sacerdotem idoneum suo loco substituerit, posthac licere ultra quinque dies continuos a sua Parochia abesse, nisi de licentia sui Decani scriptis obtenta: Quod si ultra decem dies abesse cogatur, similem licentiam a Nobis, aut Vicario nostro prius impetrabit. Quod si quis contra hoc nostrum Mandatum pro secunda vice deliquerit, sciat se in ipso ad suam Parochiam ingressu suspensum esse ad decem dies a Divinis. Si autem pro tertia vice sese ultra præscriptos dies sine simili venia absentaverit, ipso facto suspensus erit, suspensione Nobis reservata.

IV.

Quia, afferente Tridentino, præcipuum Pastorum munus est Evangelii prædicatio, dicente Apostolo: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*, eaque Christianæ Reipublicæ non minus sit necessaria, quam ipsa Evangelii lectio, renovantes Statutum sub RITHOVIO *Titulo* 9. omnibus & singulis nostris Pastoribus & curam animarum habentibus mandamus, ut diebus Dominicis & Festivis solemnibus per se, vel (si legitime impediti fuerint) per alios idoneos plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate, salutaribus pascant verbis, docendo ea, quæ omnibus scire necessarium est ad salutem; annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet.

Invigilabunt autem Decani Christianitatis, an huic obligationi Pastores satisfaciant; quod si aliquem inveniant, qui ultra mensem differt concionem habere ad populum, seposita notoria infirmitate, vel forte tempore Adventus aut Quadragesimæ, quibus in aliquibus Ecclesiis conciones fiunt per Stationarios, eundem Nobis denuntiabunt, ut talem convenientibus mediis ad officium suum reducamus; vel si inidoneus reperiatur, alium impensis ipsius deputemus, qui ejus vices suppleat. An autem aliquis Pastor aliter, quam per notoriam infirmitatem legitime sit impeditus, ubi saltem impedimentum esset plurium mensium, volumus hoc stare judicio nostro, quod si legitimum judicaverimus, id debebit talis Pastor significare suo Decano.

V.

Memores obligationis nostræ ac moniti Conc. Trid. (b) " Nihil nos ad " Dei gloriam & populorum salutem " utilius posse facere, quam si bonos " Pastores & Ecclesiæ gubernandæ " idoneos promoveri studeamus, " ut illi, quantum in Nobis est, satisfaciamus, volumus, ut omnes in sacris Ordinibus constituti, qui in Seminario nostro Studia sua absolverunt, & ad curam animarum cupiunt promoveri, nec alicujus Ecclesiæ servitio adhuc sunt adscripti, in iis respective Parochiis, quas inhabitant, sint in frequentandis Officiis Divinis diligentes, & in iis decantandis, aliisque obsequiis, quorum ratione Ordinis sunt capaces, Pastoribus assistant, &, si Sacerdotes fuerint, etiam catechisando & concionando sese exerceant, ubi a Pastoribus fuerint requisiti. Sciantque Diaconi &

(a) Trid. Sess. 23. c. 1. de Reform.

(b) Sess. 24. c. 1. de Reform.

& Subdiaconi maxime decere, si saltem diebus Dominicis & solemnibus sacram Communionem perceperint; de quibus omnibus fidem facere Nobis debebunt per testimonium Pastorum, ubi ad altiores Ordines, vel alias functiones petent promoveri; cumque Nobis fixum sit ad altiorem gradum nullum admittere, nisi habentem bonum testimonium & in inferioribus debite probatum, monemus Pastores omnes, ut accurate invigilent omnibus Ecclesiasticis suas Parochias inhabitantibus, discolos, si forte aliqui sint, vel in præstandis iis, quæ supra posuimus, negligentes, Nobis denuntient, & sua testimonia, ubi requisiti fuerint, concedant, non respicientes carnem & sanguinem, vel humanas alias rationes, sed Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem unice præ oculis habentes, super quo conscientias ipsorum oneramus.

VI.

Quamvis sarta tecta servari velimus jura Parochianorum, saltem in pluribus Parochiis, deligendi sibi Vicarium, qui Pastori in functionibus assistat, sicque Parochianis spiritualia omnia commodius & abundantius subministrentur, quia tamen jam aliquoties deprehendimus juniores Sacerdotes per se, vel suos ad Vicariatus illos aspirare; quin imo viam sibi facere mediis talibus, quæ Simoniam omnino redolent, ducuntque ad schismata & divisiones in Parochiis, sicque contingere, ut & minus probati, minusque capaces promoveantur, ac illi, quorum ministerium debebat esse ad ædificationem, nonnisi ad scandala serviat & destructionem: ut id præveniamus, per quod multa in Ecclesiam mala sese insinuant, volumus, ut quicumque ad aliquem Vicariatum aspirabit, prius se Nobis sistat, eamque suam mentem Nobis declaret; quod si quis Nobis inscîis id fecerit, sciat se nullam unquam a Nobis promotionem obtenturum: cum eos, (c) *qui non intrant per ostium in ovile ovium, sed ascendunt aliunde*, Pastorum Pastor, *fures dicat & latrones, qui non veniunt, nisi ut furentur, & mactent, & perdant.*

De cætero Vicarios omnes ex nunc assumptos vel imposterum assumendos serio monemus, ut exacte observent ea, quæ sub GEORGIO Prædecessore nostro statuta & ordinata sunt *No.* 1. ac insuper inhibemus, ne ullus sine nostra venia Parochiam deserat, in qua Vicarius constitutus est, alias ex nunc pro tunc declaramus ipso facto cessare omnem ipsius admissionem ad audiendas confessiones, mandamus etiam omnibus Vicariis, qui contractus inierunt cum Parochiis sine nostra, vel Prædecessorum nostrorum venia & approbatione, ut eosdem ante mensem proximum Februarii coram Nobis exhibeant, revocaturi admissiones eorum, qui huic nostro mandato defuerint.

VII.

Sciunt Pastores sibi etiam in persona Apostolorum a Christo dictum esse, *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ*, adeoque sibi cavendum, ne dum lumen Ecclesiasticæ vocationis, & sal Pastoralis officii proximis impendunt, de pulvere hujus sæculi maculas contrahant & tenebræ fiant, vel per iners otium diffluant & infatuentur, & ne, ut dicit ISIDORUS, videantur, ut cerei, aliis, dum bona exponunt, lucem præstare, se vero in malis suis consumere atque extinguere, sicque dum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur. Quæ, ut a se mala avertant, eos, prout & Vicarios, aliosque Sacerdotes omnes obsecramus per misericordiam Dei, non tantum ut vitam suam componant secundum schema a Prædecessoribus nostris Statutis adjunctum, sicque exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile suum obsequium, sed & gratissimum Nobis contingeret, si quisque singulis annis per aliquot saltem dies, ex directione viri alicujus intelligentis recollectionem haberet spiritualem, prout in dicto schemate proponitur, sicque possent omnes reformari in novitate sensus sui, & probare, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta tam pro sua, quam sibi commissarum ovium salute. (d) *Si qua ergo, Fratres dilectissimi, consolatio in Christo, si quod solatium*

(c) Joan. 10. (d) Ad Philip. 2.

tium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete & in hoc gaudium meum, ut exercitia spiritualia annis singulis assumentes; *Vosmetipsos videatis*, ut monet Joan. in Epistola sua secunda, *ne perdatis, quæ operati estis* in aliis, *sed ut mercedem plenam accipiatis.* Memores Apostolici moniti 1. *ad Corint.* 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, qui enim pulverem ab aliis detergit, ait S. BONAVENTURA, vix potest transire, nisi & ipse pulvere respergatur, quem etiam in se detergere necesse habet; ut hac spirituali recollectione (e) *mundantes vos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficiatis vestram & ovium vestrarum sanctificationem in timore Dei.*

VIII.

Contingit hodie nimis sæpe Sacerdotes extraneos a suis Diœcesibus divagari, aliquando etiam ostiatim mendicare, cum ordinis sui dedecore & fidelium scandalo; & homines forte peccatis gravatos, & censuris Ecclesiasticis ligatos, a Religione apostatas, sese ad celebrandum Missæ Sacrificium offerre, qui ne externe quidem speciem præferunt Sacerdotis. Huic malo ut remedium apponamus, hisce inhibemus omnium Ecclesiarum sive sæcularium, sive Regularium Rectoribus & Superioribus, ne ullum extraneum Sacerdotem admittant ad celebrandum Sacrum, nisi prius eis constiterit ad hoc eum veniam obtinuisse a Nobis, vel Officiali nostro, quæ venia etiam ultra annum concessa non sit. Et enixe, quantum in Nobis est, rogamus civitatum & aliorum locorum Magistratus, ut, si Sacerdotes inveniant in plateis, vel alibi mendicantes, eos statim per satellites suos deduci curent extra suas civitates vel limites, vel etiam ad Palatium nostrum, si aliquem pro secunda vice deprehendant. Ut aditum omnem secludamus seductoribus, qui subdole in Diœcesim nostram forte irrepere vellent: animadvertent Pastores in extraneos & sibi ignotos, qui speciem præ se ferentes status Ecclesiastici, in suis Parochiis quasi domicilium figent, maxime si deprehendant eos circuire domos viduarum, aliarumque sequioris sexus personarum, & omni sedulitate inquirent, an nihil mali per tales disseminetur, & ubi suspicio aliqua suberit, de iis ad Nos scribent pro consilio & remedio, si aliquod adhibendum occurrat.

IX.

Cum inaudiamus etiam aliquos hodie inveniri, qui sub prætextu quidem commiserationis, sed cupiditate revera ducti, sibi audacter exorcisandi officium assumunt, non obstantibus iteratis prohibitionibus Prædecessorum nostrorum tam in Statutis hujus Diœcesis, quam in ipso Manuali Pastorum, aliisque alias factis, etiam sub pœna suspensionis ipso facto, ac revocationis admissionum pro Confessariis: ut huic malo, ex quo plura alia consequuntur, provideamus, renovantes omnes anteriores Ordinationes desuper datas, prohibemus, ne quis uspiam in Diœcesi nostra Exorcismos adhibeat, nisi ad hoc a Nobis specialem in scriptis habeat potestatem, quam etiam Pastori loci ostendere tenebitur, antequam illa uti possit, & hæc sub pœna suspensionis & insuper revocationis admissionum ad confessiones, si quas habeat, quas pœnas ipso facto incurret, nec ab alio, quam a Nobis ipsis absolvi poterit.

Et ne detur locus excusationibus, quod tantum benedictiones legat, nullatenus exorcismos, sub iisdem pœnis & reservationibus prohibemus fieri tales publicas benedictiones, quæ exorcismi apparent, & tanquam tales a vulgo apprehenduntur. Permittentes tamen Decanis Christianitatis, ut si aliqua occurrat necessitas, unum ex suis Pastoribus vel Vicariis ad tales benedictiones deputare possint ad aliquod vices, modo ea permissio in scriptis detur.

X.

Cum Sacerdos in foro pœnitentiali non hominis exerceat judicium, sed Dei, idque in animas Christi Sanguine redemptas, in id merito solicitudo nostra intendere debet, ut nonnisi idoneos ad audiendas fidelium confessiones

(e) 2. Cor. 7.

nes feligamus; quod ut efficacius confequamur, volumus, ut quicumque impofterum ad confeffiones audiendas admitti voluerint, prius in congregatione Examinatorum Synodalium idoneus reperiatur in examine a tribus ad minus Examinatoribus inftituendo in Palatio noftro Epifcopali prima & tertia die Jovis cujuslibet menfis non impedita, hora octava matutina, quæ dies fi Fefto aliquo vel Officio folemni, ut in Cœna Domini, impedita fuerit, die Mercurii immediate præcedente eadem hora. Extra quos dies nullus examinabitur. Monemus autem omnes, qui fefe examini fiftere voluerint, ut ftudium Scripturæ facræ præcipue novi Teftamenti non negligant; cum enim *Scriptura divinitus infpirata*, tefte Apoftolo, *utilis fit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juftitia: ut perfectus fit homo Dei ad omne opus bonum inftructus*, & in ea Confeffarius utpote Judex & Medicus fpiritualis maxime incumbere debeat, ftudii hujus experimentum in examine capi volumus per quæftiones e Scriptura facra.

Monemus infuper omnes pro confeffionibus admiffos, ut antequam fe huic operi accingant, attente prælegant inftructiones fibi datas pro confeffionibus & concionibus, ac inter alias eam præcipue, quæ rudiorum examen concernit, propter nimiam hodie in multis incuriam circa hanc materiam; prout & *Articulum* 4. de confeffionibus fœminarum per cancellos audiendis, nullo modo a parte anteriori confeffionalis, quod omnino prohibetur. In concionibus vero abftineant a quæftionibus inter Scholafticos difputatis, iisque maxime, quæ pacem lædere poffent inter Clerum fæcularem & Regularem. Memores verborum Apoftoli, *ut idem fapientes, unanimes, idipfum fentientes*, nihil per contentionem fiat, neque per inanem gloriam, non quæ fua funt finguli confiderantes, fed quæ JESU CHRISTI. Potiori ratione etiam inhibemus, ne Concionatores ullam perfonam, Ordinem, Collegium, Societatem, vel Magiftratum denotent, etiam per indirectum, ne fufpicionem ingerant alicujus paffionis in cathedra veritatis.

XI.

Variis ex caufis facilius contingit abufus irrepere circa celebrationem Matrimoniorum; qui tamen cum ordinarie graviores & moleftiores fecum trahant fequelas, majorem etiam requirunt folicitudinis noftræ vigilantiam. Eum in finem, mentem Concilii Trid. circa denuntiationes Matrimonio præmittendas, quantum ferunt circumftantiæ, attendentes, declaramus Nos fuper trinis denuntiationibus numquam difpenfaturos, nifi in cafibus, in quibus agitur de devitanda infamia, vel fimilibus incommodis, quæ in fe graviora forent, quam utilitas, quæ ex denuntiationibus expectari poteft. Extra quos cafus nolumus, ut Paftores a Nobis difpenfationem fuper tribus bannis exigant.

XII.

Curent Paftores denuntiationes fieri clara & diftincta voce; idiomate Gallico vel Flandrico, prout eft Parochiæ vernaculum, intelligibiliter exprimendo nomina & cognomina fponfi & fponfæ, locum domicilii, & an fit prima, an fecunda, an tertia denunciatio, & demandando, ut Statuta requirunt, "omnibus & fingulis fub ex-" communicationis pœna, ut, fi quod" noverint Canonicum impedimentum," ob quod defponfi a Matrimonii fo-" lemnizatione prohiberi poffint aut" debeant, id ftatim denuntient," Explicentque aliquoties populo, quanta fit hæc obligatio impedimenta denuntiandi, quam etiam fub pœna excommunicationis Ecclefia demandat.

XIII.

Ubi cafus fefe offeret petendi a Nobis difpenfationem pro confanguineis vel affinibus in cafibus a fancta Sede Nobis conceffis pro pauperibus tantum, volumus, Paftores adjungant arborem Genealogicam fignatam ab ipfo Paftore vel alia perfona publica, & duobus ad minus confanguineis propinquioribus, qui parati fint jurare de veritate expofitorum.

Ut autem noverint gradus, in quibus Nobis difpenfare licet ex prædicta

dicta sanctæ Sedis facultate, & ne alias ad Nos inutiliter literas in hunc finem dirigant, sciant eam esse hujusmodi. " Dispensandi in tertio & quarto simplici, & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum."

XIV.

In petendis dispensationibus super bannis, utentur Pastores sequenti formula: *Infrascriptus testor N. N. subditum Parochiæ N. Diœcesis N. & N. N. subditam Parochiæ N. Diœcesis N. esse in Fide Catholica, quam profitentur, bene instructos, boni nominis & famæ; esse liberos & sui juris seu habere consensum eorum, quorum interest, nec ullum, quod sciam, subesse Canonicum impedimentum vel Civile, quominus Matrimonium inter se contrahere licite & valide possint. Rationem petendæ dispensationis super uno* vel *duobus bannis allegant...... quam testor in veritate subsistere. Actum.*

Si autem aliquod impedimentum subsit, super quo dispensationem petunt, post particulas: *quominus Matrimonium inter se contrahere licite & valide possint,* subjicient sequentia: *Nisi quod Oratores se in tertio gradu consanguinitatis attingant, eoque simplici prout ex adjuncta arbore Genealogica videre est.* Si alius gradus sit consanguinitatis vel affinitatis simili modo exprimant, bene attendendo, an sit simplex, an cum alio mixtus, ut idipsum exprimatur.

XV.

Inhibemus Pastoribus, ne Matrimonia solemnizent tempore intempestivo, prout antehac in Manuali Pastorum prohibitum fuit; uti neque extra locum sacrum, vel post meridiem, idque sub pœna arbitraria per Nos irremissibiliter infligenda; quin imo nec ad sponsalia contrahenda, (quæ volumus omnibus Matrimoniis præmitti, antequam proclamatio fiat, juxta mentem Statutorum & laudabilem Diœcesis nostræ consuetudinem in Manuali Pastorum expressam) facile admittant tempore vespertino; saltem tunc specialiter invigilent, an desponsandi sint sobrii & sui satis compotes, etiam tunc examinent, an sint sufficienter instructi, maxime ubi subest ratio dubitandi, prout in iis, qui sunt negligentes in frequentandis concionibus & suscipiendis Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Volumus etiam, ut in celebratione Matrimonii observetur Statutum Synodi nostræ Diœcesanæ *Titulo* 19. *Cap.* 17. ut ea fiat inter Missarum solemnia, prout laudabili consuetudine hactenus observatum fuit.

XVI.

Parochi non admittant ad Matrimonium contrahendum viduas paucorum mensium, nisi iis interrogatis, satis constet non esse impraegnatas, cum facile impedimentum subsistere possit, & variis difficultatibus locus dari.

XVII.

Quandoquidem non obstantibus variis Episcoporum prohibitionibus, ipsis etiam Principum Edictis, quibus conventicula juvenum & puellarum stricte inhibentur, querelæ ad Nos plures delatæ sint, plures eadem etiamnum frequentare, forte ex connivventia Baillivorum vel aliorum Officialium, vel etiam sub eo prætextu, quod talia Decreta apud ipsos promulgata non sint; ut iis, quantum in Nobis est, modum imponamus, inhibemus omnibus Pastoribus, ne juvenes vel puellas, quæ similia conventicula frequentarunt, & post monitionem a se factam non resipuerint, ad Matrimonium contrahendum admittant, nisi iis prius ad Nos missis cum literis, quibus delictum Nobis significabunt, veniam conjungendi dederimus. Quod pariter volumus observari circa eos, qui defuerint obligationi Communionis Paschalis.

XVIII.

Cum plurima Matrimonia invalide, male & alias infeliciter ab iis, qui Parochiam propriam, aliquando etiam Diœcesim deserentes, ad alienam migrant, eo sæpe etiam solo motivo, ut quod in propria Parochia vel Diœcesi obtinere non poterant, in aliena consequantur; mentem nostram explicare cupientes circa id, quod desuper statutum

tutum fuit ſub GEORGIO piæ memoriæ Prædeceſſore noſtro *No.* 13. Inhibemus, ne Paſtores ſimiles admittant ad contrahendum Matrimonium ſine noſtra venia, niſi prius in ſua Parochia habitaverint per ſex menſes publice; ubi ex alia Diœceſis noſtræ Parochia venerunt; & ſi ex alia etiam Diœceſi per integrum annum. De iis autem, qui *vagi* nominantur, obſervabunt Decretum Concilii Tridentini.

XIX.

Ordinationes Prædeceſſorum noſtrorum, quibus Exequiæ & Anniverſaria prohibentur die Dominico aut Feſtivo, ab omnibus obſervari volumus, idque tanto ſtrictius, quod obſervemus hodie ſine ulla neceſſitate, imo quaſi pro mera commoditate in illos dies ſepulturas & exequias differri. De anniverſariis vero, cum ea videamus quaſi in dies celebrari indifferenter in duplicibus, etiam majoribus, quin imo aliquando primæ vel ſecundæ claſſis, quod eſt omnino contra præſcriptos ab Eccleſia ritus, & ſæpe in Officiis Divinis indecentiam parit, id impoſterum fieri prohibemus ſub pœna arbitraria per Nos decernenda, ubi ſuper hujus Statuti inobſervantia Archipresbyteri querelas depoſuerint. Quos omnes, Archipresbyterum videlicet noſtrum Civitatenſem & Decanos Chriſtianitatis authoriſamus, ut, neceſſitate urgente, idipſum in civitate & ſuis reſpective diſtrictibus permittere poſſint, non tamen ultra id, quod conceditur Decreto ALEXANDRI VII. *de* 22. *Januarii* 1667. permittentis fieri Anniverſaria in duplicibus, " modo " fiant in cantu ſolemni quotannis in " ipſo die obitus per diſpoſitionem Te- " ſtatoris, nullatenus conjugis vel hæ- " redum."

XX.

Unum ſupereſt, Fratres dilectiſſimi, ſuper quo dolorem noſtrum exprimere ſatis non poſſumus, quod negligantur Sabbata Domini, & quæ ad glorificandum Divinum Numen ſunt primitus inſtituta, temporis decurſu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offenſionem, gravemque jacturam converterit animarum, ut loquitur in ſua Bulla URBANUS VIII., Feſtis hodie ac Dominicis diebus ad otia, vanitates & vitia frequenter abuti fideles non formident; & qui ea, quæ ſurſum ſunt, quærere deberent, adeo iis inhient, quæ ſunt ſuper terram, ut eorum occaſione quieſcere faciant omnes dies feſtos Dei a terra. Optaremus certe ex animo, ut ſerio recogitarent fideles omnes, quod ut faciant, Parochos exhortamur, quatenus eis ſæpius exponant, quomodo ex mandato Domini morte punitus ſit ligna colligens in die Sabbati. *Num.* 15. Quomodo juſta Prophetarum comminationes *Jerem.* 17. *Ezech.* 20. & alibi, non tantum bonis ſpiritualibus priventur, qui feſta non obſervant, ſed etiam puniantur in corporalibus; inde mala publica, bella & alia flagella, inde morbi & moleſti caſus, quod crura vel brachia ſibi frangant laborando; inde damna in bonis, a furibus ſpoliantur, animalia moriuntur, domus conflagrant, fiunt pauperes; ut ſic peccati pœnam ſentientes vel timentes, peccandi & Sabbata violandi pertinaciam evitent.

Quod ſi exhortationibus non moveantur, ad increpationes procedent Paſtores, & ſedulo curabunt, ut ſecundum Decreta antehac edita, quæ renovamus & pro inſertis hic habemus, puniantur. Ac inter alia ſpecialiter invigilent, ne quocumque prætextu inſtituantur Dominicis vel Feſtis diebus publicæ venditiones mobilium & ſimilium, quem abuſum jam in pluribus Parochiis invaleſcere, non ſine dolore audivimus, delinquentes ſine mora denuntient, ut officio Promotoris noſtri debitis pœnis mulctentur.

Et quandoquidem hanc Feſtorum obſervationem variis Edictis demandaverint Principes noſtri, etiam ſub gravioribus pœnis per Baillivos & alios Officiarios irremiſſibiliter exigendis, eosdem rogamus, & in Domino exhortamur, ut ſerio recogitent hanc ſibi a Principibus datam authoritatem, ut abuſus coerceant, & ſe Deo in die judicii rationem reddituros de omnibus, qui eorum conniventia, negligentia vel timiditate contigerint.

XXI.

XXI.

Ut autem horum Statutorum, prout aliorum antehac a Prædecessoribus nostris ordinatorum, exacta habeatur observatio, mandamus omnibus Diœcesis nostræ Pastoribus, ut quamprimum sibi comparent librum Statutorum in Synodis Episcopatus nostri & Decretorum per Reverendissimos Dominos Prædecessores nostros, quem in suis visitationibus sibi ostendi curabunt Decani Christianitatis.

XXII.

Hoc autem nostrum Decretum ad notitiam fidelium volumus a Pastoribus quamprimum illud receperint, promulgari ex cathedra, sed eos articulos populo præcipue exponent, qui Parochianos concernunt, quales præcipue sunt 6. 8. 9. 11. 12. 13. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Hæc sunt, Fratres dilectissimi, quæ impræsentiarum ordinanda judicavimus pro exactiori Statutorum Diœcesis nostræ observantia, & ut urgentioribus commissi Nobis gregis necessitatibus provideremus, præ oculis semper habentes verba, quæ ad Nos dirigit Apostolus Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Cumque in partem solicitudinis Nobiscum vocati sitis, a zelo vestro pro animarum vobis commissarum salute speramus & expectamus, fore ut hæc & alia Prædecessorum nostrorum Statuta sedulo attendentes, ea executioni fideliter mandabitis, utpote quæ vobis & instructionis & fundamenti loco esse debent in omnibus functionibus Pastoralibus.

Utinam, Fratres dilectissimi, induamini virtute ex alto pro horum fideli observantia; ut in omnibus vobis experiamur zelum illum vere Pastoralem, quo ex animo Nobiscum sine intermissione concurratis ad disciplinæ Ecclesiasticæ perfectam restaurationem & animarum sanctificationem, *& laboretis sicuti boni milites Christi; in omnibus vos ipsos præbentes exempla bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; solicite curantes vos ipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis, pascentes, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: & forma facti gregis ex animo; ut cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam.* Datum Ipris in Palatio nostro Episcopali die undecima Decembris anni millesimi septingentesimi trigesimi tertii.

GUILIELMUS
Episc. Iprensis.

De Mandato Illustmi & Revmi Domini
H. FRANSSENS Secret.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXXXV. Clementis XII. PP. VI. Caroli VI. Imp. XXIII.

JUSSU
Ejusdem Revmi & Sermi CLEMENTIS AUGUSTI, Monasteriensis Episcopi,
CELEBRATA
DIE XI. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum libellos aliquos per quorundam manus circumferri cognoverimus, qui sub specie pietatis toxicum periculosæ doctrinæ indoctis & incautis animabus propinent, quales sunt:

1mo. Chriſtianus interior, ſive **der innerliche Chriſt**, authore *Joanne de Berineres* Louvigni, interprete *Francisco Brandenberg* in **Einſiedeln.** *2do.* Via ſive vita ſpiritus, **Leben des Geiſtes**, auth. *Ant. de Roxas*, editus Coloniæ 1695. & recuſus Coloniæ 1716. *3tio.* Vita æterna, ſeu **Ewiges Leben**, liber eſt recuſus Coloniæ 1719. *4to.* Thalamus Sponſi, ſive **Bräutigams Bettlein**, recuſus Coloniæ 1723. (*)

Nos pro debita Paſtoralis muneris noſtri ſolicitudine omnibus Chriſti fidelibus jurisdictioni Monaſterienſi ſubjectis, etiam exemptis, authoritate noſtra ordinaria, tum etiam delegata prohibemus, ne quis prædictos libros, quorum duos priores a ſacra Congregatione jam ante ſæpius proſcriptos fuiſſe conſtat, quacunque in lingua edat, legat, vendat, aut diſtribuat, neque apud ſe retineat; ſed & omnibus & ſingulis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & quibuscunque Superioribus utriusque ſexus, prout & Confeſſariis Monialium, item Archidiaconis noſtris & eorum Commiſſariis in virtute S. Obedientiæ hiſce pariter diſtricte mandamus, ut apud eosdem ſubditos ſive in actuali viſitatione, ſive extra eam, ſive pœnitentes ſtatim poſt harum notitiam in eosdem libros inquirant, & ſicubi invenerint, ſibi extradi faciant, illosque Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus Generali extradant & conſignent.

Præterea intelleximus Eccleſiis variis tum Collegiatis, tum Parochialibus graviſſima damna & detrimenta inferri ex eo capite, quod originales literæ & authentica documenta male cuſtodiantur, huic malo ut medeantur, ſciant Archidiaconi noſtri aut eorum Commiſſarii ſe non tantum obligatos, ſed & iis actualiter viſitantibus, ut curent in quacunque Eccleſia tabularium ſive archivium accurate conſervari, aut ſi non eſt, erigi, in quo omnia inſtrumenta, tabulæ, literæ publicæ & originalia regiſtrentur & recondantur, hiſce præcipimus.

Denique venerationi Ssmi Sacramenti in ſubjectis Nobis Diœceſibus propagandæ intenti, a S. Rituum Congregatione die 14ta Maji hujus currentis anni impetravimus, ut Officium Ss. Sacramenti qualibet feria 5ta feſto novem lectionum etiam translato non impedita, exceptis Adventus, Quadrageſimæ, & vigiliarum temporibus in Diœceſi noſtra Monaſterienſi ab univerſo Clero ſæculari & regulari utriusque ſexus ſub ritu ſemiduplici impoſterum recitari, & Miſſæ reſpective celebrari poſſint ac valeant. In quorum fidem præſentes manu & ſigillo roboratas dedimus 1735. 4ta Octobr.

Clemens Auguſtus.



(*) Imminebat ab ejusmodi librorum peſte circa a. 1771 ſanctæ huic Ubiorum Coloniæ non leve periculum: quod tamen cum vigilantia Superiorum, tum vero maxime Emmi noſtri MAXIMILIANI FRIDERICI ſolicitudo & authoritas tempeſtive propulſavit.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA NAMURCENSIS,

Anno Chr. MDCCXXXVII. Clementis XII. PP. VIII. Caroli VI. Imp. XXV.

A

REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. THOMA JOANNE FRANCISCO de STRICKLAND (*) *de* SIZERGH, *Namurcensi XII. Episcopo,*

CELEBRATA

MENSE APRILI.

Acta Synodi sive Congregationis habitæ more solito in Palatio Episcopali Feria quarta majoris hebdomadæ.

NOS THOMAS JOANNES FRANCISCUS STRICKLAND DE SIZERGH, MISERATIONE DIVINA ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS NAMURCENSIS &c. &c.

I.

Quamquam plerique Diœceseos nostræ Pastores duplici Nobis honore digni videantur, utpote, qui maxime laborent in verbo, & oves sibi commissas assidua verbi prædicatione nutrire & erudire nitantur; non sine magno animi nostri mærore intelleximus inter multos Pastores bonos aliquos, subinde malos & mercenarios inveniri, & usque adeo sui in gregem officii immemores, ut raro verbum Dei per semetipsos annuntient, sive concionibus ad plebem, sive etiam catechismis ad parvulos.

Quocirca, ut Pastores hujusmodi, qui canes muti & non valentes latrare, a sancto in Scripturis Spiritu nuncupantur, (**) ad suum aliquando tandem officium revertantur; omnibus atque singulis Diœcesis nostræ Pastoribus districte, & in virtute canonicæ, quam Nobis in sua ordinatione polliciti sunt, obedientiæ injungimus & mandamus, ut Dominicis & Festivis diebus sive conciones, sive catechismos ad gregis sui captum accommodatos, qua par est, diligentia & sedulitate habeant: & ne quis eorum suo imposterum desit officio, mandamus Decanis Christianitatis, ut eos, qui per tres septimanas hac in parte defuerunt, Nobis sine mora denuntient: & Promotoribus nostris, ut eos pariter sine mora citari curent, pro negligentiæ gravitate puniendos: Officialibus denique nostris, ut in eodem, prout in Domino visum fuerit, expedire animadvertant, & maxime suspensione a Divinis.

Eosdem etiam Pastores in antecessum monitos volumus, alios tum Sacerdotes in eorum Parochias a Nobis esse mittendos, qui eorum sumptibus tamdiu vices eorum impleant, quamdiu ad imbuendam doctrina Christiana plebem necesse videbitur.

Etsi vero tempus messis hoc nostro Decreto maxime comprehensum esse velimus, hortamur nihilominus & obsecramus in Domino Pastores, ne etiam hac anni parte, qua maxime pluribus est periculis & corruptelis locus, com-

Ooo 3 missum

(*) Vide infra. (**) Isaiæ cap. 16.

missum sibi populum sine ulla omnino instructione dimittant, sed brevi saltem eum, prout res & tempus tulerit, exhortatione reficiant & consolentur.

II.

Tum antiquorum Ecclesiæ Canonum, cum Provincialium Conciliorum Cameracensium, & Prædecessorum quoque nostrorum Decretis inhærentes, omnino prohibemus, ne quisquam sacris initiatus Ordinibus popinas, seu tabernas, seu domos quaslibet, ubi quibus vis passim tam Laicis, quam Clericis, vinum, cerevisiam, aquam vitæ, seu liquores, qui vulgo Thé, Caffé, Chocolat nuncupantur, emendi & ibidem compotandi potestas est, vel adire, vel in iisdem sive compotationis, sive lusus causa commorari audeat sub pœna reservatæ Nobis suspensionis ipso facto incurrendæ.

Si vero Confessarios regulares popinas hujusmodi compotationis pariter aut lusus causa ingredi, vel in iisdem commorari contigerit; sciant concessam a Nobis confessiones excipiendi, vel verbum Dei prædicandi facultatem ipso facto sibi abrogatam esse, qua de re monebuntur a Pastoribus Terminarii, cum primum ex aliis Diœcesibus in nostram, subsidiariam impensuri operam, advenient.

Fratres similiter laicos, vel alios ruri quæstum instituentes, monitos volumus, curaturos statim Nos, ut a Superioribus suis pro delicti gravitate puniantur, si in popinis extra necessitatis casum deprehensi fuerint.

III.

Cum serio & sæpius interdictum expresse fuerit a Prædecessoribus nostris, ne quisquam pœnitentium, præsertim mulierum confessiones, nisi ex gravi & periculoso morbo decumbentium, in ædibus privatis excipere præsumeret; quæ ab ipsis hac in parte fuerunt sapientissime decreta, renovamus, & a Confessariis omnibus sive sæcularibus, sive Regularibus observari volumus, atque ut huic nostro, quod gravissimis est rationibus innixum, accuratius inposterum & religiosius obtemperetur; declarandum duximus & hisce declaramus, Nos omnem omnino jurisdictionem seu confessiones excipiendi facultatem ipso facto adimere Confessariis omnibus sive sæcularibus, sive Regularibus, qui cujusvis confessionem exceperint extra ambitum Ecclesiæ, nisi pœnitens gravi adeo morbo vel infirmitate laboret, ut Ecclesiam adire nequeat, vel tali ac tanta surditate, ut in eadem confiteri non posset, quin a circumstantibus audiretur.

Eidem facultatem revocationis pœnæ ipso facto incurrendæ subjacebunt, qui extra supra memoratos infirmitatis vel surditatis casus mulierum confessiones exceperint alibi, quam in sede vel quasi sede confessionali, quæ in conspicuo Ecclesiæ loco collocata, & assere perforato vel crate interposita sit instructa.

Cum autem Nobis significatum fuerit, sedes hujusmodi confessionales in aliquibus deesse Ecclesiis, ad earum constructionem menses duos, a die datæ præsentium numerandos, duximus esse concedendos, quibus elapsis Decretum hoc nostrum in iis etiam Ecclesiis locum obtinebit, quæ modo non sunt ejusmodi confessionalibus instructæ.

IV.

Ex præscripto Concilii Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 18. Examinatores Synodales septem constituendos esse duximus, nimirum Reverendos ac Venerabiles Dominos: *Petrum Antonium Chaveau* Cathedralis nostræ Præpositum, *Petrum Adrianum de Morotte de Montigny* Decanum, *Bernardum Henricum Maximilianum de Varick* Archidiaconum Namurcensem, *Joannem Fontaine*, *Matthæum Ignatium Desmet*, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Canonicos Graduatos & sacræ Theologiæ vel utriusque Juris respective Licentiatos, *Hubertum de Monceau* Cathedralis nostræ Canonicum & sacræ Theologiæ Licentiatum, R. D. *Josephum Fossseprez* Ecclesiæ Parochialis S. Joannis Baptistæ in civitate Pastorem.

Qui omnes, coram Synodo, ad præscriptum Concilii Trid., jurabunt ad sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter hoc munus executuros.

Qui

Qui autem in hac Diœcesi ad excipiendas fidelium confessiones approbandi erunt, hi se examini, in Palatio Episcopali subeundo, sistere tenebuntur hora octava matutina, vel prima die mensis Martii, vel quarta Julii, vel demum quinta Novembris, nisi in diem Dominicum incidant, tum enim die immediate subsequente examen habebitur.

Ad hos etiam constitutos habendo examini dies se sistere tenebuntur, qui Canonicum aliquem titulum ad Beneficium, cui cura animarum incumbit, consecuti fuerint, nisi eodem anno concursum indici contigerit, tum enim per eundem probari poterunt, si malint.

Qui autem sacris Ordinibus initiandi erunt, nec suum Seminario nostro nomen dederunt, nec in hac civitate domicilium habent, ad feriam quintam, quæ ordinationem immediate præcedit, hora octava matutina, in Palatio nostro Episcopali se examinandos sistent.

V.

Ad satisfaciendum Decreto Concilii Trid. *de Judicibus Synodalibus Sess.* 25. *Cap.* 10. Viros aliquot scientia pariter & æquitate præcipuos in hac Synodo designandos duximus, quos & Synodales Judices constituimus, ut iis posthac causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Hi porro sunt Reverendi ac Venerabiles Domini: *Petrus Adrianus de Morotte de Montigny* Cathedralis nostræ Decanus, *Bernardus Henricus Maximilianus de Varick* Archidiaconus Namurcensis, *Joannes Baptista Deprez* Officialis Namurcensis, Ecclesiæ Cathedralis nostræ Canonici graduati & Juris utriusq. Licentiati; *G. A. Fumier* Ecclesiæ Collegiatæ Nivellis Decanus, *J. J. Bouqueau* Christianitatis in districtu Nivellensi Decanus & noster per Wallo Brabantiam Officialis. Reverendi ac Venerabiles Domini *Ildephonsus Chapelle* Gemblacensis, *Arnulphus Pottelberg* Villariensis, *Joannes Jacque* Bonefflensis, *Bernardus Burlet* Floreffensis, & *Ignatius Chartier* Geroldisatensis Abbates: quorum nomina ad summum Pontificem, ejusque ac sanctæ Sedis in Belgio Nuntium quamprimum transmittemus, & juxta tenorem Decreti Tridentini supra laudati delegationes aliis, quam his factæ, subreptitiæ censeantur. Datum Namurci die decima septima mensis Aprilis 1737.

T. J. F. Episc. Namurc.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

J. V. Mouchet Secret.

Namurci, apud J. Franciscum Lafontaine Typ. Illmi ac Revmi Episc. 1737.

NOTA

THOMAS JOANNES FRANCISCUS de STRICKLAND de Sizergh, nobilis Anglus, parentibus apprime catholicis, patre *Thoma* de *Sizergh*, Equite Anglo, Regi a sanctioribus consiliis, & ærarii custode; matre *Winefrida Trentham*, in Comitatu Westmorlandiæ natus, olim Duaci in Seminario Anglorum Theologus, hinc in Universitate Parisiensi S. T. Doctor Sorbonicus vere eximius, Ss. Literarum peritissimus (verbo uno) Præsul summi ingenii. Abbatiæ S. Petri in Pratellis Diœcesi. Lexoviens. Abbas Commendatarius, Illustrissimorum Galliæ Præsulum Cardinalis *Bissii* Meldensis, & Josephi *Langueti* Suessionensis, aliquando Vicarius Generalis: & ipse (ut fert fama) ad Purpuram destinatus.

Anno 1725 die 24 Augusti, erepto vivis Namurcensium Episcopo *Ferdinando* de *Berlo*, ab Aug. Imp. Carolo VI., qui succederet, nominatus, die 20 Januarii a. 1726 confirmatus a Sede Apostolica, & ab Archiepiscopo Cardinale *de Alsatia* Mechliniæ die 28 Septembris a. 1727 more solito consecratus, mox ad fortia misit manum. Studium Theologicum maxime quod notitiam Scripturæ sacræ & cultum respicit, in utroque Clero singulari prudentia ac solicitudine promovit, dicere solitus, neminem regimini animarum, pretioso agni immaculati sanguine redemtarum, aptum adsistere, qui sacro hoc spiritus gladio, ad evertendum Sathanæ regnum, non esset adcinctus. Seminarium Episcopale Namurci a fundamentis ædificavit:

tavit; eliminandis ſparſorum ab Janſenio & Queſnello errorum reliquiis tanta inſudavit cura, tamque felici ſucceſſu, ut Sacerdotum tota Diœceſi reperiretur nemo peſte illa infectus, aut ſi quis eſſet, ſuis exire e latebris ac virus diſſeminare nullatenus auderet. Eccleſiam ſuam novo eoque peramplo auxit cenſu; & palatium Epiſcopale ab imo ſuſcitavit, ingenti ſumtu, pari munificentia, eximio civitatis ornamento. Plura alia meditantem, Præſulem vere maximum, aſtma hydropiſi conjunctum e medio ſuſtulit Lovanii in Collegio Alnenſi die 14 Jan. 1740, ætatis ſuæ 58, Epiſcopatus 13, ſcripto hærede Seminario ſuo Epiſcopali. Sepultus in vetere Eccleſia Cathedrali.

Hæc plurimam partem ex Necrologio MS. a D. Foppens *concinnato. Miſit idem Vir præclariſſimus* Jacobus Goyers *Paſtor in Humelghem.*

MONITA, quæ reſpiciunt

Acta Synodi ſive Congregationis habitæ pro more in Palatio Epiſcopali Feria quarta majoris hebdomadæ.

NOS THOMAS JOANNES FRANCISCUS STRICKLAND DE SIZERGH, MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS NAMURCENSIS &c. &c.

Ut commiſſarum Nobis ovium ſaluti conſulamus, nova, in Confeſſariorum gratiam, Monita nuper edenda cenſuimus, cum, quædam immutanda, quædam etiam addenda viderentur in iis, quæ Confeſſariorum facultatibus ſubjecta reperiebantur.

2. Animadvertendum inprimis eſt Caſus Nobis reſervatos, duos in ordines, ſive claſſes modo eſſe relatos, prout indice ſubſequenti exhibentur.

Primi Ordinis.

Hæreſis ſive erroris alicujus ab Eccleſia diſerte damnati pertinax & deliberata aſſertio.
Homicidium voluntarium.
Duellum.
Quodlibet grave peccatum in materia veneria inter Confeſſarium & pœnitentem actu exteriori commiſſum.
Apoſtoſia notoria.
Matrimonium, præſente quidem Parocho, ſed non conſentiente initum: qui autem poſt Synodum noſtram, inter feſta Paſchalia anni proximi 1738. celebrandam, ita inire auſi fuerint, majorem ipſo facto excommunicationem incurrant.
Sacrilegus Euchariſtiæ aut Chriſmatis ad veneficia vel maleficia abuſus.
Perjurium ſolemne in judicio.
Procuratio abortus ſive animati, ſive inanimati.
Incendium voluntate deliberata procuratum.
Inceſtus cum conſanguineis in primo & ſecundo gradu.
Simonia realis.
Sacrilegus cum Sacerdote vel Moniali concubitus.
Sodomia actu completa, & alia graviora in eodem genere flagitia v. g. beſtialitas.
Injectio violenta manuum in parentes deliberato propoſito & ſecuta læſione.

Secundi Ordinis.

Apoſtaſia licet minime notoria.
Perjurium ſolemne, licet extrajudiciale.
Violatio gravis voti ſolemnis, licet ſine apoſtaſia.
Sodomia imperfecta, id eſt, indebiti vaſis abuſus & penetratio, ſed abſque ſeminis effuſione.
Veneficium quodlibet aut maleficium.
Adulterium notorium.
Virginum violenta defloratio.
Crimen falſi.
Simonia confidentialis.
Oppreſſio tenellorum ex negligentia.

3. Itaque Rectoribus Parochiarum præſentium tenore mandamus, ut quam-

quamprimum in suis respective Parochiis promulgari curent tribus successive Dominicis & inter Missarum solemnia, latam a Nobis censuram excommunicationis ipso facto incurrendæ ab iis, qui Matrimonium præsente quidem Parocho, sed non consentiente, inire ausi deinceps fuerint : deinde vero publicationis ejusmodi a se, prout moris est, factæ, idoneum ad suos respective Decanos instrumentum transmittendum, atque ita in Archivio nostro Episcopali ad perennem rei memoriam conservandum.

4. Ne vero spectatis rerum, temporum & personarum adjunctis, gravior & difficilior sit accessus ad eos, quibus a reservatis ejusmodi casibus absolvendi facultas est, renovandum duximus salubre Decretum a Revmo felicis piæque memoriæ ENGELBERTO DESBOIS, nostro quondam Prædecessore, latum *anno Domini* 1639. in Synodo sua Diœcesana *Tit. X. Cap. VII.* ubi sic habetur: " In unoquoque Decanatuum districtu duo Parochi e " prudentioribus locis opportunis residentes, in singulorum Congregatione Capitulari eligantur, & electorum nomina ad Nos deferantur, qui, " accepta a Nobis licentia, (sicut & " ipsi Decani) a supra dictis casibus " Nobis reservatis suorum respective " districtuum Christifideles in foro conscientiæ tantum absolvere possint & " valeant. Duobus autem istis in fratrum conventu deligendis : & tertium ibidem addi deinceps oportere " visum est, ob crescentis indies populi " multitudinem, & dissitarum aliquando a se invicem Parochiarum distantiam, nullas autem facultates a " casibus Nobis reservatis absolvendi " valere volumus, nisi scripto concessas: " & si quis facultates ejusmodi non " scriptas obtinuisset, illæ ipsæ finem " accepisse censeantur, ubi primum in " proxima Pastorum uniuscujusque " Decanatus Congregatione generali " tres Pastores de fratrum consensu designati fuerint, qui generalem a casibus reservatis absolvendi facultatem " accipiant."

5. Nemo tamen eorum, quibus facta fuerit a casibus reservatis absolvendi potestas, quemquam a censura excommunicationis sive hæresi, sive inito, Pastore non consentiente, Matrimonio adjuncta, valebit absolvere.

6. Solicitudinis etiam nostræ esse arbitramur, ut eosdem quoque Pastores hortemur in Domino, & obsecremus, ne inposterum quemquam ad verbum Dei prædicandum, vel confessiones audiendas admittant, antequam legitimum admissionis suæ instrumentum exhibuerint.

7. Admissionis autem ejusmodi literæ deinceps a Nobis prorogandæ non erunt, nisi quatenus adjunctum habebunt idoneum Decani testimonium, quo de uniuscujusque doctrina meritis, & in Ecclesia Dei conversatione constet. Quam ob rem RR. Decanos solicite admonemus, ne in cujusvis gratiam testimonium ferant, nisi auditis & consentientibus Parochis singularum Parochiarum, in quibus munere suo functi fuerunt, qui testimoniales exposcant. Nullus igitur in re tanti momenti sit favori locus, nullus gratiæ, nullus amicitiæ, nedum certe ullus offensioni vel inimicitiis, vel adversus personam quamlibet, aut ordinem præjudicatæ opinioni.

8. Cum etiam multa, eaque maxima incommoda nonnunquam oriantur ex celebratione Matrimoniorum coram Presbyteris non Parochis, quibus registra non suppetunt, nec sæpe curæ est, ut, celebrata Matrimonia autenticis mox registris inserantur : idcirco hortari & monere visum est Parochos, ne aliis, quam suis in pastorali regimine Confratribus, eorumve Vicariis, suorum Matrimonia subditorum benedicenda committant : & quantum ad ea, quæ in civitate celebrari contigerit, ea cupimus remandari R. D. Pastori S. Nicolai, cui, ut speciale hanc in rem registrum habeat, datum in mandatis est.

9. Multis iisque sane recentibus experimentis agnovimus, irrita nonnunquam Matrimonia celebrari, eo quod Pastores debitam minime diligentiam adhibuerint ad detegenda, quæ latebant, impedimenta dirimentia. Videte itaque, Fratres mei dilectissimi & desi-

desideratissimi, *ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum:* (*) sed antequam ad Nos dispensationis obeundæ causa scribatis, solicite & diligenter exploretis, num piæ Matrimonio jungendorum voluntati nihil obstet? Qua de re consanguinei, affines, & in Parochia ætate provectiores; & qui maxime, laud. memoriæ, quam judicio pollent, sigillatim, & si res ita postulare videatur, secreto erunt audiendi. Quo vero res fide & diligentia majori expediatur, operæ pretium erit, de iis præsertim interrogare, quæ in Synodo 1639. celebrata, ad calcem *Tituli XIII. de Sponsalibus & Matrimonio*, enumerata reperiuntur.

10. Deinde vero nullam deinceps Parochi ab impedimentis dispensationem in Parochianorum suorum gratiam petant, nisi allata causa, quæ non plane generalis, aut frivola sit, sed gravis, sed singularis, sed honesta, sed sibimetipsis ex instituto rite examine nota, & saltem cum majori contrahere volentium utilitate spirituali, vel temporali conjuncta.

11. Cæterum, variis Prædecessorum nostrorum Decretis inhærentes, omnino volumus, ut superpellicium & stolam induant, qui confessiones audiunt, aut quodvis aliud Sacramentum administrant, ut meminerint, se intus candida innocentiæ stola ornatos esse debere. Datum Namurci die secunda Aprilis 1738.

T. J. F. Episc. Namurc.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

J. V. Mouchet Secret.

Synodus Dioecesana *Verna* Monasteriensis,

Anno Christi MDCCXL. Clementis XII. PP. X. Caroli VI. Imp. XXVIII.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, Monasteriensi Episcopo,

CELEBRATA

Die XXIX. Martii.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS Coloniensis, S. R. Imp. per Italiam &c. &c.

Cum dolenter intellexerimus varios ex nostris subditis absque confessione & administratione Sacramentorum ex hac vita periculosorum morborum causa discedere; hinc medicinæ Doctoribus, Pharmacopolis, aliisque medicamenta ordinantibus sub pœna arbitraria infallibiliter exsolvenda præcipimus & mandamus, ne aliquis eorum, si subditorum nostrorum quendam graviter decumbentem invenerit, & post primam a se factam ordinationem Sacrosanctis Sacramentis non munitus fuerit, ulla medicamenta ordinet, aut porrigat, sed ut decumbens prius Sacramentis muniatur, adhortetur. In quorum fidem &c. Bonnæ 1740. 14ta Martii.

Clemens Augustus.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXLI. Benedicti XIV. PP. I. Caroli VII. Imp. I.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, *Monasteriensi Episcopo*,

CELEBRATA

DIE XIV. MARTII.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum intellexerimus dubium super reservato peccato complicis subortum esse, scilicet quænam peccata complicum reservata sint? Hisce declaramus non modo actus consummatos Confessarium inter & pœnitentem in materia venerea, sed & omnes actus externos in eadem materia in se & de se graviter peccaminosos reservari, etiamsi peccatum non consummetur.

Etsi jam diu a CHRISTOPHORO BERNARDO & FRIDERICO CHRISTIANO glor. memoriæ saluberrima Decreta condita, publicataque sint, atque a Nobis sæpius renovata de instructione juventutis in qualibet Parochia, nihilominus non sine justa animi indignatione percepimus curionum incuria defectus irrepsisse, dum deprehenditur juventutem necessaria fidei Christianæ scientia non esse instructam; Hinc est, quod non tantum omnes incumbentis sibi obligationis admoneamus, sed & mandamus omnibus & singulis Commissariis Archidiaconalibus, ut in Synodis quotannis habendis pueros in sua præsentia examinandos curent, atque in eos, quorum culpa juventus neglecta est, severe animadvertant.

Cum insuper ad Nos variæ delatæ sint querelæ, quod Festa DD. Patronorum Ecclesiæ a Parochianis non observentur, sed contemnantur, a meridie in eodem festo opera servilia exercendo, non secus atque in aliis diebus ferialibus; ad hæc scandala aperta, peccataque tollenda mandamus omnibus curionibus in virtute obedientiæ, ut ex cathedra suis Parochianis serio ex motivis supernaturalibus, ac sub interminatione judicii Divini, pœnarumque a Judice Deo infligendarum inculcent festa Patronorum celebranda instar aliorum Festorum & Dominicarum.

Denique ut obvietur gravissimis peccatis, dum sub initium jejunii quadragesimalis primo die atque subsequente hebdomade post Cineres carnibus vescuntur, sibi vane effingentes licentiam datam, oneramus omnium Parochorum conscientias, ut corruptelam hanc suis concionibus sæpius ante tempus quadragesimale dedoceant, suosque auditores instruant, nullatenus eam consuetudinem licere, sed carnium comestionem in Quadragesima prohibitam esse, nisi post datam dispensationem, ac quidem tum tantum licere iis diebus, quibus talis facultas & dispensatio data est. In quorum fidem præsentes manu & sigillo corroboratas dedimus 1741. die 19na Februarii.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Christi MDCCXLI.

SUB

***Eodem Revmo ac Sermo* CLEMENTE AUGUSTO,**
Monasteriensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE X. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Muneris Episcopalis, quod Deus humeris nostris formidandum imposuit, est providere: ut administrationi Sacramentorum, quibus nihil in Ecclesia sanctius, nihil Divinum magis habetur, quantum in Nobis est, consulatur, periculaque peccatorum, hæresumque, quæ ex irrepente corruptela vendendi suspectos libros, scandalosas schedas, pagellas, pullulare possent, quam longissime a Diœcesi nostra arceantur, Decreta sequentia decernimus publicanda:

Primum. Non sine maxima animi nostri ægritudine intelleximus, Sacerdotes Rubricarum Ecclesiasticarum ignaros res Divinas ad aram facere cum summa populi assistentis offensione, atque hoc modo Sacra non rite curari, sed potius violari, pollluique; non obstante anathemate, quo S. Trid. Synodus *Sess.* 7. *Can.* 13. percellit omnes, qui dixerint receptos, approbatosque Ecclesiæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti posse. Varii quoque Sacerdotes, ut refertur, ad Altare occurrunt sine præmissa ulla animi præparatione; alii nimis præpropere Sacrificium festinant, ut etiam quadrante unius horæ hoc ipsum absolvant. Quin usque adeo omissa Sacramenti Pœnitentiæ susceptione non modo mensibus, sed & annis bene multis, contemnentes Sacrosanctam Synodum præfatam *Sess.* 13. *C.* 1. acrius admonentem quoscunque, ne absque magna reverentia & sanctitate ad percipiendam Eucharistiam accedant, atque inculcantem plena formidinis verba: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini; Probet autem se ipsum homo.* Alio loco eadem Ss. Synodus *Sess.* 13. *C.* 2. omnibus Romano-Catholicis exponit Ss. Eucharistiæ Sacramentum esse antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Atque ipsa S. Scriptura Joan. 18. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ut itaque detestabiles memorati mores eradicentur, mandamus non modo Sacerdotibus, ut habeant summam curam addiscendarum ceremoniarum, sed & singulis annis per decem aut octo dies obeant maxima diligentia & pietate sacras spiritus exercitationes, sive exercitia spiritualia, atque hoc tempore sacras ceremonias in memoriam revocent, obligationem suam melius agnoscant, eidemque conformiter, cum sint de sorte Domini, mores suos satagant instituere.

Secun-

Secundum. Horribile Nobis cognitu fuit, quod animarum Curatores destituant moribundos, vocatique frigeant, hæreant, cunctentur, donec anhelantes ad beatam æternitatem absque impertito Pœnitentiæ Sacramento, absque facro Viatico, absque Extrema Unctione extremum fpiritum effundant, hos, qui non funt cuftodes ovium, tanquam lupos in carceres, cuftodiasque ad tempus compingendos fevere mandamus. Cumque Parochi, eorumque Cooperatores exigant jura ftolæ majora, renovamus Decreta hac fuper re lata, gravantes omnium confcientias, fi a pauperibus taxam exigant, ac propterea hi deterreantur a petenda Sacramentorum adminiftratione in morbis atque agone; mandantes infuper: ut omnes Curati, Vicecurati moneant Parochianos e cathedra, ut in cafu morbi fat mature moneant, neque deterreantur ratione taxæ, jurium ftolæ folvendorum, quodque eam pauperibus diminuere velint, aut fi omnino pauperes fint, eam omnino diminuere, ac pro cafu neceffitatis eleemofyna fuccurrere pro viribus.

Tertium. Cum in Diœcefi noftra Monafterienfi mos confuetudoque invaluerit, ut Sanctimonialibus faltem quater in anno in fummis folemnitatibus extraordinarius Confeffarius offeratur, ipfumque Decretum conciliare *Seff.* 25. *C.* 10. habeat: " Præter ordinarium autem Confefforem alius extraordinarius ab Epifcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur; qui omnium confeffiones audire debeat." Mandamus Abbatiffis, Prioriffis, omnibusque Superioribus Monialium, ut curent Confefforem extraordinarium aliquoties in anno præfto effe, fuasque fubditas tam exemplo, quam verbis moneant, ut fua confcientiæ libertas relinquatur. Secus Vicarius nofter in Spiritualibus Generalis mittat, fiftatque Confefforem, volumusque Decretum conciliare ad ufum praxinque redigi manentibus iisdem rationibus, quæ Patres Tridentinos ad hoc tam falutare Decretum movere, ut nulla Monialis coram tribunali Divino conqueri poffit fe falutaribus confiliis, mediisque deftitutam fuiffe, volentes infuper mandatum hoc noftrum ipfis Sanctimonialium Superioribus intimari.

Quartum. Intelleximus divendi, diftrahique in hac noftra Diœcefi varias tabellas, fchedas, librosque fcandalofos, perniciofos, temerarios, fuperftitiofos, fufpectos de hærefi. Sub virtute S. Obedientiæ præcipimus omnibus, quorum officium eft, ut tabernas librarias fæpe fæpius vifitent, libros fufpectos eripiant, atque in privatos fchedarum nundinatores graviffime animadvertant, atque eos e Diœcefi noftra ejiciant. In quorum fidem præfentibus manu noftra fubfcripfimus, datis Bonnæ 7ma Octobr. 1741.

Clemens Auguftus.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA NAMURCENSIS,

Anno Christi MDCCXLII. Benedicti XIV. PP. II. Caroli VII. Imp. I.

SUB

REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. PAULO GODEFRIDO (*) COMITE *de BERLO de* FRANC-DOUAIRE, *Namurcensi XIII. Episcopo,*

CELEBRATA

IN PALATIO EPISCOPALI

FERIA IV. MAJORIS HEBDOMADÆ.

NOS PAULUS GODEFRIDUS COMES DE BERLO DE FRANC-DOUAIRE, DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS NAMURCENSIS &c. &c.

I.

Nulla Lex tam bene stabilita & ordinata, quin contradictores suos reperiat: plurimi rigoris nimii *Articulum secundum* Decreti a Prædecessore nostro 17. *Aprilis anno* 1737. lati arguere; ast sine vel ullo fundamento: præfatum enim Articulum a Nobis mature perpensum observandum esse volumus; & cum a nonnullis, an personalis, an vero loca-

N O T A.

(*) Natus est PAULUS GODEFRIDUS in FRANC-DOUAIRE die 22 Decembris a. 1701. Ex Canonico B. M. V. Hujensi, Præpositus Nivellensis. Ad Infulas Namurcensis a Carolo VI. Imp. nominatus, & a Nuntio Apostolico Bruxellis consecratus die 9 Aprilis 1741, Ecclesiam suam die 16 ejusdem mensis solemni ritu ingreditur. Obiit die 19 Januarii a. 1761. ætat. 69 & 29 dierum.

Ingens quod sui apud omnes reliquit desiderium, & acerbus quo Diœcesis universa, erepto sibi tanto Duce ac Pastore, contabuit mœror, adeo virum hunc prædicant, ut ejus præconio nihil addi posse videatur: inter eos quippe Præsules unus fuit, quos Divina Bonitas & Clementia Ecclesiæ ornamenta ac fulcimenta futuros præparat identidem atque impertitur: meritorum decore quam antiquitate generis longe illustrior, vix Nivellensis Capituli Præpositus fuit, cum eximiis & corporis & animi dotibus talem se exhibuit, ut jamtum Episcopali munere dignus ab omnibus existimaretur: in eo enim, præter cætera virtutum decora, maxime elucescebant rectum judicium, exquisita sapientia, officiosa in omnes comitas, constans veritatis amor, inconcussa fidelitas, ingenuus morum candor, omnisque fuci expers innocentia; cujus tanti Viri fama cum ad aulam usque percrebuisset, Archiducissa Elisabetha Namurcensis Ecclesiæ, quæ tunc viduata erat Pastore, votis annuit, authoritateque fecit, ut quem enixe expeteret, Præsule gauderet; existimationi quam sui concitaverat plane respondit: nam in solio Episcopali positus omnes muneris sui partes cumulate explevit: unice intentus pascendo gregi, cujus dux semper extitit vigilantissimus, atque defensor acerrimus, quotannis Diœcesim, sive templa omnipotenti Deo dicaturus, sive sacro Confirmationis oleo fideles inuncturus, peragrabat; & si quos alicubi serpsisse abusus deprehenderet, omnem ponebat operam, ut illis ocius mederetur: in obeundis omnibus, quæ Pastoris egregii, muniis indefessus sacros Ordines, quoties opus fuit, administrabat, ea quidem reverentia ac majestate, quæ innata & ipsi propria videbatur, quæque cum augusto quo

localis esset in dubium revocatum fuerit, eundem personalis legis, quæ etiam extra Diœcesim nostram obliget, vim habere declaramus, his tamen dicti articuli verbis, sub pœna reservatæ Nobis suspensionis ipso facto incurrendæ, hæc substituentur, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, & a qua quis, nisi sub onere sistendi se coram Nobis intra octiduum, absolvi minime poterit. Reliqua in eodem articulo contenta in vigore suo permanebunt. Sique de ejusdem interpretatione quæstio oriatur, meminerint in quaque lege, non tam verba, quam potius Legislatorum mentem esse attendenda, hoc principio omnis difficultas enodabitur.

II.

Renovando etiam *Articulum tertium* præmemorati Decreti, excipimus tamen dies Portiunculæ & Absolutionis generalis, quibus diebus, si nimia sit populi affluentia, confessiones virorum extra Ecclesiæ ambitum, & mulierum extra locum Ecclesiæ conspicuum, crate tamen interposita, excipi poterunt. Insuper, sed hortamur ut raro fiat, poterunt etiam confessiones Sacris initiatorum excipi extra Ecclesiam, declaramusque sub Ecclesiæ ambitu etiam Sacristiam contineri.

III.

Volumus etiam *Articulum X.* Decreti Prædecessoris nostri quoad a Parochiis absentiam, *die* 5. *Aprilis* 1730. dati, in vigore suo stare, nisi quod ex benignitate indulgeamus, ut Decani quater in anno suis respective Pastoribus absentandi se a sua Parochia ad quindenam computatis diebus abitus & reditus facultatem ob rationes legitimas impertiri valeant.

IV.

Nullus poterit in materia venerea excipere confessionem secum in peccato mortali externo complicis, secus in aliis materiis.

V.

Mandamus Pastoribus, ut infra sex menses a data præsentium, suorum Pastoratuum rescriptiones *in folio* conficiant, cum specificatione exacta omnium eorum terris adjunctorum, personarum reditus annuos solventium, decimarum, hypothecarum, obituum, & quorumvis aliorum prædiorum similem specificationem bonorum pauperum, sicut & fabricæ fieri præcipimus, & ad eandem Beneficiarios pro suis respective Beneficiis astringimus.

VI.

Qui deinceps ad confessiones excipiendas admitti cupient, si se examini nostro subeundo prima die cujuslibet mensis non impedita sistere tenebuntur hora octava matutina, alias non admittendi.

VII.

Renovamus Decreta Prædecessorum nostrorum circa observandas dies Dominicas & festivas, & ut tanti præcepti transgressores pœnas inposterum non

---

quo fungebatur munere dignum exhibebat: ardenti sanctæ Religionis tuendæ ac propagandæ desiderio inflammatus, posthabita omni personarum acceptione, neminem, nisi in quo vigeret perspectus salutis animarum amor, regendis ovibus præponebat: vel minima morum pravitate commovebatur, id unum maxime veritus, ne effrænata illa impietas, quæ hodiedum pestis exitiosæ instar, grassatur, gregem sibi creditum infestaret; pupillorum ac pauperum Pater tenerrimus, nihil eis unquam denegare visus est; alios stipe occulta sustentabat, donabat alios pensione annua; in publica vero calamitate magnam frumenti copiam a Parochis subministrandam ipso proprio ære curabat: tanto denique domus Domini amplificandæ zelo æstuabat, ut tum Namurcanæ Cathedralis Ecclesiæ, tum Monasterii S. Gerardi templi constructionem omni cura atque industria institerit, magnaque ad hunc usum attributa pecuniarum summa, tanti oneris consummationem ante obitum lætus viderit atque suspexerit. Non mirum profecto, si vir laudabilis, clarus, tot ac tantis refertus meritis mortem appropinquantem impavidus aspexerit, eamque, totum se ad Dei voluntatem convertens, Christiano heroi haud absimilis, subierit atque sustinuerit...

Hæc partim ex Necrologio cit. partim ex Scheda funebri, impressa Namurci typis G. J. Lafontaine.

non evadant, mandamus in præcipuis Parochiis cujusque Decanatus apparitores creari.

VIII.

Inhibemus etiam omnibus & singulis sive Sæcularibus, sive Regularibus sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ne exorcismos, quacumque ex causa, aut quovis quæsito colore, sine speciali facultate nostra in scriptis obtenta adhibere præsumant, præcipimusque, ut ad Nos literas ad hanc facultatem obtinendam nullos mittant, nisi aperte præfatis exorcismis dari locum videant.

IX.

Et cum indies scandala per sexus fœminei frequentes ad popinas aditu augeantur, irreparabiliaque inde enoscantur mala, renovatum volumus *Art. XCII. Act. select.* sub Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Comite de BERLO Prædecessore nostro. Datum Namurci die 21. Martii 1742.

PAULUS GODEFRIDUS
Episc. Namurc.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

M. A. Hanrot Secret.

PAULUS GODEFRIDUS Comes de BERLO de Franc-Douaire Dei et Apostolicæ sedis gratia Episcopus Namurcensis &c. &c. Pastoribus et Superioribus Regularium hujus Civitatis Salutem in Domino.

Innumeræ licet reperiantur Sanctiones sacræ, quæ quid, quando de tumulandis defunctorum corporibus in Ecclesiis Regularium agitur, observandum sit, edoceant ac statuant. Nobis tamen, proh dolor, significatum est de vobis Fratres mei, quia haç super re contentiones sunt inter vos, & quasi schismata; cum autem Ecclesiæ Dei Nobis commissæ diligentiam habere debeamus, discordiæ semina, ne ulterius maximo cum scandalo ac Ordinis nostri dedecore spargantur, in ortu suo, juxta authoritatem a sacris Canonibus Nobis traditam, præfocare ac elidere volumus. Ad hunc finem controversias inter vos natas Vicariatu nostro congregato mature perpendimus, prævieque vobis auditis, easdem hocce immediate sequenti Decreto inposterum observando (quo tamen Regularium privilegiis nullatenus intendimus derogare) composuimus ac terminavimus: quoties defunctus in Ecclesia quadam Regularium hujus Civitatis sepeliendus erit, Pastor cum suo Clero corpus seu cadaver usque ad illam Ecclesiam cantando deducet, illamque ingressus dictum cadaver in ipsa Ecclesia collocatum in potestate Regularium tradet; quo facto, præfatus Pastor cum suis assistentibus ad partem Ecclesiæ decentem recedet, ibidem remansurus ad finem usque sepulturæ: qua peracta, funus reducet ab introitu seu atrio ejusdem Ecclesiæ usque ad ædes defuncti.

Et cum insuper ad Nos pervenerit infantium cadavera in Ecclesiis Regularium insciis Pastoribus non raro inhumari, Nobisque apprime notum sit inde, ultra jura Pastorum læsa, familiis & bono publico plurima enasci detrimenta, præcipimus sub pœnis de jure latis, ut similes abusus inposterum haud perpetrentur.

Datum Namurci in Palatio nostro Episcopali sub signo sigilloque nostris ac Secretarii nostri signatura, hac 16. Aprilis anno 1742.

Signatum erat:

PAULUS GODEFRIDUS
Episc. Namurc.

Et infra:

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

M. A. Hanrot Secret.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA NAMURCENSIS,

Anno Chriſti MDCCXLIV. Benedicti XIV. PP. IV. Caroli VII. Imp. III.

SUB

Eodem Revmo ac Illmo D. PAULO GODEFRIDO, Namurcenſi Epiſcopo,

CELEBRATA

MENSE APRILI.

NOS PAULUS GODEFRIDUS COMES DE BERLO DE FRANC-DOUAIRE, DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA EPISCOPUS NAMURCENSIS, ABBAS SÆCULARIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ B. M. V. NAMURCI &c. &c.

ART. I.

Licet, ne famæ noſtræ macula imprimatur, præclarum Statutum reperiatur in Synodo habita ſub Illmo ac Revmo D. ENGELBERTO DESBOIS, *Tit. VIII. Cap. XIII.* concernens infantium non legitimorum regiſtrationem, tamen maxime in nonnullis noſtræ Diœceſis Parochiis irrepſit abuſus, qui ut corrigatur, idem Caput renovandum judicamus, prohibentes omnibus Paſtoribus, ne inpoſterum in Regiſtro Baptizatorum ſimilis infantis quemquam, etiamſi puerpera in preſſuris juramento coram obſtetrice, Scabinis, vel teſtibus affirmarit, ullatenus deſcribant ut patrem, niſi is, coram Judice, vel coram Parocho & teſtibus, ſe qua talem faſſus fuerit, vel niſi ut talis per ſententiam, a qua non ſit appellatum, fuerit declaratus.

ART. II.

Et cum Nobis relatum ſit aliquos Paſtores non ſatis ſervare *Articulum XVIII. Actorum ſelectorum* ſub Illmo ac Revmo Dno FERDINANDO Comite de BERLO, eundem Articulum renovamus, volentes, ut qui ab annua ac generali Paſtorum Congregatione aberunt, etiam legitime impediti, ſolvant tamquam ſi fuiſſent præſentes, convivii expenſas, & ulterius, ſi ſine legitima cauſa, vel ſine prævia a D. Decano obtenta venia abſfuerint, mulctam quatuor ſolidorum D. Decano ſolvendam Seminario noſtro applicandam, vel aliam conſuetam.

ART. III.

Eorumdem *Actorum ſelectorum Articulum ultimum* renovamus, & eundem extendentes, præcipimus omnibus Superioribus tam ſæcularibus, quam Regularibus, ut nullum Subdiaconum, Diaconum, vel Presbyterum (niſi hic itinerans fuerit) ad ſacrum Altare ſine veſte talari accedere ſinant.

Mandamus inſuper, ut qui Sacris initiantur, & in civitatibus noſtræ Diœceſis reſident, per eaſdem civitates amplius incedere non audeant ſine ſimili veſte, ſub pœna pro qualibet vice incurrendi irremiſſibiliter mulctam trium florenorum, ut ſupra, applicandorum. Meminerint enim, ut pulchre ait Syn. Trid. *Seſſ.* 14. *Cap. 6. de Reform.* "Per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendi."

Datum Namurci die 1. Aprilis 1744.

PAULUS GODEFRIDUS
EPISC. NAMURC.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini

M. A. HANROT Secret.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Chrifti MDCCXLIV.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, Monafterienfi Epifcopo,

CELEBRATA

DIE XIII. OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Plurimum animum noftrum affligit intellecto, quod in hac Diœcefi noftra Monafterienfi municipes & populares Lutheri aut Calvini fectis adhærentes, eos, quos in famulatu fuo habent, five famulos, five ancillas, five mercenarios a Religionis noftræ exercitationibus, ab audiendo verbo Dei, ab inftructione in difciplinæ facræ elementis, fed & a facrofanctis Miffæ Sacrificiis non modo impediant, quin & operibus fervilibus abftrahant in Dominicis, feftisque Lutheranis & Calviniftis non communibus, quodque fibi famulantibus diebus Veneris & Sabbati, aliisque jejuniorum temporibus carnes apponant. Per quæ omnia, cum Leges facræ Ecclefiafticæ non tantum contemnantur, convellantur, conculcentur, fed & ipfa facra Ecclefia Romano-Catholica defpicatui prorfus habeatur, & quidem in hac Catholiciffima noftra Monafterienfi Diœcefi. Ut peffimam hanc morum, fideique noftræ corruptelam prorfus evellamus, atque eradicemus, omnibus noftris fubditis five Nobilibus, five quibuscunque Acatholicis fub graviffima pœna arbitraria fevere mandamus, ut deteftabiles præfatos mores omnino corrigant, atque ab iis prorfus abftineant; graviffime infuper prohibentes & interdicentes quibuscunque Parentibus Catholicis, ut liberos fuos Dominis acatholicis in famulatum tradant absque licentia fuorum Curatorum, quorum officium eft hujus rei adeo falutaris rationem curamque habere, ac fi qui exceffus contra hæc mandata contingant, Archidiaconis & Vicario noftro in Spiritualibus fine mora referre. In cujus defectu puniantur fevere animarum Curatores. In quorum fidem præfentes manu noftra fubfcriptas figillo noftro communiri juffimus. Datas Clementiswerthæ 28. Septemb. 1744.

Clemens Auguftus.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA
CULMENSIS ET POMESANIENSIS,
Anno Christi MDCCXLV. Benedicti XIV. PP. V. Francisci I. Imp. I.

AB

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANDREA STANISLAO KOSTKA

COMITE IN SALUSKIE

ZALUSKI, (*)

Episcopo Culmensi & Pomesaniensi,

HABITA

DIEBUS 16, 17 ET 18 MENSIS SEPTEMBRIS.

EDICTUM CONVOCATIONIS SYNODI DIOECESANÆ.

ANDREAS STANISLAUS KOSTKA Comes in Zaluskie ZALUSKI, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Culmensis & Pomesaniæ, Commendatarius Abbas perpetuus Czervinensis & Paradisiensis, Supremus Regni Cancellarius. Universo Clero Diœcesis nostræ Culmensis & Pomesaniæ Salutem in Domino sempiternam.

Cum mortalium animi ingenerato pondere ad prava deflectant, libertatis desideriis in mundi illecebras facile proruant, necesse est illos quotidianis animadversionibus, & recentioribus præceptis in contrarium cogi, & in recto salutis tramite detineri. Etenim, cum vitia in corrupta humana natura, quasi in terra spinas & tribulos producente continuo innascantur, continuo etiam est advigilandum, ne incrementum sumant, & statim, ac pullulare cœperint, extirpare & evellere satagendum. Quemadmodum enim in arboribus enascentes rami obsequuntur agricolis, quorum ductu vel in altum enituntur, vel ad terram declinant; ita pariter hominum indoles, ut virtutum processibus adolescant, opus est pietate ac religione assidue excolere, quo illarum nova germina non demittantur ad ima, sed ad sublimia erigantur. Hujusmodi intuitu, perlustrata hactenus ad præscriptum Tridentini Concilii Diœcesi nostra Culmensi & Pomesaniæ, nihil sane Nobis optabilius accidere potuit, quam in eo statu, Divina favente Providentia, res nostras constitutas videre, ut tandem sepositis aliquantisper cæteris curis, Synodum convocare liceat. Etenim vero sacri illius Concilii sapientissimi Patres adeo arcto vinculo sibi cohærere arbitrati sunt hæc duo sollicitudinis Episcopalis præcipua capita, Visitationem nimirum & Synodorum Convocationem, ut utrique certos limites annorum præscribere non dubitaverint: intelligebant ii siquidem, nulla fere commoda, aut certe perexigua ex visitationibus percipi, nisi Episcopi ea, quæ visitando extra orbitam esse animadverterent, pristino ordini ad normam Ss. Canonum in Synodis restituerent. Quapropter de consilio Ven. Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis

(*) Vide sub finem Synodi.

dralis cogendam Synodum decrevimus, eamque hisce Edicti nostri Literis pro die 16ta mensis proximi Septembris, quæ erit feria 5ta post Dominicam 14tam post Pentecosten, in dicimus. Ad quam quidem Synodum in Ecclesia Archipresbyterali Lubaviensi die præfixo & sequentibus celebrandam præfatum V. Capitulum nostrum peramanter invitamus. Præpositis vero, Archipresbyteris, Parochis, Commendariis, cæterisque quibusvis Ecclesiarum Rectoribus & Presbyteris, qui de jure vel consuetudine Synodo Diœcesanæ tenentur, vel consueverunt adesse, stricte in virtute S. Obedientiæ, & sub pœnis a jure sancitis præcipimus, ut die præstituta summo mane ad Ecclesiam prædictam conveniant, ibique veste talari & superpelliceo induti, Synodo modeste intersint. Neque inde 16ta sive sequentibus ullo prætextu discedant (nisi forte venia a Nobis impetrata) donec Synodus feliciter in Domino fuerit terminata. Ne autem hocce Synodali tempore cura animarum, & alia Officia Ecclesiastica detrimentum patiantur, respiciendo paupertatem nonnullorum, atque a Civitate Lubaviensi longe distantium Parochorum, viarum incommoda, quatenus unusquisque Decanus sive Archipresbyter personaliter, cæteri vero cujuscunque Archipresbyteratus per suos Commissarios in proxima Congregatione Decanali ad eum effectum celebranda, & per Decanos locorum quantocius indicenda, eligendos hocce obligationis munus adimpleant, præcipimus & injungimus. Reliquos vero paterne ab hac obligatione interessendi Synodo dispensamus. Eos vero, qui nomine cæterorum ad hujusmodi Conventum Synodalem se conferent, ut suas Ecclesias (si forte Vicariis carent) substitutis Sacerdotibus, sive Sæcularibus, sive Regularibus, modo non vagis, non suspensis, nec censuris Ecclesiasticis irretitis sedulo commendent, ordinamus.

Porro etsi omni tempore oporteat Clericos vitæ illibatæ, & optimæ conversationis fragrantia Christi fideles ad virtutes allicere, his certe diebus, quibus Synodus celebratur, in id præcipue incumbant, necesse est, utpote qui tunc omnium oculos conversos habent. Quocirca tum in accessu, tum in recessu, ac quamdiu in ipsa Civitate moram facient, frugalitatis, modestiæ, gravitatis, atque totius Clericalis sanctimoniæ specimina præbeant quam studiosissime.

Verum, ut Spiritus Sanctus cumulate dona sua in Nos effundat, atque ipse Divino lumine omnes actus nostros dirigat, monemus & obligamus omnes Sacerdotes Diœcesis nostræ utriusque tam Sæculares, quam Regulares, ut in singulis Missis post publicationem præsentis Edicti nostri Collectam ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, quæ in Missali habetur post Missam de eo votivam, recitent, ac singulis diebus Dominicis & Festis, tam in Cathedrali, quam cæteris Ecclesiis ante Missam Conventualem sive cantatam recitentur Litaniæ de Omnibus Sanctis cum consuetis precibus & orationibus, ut DEUS propitius consilia nostra superna benedictione præveniat, & prosequatur. Hortabuntur quoque Parochi fideles eorum curæ commissos, ut in eum finem, privatim etiam assiduas ad Deum preces fundant, ut ab immensa Bonitate ejus ea impetrent, quæ bono publico, vitiis eradicandis & virtutibus inserendis conducunt.

Volumus insuper; ut præsentes Edictales literæ valvis Ecclesiæ nostræ Cathedralis Culmensis, atque omnium Archipresbyteralium tum per Decanatus sive Archipresbyteratus via solita cursoria publicentur, atque per eas taliter affixas & publicatas singula prout mandantur, ita omnes comprehendant & adstringant, acsi eorum cuilibet & expresse forent intimatæ. Certificantes ipsos, qui de jure vel consuetudine Synodo hujusmodi inter esse tenentur, quod sive in termino præfixo comparuerint, sive non, Nos nihilominus ad celebrationem Synodi præfatæ cum adjutorio Dei procedemus, & ea, quæ pro utilitate Ecclesiarum Diœcesium nostrarum fore videbuntur, decernemus & constituemus, contumacia cujuscunque non obstante, pœnis tamen, prout de jure, contra inobedientes & absentes infligendis & extendendis. In quorum fidem &c. Datt. Lubaviæ in Arce nostra die 23. mensis Augusti anno Domini 1745.

ANDREAS EPISCOPUS.

(L.S.)

SER-

SERMO
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. ANDREÆ STANISLAI KOSTKA Comitis in Zaluskie ZALUSKI, *Episcopi Culmensis & Pomesaniensis*,
IN INITIO SYNODI AD CLERUM.

Consuevit Sanctorum Apostolorum, ac Patrum antiquorum cœtus in unum congregari; ut Spiritus Sancti illustrationibus seniores illi collecti, quod magis esset consentaneum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi decernerent. Majorum igitur exempla imitantes, sacrorumque Canonum, ac sacrosancti Concilii Tridentini Decretis obsecundantes necessarium duximus, Fratres, & Filii dilectissimi, Diœcesanam Synodum jam dudum desideratam congregare, ut causam Dei agamus, Ecclesiam Dei ædificemus, collapsos mores reformemus, & correctionem fortiter ad praxim redigamus. Sed, quid prodest, Dilectissimi, Synodum Diœcesanam adunare, & in hac Ecclesia congregari, si quod sanctionibus multis Antecessorum nostrorum Synodalibus, & extra-Synodalibus, saluberrime statutum est, opere non complemus? Ad nostram instructionem de JESU nostro CHRISTO Pastore Principum scriptum est: *Potens in opere & sermone coram Deo & omni populo cœpit JEsus facere & docere.* Doctor gentium Divus Paulus nos omnes monet: *Aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem JESUM*, æterni Patris Verbum, quod Pastoribus & gregi in exemplum propositum est. Quam multi inveniuntur, qui dicunt & non faciunt. Fatendum est cum Divo Gregorio: *Officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.* Non sine magna animi nostri ægritudine ingeminare cogimur cum eodem Ssmo Pontifice. *Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator.* Pauca hæc, sed omni ancipiti gladio penetrabiliora verba, satis, superque demonstrant, qua formidine ad sacra Ministeria accedendum, quave trepidatione in iisdem perfungendo jugiter sit immorandum. Profecto (Vos singillatim alloquor, Charissimi, qui examini eritis præficiendi) non ita vulgo contingeret, ipsa experientia monstrante, quod docet Nazianzenus, *plurimos nihil aliud contulisse, quam velle*, nec, ut Magnus adjungit Gregorius, tam multi lucrum quærentes accederent sub ejus honoris specie, sub quo mundi lucra destrui debuissent; *ambientes* (Sapientissimi Viri sunt verba) *Ecclesiasticos gradus, qui eos legitimis sæpe moribus non illustrant.*

Quapropter tum veteribus, tum recentibus Ecclesiæ præceptis aptissime consonat Ssmi Pontificis Clementis monitum (ac tutissima simul, ut reor, Nobis cautio futura) *melius videlicet esse paucos habere Ministros, qui Dei opus digne exerceant, quam inutiles multos, qui & Ecclesiæ, & Ordinatoribus grave onus adducant.*

Quid ergo sentiendum arbitramur transituri jam ad eos expendendos, qui non sui tantum, sed aliorum rationem sunt reddituri: Vos hic iterum, Dilectissimi, affari compellor, qui dum æquissima lance excutietis animarum regimini præficiendos, qui demum in sacro pœnitentiæ tribunali Judices constituti estis, Vos quoque ipsos strictissime dijudicare tenemini. Quo inquam studio, quo zelo, quo lumine, qua mente sit incedendum, cum Vos certo non lateat, quod Divus Bernardus conqueritur. *Curritur namque passim ad Ecclesiasticas curas*, exclamat: *tanquam sine curis quisquam victurus tum sit, cum pervenerit ad curas.*

Nec immerito tantus conqueritur Vir, quando universa inde damna profluentia in Nos ipsos recidere tandem comperiemus. Nam si ipse Apostolus vas electionis testatur: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, cujus, inquam, conversatio in cœlis erat, & cui *vivere Christus* fuit, & *mori lucrum*; Quid, quæso, nos quieto, pacatoque animo esse sinet, quos quotidie reos multiplex forsitan culpa redarguit. *In multis* certe teste Jacobo *offendimus omnes* adeo; ut, quamvis interiora nostra perscrutantes, satis justificari præsumeremus, aliorum tamen vitio fiat; ut perinde damnemur. Quid tunc cuique proderit suo non puniri, si alieno sit puniendus peccato.

Idcirco non alia unquam tutior via invenietur ea, quam totius Ecclesiæ Doctor & Pastor præsignavit, ut, cui regiminis culmen imperatur, si donis præveniatur, quibus & aliis prosit, Divinis dispositionibus subdatur, atque a vitio obstinationis alienus invitus obediat. Hanc docet Gregorius cautionem, hac muniamur & Nos, ut tanquam anchora fidissima in mediis pro-

cellis firmati, flante deinde Spiritus Sancti aura, in portum salutis provehamur.

Absit, & avertat Deus, quod quis inter Vos refractarius inveniatur, & ea opere implere recuset, quæ hæc S. Synodus in Domino congregata opportune statuet ac decernet. *Qui enim rebelliter vivit*, *ait* S. Clemens Papa: *& discere atque agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis, quam fidelis esse monstratur.* Ut hoc barathrum vitemus, *Nullatenus*, inquit Dionysius Collector, *nostri sæculi more simus contenti, quo pronius desideramus recta nosse, quam facere, sed Divino adjuti auxilio, quæ fieri præcipimus, arte perficiamus, ut efficacissimo fidelibus prosimus exemplo. Magna est siquidem jubentis authoritas, eadem primitus jussa complentis: quatenus Ecclesiastici Ordinis disciplina inviolabilis permanens ad capessendum perenne præmium Christianis omnibus præstet accessum, per quem & sancti Præsules paternis muniuntur regulis, & obedientes populi spiritualibus imbuuntur exemplis.*

Cujus ad hæc ambæ non tinniant aures? quis eas obturabit, ne audiat? quis oppilabit os suum, ne loquatur? quis claudet oculos, ne videat? quis vocem Domini spernet? quis monita salutis conculcabit?

Quod si obediens eris, & juxta præcepta, quæ mandavero tibi, ambulaveris faciens ea, *Ipse quidem impius in impietate sua morietur, porro tu animam tuam liberasti.* Arguat hinc quisque vestrum; quanti sit, Vos ad sacrum hunc consessum advocasse, ut unanimi sensu singulis præscribenda decernantur, quo docti muneribus vestris perfungamini, imo quanti fuerit illa eadem sive ignorasse aliquos, sive ignaros etiam non implevisse.

Quapropter ad hæc præstanda Vos hortantur tot Virorum, qua doctrinæ splendore, qua vitæ sanctimonia insignium saluberrima documenta, ad hæc impellit, & urget proprii uniuscujusque debiti ac officii ratio, cui sine gravissimo salutis dispendio & defectionis nota deesse non poterit, quicunque vires & conatus, quibus enitendum est ad propositum præmium, vel inertia infringat, vel diffidentia animo concidat. Hæc ipsa sunt, ad quæ perficienda non incitabunt modo, sed quasi manu ducent hujus tamdiu optatæ Synodi statuendæ Sanctiones, Decreta præfinienda, Regulæ atque præcepta ab unoquoque servanda.

Absit, ut nauseet quis ex Vobis cibum istum, qui invitus hæc audiat, nec pronis auribus excipiat. Ægyptiorum ollis asueti nauseabunt sane ac respuent, quippe qui in vitio laudem, in virtutibus contemptum collocare didicerunt, ut mirum inde non sit, si *malum dicunt bonum, & bonum malum, si tenebras putant lucem, & lucem tenebras*, terrenis namque saturati, ut est in Proverbiis: calcant favum ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Hinc profecto sequi necesse est, quod duo sapientissimi Gregorii, Magnus videlicet atque Nissenus splendidissima Ecclesiæ lumina scriptis suis inditum reliquerunt, ut vix ullum possit esse foris remedium, quando intus latet vulnus inclusum, & qui languente stomacho alimenta non retinent, eorum profecto desperanda sit salus.

Excogitate nunc, Filii & Fratres charissimi, metientes vosmetipsos in recessu cordis vestri, quorum in numero recenseri cupiatis? eorumne, qui salubri ac proficuo cibo nutriri, & aptis remediis saluti animæ suæ prospicere gestiunt, an aliorum potius, qui vetitis, damnatisque alimentis indies magis valetudinem debilitant, & omnem spem salutis sibi præcidunt, ac proprium tandem interitum moliuntur.

Ego sane quidem suspicari non valeo eo dementiæ quenquam progredi posse, non dicam, Dei Ecclesiæ servitio consecratum, sed nedum ejusdem Ecclesiæ Matris sinu receptum, attamen pro injuncto mihi debito, monendos singulos, & unumquemque obsecrandum censui *per viscera misericordiæ DEI nostri*, ut & sæpius & serio animo recolatis, quid demum proderit cætera cuncta perperam prævidisse, plurimis laboribus in via erroris & perditionis lassatos fuisse, si id unum contemnatur, quo suæ quisque animæ detrimentum patietur.

Vigilandum propterea, ac sedulo excubandum est super viis vestris, ut nunquam horum præceptorum memoriam amittatis, quibus Vobis, aliisque simul consulatis, ne cito per negligentiam deperdatur, quod non sine labore per gratiam fuerit hic acquisitum. *Quænam, quæso, supererit spes in fine, si in ipso mane tepescimus, vel in cursu frangimur? quo maxime contendendum est ad pollicitum bravium.* Certe illudimus Nobis, ac stulte blandimur, si declinare ad quietem cupimus, quasi pax Nobis sit & securitas, dum nullum affulget indicium tranquillitatis. Imo undique urget pugna, fervetque bellum sacra Pauli tuba personante. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.*

Igitur ut animarum vestrarum Pastor clamare non cesso ad Vos, dilectissimi, cum

S.

S. Jacobo Apoſt.: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Complete verbum Domini, qui ad Nos his verbis ingeminat. Excubate in cuſtodia Sanctuarii, & in miniſterio Altaris, ne oriatur indignatiò ſuper filios Iſraël. Cuſtodite Sacerdotium veſtrum, & omnia, quæ ad cultum Altaris pertinent. Studete ergo ſanĉte & religioſe vivere, & omnipotenti DEO placere, ut verbo & exemplo lucere poſſitis in Eccleſia Dei, ut & ipſe adimpleat in Vobis & animabus omnibus, quas ſanguine ſuo redemit pretioſo, miſericordiam ſuam & immarceſcibilem coronam conſequi valeatis a D. N. J. Chriſto, qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus, & cui eſt omnis honor, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum Amen.

SERMO
PERILLUSTRIS ADMODUM REVERENDI DOMINI
FABIANI PLASKOWSKI,
Archidiaconi in Cathedrali Culmenſi Pomeſanienſis, & per Diœceſim Pomeſanienſem Vicarii Generalis,
CIRCA INCHOATIONEM SYNODI
HABITUS.

Nunc Judicium eſt mundi. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Joan. 12. *in Evang.* Feſti Exaltat. S. Crucis.

Vivum ſermonem Dei, & efficacem penetrabiliorem omni gladio ancipiti, & pertingentem uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, inconcuſſæ increatæque veritatis oraculum, cœlo & terra tranſeuntibus, firmius; ſermonibus, qui exarantur ſtylo ferreo, vel celte ſculpuntur in ſilice, ſtabilius; ſuper angularem lapidem Chriſtum, qui factus eſt in caput anguli, fundatum, ſuper Petram (Petra autem erat Chriſtus) ſtabilitum in aciem intellectus educo, veſtræ obtutui mentis objicio, Auditores legitime convocati & congregati Illuſtriſſime, Excellentiſſime & Reverendiſſime Domine Culmenſis & Pomeſaniæ Antiſtes, Concilii Synodi Diœceſanæ ſupreme Præſes & Judex ordinarie, Perilluſtres & Revdiſſimi, Illuſtres & Admodum Rdi Rdi, Venerabiles ſuis titulis ornatiſſimi. Verba hæc: *Nunc Judicium mundi* detonantia & denotantia, ſunt de theſauris magnitudinis, ſapientiæ & ſcientiæ Dei. (cujus incomprehenſibilia judicia, inveſtigabiles viæ ejus) excerpta & extracta. Verba ſunt illius Filii dilecti æterni Patris, in quo ſibi bene complacuit; quem ipſum audire præcepit. Verba ſunt illius coæterni Patris Unigeniti, qui in tempore homo factus, parvulus natus eſt nobis, cujus imperium ſuper humerum ejus, cujus regni non erit finis, qui in terram pacem attulit hominibus, ſed bonæ voluntatis, qui non venit pacem mittere in terram, ſed gladium, venit enim ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum, qui venit in ruinam & reſurrectionem multorum, quem dum mundus non cognovit, quem dum mundus priorem omnibus odio habuit, judicium mundi proclamavit; Ipſi enim data eſt poteſtas judicium facere, quia Filius hominis eſt. Cujus judicium duriſſimum his, qui præſunt. Cujus judicium incipit a domo Dei. Ad cujus judicium areſcentibus præ timore hominibus, Reges (adeoque & Regale Sacerdotium) nudo latere palpitabunt. O quam terribilia judicia tua ſunt Domine! O! Judex teſtisque meæ certiſſimæ culpæ, quis de me ſenſus ſit tuus? Ipſe vides. Scimus ah ſcimus! quia jam tempus tuum ſemper eſt; quia noſſe tempora & momenta Pater jam poſuit in tua poteſtate. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies una. Apud te nunc, *nunc judicium eſt mundi.* Nos, qui ſumus de mundo & in mundo; quo ibimus? & quo a facie tua fugiemus? Cœlum & terram tu imples, omnia nuda & aperta ſunt oculis tuis. Aſt bono ſimus animo. Quia miſericors & miſerator Dominus expectat, ut miſereatur noſtri. Nobis dictum ſupponamus: *Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Dum tempus habemus, operemur bonum, audiamus Apoſtolum dicentem: *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Judicia ſpiritualia temporalia in hoc Concilio Juſtorum & Congregatione contra mundum & ſæcularia ejus deſideria inſtituamus, ut in æternum non cum hoc mundo damnemur. Ego munus & onus Actoris ſuſcipio. Vos inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

Figura judicii ex Judice, Actore & reo conſtituitur. Judex ſecundum legem legitime latam & publicatam judicare tenetur. Speciales Diœceſium Culmenſis & Pomeſaniæ Conſtitutionum Synodalium Leges, quas

quas Illmi, Excellmi & Revmi Domini olim loci Ordinarii condiderunt; quibus, Illustrissimus olim Kostka firmius, quam Gentilitia sua solea semitas justitiæ tritas reddidit; quibus Illmus olim Gembicki strictius quam Avita sua fascia subjectum sibi populum ad faciendam obstrinxit justitiam; quibus Illmus olim Dzialynski arctius, quam Gentilitio suo annulo constantem, perpetuamque voluntatem jus suum unicuique tribuendi spopondit & subarravit, partim sub armis siluere leges, partim prona in oblivionem recti memoria hominum exciderunt. Quas periculosorum vicissitudo temporum vigilantissimis etiam in suo munere Diœcesium harum Pastoribus (quorum plures ex primo diligentissimæ Pastoralis curæ limine, aut maxima virtus altius evexit, aut invida mors magnis infensa Viris terris eripuit) reassumpta Synodo, in observantiam revocare non permisit, ita, ut plusquam per integrum sæculum, Convocationis Synodi, non sit audita vox in terra nostra. Nunc, o quam magna super nos misericordia Domini! quia venit, ecce venit tempus, & nunc est tempus beneplaciti tui Deus; in quo, ut olim per Isaiam promiseras: *restituam Judices tuos, ut fuerunt prius, & Consiliarios tuos, sicut antiquitus.* Restituisti Nobis Judicem Synodalem, & dedisti potestatem Gentilitio ejus Agno aperire librum Constitutionum Diœcesanarum, quem plusquam per sæculum nemo aperire poterat. Jam nunc aperti sunt libri, & apparuit judicium. Jam nunc sub signo Crucis (tunc apparebit signum hominis) Andream mysteria Crucis exaltantem, postridie festi Exaltationis S. Crucis Judicem Synodalem in Spiritualibus Ordinarium constituisti; parasti in judicio Thronum ejus, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat. Ergo erumpo in verba Scripturæ sacræ: *Sit Dominus Deus benedictus, qui voluit Te ordinare super thronum suum, ut facias judicium atque justitiam.*

Antequam in principali causæ negotio experiri incipiam juxta sentimentum Eccli. *Cap.* 18. promulgatum: *Ante judicium para justitiam tibi, ante judicium interroga teipsum*; ne conventus jure reconventionis utatur, & peccatum meum contra me est semper; status Ecclesiastici prærogativam Sacerdotalem ipse mecum expendam & ruminabo. Princeps Apostolorum dicit: *Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui vocavit vos in admirabile lumen suum.* Ipsa increata veritas profitetur, quia Nos in Apostolis elegit de mundo. Ipse elegit Nos, & posuit Nos, ut eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat. Psalmista vult, *ut Sacerdotes induantur justitiam.* Deus per Malachiam Prophet. dicit: *Labia Sacerdotis custodient scientiam & legem requirent de ore ejus.* Judith de Sacerdotibus pronunciat: *Vos enim estis Presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum.* S. Thom. de Aquin. loquitur: Sacerdos, id est *Sacer Dux*, *populum per bona exempla ad cœlum ducendo.* Doctrina Nicæna (de Cler. Sacr. Ord.) refert: *Clerici sacri Ordinis esse debent typus & imago Cœlestium, Episcopus quidem debet esse typus Dei, Presbyter tenere debet locum Seraphinorum, Diaconus vero Cherubinorum.* S. Bernard. plus dicit: *Sacerdotalis potestas superat potestatem etiam Angelorum, licet enim unus Angelus potest unum Cœlorum movere, tamen minime potest unum ipsorum de Cœlo in terram tam cito transferre, sicut radius solis emittitur ab ipso sole: Sacerdos vero suo Ministerio transfert verissimum Corpus Christi de ipso Cœlo empyreo ad ipsum Altare sacrum.* S. Greg. Nazian. cum admiratione pronuntiat: *O Sacerdotes! O mundi fundamenta! Christianæ Fidei columnæ, immortalis vitæ Doctores, Christiferi!* Similiter cum exclamatione loquitur S. Ephrem: *O miraculum stupendum! O potestas ineffabilis! O tremendum Sacerdotii ministerium, spirituale, ac sanctum, venerandum, & irreprehensibile! Per hanc dignitatem, humana natura licet humilis & abjecta, cum virtutibus incorporeis adæquatur; excedit intellectum & rationem, omnemque cogitationem, donum altitudinis dignitatis Sacerdotalis.* Sed quo me sublimitas Sacerdotalis præeminentiæ adhuc in statu viæ, meriti & demeriti militantis Ecclesiæ constituta abripit? Sisto, sisto gradum experientia præmonitus, quod terminus est altæ sæpe ruina viæ, si sortem meam ponam cum impiis, si Religiosum cor mundano faciam sordescere pulvere; si sicut populus, sic fiam Sacerdos, quæ me meta manet, nisi sublatus in altum ut casu graviore ruam? Contremisco in verba S. Hieronymi prolata: *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandior eorum ruina, si peccant; lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum; non est tanti gaudii excelsa tenuisse; quanti mœroris de sublimioribus cecidisse.* S. Chrysost. (*hom.* 41. *in Cap. Matt.* 24.) dicit: *Nulla re Deus magis offenditur, quam si quis indignus Sacerdotali dignitate præfulgeat; &* (in Psal. 6.) *Sacerdotum quo major est authoritas, eo est gravius eorum, qui peccant, supplicium.* S. Petrus Dam. sic scribit: *Clerici ambiunt quidem ad Sacerdotium pervenire, sed non student digni Sacerdotio fieri, præesse inbiant, prodesse non curant.* S. Bernard. (Serm. 76. super Cant.) *Non est hoc tempore pascere gregem, sed mactare, & devorare, dicente de illis* Domi-

Domino: qui devorant plebem meam, sicut escam panis. Inde est, ut non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter & pereuntes. Et (Serm. super cap. 6. Tob.) *quid nunc parvi pendendo transimus, palpando legimus, dissimulando negligimus, quando illic cruciatum vindex flamma consumet?* Ast non soli ipsi Doctores Ecclesiæ, sæcularibus flagitiis scatentes perstringunt Sacerdotes; conqueritur ipsa Divina Bonitas in Rev. S. Birgit. (l. 1. cap. 47.) de malo Sacerdote: *Magis loquuntur centum verba pro mundo, quam pro meo honore unum; magis darent centum marcas auri pro mundo, quam unum denarium pro me; magis centies laborant pro propria utilitate & mundi, quam semel pro honore meo.* Magis tamen terribilius est, quod Malachias pronuntiat: *Et nunc ad vos mandatum hoc o Sacerdotes; si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam Nomini meo, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris: ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum.* Eheu tinniunt aures! cor palpitat, verba locuturo frangit in ore timor, hæret animus, mens fugit admonitu, quoties peccasse recordor. Ergone nos genus de mundo electum, populus acquisitionis, regale Sacerdotium, quibus, Deo servire, regnare est; in mundi immundi abominabilem servitutem mancipabimur? Ergone nobis mors ipsa magis, quam vita placebit? Num plus quam portus naufraga saxa placent? Hæret, hæret in experimento causæ mens peccati sui conscia, moverem manum de tabula, ab Actoratu recederem, quia non bene nocentes arguit ipse reus. Sed redeat in authorem mundum, mundanum scelus. Causam prosequi, mundum persequi, & in prudenti clementia, & clementi prudentia tua Judex Synodalis justissime meliora sperare licebit; ut pars sit pœnæ culpa professa meæ. Compertum est non posse me Deo servire & Mammonæ. Qui non est cum Deo, contra Deum est. Qui elongant se a Deo, peribunt. In ejus partes transeo, qui gratis usque ad finem nos dilexit: qui nos ut pupillam oculi æstimavit. Quærendum nobis est Regnum Dei, & justitia ejus. Actoratum institituo, citationem extradi, demandari expeto, & expecto. Et quia citandus mundus, nec possessionem bonorum immobilium, nec fixum domicilium habet, præterit enim figura hujus mundi, quia mundus transit, & concupiscentiæ ejus, ideo eum per publicum edictum in jus vocandum esse, infero. Comparitionem ex ratione notoriæ infirmitatis, testimonio authentico S. Joannis: *quia mundus totus in maligno positus*, & S. Gregor. *quia jam mundus in se ipso aruit* comprobatæ, sperare non possum. Sed quia periculum in mora est; jam enim testamentum mundi (*Eccli.* 14.) proclamatum, quod *morte morietur*. Ne, juxta S. Greg. *quia labenti mundo inhæremus, & cum labentem sustinere non possumus, cum eo labamur, quem cadentem tenemus;* præcavendo integritati animarum, avertendo damnum emergens incomparabilis pretii redemptionis earundem, ubi agitur de præjudicio irreparabili, non tam tertii, quam Trini in personis, unius in essentia Dei, ad quem omnes mortalium immortales animæ ex ratione creationis, ex pretio redemptionis, ex merito illuminationis, jure hæreditario, directi & absoluti dominii spectare dignoscuntur, exinde amputata dilatione infirmitatis, alias de jure concessibili processum contra absentem, tanquam præsentem, summarium institui, causam in cognitionem inducere concedi supplico. Et in instanti, comparens personaliter pars Actorea, accusando contumaciam mundanam cum doctissimo Stapletone dicente: *Est enim mundus mare tumidum per superbiam, profundum per avaritiam, fervidum per iracundiam, spumosum per luxuriam,* conqueritur in & super eo cum eruditissimo Beyerling: quia mundus dulcedine voluptatum terrestrium manifestum animabus exitium creat, quia innumera in populo Dei scandala operatur; ita, ut ipse benignissimus Redemptor noster *væ mundo a scandalis* pronuntiare non dubitaverit. Quia juxta Petrum Blesensem: *Mundus plenus laqueis, plenus scandalis & peccatis, circumseptus periculis, pravis colloquiis, iniquis consiliis, exemplis pessimis, & mortibus animæ infinitis.* Proinde pars Actorea petit debita cum instantia: quia juxta S. Aug. *periculosior est mundus blandus, quam molestus, magis cavendus, cum se allicit diligi, quam cum admonet exigitque contemni*, quia amicitia hujus mundi inimica est Deo; se, Actorem, & Venerabilem Clerum Diœcesium nostrarum, a periculosæ mundanæ amicitiæ vinculis absolvi; multo magis (quoniam libertate filiorum suorum donavit nos Deus) a sordida servitute mundana nos avelli & rescindi; quia vero mundus sentimento S. Bonav. *Taberna est, in quo propinatur dulcedinum terrestrium & voluptatum vinum, quod hominem ducit in oblivionem Sapientiæ* (ne pereat *lex a Sacerdote, & consilium a Senioribus*) vetari aditum & frequentationem tabernæ mundi totius, ubi *impii* viam Domini non cognoscendo, *in circuitu ambulant.*

Et quia juxta Tertullianum, totus mundus nox est, & totus versatur in tenebris; ideo nobis filiis lucis, quos Deus vocavit in admirabile lumen suum, qui dum lucem habemus,

bemus, ambulare in luce debemus, ne nos tenebræ comprehendant; vagantem per noctes sæculi, tenebris & umbra mortis refertas, cursum refrænari, arceri & inhiberi, quæ enim societas luci ad tenebras? Ad extremum majoris securitatis, intentionis ad effectum deducendæ gratiæ, quoniam homines justi ex fide viventes templum sunt Dei, juxta Doctorem gentium dicentem: *Vos estis templum Dei.* Mundus vero illecebris suis tot templa Dei, quot innocentes animas stolis candidis per gratiam Baptismi adornatas, spoliare, immunitatem templi Dei violare (hic juxta Hug. Card. *latro sinister*; juxta Didacum Nissen. *prædo fallax mundus, qui dum adulatur, strangulat, & exspoliat*) ausus est, & præsumpsit, audetque & præsumit; eundem tanquam fraudulentum templorum Dei prædonem, latronem, invasorem, spoliatorem in excommunicationem majorem latæ sententiæ Bullæ *Cœnæ Domini* incidisse declarari, & per Constitutiones Synodales pro excommunicato vitando publicari, cæteraque quæ jus & justitia postulat, statui, decidi, & sententiari desuper implorando. Salvo jure reliquo, & salvis de jure salvandis.

Expectamus igitur Tuam justissime Synodalis Ordinarie Judex indilatam (*quia nunc judicium est mundi*) sententiam; ut in victoria mundi judicia tua adjuvent nos, aut convertatur de viis suis pessimis, & vivat, aut pereat mundus cum concupiscentiis & scandalis suis, & fiat justitia. Nostræ beatitudinis accessorium erit, si custodierimus judicia, & fecerimus justitiam in omni tempore, fiat, fiat.

CONSTITUTIONES SYNODALES
DIOECESIS CULMENSIS & POMESANIÆ.

INDEX CAPITUM.

CAPUT

CAPUT I.

De Fide Catholica, ejusque Professione.

Prima, & maxima Pastorum cura versari debet in iis, quæ ad fidem Catholicam, quam sancta Romana Ecclesia colit, & docet, & *sine qua impossibile est placere Deo*, integre, inviolateque conservandam pertinent. Ideo ab ipsa fide, tanquam a vero, certo & indubitato Catholicæ Religionis, spiritualisque ædificii fundamento exordium ducendum esse duximus, cumque primum ac principale præsentis Synodi motivum sit major DEI gloria, salusque animarum, quæ sine Magistra veritatis, fide orthodoxa inveniri non potest; propterea quæcunque per sanctam Romanam Ecclesiam, Matrem nostram, de Fide Catholica, & ejus Professione, tum per Constitutiones, tam Provinciales authoritate S. Sedis Apostolicæ approbatas, quam Synodales hujus Diœcesis ad conservandum, & augendum cultum Divinum, ad instaurandam sanæ doctrinæ puritatem salubriter statuta & promulgata sunt, hæc omnia præsens Synodus in Domino congregata profitendo non tam novas leges condere, quam antiquas pro expressis habere, ac ad executionem earum totum Clerum, & populum Diœcesis istius Culmen. & Pomesaniæ obligare constituit. Cæterum, cum fides non subsit rationi, & juxta Apostolum: Sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; igitur mysterium Ssmæ Trinitatis, Incarnationis, & existentia Christi in Eucharistia non sunt curiose scrutanda & ruminanda; Nam: *qui scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria. Videmus*, inquit Apostolus, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, ubi solutis vinculis carnis, animæ, clarificatæ per gloriam Dei, mysteria cœlestia clare revelabuntur. *Videbimus tunc Deum, sicuti est.* Demum credere Trinitatem pietas est, & fidelitas Religionis veræ, scrutari perversitas est, dubitare de ea, impietas est, disputare de ea, curiositas est. Si enim in obviis terrenis creaturis discernendis, & in occultis secretis naturæ caligat ratio, & intellectus, ut mirabilia ejus rimari, perscrutari, & penetrare non liceat, quidni in Divinis? Hinc Tertullianus, Hæresiarchæ Montano, Deitatem scrutanti respondisse scribitur in objectione refellendo. *Ostende mihi mandibulas tineæ*, quibus libros & vestimenta consumit? *Quod enim oculus noctuæ ad solem, hoc intellectus noster ad manifesta naturæ*, inquit Aristoteles. Sanctius ergo Christianus faciet, si cum Seraphinis velantibus faciem ante Dominum elevatum in solio, quem curiose investigare non licet, laudet & amet.

Regi itaque sæculorum immortali invisibili laudes sint immortales, quod Diœcesim tam Culmen. quam Pomesanien. multis quidem in locis hæretica pravitate infectam, post tot adversantium, & calamitosorum sæculorum discrimina, ad hæc usque tempora in vera orthodoxa & unice salvifica fide Romano-Catholica conservaverit. Quare tanti beneficii memores ad Synodum præsentem, plus quam a sæculo desideratam congregati, procidui coram Altissimo veneremur tantæ ineffabilis Bonitatis Divinæ magnitudinem, & adorantes propitii Numinis providentiam, quæ pro suo beneplacito vocat, eligit, prædestinat, & glorificat suos, unanimi corde & lingua dicamus laudem & gloriam D. O. M. cum ardenti voto, ut vinea Domini sine urtica, messis Christi sine zizaniis, & grex Nobis commissus absque scabra rubigine maneat, sanctus & intaminatus. Et ne Magistri erroris, qui non fuerunt discipuli veritatis, *Virus Draconis in aureo calice Babylonis* propinare, iniquum semen inter electum triticum seminare, *fermento pessimo bonam massam corrumpere, Christi membra distrahere, & Catholicæ* Ecclesiæ corpus unum scindere, ac more *feræ pessimæ* laniare audeant, omnes hæreticæ pravitatis cultores scire volumus: "Quod fides Catholica in Polonia est velut Domina, & Materfamilias, eorum vero secta hospes & advena," adeoque ut se eidem fidei Catholicæ subjectos esse recognoscant, terminosque metasque tolerantiæ sibi per-

permiſſæ excedere, aut extra illos etiam latum unguem progredi, indulgereque ſibi non audeant, hac Synodali monitione præcipimus: cumque ſuo turbine lucem Catholicæ veritatis *ſupra petram* poſitam extinguere, aut ſaltem ſub modio eſſe annitantur aſſiduo, juxta Apoſtolum vero etiam inter Orthodoxos reperiantur nonnulli, qui *ſanam doctrinam non ſuſtinentes, ad ſua deſideria coacervant ſibi Magiſtros prurientes auribus*, præſentis Synodi authoritate omnibus Miniſtris heterodoxis diſſidentibus, proteſtantibus, ne in domibus privatis acatholicorum prætenſas ſuas devotiones exercere, occaſione baptizandi, vel Matrimoniis aſſiſtendi illas adire ſine ſcitu noſtro, ſive Officiorum noſtrorum Culmen. & Pomeſaniæ, fanorum poſſeſſionem ſuſcipere, Scholas novas privatas ſive publicas conſtruere, & in eis juventutem inſtruere, aliaque ſimilia cum præjudicio fidei Romano-Catholicæ attentare audeant, & præſumant ſub pœnis graviſſimis inhibemus.

Unam itaque ſanctam Fidem Catholicam, quam Unigenitus DEI Filius in terris docuit, quamque ſacroſancta Apoſtolica Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra unice colit ac tuetur agnoſcentes, ſicuti mundam & immaculatam tenemus, ita eandem juxta præſcriptum a PIO IV. in Bulla, quæ incipit: *Injunctum*, pia animorum compoſitione profeſſi ſumus.

FORMA PROFESSIONIS FIDEI a PIO IV. conſtituta.

"Ego NN. firma fide credo, &c.

Et quia corde credi debet ad juſtitiam, ore autem profitendum eſt ad ſalutem, ad hanc Profeſſionem fidei emittendam obligatos eſſe volumus, & auctoritate præſentis Synodi decernimus, ut omnes Beneficiati hujus Diœceſis, Dignitates, Canonici, Parochi, etiam Vicarii, ſive Commendarii perpetui illam ante inſtitutiones ſuas emittant. Quod ſi contigerit aliquem per Plenipotentem inſtitui, taliter inſtitutus ſciat non ſufficere; quod per Plenipotentem Profeſſionem fidei emiſerit, ſed ipſemet in perſona ad ſummum intra duos menſes a die inſtitutionis coram Nobis, ſive Officio noſtro ſub amiſſione fructuum ſui Beneficii præſtare tenebitur; Si quis vero in decurſu ad maximum quatuor menſium Eccleſiam, in qua Beneficiatus eſt, adire, dictamque Profeſſionem fidei perſonaliter in Officio, a quo per Plenipotentem inſtitutus fuit, facere neglexerit, talis per edictum publicum citatus ad valvas ſuæ Eccleſiæ, ultra memoratam amiſſionis fructuum pœnam, etiam Beneficio privetur. Iis duntaxat exceptis, qui cauſa ſtudiorum cum ſcitu noſtro extra Regnum degunt, ſub rigore hujus Decreti non comprehenſis. Cæterum cum redierint, ſciant ſe Ordinationi ſuperius factæ parere debere eſſe obligatos, idque ſub pœnis ſupra expreſſis.

Ad hanc Profeſſionem fidei pariter emittendam, obligantur Præceptores, ſeu Ludimagiſtri, idque coram Parocho loci, qui ad mentem Tridentini tenentur in Catecheſi erudire adoleſcentes.

Item ſtatuimus, ut nullus ad prædicationem verbi Divini in Eccleſiis quibusvis, etiam ſuorum Ordinum, ad ſacras confeſſiones audiendas exponatur, niſi prius Profeſſionem fidei emiſerit, teſtimoniumque de præſtita Nobis, ſeu Officio noſtro exhibuerit. Qui ab emiſſa fidei Profeſſione recederet, ſit Officiis omnibus ac Beneficiis Eccleſiaſticis privatus absque alia declaratione, nec poſſit ab aliquo intra utramque noſtram Diœceſim recipi, ſed ſtatim ad Nos deferatur, ut debitis pœnis contra eum procedamus.

Ut autem fideles noſtræ Paſtorali curæ concrediti, in fidei Catholicæ puritate facilius conſerventur, parentibus, omnibus pupillorum tutoribus ac patribusfamilias interdicimus, ne filios ſuos, aliosve, quorum curam gerunt, ad hæreticorum ſcholas, gymnaſia, ſive ad ipſorum (ut vocant) Academias accedere, vel ad eorum loca habitatum ire permittant: pueri enim, ſi in tenera ætate, adoleſcentiave nullos fidei errores imbiberint, ad omnes pietatis & Religionis Catholicæ fructus conſequendos toto vitæ ſuæ curſu faciles ſe reddent.

Præ-

Præterea omnes hæredes & possessores bonorum quorumvis cujuscunque status & gradus per amorem Dei & salutem animarum suarum obsecramus, & obtestamur, ut insistant vestigiis piissimorum Majorum suorum, & oppida ac villas suas Catholicas, conductione hæreticorum non inficiant, sed in statu plene Catholico conservare contendant, aliter facturi sciant se, & successores suos, certissime tam his temporalibus bonis citius, quam speraverint, destituendos fore, quam æternis (quod Deus ab ipsis avertat) privandos. Statuimus quoque, ut Ecclesiæ Parochiales per hæresim profanatæ, pristino suo statui restituantur, quam restitutionem urgebunt PP. DD. Archidiaconi locorum, omnem a Nobis assistentiam habituri, quorum muneris pariter erit, investigare diligenter fana Lutheranorum, quo tempore erecta sint, utrum ante Constitutiones annorum 1632. 1648. 1668. & 1674. fundata? Et Nos Officiumque nostrum informent, & demolitiones illorum, si quæ contra jura Regni erecta reperta fuerint, insistendo legi novellæ anni 1717. cum scitu nostro, & Successorum nostrorum promovere, & ad effectum deducere curent. Fautoribus hæreticorum omni meliori modo persuadeant in charitate, ut a tali fautoratu, infamiam grandem, tam ex jure Canonico, quam ex Statutis Regni causante, omnino abstineant, alias renitentibus, & obstinatis Bullam: *Cœnæ Domini*, dudum in hac Provincia receptam, & omnes vere Catholicos obligantem intimari faciant, ut iidem fautores sentiant & cognoscant se excommunicatione Papali latæ sententiæ vere & indubitate esse innodatos & irretitos, & in periculo æternæ damnationis constitutos.

CAPUT II.

De Disputationibus in negotiis Religionis.

" Magna quidem periculi res est, " *dicente D. Ambrosio*, si post Pro" phetarum oracula, post Apostolorum " testimonia, post Martyrum vulnera, " veterem fidem, quasi novellam, discu" tere præsumas, & post tam manife" stos Duces in errore permaneas, ac " post morientium sudores otiosa di" sputatione contendas." Quare Ss. Canones c. *Quicunque.* §. *Inhibemus. de hæreticis in 6to.* & Synodus Provincialis Dzierzgoviana Lanciciæ 1541. celebrata, concertationes de Religionis negotiis cum scandalo inter epulas, pocula, fieri solitas inhibuit, signanter iis vitandas, qui in controversiarum doctrina parum fundati. Ne tamen provocati fidem suam defendere ignorent, lectio librorum Controversisticorum impense recommendatur Clero, signanter opuscula *PP. Godefridi Hannenberg*, *Tobiæ Arent*, *Elfen*, *Pichler* S. J. contra Anabaptistas sive Mennonistas, qui in hoc Regno nullatenus sunt tolerati. *P. Dael.* Attendant Decani locorum, ut præter hos libros Parochi quoque habeant Biblia sacra, authorem aliquem moralem approbatum, & saltem unum expositorem, v. g. Quæstiones exegeticas P. *Martini Brictii* Brunsbergæ editas parvo pretio comparandas.

Rudes & imperiti cum hæreticis formalem disputationem non instituant, graviter enim peccant, si per hoc causam fidei periculo exponunt, aut occasionem præbent, ne aut ipsi, aut alii in fide vacillent, quamvis negari non possit quandoque viros non tam doctos, quam sanctos, non humanæ sapientiæ verbis; sed virtute spiritus magno cum fructu cum hæreticis dimicasse; uti notat S. Athanasius, & S. Hieronymus *in vita S. Antonii.*

Coram simplicibus ejusmodi disputationes vitentur, quia eorum fides eo solet esse firmior, quo minus quid in oppositum audierunt. Rudiores vero illi, qui ab hæreticis ad errores solicitantur, instituta disputatione & doctrina in fide confortentur, & argumenta, quibus labefactari creduntur, solvantur.

In modo disputandi vitentur convitia, verba mordacia, ne magis contra fidem irritentur, nec exinde quæratur eruditionis laus, aut hominum plausus, alias vix operæ pretium referet: *quia dilexit hominum gloriam magis, quam gloriam Dei.*

Pertinaces hæretici non numero, sed

ſed pondere argumentorum convinci debent ſtringendo illos ad brevem ſyllogiſmum, ne vagentur per varias materias, & fidei controverſias. Præcipuæ materiæ ſunt de vera Eccleſia Dei, de vero Sacerdotio, & remiſſione peccatorum, de carentia veræ cœnæ, & præſentiæ Chriſti in Euchariſtia ex defectu Sacerdotii legitimi, de erroribus, quibus e diametro adverſatur Evangelium JESU Chriſti, v.g. Hæretici ſentiunt mandata Dei non eſſe ſervatu poſſibilia, cum Salvator noſter Chriſtus afferat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata; Et mandata ejus gravia non ſunt.* Utpote *Jugum meum ſuave, & onus leve. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Et: *qui ſervat mandata ejus, in ipſo manet, & ipſe in eo.* Porro hæc non eſſe impoſſibilia ſervatu declarat Legislator ipſe: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis valet in cœlum aſcendere, ut deferat illud, & nos audiamus, & opere compleamus, neque trans mare poſitum, ut cauſeris dicere, quis poterit e nobis transfretare mare; & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere, quod præceptum eſt, ſed juxta eſt ſermo valde in ore tuo, ut facias illum.* Unde infert Pſalmiſta: *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis.* Item propone de operibus meritoriis vitæ æternæ, quæ hæretici negant, illud Chriſti: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Similiter: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum. Eſurivi &c. dediſtis mihi. Quod uni ex minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Item ſolam fidem non ſalvare, ut hæretici aſſerunt, juxta illud Chriſti: *Diliges Dominum Deum tuum*, adjuncta debet eſſe fidei, Dei, & proximi dilectio. Nam *ſi habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Demum cum hæretici potenter impugnent cultum Sanctorum, quocirca plurimi illorum Catholicos habent pro idololatris; abhorrentque a Catholica fide, quam plenam idololatria præcones illorum rudi populo deblaterant, proinde familiari diſcurſu Catholicus hæretico demonſtrabit diſtinctum eſſe cultum latriæ, id eſt adorationis, qui debetur ſoli Deo, hyperduliæ Matri Dei, & duliæ, qui Sanctis, electis amicis Dei, aliamque eſſe mente & ſpiritu conceptam adorationem, cum dico; *Sancta Trinitas unus Deus: miſerere nobis*, alium cultum, venerationem, & invocationem amicorum Dei, cum dico: *Sancta Maria, S. Petre ora pro nobis Deum.* Sublimiorem cultum cum dico: *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos.* Demiſſiorem venerationem cum dico: *Sancta Maria impetra mihi gratiam, & cunctorum veniam peccatorum apud dilectum filium tuum.*

Converſioni non modicam ponit remoram, confeſſio auricularis diſtincta peccatorum, quare hujus præceptum a Chriſto Domino impoſitum inferet. *Inſuflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quia vero, ut inquit Conc. Trid. " Chriſtus Dominus e terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius " Vicarios reliquit, tanquam Præſides " & Judices, ad quos omnia mortalia " crimina deferantur, in quæ Chriſti " fideles ceciderint, qui pro poteſtate " clavium remiſſionis, aut retentionis " peccatorum ſententiam pronuncient." Conſtat enim Sacerdotis judicium hoc, incognita cauſa exercere minime poſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſa peccata declararent.

Quomodo enim Sacerdos non omniſcius, ut Magdalenam abſolvens Dominus, ſciret, quæ remittere, quæ retinere debeat, v. g. ſcandaloſis, concubinariis, ubi nec propoſitum, nec ſpes emendationis. Item ſervantibus rancorem, & alienam mercedem, bona, honorem, ſurrepta, niſi promittant reſtitutionem, & his ſimilia &c. ſi non oporteret in confeſſione peccata recenſere, quæ poſt diligentem diſcuſſionem occurrunt. Huic præcepto Chriſti paruiſſe primos Chriſtianos, conſtat ex Actis Apoſtolorum: *Multi confitentium venie-*

veniebant confitentes & annuntiantes actus suos, Syrus legit *peccata* sua, non miracula, ut hæretici interpretantur in suis Bibliis, sed peccata; eadem methodo, ut illi conversi coram Baptista: *Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua.* Probe edocti una nobiscum, si confiteamur peccata nostra fidelis est & justus, ut remittat nobis. Figura hujus erat lepræ investigatio a Sacerdote, a leproso vero infectorum locorum ostensio & denudatio. Sic in nova lege gratiæ, juxta illud: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Ita mandavit D. N. JESUS Christus leprosis, in quibus repræsentantur ii, qui post regenerationis lavacrum peccatorum maculis, & lepra se contaminaverunt: *Et factum est, dum irent, mundati sunt;* Ut ergo ait S. Bonaventura: "Ex hoc manifeste apparet efficacia confessionis, curantis omnem morbum atque languorem." Ministris ergo Sacramenti Pœnitentiæ, ut suo fungantur officio, "Causæ pensandæ sunt, (inquit S. Gregorius) & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda: Videndum est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut, quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur Judicis." Spirituali Medico singula explicanda sunt, quæ sauciant gravius animum etiam occultissima. 'Jam si erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat;" ut inquit Trid.

Jejunium quoque non levem obicem in ordine ad conversionem iis, *quorum Deus venter est*, ponit, proinde convertens ad originem jejunii procedet. Mandatum Dei de jejunio colliget. *Sanctificate jejunium.* Item: *Convertimini ad me in jejunio, fletu, & planctu, buccinate tuba in Sion, sanctificate jejunium.* Prædicit Christus Salvator Apostolos suos jejunia instituturos, cum dicit: *Veniet autem dies, cum ablatus fuerit Sponsus ab eis, tunc jejunabunt.* Post Christi ascensionem Apostoli ordinarunt jejunium quadragesimale, feriæ 6tæ, & feriæ 4tæ, cujus loco substituit Ecclesia Sabbatum in memoriam Sepulturæ Christi, mœroris Ecclesiæ ob Christi mortem, & ne illa die cum Judæis Christiani epularentur, ut patet ex *Can. Apostolorum* 68. in Corpore Juris Canonici. Ex eo vero motivo satores fidei jejunia demandarunt, quia in veteri lege apud populum Dei erant 4tuor temporum jejunia in 4to, 5to, 7mo & 10. mensibus. Hanc devotionem Ss. Apostoli intermittere noluerunt, ne Christiani forent minus pœnitentes, & deteriores Judæis, qui una cum Catholicis Latinis, Græcis, Armenis sua observant & amodo jejunia. Finis autem jejunii quadragesimalis est 1. Præparatio ad festum Paschæ, & Ss. Eucharistiæ dignam sumptionem. 2. Pœnitentia pro peccatis saltem decima parte anni. 3. Commemoratio Passionis Christi per mortificationem membrorum, ita S. Leo. 4. Deprecatio aversionis iræ Domini per jejunia exemplo Ninivitarum, *Jonæ* 3. Bethuliensium, *Judith* 4. universorum Judæorum, *Esther* 4. impii Achab, 3. *Regum* 21. 5. Imitatio Christi jejunantis, & Ss. Virorum, Moysis, Eliæ, Apostolorum 2. *Corinth.* 11. *Act.* 13. *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus.* Annæ Prophetissæ *Luc.* 4. *Judith c. ult.* 6to. Carnis petulcæ mortificatio. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Jejunia porro illa cum abstinentia a carnibus irrident hæretici, ac si illa solum valida, quæ voluntaria, & quæ fiunt ad tertiam vel vesperam, ut primitus in Ecclesia jejunabatur, quæ cum operariis diurnis circa labores observari non possent, Ecclesia ea in abstinentiam hanc mutavit, & in unam diei plenam refectionem; Unde & hanc objectionem diluet Catholicus hoc modo: Non esse illudendum ei, qui dixit, *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur.* Et: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*, quod bene ponderent Diffidentes. Nec errasse Prophetam, *Quando lugebat trium hebdomadarum diebus, panem non comedit, nec caro & vinum introierunt in os ejus.* Nec pueros istos sanctos, qui contenti leguminibus & aqua, carnes, vinum, cibos Regios, virtute absti-

abſtinentiæ & jejunii deſpiciebant. Quod vero Apoſtolus cenſuret prohibentes abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum &c. id tangit Manichæos, Marcioniſtas, hæreticos, qui nuptias, carnem, vinum, abominabantur, ut male creata, de quo *Can. Apoſtolorum* 50. S. Auguſtinus *lib.* 30. *contra Fauſtum.*

Hæc pro eruditione male affectorum circa jejunia, & infectorum dogmate illo non coinquinare animam, quod os intrat. Certe & pomum Adæ coinquinavit, quia prohibitum: ſic cibi prohibiti.

Pro Cæremoniis, ritibus Eccleſiæ tuendis contra hæreticos, quæ in illorum oculos, & linguas plerumque incidunt, allegabit diſputans a Chriſto adhibitas cæremonias in curatione ſurdi, muti. *Apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & exſpuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi Epheta.* His cæremoniis utitur Eccleſia in Baptiſmo. Sic cœcum illuminaturus exſpuit in terram, lutum fecit, linivit in oculos, miſit in natatoriam Siloe &c. cum verbo, vel attactu utrumque Dominus ſanare potuiſſet &c. Pro tuenda vero aqua luſtrali allega figuram de aſperſione ſanguinis, facta in populum in veteri lege per Sacerdotem: ſic in nova aſperſio aquæ ſanctificata per verbum Dei, & orationem in figurato indicat aſperſionem & emundationem per ſanguinem Chriſti, conſcientiæ noſtræ ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Sic verbo Dei Eliſæus aquas lethales fecit, benedicendo ſalutiferas.

De Proceſſionibus lege figuras veteris Teſtamenti proceſſiones factas cum Arca Domini, in qua erat urna aurea, habens manna, virga Aaron, & tabulæ teſtamenti. *Joſue* 6. circa Jericho, & 2. *Regum* 6. Davidis translationem Arcæ cum jubilo triumphi in civitatem David. Myſticæ noſtræ proceſſiones in militanti Eccleſia cum pane, qui de cœlo deſcendit, indicant illam doloroſam in montem Calvariæ circumductionem Chriſti, & glorioſam in cœlis cum Agno Dei circumitionem, juxta illud: *Sequuntur Agnum quocunque ierit* in triumphante Eccleſia.

Demum inferet provocatus Controverſiſta, Eccleſiam in omnibus, quæ credit, & docet, fidelibusque, ut articulos fidei, proponit credendos, errare non poſſe, habens aſſecurationem aſſiſtentiæ Chriſti pro ſemper: *Ecce ego vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* & protectionem Spiritus Sancti illuminantis eam, appromiſſam a Chriſto: *Alium Paracletum (Spiritum Sanctum) dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum.* Concludetque verbis Chriſti: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus*; Et illo: *Attendite ad petram, ex qua exciſi eſtis*, nimirum apud S. Matthæum indicatam: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Præterea in diſputationibus, ut convincantur hæretici, utantur Parochi præter S. Scripturam & rationes Theologicas, doctrinis antiquorum Doctorum Eccleſiæ, prout eſt S. Auguſtinus, Hieronymus, maxime vero confutantur eorum errores ab Irenæo, Bellarmino, quos in caſibus occurrentibus conſulere non omittant.

CAPUT III.

De ejusdem Fidei unitate tenenda.

Quæ Sancta Synodus Provincialis Gneſnenſis circa exordia, & primum ortum obſtrepentis & graſſantis tunc circumcirca hæreſis provide, ſalubriter & ſancte conſtituit in Synodo Petricovien. *anno* 1578., ea intaminate obſervando injungimus. Theodorus Beza, inſignis Hæreſiarcha, neſcitur quo ſpiritu afflatus, clare fatetur: " Libertatem conſcientiæ permittere, " ſinere unumquemque, ſi volet, perire, " diabolicum dogma eſt. " Conſonat eidem ethnicus Cicero: " Non debet " eſſe liberum cuiquam de Religione " judicium," quod hæc libertas magnam pariat Reipublicæ perturbationem atque perniciem. Plato ait, non poſſe immutari Religionem absque maxima Reipublicæ immutatione. Et certo patuit tum in Germania bellorum confuſione triginta annis propter Religionem agitata. Teſtis Gallia, in qua Hugonottorum, Belgium, in quo Geiſiorum,

ſiorum, Hungaria Tranſilvania, in qua Arrianorum & aliarum diverſarum ſectarum, quas excitavit turbas? Calamitatum incendia quis non novit? Hinc jura Regni, ſi meram tolerantiam & impunitatem a rigore legum antiquarum hæreticis concedunt, aſylum & protectionem illis certe non præbent: Tanto magis patrocinari non poteſt Hæreſiarchis novæ ſectæ compilatoribus, apoſtatis a fide Catholica & Religione, de quibus Apoſtolus Doctor gentium innuere videtur, utrisque conveniens *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, & Apoſtolorum Princeps inquit: ſi enim *Refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris JESU Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim eis illud: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Terribile judicium his immemoribus ſalutis animæ, & obligationis ſuæ Chriſtianæ interminat Apoſtolus, ubi ait: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes Filium Dei.* Quod intelligendum de difficultate converſionis, eo, quod hi obſtinati impœnitentes fonti gratiarum Spiritus Sancti, a quo initium converſionis & compunctionis progreditur, proterve reſiſtant. Terra enim ſæpe venientem bibens imbrem &c. proferens ſpinas ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem. *Voluntarie enim nobis peccantibus*, infert idem Apoſtolus, *poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem expectatio, judicii & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.*

His fidei deſertoribus, cum jura Regni de anno 1638. 1647. & 1685. graviſſimas pœnas, utpote infamiæ, confiſcationis bonorum decernant, quare ejusmodi impiorum hominum apoſtatarum genus Curati animarum pro ſumendis pœnis in caſu non reſipiſcentiæ ad inſtantiam Inſtigatoris ſive Fiſcalis, ad quem de jure citabunt. Certe ejusmodi indignitate rei commotus ipſe Calvinus Servetum Hæreſiarcham, qui Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemabat, nequaquam tolerandum eſſe judicans hæreſeos damnatum, anno Domini 1555. Genevæ vivum flammis exuri curavit. Idem gentili hæretico in civitate Bernenſi Helvetiorum anno Domini 1566. eveniſſe proditum eſt.

Hinc demum colligi poteſt, quid juris ſit hæreticis in nova oratoria ædificanda, & amplianda antiqua, cum his obſtet Articulus Confœderationis generalis de anno 1717. 1. Febr. in generali Pacificatione concluſus, qui ſic ſonat: " Siquidem in Regno Poloniæ " orthodoxo, annexisque Provinciis " maximus circa fidem ſanctam Romanam Catholicam ſemper eluceſcere " conſuevit zelus, prout cardinales " leges eo nomine ſancitæ, reſpective " vero in Confœderationibus generalibus Varſavienſibus annorum 1632. " 1648. 1668. 1674. id teſtantur, ita " ut Diſſidentibus in Religione Chriſtiana præter antiqua Fana, vulgo " Zbory, cum libero in iis exercitio, " ante leges ſupradictas extructa nova " Fana, vulgo Zbory, erigere non liceat, ſed commorantibus in civitatibus, oppidis, aliisque locis Regni " Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, privatim nonniſi in ſuis hoſpitiis, vel domibus vacare devotioni " ſuæ, absque tamen prædicationibus, " & cantationibus indultum ſit; Ideo " reaſſumendo omnes veteres leges, exceptionesque reſpective Maſoviticas " authoritate præſentis Tractatus ſtabilitum eſt, quatenus, ſi quæ hactenus " Fana, vulgo Zbory, poſt & contra " prædictas leges in civitatibus, oppidis, villis, ipſisque curiis noviter " erecta, demoliantur ſine ullo impedimento, iisque, qui diverſas opiniones circa Religionem profitentur, " nullos cœtus, conventusque publicos, ſive privatos, nullasque in iis " prædicationes & cantationes durante " bello præſenti Suetico, indebite ac " abuſive practicatas, congregatim facere

" cere licebit. Si qui autem Conventus hujusmodi devotiones, prædicationes, clam aut palam exercere, aut Doctores Sectarios, Prædicantes, ad exercendos suos ritus pertrahere, vel sponte venientes suscipere præsumpserint deprehensi in eo, primo mulcta pecuniaria, deinde carcere, tertia vice relegatione una cum suis prædicantibus puniri debebunt, tam per Illmos Mareschalcos Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, vel per Judicia Tribunalitia, quam per Capitaneos locorum, exceptis nihilominus solis extraneorum Principum Ministris, qui devotiones ritu suo pro se, & domesticis tantum suis exercere privatim poterunt, ita tamen, ut aliis, ad eas devotiones sub iisdem præscriptis pœnis accedere non sit permissum."

Igitur continuando Articulum de Unitate fidei, animate Vos Fratres in Christo congregati, verbis Apostoli: *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, fidelis est enim, qui repromisit.* Sane naturalis id ipsum suadet ratio, quod una tantum vera, atque pura sit Religio. *Unus enim*, ut inquit Apostolus, *est Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Quidquid vero " præter unam fidem est, perfidia, non fides est," ut inquit S. Hilarius. Unde ex doctrina Apostolorum credamus unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, " quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit, eritque Ethnicis, Publicanis annumerandus." Cur etenim nulla salus extra eam? consideranda Arca Noe, in qua octo tantum animæ salvæ factæ sunt. Arca Noe significat Ecclesiam, quam ingrediuntur hi, qui salvantur. "Si quis in Arca non fuerit, peribit regnante diluvio. Si igitur Ecclesia est Corpus Christi, unum Corpus, unus Spiritus," extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus. Qui seipsos segregant, animales sunt, Spiritum Dei non habentes. Si enim Christus Dominus Caput est super omnem Ecclesiam, sicut caput naturale non movet, non dirigit, non influit, nisi in suum corpus, ejusque membra, sic Christus, caput vitale, spiritus sui gratiam non instillat, nisi in corporis sui membra, id est Ecclesiæ filios unitate fidei & Sacramentorum conjunctos Ecclesiæ. Audiamus S. August. " Nihil formidare sic debet Christianus, quam separari a corpore Christi," quod est Ecclesia, utique una Catholica, si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus, *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Propterea Apostoli terminant Symbolum: *Credo unam Sanctam Catholicam Ecclesiam*, quoniam si quis absque ea inventus fuerit, erit alienus a numero filiorum, nec enim Deum habebit Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. Ast cum præter unum Dei cultum existant aliæ Religiones, nulla ex his erit, quæ non apud se esse veritatem (& quidem unius atque Catholicæ Christi Ecclesiæ) aliis persuadere conabitur. Quamvis enim S. Augustinus doceat veritatem non hujus, aut illius esse, sed omnium, hoc est: Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quia Catholicum ex græco, idem, quod universale ex consensu omnium Nationum & Doctorum, quæ terra est unius labii & concordantium sermonum, cujus participatio in idipsum, in qua multitudinis credentium cor unum, & anima una, in qua idipsum dicunt, idipsum sentiunt, idipsum sapiunt, unanimes uno ore, glorificant Deum, & Patrem Domini nostri JESU Christi. Attamen omnes Sectarii, qui suo arbitratu suos singularum Religionum intellectus excogitant, suas inauditas opiniones sub nomine veritatis Catholicæ venditant, bené considerent; cui prædicatum unius sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, in qua salutem quivis operare teneatur, competat. Vera Ecclesia debet esse visibilis. Jubet Christus, ut si peccaverit frater, post correctionem privatim & coram testibus factam *dicatur Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, inquit: sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quomodo vero dicetur Ecclesiæ, quomodo audietur, nisi sit visibilis? Porro in scriptura comparatur Ecclesia rebus visibilibus, ut monti magno, qui implevit universam terram, Regno a mari usque

ad

ad mare diffuso, Soli & Lunæ plenæ. Præterea S. Chrysostomus: "Facilius, " *inquit*, est Solem extingui, quam Ecclesiam obscurari." Similiter loquitur S. Aug. *in Epist.* 2. *Joan.* Vera Ecclesia non potest errare in suis dogmatibus, dicitur enim *Columna & firmamentum veritatis.* Et Christus ipse ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* *Ego oravi pro te* Petre, *ut non deficiat fides tua.*

Veram Christi fidem sequi debent miracula, *In Nomine meo Dæmonia ejicient. Signa eos, qui crediderint, sequentur... Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Si non vultis mihi credere, operibus credite.* Quibus signis ejectionis dœmonum, resuscitationis mortuorum, sanationis ægrotorum impositione manuum usque modo sancta illustratur Ecclesia Romana Catholica. Unde Richardus a S. Victore infert: "Domine, si error est, quem credimus, a te decepti sumus, iis enim signis hæc doctrina confirmata est, quæ, nisi a te, fieri non potuerunt." Hinc Theologi docent Deum in confirmationem falsæ doctrinæ miracula permittere non posse, nec diabolum similia patrare posse. Lege Acta Apostolorum de Exorcistis Judæis: *JESUM novi, Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita, ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* De incenso holocausti Eliæ igne cœlesti non Baalamitarum consumpto, *qui cum tulissent bovem... invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos; Et non erat vox, nec qui responderet.* Super holocausto vero Eliæ: *Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæ ductu, lambens.*

Demum vera Christi Ecclesia, & fides dignoscitur, in qua veri Sacerdotes, & vera remissio peccatorum. Hæc potestas data est Apostolis. *Insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* Hoc dixit Apostolis, non septuaginta duobus discipulis. Hanc potestatem Apostoli communicarunt Presbyteris ordinatis, ut videre licet in Actis Apostolorum, ubi per singulas civitates Presbyteri constituuntur, oratione cum jejunio, impositione manuum &c. *ad Titum c.* 1. ubi Titus, ut Episcopus jubetur constituere per civitates Presbyteros. Apostolos autem fuisse Episcopos, constat ex Actis Apost. *Episcopatum ejus accipiat alter*, & ut tales ordinant Mathiam loco Judæ in Apostolum. Episcopi positi, ut regant Ecclesiam Dei, qui ordinandi, consecrandi, & jurisdictionis potestate præcellunt Presbyteros, ita D. Hieron. & Chrysost. Quare Paulus *Qua de causa reliqui te Cretæ* (quæ nunc est Candia) *ut constituas per civitates Presbyteros.* Non Communitas, aut Ecclesia, non Clerus, sed Episcopus ordinat, & instituit Sacerdotes. Conferatur hæc doctrina cum ordinatione Sectariorum, quibus ordinatio & remissio peccatorum una cum Sacerdotio communis cuicunque. Ex his patet hanc esse veram fidem, cui soli dedit Deus *Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi, ut non circumferamur omni vento doctrinæ in astutia ad circumventionem erroris.*

Porro ubi verum est Sacerdotium, ibi & verum est Sacramentum Eucharistiæ, esseque realem præsentiam Christi in ea necesse est. Soli enim Sacerdotes, quibus dictum: *Hoc facite in meam commemorationem*, benedicunt, consecrant Eucharistiam sub utraque specie. Ex defectu itaque remissionis peccatorum a vero Sacerdote obtinendæ, & per consequens ex defectu Sacramenti Eucharistiæ, sive veri Corporis Christi percepti unquam in hac vita *pro vita æterna consequenda*, quæ salus speranda extra ovile Christi aberrantibus? Unde ex dictis infert Vincentius Lirinensis: "Illud est Catholicum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. In hoc dignosces Catholicum ab hæretico, si sequatur universitatem, antiquitatem, consensionem: sequetur porro universitatem, si fidem confiteatur, quam tota per Orbem diffusa Ecclesia profitetur; sequetur antiquitatem, si non recedat ab illis, quæ Ss. Patres, & Majores nostri docuerunt; sequetur consensionem, si in ipsa vetustate omnium vel pene omnium Sacerdotum, pariter & Magistrorum definitiones,

" tiones, ſententias ſequetur." Ita Lirinen. Concluſionem ex his præmiſſis facit S. Aug. " Multa ſunt, quæ me in " gremio Eccleſiæ Catholicæ tenent, " tenet me conſenſus populorum, tenet me authoritas miraculis initiata, " ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet me ab ipſo Petro Sa" cerdotum ſucceſſio, tenet me poſtre" mo ipſum Catholicæ nomen, quod " ita inter tot hæreſes Eccleſia ſola ob" tinuit, ut, cum omnes hæretici Ca" tholicos ſe dici velint, quærenti ta" men peregrino alicui, ubi ad Catho" licam conveniatur, nullus hæretico" rum Baſilicam ſuam audeat oſtende" re, tenet me Eccleſia ab ipſa Sede " Petri Apoſtoli, cui Dominus paſcen" das oves ſuas commendavit, uſque " ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio " Sacerdotum." Ita ille *in ep. contra Manich. c.* 4.

De Communione ſub una ſpecie, quam objiciunt paſſim Adverſarii noſtri, ſciant uſum unius ſpeciei, etiam quandoque uſurpatum in primitiva Eccleſia, ut conſtat ex Actis Apoſtolorum. *Erant perſeverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus.* Item *una autem Sabbati, cum conveniſſemus ad frangendum panem*; unde permiſſum fuit ob perſecutiones Chriſtianorum Euchariſtiam domum deferre, ſervare in ſtrophiolis & ciſtis, ut habet Baronius. Monachi Ægyptii Thebaidis deferebant ſecum ad cellas Ss. Euchariſtiam. Baron. *ex S. Baſilio.* Cæterum, ſemper fuit in Eccleſia poteſtas, prout inquit Trid. " ut in Sacramentorum diſpenſa" tione, ſalva eorum ſubſtantia, ea ſta" tueret, vel mutaret, quæ ſuſcipien" tium utilitati, ſeu ipſorum Sacra" mentorum venerationi, pro rerum, " temporum, & locorum varietate ma" gis expedire judicaret &c." Sic ob Manichæorum vinum abhorrentium ſuperſtitiones ordinavit utramque ſpeciem ſumendam Gelaſius Papa. Econtra, ne crederetur Corpus Chriſti exangue ob errores hæreticorum, ſignanter Huſſitarum, Taboreitarum, ne ſimplices crederent Chriſtum non contineri integre ſub altera ſpecie, Eccleſia a multis ſæculis ſub una ſpecie Euchariſtiam diſpenſare conſuevit. Quia ſub una ſpecie æque totus Chriſtus accipitur, atque ſub utraque, nam licet vi verborum ſolum ſit præſens Chriſti corpus ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini, per concomitantiam tamen propter unionem hypoſtaticam, & corpus & ſanguis, & totus Chriſtus ſub utraque ſpecie continetur. Quia quod de hoc Sacramento dicitur ſub utraque ſpecie, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, dicitur de eodem ſub una, Hic eſt enim panis, *qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.* Et *Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* Item, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, Chriſtus ipſe hoc Sacramentum dedit ſub una ſpecie panis, euntibus in Emmaus, ut volunt S. Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſt. & alii.

Quod autem Sacerdotes in Sacrificio Miſſæ utramque ſpeciem ſumant, idcirco fit, quod Sacrificium eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit, quia nomine totius Eccleſiæ Deo offertur. Cæteroquin etiam Sacerdotes, cum die Jovis Sancto non ſacrificant, ſub una ſpecie, videlicet panis, hoc Sacramentum accipiunt, nec per hoc, quod ſub una ſolum ſpecie communicant, quoquam ſpoliantur, quia & manducant ejus carnem, & bibunt ejus ſanguinem, cum corpus Chriſti quod accipiunt, non mortuum, ſed vivum ſit, hoc autem ſine ſanguine eſſe non poteſt, ac proinde, Eccleſia præcepit ad majorem unitatem, & uniformitatem, ut ſacra Euchariſtia nonniſi ſub una ſpecie diſtribueretur, præcipue ad evitanda varia incommoda, & irreverentias, quæ accidere poſſunt, ſi ſub ſpecie vini diſtribueretur. Prout Cardinalis Rubertus Pullo, qui vixit anno 1160. *par.* 8. *ſententiarum c.* 3. ſcribit: " Prius Corpus " poſt ſanguis a Presbyteris eſt ſumen" dus, Inſtitutio Chriſti mutanda non " eſt &c. Verum qualiter a Laicis Eu" chariſtia ſumi deberet, ſponſæ ſuæ " commiſit judicio, cujus conſilio & " uſu pulchre fit, ut caro Chriſti Lai" cis diſtribuatur. Nimirum pericu" loſe fieret, ut ſanguis ſub liquida " ſpecie multitudini fidelium in Eccle-

" sia divideretur, longe periculosius si " infirmatis deferretur." Et Alexander de Hales, qui contemporanee vixit cum S. Thoma Aquinate, *in Tractatu de Sacramentis*, *q.* 4. §. 3. sic loquitur: " Christus integre sumitur sub utraque " specie. Bene licet sumere Corpus " Christi sub specie panis tantum, si- " cuti fere ubique fit a Laicis in Eccle- " sia &c. Ecclesia autem istud Sacra- " mentum dispensare consuevit sub " specie panis tantum, tum propter " periculum effusionis, quod forte ac- " cideret, si sub specie vini dispensare- " tur, tum propter vitii infidelitatis " amotionem, quod se non immerito " simplicium mentibus ingereret, si " semper sub speciebus panis & vini " daretur, quia si ita fieret, possent " simpliciores credere, quod Christus " non contineretur integre sub altera " specie."

Demum, cum ad conservandam puritatem Religionis Catholicæ, vel maxime vigiles Christus vult habere operarios, qui verbi Divini semen spargant in cordibus audientium, hinc vel maxime Parochos locorum obligatos esse volumus, ubi adhuc Catholici cum hæreticis permixti non vivunt, ne advenas hæreticos amplius ad suas Parochias pro incolatu admitti permittant, nisi prius sponsionem coram Actis officiose dederint se fidem sanctam Catholicam intra annum hujusmodi incolatus esse amplexuros, sub relegatione actuali in officio competenti vindicanda. Pariter ne disseminatores novarum sectarum ab exteris Regionibus venientes in suis Parochiis recipi, & foveri patiantur, alias eosdem statim captivari, servata prudentia faciant, & ad Officium ordinarium deduci. Item ordinamus, ut iidem Parochi catalogum aut numerum sicut Catholicarum personarum curæ suæ subjectarum, ex confessione Paschali provenientem; sic & hæreticarum sub Parochia sua degentium de anno in annum connotent, & ad Nos, Officiaque nostra remittant, Scholiregas etiam hæreticos, qui sparsim per villas & colonias conventicula assertæ devotionis suæ congregant, Parochi ab eisdem conventiculis juris remediis arceant.

Obsecramus denique & in Domino obligamus omnes hæredes bonorum, in utraque Diœcesi nostra consistentium, ut circa Actus contractuum, venditionum, donationum, resignationum suorum bonorum, & summarum super illis transfusionum, memores sint sanctæ fidei Catholicæ, & suæ vocationis ad eandem, clausulamque apponant, ne novus hæres, seu quovis titulo possessor, & successores ejus audeant in illis quocunque imaginabili prætextu locare hæreticos, eosdemque fovere. Quod ut eo efficacius effectuetur, obsecramus, & respective monemus in Domino, quævis officia sæcularia, terrestria castrensia, quam civilia, ut instrumentis præfatarum venditionum, donationum, resignationum, cessionum, & inscriptionum ad formam solitam hanc, prout insinuata est, clausulam apponi faciant.

CAPUT IV.

De Conversis.

S. Jacobus Major Apostolus teste S. Antonino, vix novem animas ex ethnicismo in Hispania convertisse scribitur, attamen apprime contentus dixisse fertur: *Paucos lucratus sum, nec his dignus sum, æquum enim est, ut pro unius animæ lucro, totum dimetiar orbem*, ut scribit Vasæus *in Chronica Hispanica.* Juste igitur & sancte Jacobus minor, Justus dictus, Apostolus infert: *Fratres mei, si quis erraverit ex vobis a veritate, & converterit quis eum, scire debet, qui peccatorem converti fecerit ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Grande igitur meritum consistens & proveniens ex conversione errantium, circa fidei veritatem probe considerantes Viri, zelo Dei, & charitate proximi inflammati, lucro animarum aberrantium a fide Christi incubuerunt zelosissime. Sic Regulus zelat pro domo sua convertenda ex ethnicismo. Cornelius cognatos & amicos convocat ad Baptismi gratiam. Clodovæus Rex pro Gallia convertenda ex ethnicismo. S. Olaus pro Suecia, D. Ericus pro Finlandia, S. Xaverius pro Indis & Japonibus illuminandis excurrit per maria & terras.

Abbas Auguſtinus illuſtrat Angliam, Scoticam, Palladius Saxoniam, D. Villebrordus Ungariam, Pruſſiam D. Adalbertus Archiepiſcopus Pragenſis poſt Gneſnenſis. Viri Apoſtolici ſcientes magnum proventum, & lucrum meritorum, ex converſione animarum aberrantium a fide orthodoxa huic operi & ſtudio ſe totos contulerunt. Nunc, quia *ad juſtitiam erudierunt multos*, *fulgent*, *ut ſtellæ*, *in perpetuas æternitates.*

Etſi magnam percepturi ſunt mercedem, qui operibus miſericordiæ corporalibus exercendis ſe impenderunt; & ſua, quanto majorem, qui ſpiritualibus miſericordiæ operibus practicandis ſedulo incubuerunt, qui docendo, monendo fratres retraxerunt ab erroribus viæ & vitæ ſuæ, lucratique ſunt fratrem ſuum, ut monet Salvator *Matt.* 18. Quia vero Apoſtolus gentium Doctor monet: *Ergo dum tempus habemus*, *operemur bonum ad omnes*, *maxime autem ad domeſticos fidei.* Piam & laudabilem diſpoſitionem p. d. Admodum Rdi *Bugges*, olim Parochi Koncendorffenſis, qui mille flor. pruth. legavit pro commodo, & aliquali alimentatione converſorum ad fidem Catholicam, & eandem in Curia Marienburg. pro annua proviſione elocavit, authoritate præſentis Synodi approbamus, & Perilluſtri Dno Officiali Pomeſaniæ, nunc & pro tempore exiſtenti committimus, ut cenſus de prædicta ſumma provenientes inter magis indigentes quotannis exacte dividantur. Operibus vero charitatis, eleemoſynæ, & largitatis, ut Reverendi Parochi erga prælibatos domeſticos fidei pro poſſe ſuo concurrant, ſignanter exemplo prælaudati Curati Koncendorffenſis in piis legatis, teſtamentis ſuis Neophytorum memores, augendæ huic ſummæ, pro modulo derelictæ ſubſtantiæ, portiunculam aliquam aſſignent, & contribuant in Domino hortamur. Ut vero nota ſit penes Eccleſiam, penes quamvis liber ad eum effectum diſtinctus habeatur, in quem de nomine, cognomine, ætate, conditione fideliter per Parochos locorum converſi inſcribantur, ut in caſu apoſtaſiæ de iisdem notitia & informatio haberi poſſit.

CAPUT V.

De Sagis & Maleficis.

Quantis erroribus & criminibus obnoxia ſint judicia, quæ in ſagas & maleficos formare ſolent perſonæ ſæculares, juriſperitia & debita ad hoc notitia minime commendati, qui ex levi ſuſpicione, in tali crimine delatas, non confeſſas, nec convictas ad torturas, ſupernatationem aquarum, & alia eruendæ veritatis media, tandem ad ipſam mortem condemnare, taliterque ſanguinem innocentem fundere non verentur, exempla proh dolor! plurima teſtantur. Quod cum ſumme ſit juri ac juſtitiæ præjudicioſum, nam quod tales cauſæ ad Judicia ſpiritualia pertineant, edocet Conſtitutio Sigismundi Regis Cracoviæ anno 1543. lata, & tam ex Jure Canonico, quam Statutis Regni maleficia ac ſortilegia ad Forum ſpirituale pertinere dignoſcuntur. Proinde, inconvenientiis ejusmodi obviando, Magiſtratibus, & quibusvis jurisdictionibus ſæcularibus inhibemus, ne immediatam in ejusmodi cauſis poteſtatem ſibi vendicent & prætendant, ſed tam ex ratione fori, quam ex eo, quod talium cauſarum cognitio ex ſe difficillima per Theologos & Juriſperitos venit diſcutienda, ad Nos, Officiumque noſtrum remittant.

Interceſſit in ſimilibus cauſis Decretum Regium aſſeſſoriale Varſaviæ feria 2da poſt feſtum S. Jacobi Apoſtoli anno 1672. & aliud anno 1713. in craſtino S. Ægidii, quibus mediantibus judicatio & cognitio cauſarum præexpreſſarum, antequam cognoſcantur a Judicio ſpirituali, Judicibus ſæcularibus penitus eſt adempta. Et noviſſime emanavit Reſcriptum pro Diœceſi noſtra Sereniſſimi Augusti III. feliciter regnantis, in quo diſtricte præcipitur, & Judicibus quidem civitatenſibus ſub pœna mille Hungaricalium, villanis vero ſub pœna capitis, ne tales cauſas judicare audeant, niſi prævia prius cognitione Judicii ſpiritualis. Quod quidem Reſcriptum, licet per omnes Parochias publicare fecerimus, tamen non abs re judicavimus, illud etiam præſenti Synodo inſerere. Quod videatur in Appendice *num.* 1.

Atten-

Attendant igitur Parochi diligenter executioni prædicti Rescripti Regii, & si quid in præjudicium, & convulsionem attentari adverterint, statim Officia nostra desuper informent.

CAPUT VI.

De Judæis.

Quid est per Deum! quod in terris Prussiæ, Diœcesi nostra Culmensi, & Pomesaniæ Judæorum perversitas, gens inimica Deo, ubivis, jam quavis locorum in pagis plantatur, ac radices figit, & pariter cum Catholicis se situat & collocat, cum vigore antiquæ Ordinationis terrarum Prussiæ, nullibi in territorio tolerari, multominus ad coemptionem, & evectionem mercium admitti debent sub amissione bonorum, ac pœna quinquaginta flor. polon. toties, quoties desuper fuerint deprehensi.

Cum autem plus, quam certum sit, quod gens hæc Judæorum multas hæreses effutiat; sit in Christum, Beatissimam, Sanctos, fidem Catholicam blasphema ac blaterans, Spiritui Sancto rebellis ac repugnans, veritati resistens, corrupta mente, & reproba circa fidem, stulta ac tarda corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ juxta illud: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Fidei nostræ Christianæ veri inimici, pravitatisque illorum intentio super hoc versatur assiduo, ut Christianorum bona, & divitias semper deprimant & evellant; hac Constitutione Synodali statuimus, ut inhærendo antiquis legibus Prussiæ, & recentioribus laudis terrarum ejusdem *de anno* 1616. 3. *Octobris*, 1647. 16. *Junii*, 1680. 16. *Septembris*, quæ in Appendice *sub numero secundo* per extensum apponuntur. Item Decreto recentissimo Castri Kovaleviensis *de anno* 1733. 1. *Julii*, ut videre est in Appendice *sub numero tertio*: non liceat Judæis domos aut habitationes in hac Provincia figere, tabernas conducere, quanto magis bona quæcunque arendare, administrare, & quovis titulo possidere, taliterque filiis liberæ præesse, in eosque dominium usurpare. Sub pœnis superius expressis.

Obsecramus præterea universos bonorum hæredes in Diœcesi nostra existentes, ut a commercio Judæorum, tanquam a probatissimis inimicis caveant & abstineant. *Intueamini, & cavete a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*, ac proinde ab eis comestibilia, & potabilia, uti & merces non emant, braxatoria, cauponas, quanto magis hospitia & bona stabilia eisdem non locent, aut conducant.

Noverint præterea omnes Christiani non licere cuiquam ex Judæis famulari, nisi locando operas ad modicum tempus, non sumus enim juxta Apostolum servi sub lege, sed liberi sub gratia, nec convenit liberos, quales sunt omnes Christiani, mancipio proprio deservire. Blasphematur enim nomen Dei jugiter, cum Christiani homines, in Regno Christiano Judæis, quos sua cæca infidelitas, & Divina justitia voluit esse sub tributo, non sine contumelia Creatoris, & Redemptoris sui famulantur.

Vetamus pariter, atque prohibemus, ne Judæi conventicula faciendo in domibus quibuscunque superstitiosæ devotioni locum præbeant. Et si per conniventiam possessorum bonorum propter aviditatem & lucrum majoris proventus similia conventicula a Dominis locorum illis indulgerentur; quivis Curatus, & Decanus foraneus in suo Decanatu, quoties resciverit, quod conventicula etiam minima facere attentent, & quod absit, Synagogam, sive domum quamcunque pro suis devotionibus construere intendant, tempestive ad Officium nostrum deferat, ut inhibitio exportetur, quam si temere contemnere præsumpserint, extunc Nos ad alias pœnas processuros, ac pro contemptu jurisdictionis ordinariæ per Commissarios nostros in quovis judicio Regni competenti acturos, tam contra ipsos Judæos, quam eorum fautores declaramus.

In causis autem quorumvis criminum, & excessuum, tam per Statuta Regni, quam per Constitutiones Provincia-

vinciales Judæis prohibitorum, & cum fautoribus eorundem, qui temere Hebræos in bonis suis conservant, eliguntur & deputantur Commissarii, & Plenipotentes: Perillustres, Admodum Reverendi *Martinus Strachocki* Canonicus Cath. Culmen. *Michael Radzymowsky in Kruszyny* pro Diœcesi Culmensi; pro Pomesaniensi vero *Uladislaus Stokowski* Custos Cath. Culmensis in Marienau, *Bartholomæus Kankrowski* in Kalwy Curati: quibus præsentis Synodi vigore, cuivis in solidum, damus plenam potestatem, causas hujusmodi, in quovis foro & judicio competenti promovendi, Plenipotentiarios in locum suum substituendi, & pœnas pro qualitate delicti urgendi in Judiciis tam Castrensibus, quam Tribunalis Regni, aut Assessorialibus.

Succurrentes autem conversis ex Judaismo, ne alii a fide Catholica amplectenda terreantur, inhærendo Constitutioni PAULI III. per CLEMENTEM XI. Pontificem Maximum anno 1704. ampliatæ, eos a patria Judæorum potestate liberos esse, omnia bona sibi competentia, ac prius a patre possessa, etiam invitis parentibus tenere, possidere, atque ad omnia jura successionis pertinere debere, nec ullatenus exhæreditari posse declaramus.

CAPUT VII.

De erudiendo populo in Doctrina Christiana Catholica.

Ad æternam vitam cum nati sint fideles, illud diligenti, sanctaque solicitudine providendum fuit, ut ab ineunte usque ætate Doctrinæ Christianæ, quæ ad illam cœlestem vitam hominum mentes in terris instruit, rudimentis atque institutis plane imbuantur. Quamobrem Sanctorum Patrum sanctionibus, & Generalibus Conciliis, pie & salubriter sancitum est, ut saltem Dominicis, aliisque festis diebus Christianæ fidei initia in unaquaque Ecclesia fidelibus tradantur. Hinc incumbit Curatis animarum sub gravi onere conscientiæ ea docere, non tantum parvulos, sed & adultos, si qui tales inveniuntur ignorantes, & vel maxime ea, quæ sunt de necessitate medii, sine quibus, etiam inculpabiliter ignoratis salus æterna haberi nequit, & quidem 1*mo.* Quod Deus sit omnium Creator. 2*do.* Quod idem sit omnium Gubernator. 3*tio.* Quod Deus sit omnium Judex. 4*to.* Quod anima sit immortalis. 5*to.* Quod gratia Dei sit ad salutem necessaria. 6*to.* Quod Deus sit unus, trinus in Personis. 7*mo.* Quod Filius Dei sit incarnatus & passus. Et quamvis non omnino hæc septem puncta secundum Doctores scitu sunt necessaria necessitate medii, ne quis tamen periculo damnationis æternæ, ob defectum scientiæ, quæ tanti momenti est, se exponat, summa cura adhibenda est, ne illa ignorentur. Nam Doctorum opinio in punctis necessariis necessitate medii nemini potest patrocinari, casu quo illorum opinio non esset vera.

Præterea Curati doceant puncta, scitu necessaria necessitate præcepti. 1*mo.* Symbolum Apostolorum, seu duodecim Articulos fidei, sive Credo &c. 2*do.* Septem Petitiones, seu Pater noster. 3*tio.* Decem mandata Dei, seu Decalogum. 4*to.* Quinque Præcepta Ecclesiæ. 5*to.* Ex 7. Sacramentis tria, Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam; reliqua cum suscipiuntur. Hæc addiscere tenentur omnes, quamprimum rationis usum attingunt.

Non autem sufficit sola memoria instar Psitacorum illa recitare, Parentes, Parochi, Ludimagistri obligantur, ut suos ea doceant: Domini, ut domesticos in illum finem mittant ad Catechesim. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Nec se contentent Parochi duntaxat in Ecclesiis saluti suorum inservire, privatim etiam domi statum, vitam & mores cujusque cognoscere studeant, habeantque totam suam Parochiam descriptam in libro, in quo appareat, quot, & quas Parochia illa villas, domos, domus animas comprehendat. Quæ quidem descriptio fiebat antiquitus Kalendis Januarii, unde nunc etiam Kalendas, seu corrupta voce Kolendas vocamus. Eo igitur tempore per se, vel Vicarios suos, ad pietatem, non ad quæstum, nec quærentes, quæ sua sunt,

sed

ſed quæ JESU CHRISTI, domos ſingulorum per totam Parochiam viſitent, ingreſſique juxta præceptum Domini dicant, Pax huic domui, vel alia quapiam ex ſacris literis aſſumpta benedictionis formula utantur. Convocata deinde domo tota, & annotatis iis, qui pro Confeſſione Paſchali ire debent, inſtruant eos de neceſſariis ad ſalutem, & an ſciant ſe munire ſigno ſanctæ Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, ſecundum ſuperius dicta de neceſſitate medii, & præcepti, examinent, deque vita, moribus, occupationibus, ſtudiis & neceſſitatibus ſingulorum inquirant, ac ſi aliquos ebrioſos, perjuros, fures, fæneratores, fornicarios, adulteros, homicidas, blaſphemos, feſtorum violatores, maleficiis & incantationibus deditos, aut quovis alio genere criminis obſtrictos invenerint, primum eos charitate, atque lenitate verborum, quam maxime poterunt, inter ſe, & ipſos ſolos corripiant, deinde, ſi nihil profecerint, unum atque alterum Viros probos delinquentibus familiares adhibeant, quod ſi, ne tum quidem reſipuerint, nomina, & exceſſus illorum ad Nos, ſive Officiales noſtros, Vicarios Generales deferant.

Exhortentur deinde pro ætate & conditione quemque ſua, ſenes, ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide & prudentia, anus in habitu ſancto, non criminatrices, nec ebrietati, præſtigiis, lenociniisque deditæ. Viduas, ne circumeant vicos, otioſæ, curioſæ, verboſæ, loquentes, quæ non oportet, ſed ut regant domos ſuas, filiis & nepotibus bene præſint, mutuamque vicem parentibus ſuis reddant. Maritos, ut diligant uxores ſuas, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, filios ad iracundiam ne provocent, ſed educent illos in diſciplina & correptione, neceſſitatibusque eorum provideant. Uxores, ut viros ſuos ament, ſubditæque ſint illis, caſtas & ſobrias ſe præſtent, domus curam habeant, & ne ſecum infantes propter ſuffocationis periculum, noctu in lectis teneant. Filios, ut obediant parentibus; ſervos & ſubditos, ut miniſtrent Dominis in ſimplicitate cordis ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, nec fraudantes, ſed fidem bonam oſtendentes, placentesque in omnibus. Dominos, ut remittant minas, ſcientes, quia utrorumque Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum.

Poſtremo, ſi ibi ſint aliqui pupilli, virgines, mendici, infirmi, aliæque miſerabiles perſonæ, quæ tam ſpirituali, quam corporali ope indigeant, conſolentur eos, ineantque rationem, qua illorum orbitati, pudicitiæ, egeſtati, valetudini conſulatur. Nomina ſingulorum in librum præfatum referenda connotent, niſi jam id præcedentibus annis factum ſit, tunc enim ſufficiet eos, qui intra anni decurſum vel nati vel mortui ſunt, ſive qui domicilium alio contulerunt, aut aliunde advenerunt, annotare. Tum demum, ſi ſeminaverunt ſpiritualia, non erit magnum ſi corporalia metant, Strenasque, quas vocant Colendas, juxta Ordinationes ab Illmis Anteceſſoribus Epiſc. Culmen. factas accipiant. Dominus enim JESUS ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

Demum, quia plurimum ad pueros Chriſtianis rudimentis, & piis moribus imbuendos Ludimagiſtrorum pietas, ſcientia, ac diligentia juvare poteſt, ideo mandamus, ut inpoſterum nullus Scholirega in Eccleſiis Parochialibus admittatur, niſi prius a Decano foraneo loci de vita, moribus, ac ſcientia examinatus & approbatus fuerit, & profeſſionem fidei (ut ſupra jam ſancitum eſt) emiſerit, qui, ubi admiſſus fuerit, pro ſui muneris cura, ſedulo præſtet, ut quos inſtruendos ſuſceperit, eosdem ad Catholicæ fidei doctrinam informare ſtudeat, ac propterea quilibet Ludimagiſter ſemel ſaltem in hebdomada ſacris dogmatibus ſuos diſcipulos inſtruat, imo quotidie ſub finem lectionum curet, ut pueri Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, ac Symbolum fidei devote recitent. Quod ut cum majori fructu fiat, curavimus imprimere pro utraque noſtra Diœceſi Doctrinam Chriſtianam p. m. Cardinalis Bellarmini. Quam ut omnes Curati, cæterique, quibus incumbit frangere panem eſurien-

rientibus, & docere ignorantes, ad manum habeant, & suum ministerium adimpleant, serio monemus. Demum iisdem Ludimagistris injungimus, ut Dominicis, aliisque statutis diebus, quibus sacra Catechesis in Ecclesiis Parochialibus exercetur, discipulos ad eosdem adducant, nec inde discedant, donec pueri dimittantur.

CAPUT VIII.

De Prædicatione Verbi Divini.

Verbi Dei prædicationem in Ecclesia sancta maxime utilem, & necessariam esse, non est, qui dubitet. Proinde inhærendo Statutis & Ordinationibus anterioribus hac nostra Constitutione sancimus, ut Parochi, & alii curam animarum habentes, diebus Dominicis & Festis gregem sibi commissum, pro sua & ejus capacitate verbis spiritualibus pascant, eundemque ad frequentationem verbi Divini assuefaciant, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.

Conciones ad populum more institutoque Majorum Parochus, sive ejus Vicarius facturus, caveat, ne ullum aperte, vel tacite lædat, ne appareat coram auditoribus persona, sed in genere invehatur in vitia & peccata. In arguendis autem vitiis, ut acriores se Curati præstare debent, ita etiam se pietatis, ac charitatis studio non hominum, sed peccatorum odio adductos id facere significent.

In ea autem vitia, in quibus populum frequentius peccare intelligunt, vehementius invehantur, & præsertim in ebrietates, quæ animas & corpora maxime lædunt, atque in ludos, ex quibus blasphemiæ, rixæ proveniunt. Otium a quo omnia fere vitia fluxerunt, acerrime insectentur, cum non in otium, & inertiam dignatus sit nos Deus vocare, quinimo *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Qui concionandi officio funguntur, eam inibunt rationem, ut ne quidquam ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, aut a consentiente Sanctorum Patrum authoritate alienum proferant. Neve futura ex sacris Literis divinare, vel alicui eventui certum tempus statuere audeant.

Ne ridicula, aut levia, vel inanes fabulas, aliave risum moventia recenseant, sed graviter, pure, sincere, & qua fieri potest facilitate verbum Dei pronuncient.

Cum perversa hæreticorum dogmata erunt confutanda, id non prolixa disputatione, sed gravibus faciant, ac solidis rationibus, & argumentis, ex sacræ Scripturæ, & sanctorum Conciliorum, ac probatæ antiquæ consuetudinis auctoritate, & Catholicorum Patrum consensu depromptis. Hæreticos autem conviciis, aut contumeliis non afficiant, sed eorum sectam erroribus fœcundam tanquam veræ & salvificæ Catholicæ fidei, ac Religioni contrariam damnent, & improbent.

In id autem præsertim omni animi contentione, & omnibus orationis nervis intendant, ut ad solidæ Christianæ pietatis studium animos auditorum incendant. Dei præcepta non solum servanda esse doceant, sed & modum ostendant, quo servari illa Deus voluerit, sæpe autem fideles ad perfectiorem vitam amplectendam efficacius hortentur, ut non mortalia tantum, sed etiam venialia peccata sibi fugienda proponant, quod ut facilius præstent, frequentem usum pœnitentiæ tam præsentissimam spiritualis morbi medicinam, atque Ss. Eucharistiæ in hac peregrinatione, & exilio saluberrimum viaticum sedulo commendent.

Caveant autem, ne verbum Dei, quod juxta Apostolum debet esse sanum & salutare, lue aliqua inficiant, & ne cibum ad vitæ præsidium institutum, medicinam pro morbis repellendis inventam, in præsentissima venena, & mortis instrumenta convertant, quando conversi ad fabulas, ut Poëtæ, auditores sibi auribus prurientes coacervant, sicque inanis facundiæ lenocinio, & calamistrato plane stylo prædicationis munus corrumpant. Quapropter ne tam dulcis cibus fermento miscea-

miſceatur, fideliumque animus traducatur, granum Chriſti manu ſeminatum ab omni ſorde ſegregare cupientes, ut omnes verbi Divini Præcones ſub pœna ſuſpenſionis ab officio irremiſſibiliter decernenda, a quibusvis fabulis, anilibus jocis, Scripturæ ſacræ immutatione, riſu & cachinno, fabulis, macoroniſmis abſtineant, præcipimus, *Nunquid enim Deus indiget mendacio?* Si autem ad Scripturas ſacras admiſſa fuerint, vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis, quid paleis ad triticum, *Nunquid verba mea non ſunt ignis, & quaſi malleus conterens petram,* dicit Dominus. Videantur ſuper prædicatione verbi Dei literæ S. Congreg. in Appendice *num.* 4.

Ad extremum unumquemque Prædicatorum per viſcera Chriſti obligamus, ut ea ſola, & omnia doceant, quæ Chriſtus Dominus, veræ Religionis Author, & Magiſter ſcire nos voluit, ut vitam conſequeremur æternam. Exponat præterea auditoribus ſui ipſius Religionis Catholicæ nobilitatem, ob ejusdem authoris JESU CHRISTI, ſupereminentem excellentiam, & dignitatem, nunc vitæ ejus & mortis admiranda ac plane Divina myſteria, tum ea, quæ ipſe operatur in nobis per Sacramenta & gratiam, ut ita Fideles Religionis ſanctiſſimæ, ac rerum cœleſtium ſuavitate, & amore a terrenorum cupiditate jugiter abſtrahantur, ſuadeatque etiam debere homines componere vitam, actionesque ſuas ad Evangelium, veluti ad infallibilem non modo fidei, ſed & morum regulam, nec ſufficere ad ſalutem credere, niſi id, quod fide creditur, perficiatur charitate, monente Apoſtolo: *Non auditores legis juſtos eſſe, ſed factores legis juſtificari.* Moneat tandem cuſtodienda eſſe religioſe præcepta Eccleſiæ. Qui enim Eccleſiam non audit, & ipſius mandatis obedire detractat, ipſius Chriſti oraculo Ethnicis, & Publicanis accerſendus eſt. Epiſcoporum etiam juſſis obſequendum eſt, etenim ipſos, tanquam Apoſtolorum Succeſſores ſpectant illa Salvatoris verba: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et Apoſtolus dicit: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Subdens plane dignam charitate Apoſtolica rationem, *ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.*

Abſoluta tandem concione recitabunt actus Fidei, Spei, & Charitatis, alias Confeſſionem generalem cum populo congregato, ut vel ſic aſſueſcant ad uſum actuum eorundem.

CAPUT IX.

De vita & honeſtate Clericorum.

Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduo inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicarunt, cum enim a rebus ſæcularibus in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tanquam ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur. Ut igitur Clerici in ſortem Domini vocati, vitam, moresque ſuos componant, & habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant, delictaque etiam levia, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ſacri Canones, ſancta Concilia, Pontificiæque Conſtitutiones, certas officiorum vias ac rationes Spiritu Sancto duce præſcripſerunt, quibus intelligant ſe, cum in Dei militiam ſint adſcripti, non ad commoditates & voluptates, ſed ad labores & ſolicitudines vocatos eſſe, atque ea ſtudia, & officia amplecti debere, quæ ſi reliquorum oculis, auribusque obſerventur, profecto efficiatur, ut ipſi glorificantes Patrem, qui in cœlis eſt, magis vitæ exemplis ad virtutis imitationem incitentur. Quare ad Clericalem diſciplinam in Eccleſiaſticis Paſtorali curæ noſtræ ſubjectis conſervandam, & ea parte, qua collapſa eſt, reſtituendam, has recte vivendi formulas a ſacris Canonibus, generalibus Conciliis, Apoſtoliciſque Conſtitutionibus ſummatim depromptas ipſis præſcribimus, quas ab omnibus diligenter attendi, inviolabiliterque obſervari mandamus.

Ac inprimis cum forma veſtium, deformitatis mentium & morum indicium

cium sit, & ex habitu etiam corporis externo pateat interior animi compositio, ideo juxta ordinis sui gradum, coronas semper deferant, capillos prolixe non nutriant, vestitum honestum, nigrum, talarem, cum decore & congruentia status, & dignitatis suæ gestent, pileos nonnisi rotundos panni nigri coloris deferant.

Mercaturas & negotiationes de jure prohibitas, aut quæstus quoscunque lucri turpis gratia quovis colore, aut prætextu non exerceant. Dominis sæcularibus pro Factoribus villicis, aut Oeconomis sive Commissariis cum status & dignitatis Clericalis dedecore sub pœnis suspensionis, & aliis arbitrariis contra tales extendendis non se exponant, etenim qui Deo militant, implicare se negotiis sæcularibus non debent.

Erga Laicos gravitatem, mansuetudinem temperatam servare procurent, seipsos propter temporalia, odiosos non reddant, scandala evitent, morum integritate, & exemplo omnibus præluceant, ut eos populus amet, & revereatur.

Crapulam & ebrietatem, quæ plurimorum & maximorum malorum fons est, & origo, omnimode evitent. Commessationes & convivia sæcularium, præsertim, ubi fœminæ adsunt, non frequentent, vel saltem raro, si fieri aliter ex rationabili causa non potest, & in iis se exemplariter in omni locutione & actione gerant. Si quando autem hospites apud se habebunt, tam in cibis, quam in potu exemplarem & Viro Ecclesiastico dignam temperantiam ac frugalitatem humanitati, & hospitalitati bene junctam observent.

Cum hæreticis, & præsertim hæreticorum ministris frequentem consuetudinem habere caveant, ab illorum conviviis abstineant, hujusmodi enim familiaritates laicis, præsertim rudioribus absque scandalo esse non possunt.

Porro cum universæ Constitutiones Synodales pro scopo & objecto habeant, ut vita Cleri ad omnem honestatem vocationi suæ correspondentem, virtutumque sanctimoniam componatur, stimulum addente Divino eloquio: *Eritis mihi Sancti, quia Sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei*; ad Clericatus & præcipue ad Presbyteratus apicem promovendi serio cogitent ex sacris Canonibus & sanctis Patribus, qualis esse debeat illorum vita, ut de talento sibi concredito reddant rationem in die judicii, quod a domo Dei incipiet.

Quare cum districte a CLEMENTE V. in Concilio Viennensi, & ab INNOCENTIO III. in Concilio Lateranensi Nobis injungitur, Clericorum correctio, ne per illorum vitia diffametur Ecclesia, & scandala gravia in populo generentur, præcipimus omnibus, ut quæ per sacros Canones, Concilia, Constitutiones Pontificias, de vita & honestate Clericorum sancita sunt, sedulo observent.

Quoniam autem in hoc mundo versantes in peccatis sumus innumeris, & diabolus laqueos paratos ad Ecclesiasticorum ruinam incessabili nequitia undique tendit, ideo ipsis Ecclesiasticis ut prædictas leges sacrorum Canonum valeant observare, opus est abesse ab occasionibus, fugam capessentes, & cogitantes, quomodo oporteat caute ambulare, ut ait Apostolus. Quia, ut inquit S. Gregorius: "Sicut cauta provisio culparum vias obstruere noscit, " & quæ sunt noxia declinare, ita ne" glectus patet excessibus, & quæ sunt " cavenda, solet incurrere." Orationibus igitur semper instantibus est ipsis vigilandum, die ac nocte in lege Dei meditantes, ut illud: *Euge serve bone & fidelis*, audire possint a Christo Domino.

Cum autem a Dei Ministris excellentiam & decorem suæ vocationis non considerantibus, subortum sit illud magnum malum, quod amaris lacrymis cum Jeremia est lugendum: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum.* Per vitam enim depravatam Clericorum denigratur ordo Ecclesiasticus, & opprobrium patitur dignitas Clericalis. "Aurum " quippe (inquam cum Divo Gregor.) " obscuratum est, quia Sacerdotum vita

" vita quondam per gloriam virtutum " clara, nunc per actiones infirmas " ostenditur reproba. Color optimus " est mutatus, quia ille sanctitatis ha- " bitus per terrena & abjecta opera ad " ignominiam despectionis venit. Sed " dispersi sunt lapides Sanctuarii in " capite omnium platearum, quia illi " per vitam & orationem intus semper " esse debuerant, per vitam reprobam " foris vacant. Ecce jam pene nulla " est sæculi actio, quam non Sacerdo- " tes administrent." Alta igitur mente est Nobis repetendum, quibus opportunis remediis tot malis & ruinis dignitatis Ecclesiasticæ occurrere possimus. Quod sedula meditatione revolventes, quinque esse graviora & atrociora mala & vitia invenimus, per quæ hostis ille veteranus hyerarchicum Ordinem Ecclesiæ devastat, deturpat, & veneno suo inficit lethifero.

Primum *Carnis* est vitium, quo nihil turpius & horribilius in Clericis, qui cœlestem profitentur vitam. Quare, cum omnia jura clament, ut, qui Ordinibus initiati sunt, perpetuum servent castitatis votum Deo promissum, & indispensabiliter Ordini annexum, Dei maledictionibus (in D. Brigittæ revelationibus contentis) obviant, qui rescindentes, quod Deo solemniter spoponderunt obscænitatibus se implicant, quod peccati genus est Sacerdotum ruina, cum per ipsum e cœlis cum Lucifero, ut ait Christus Dominus in prædictis revelationibus, ad tartari infima & tenebrosa descendant.

Permaneant igitur omnes in castitate non ficta, omni penitus ab illis sorde, ut ait Concilium Toletanum, mulierumque familiaritate remota. Et quoniam, ut ait S. Gregorius, Sacerdotes cum fœminis habitare, nefarium est dicere vel audire, & contra Ss. Canonum sancita, ideo ne ipsi antiqui hostis decipiantur fraude, & vituperetur ministerium nostrum, ut omnis excludatur nefanda suspicio, ad occurrendum huic malo nullus Clericus clericalem vitam agens, & Statum Ecclesiasticum profitens suspectas mulieres, præsertim juvenes, vel in quarum obsequio aut familiaritate juvenes versantur, domi suæ tenere, vel extra fovere, ullamve consuetudinem cum illis habere audeat, sub pœnis a Conc. Trid. & Constitutionibus Synodalibus expressis. Licitum tamen erit Sacerdotibus morbo vel ætate affectis, provectas jam annis, & bonis moribus fœminas habere pro honesto servitio, dummodo de turpi consuetudine secum vel cum aliis antea suspectæ non fuerint, & in separatis ab invicem cubiculis maneant. Ad quem tamen effectum sciant se obligatos a Nobis, sive Officialibus nostris expressam petere debere licentiam gratis dandam, cum secundum Conc. Nicænum, & Carthaginen. cum Clericis extraneæ fœminæ cohabitare non debeant. Si non sint in gradibus conjunctæ a jure permissis, videlicet usque ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum: nempe matres, aviæ, sorores, materteræ, amitæ, fratrum & sororum filiæ, & filiorum uxores, ut pluries S. Congregatio definivit, & denuo in Hortana *sub die* 28. 7*bris* 1709. Contravenientes subjicientur pœnis a jure statutis.

Alterum est *Ludus*, quo multos diabolus implicat Clericos, hac esca a bonis operationibus avertens, & præcipue ut Divinæ Scripturæ, aliorumque sacrorum librorum lectioni valedicentes, varie tempus terant, & ignorantiæ scopulo allidantur, aliisque malis, innumeris inde quoque exuberantibus. " Vix enim (ait S. Antonius) " est dare actus, in quo occurrant tot " mala, quot ex ludo," quibus retibus, ut diabolus Ecclesiasticos capiat, ex habito conciliabulo Lucifer omnium malorum artifex diversos ludos adinvenit, ut testatur S. Bernardinus Senensis: "Non enim Deus dat ludere, " sed diabolus." Ideo mandamus cum INNOCENTIO III. & Synodis præcedentibus Diœcesanis, ut ab aleis, taxillis, aliisque ludis vetitis abstineant.

Si quando vero licitos ludos exercere voluerint, eas servent conditiones, quas recenset S. Thomas. Sintque cum debita moderatione, & congruant personæ, loco, tempori: fugientes apprime jocandi illud genus, quod Tullius vocat illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. "Quando scilicet uti-

" tur aliquis (ut ait S. Thomas) causa " ludi turpibus verbis, vel factis, vel " etiam his, quæ vergunt in proximi " nocumentum, quæ de se sunt pecca- " ta mortalia."

Tertium vitium est *Venatio*, quæ, ut ait NICOLAUS Papa, plurimos etiam de Clericali catalogo irreverenter implicat. " Esau venator erat, (ait S. Hieronymus,) " quoniam peccator " erat, & penitus non invenimus in " Scripturis sanctis sanctum aliquem " venatorem." Et propter hoc, ut inquit Abulensis, sancti Viri non se dederunt huic occupationi, sicut piscationi, quia venatio vix sine nocumento proximi exercetur. Quare cum hoc implicantur vitio Clerici, merito possumus exclamare cum NICOLAO Papa: "O! miseram vitam hominum & " maxime Sacerdotum, qui dum lu- " crandis fidelibus debent insistere, ve- " nandis feris incumbunt, & quos ca- " pere oportet homines, capiunt aves, " qui dum mortibus student anima- " lium, vitam suarum perdunt anima- " rum. O! infelicem vitam super om- " nem vitam, nam in quo magis car- " nalis apparet, quam in tali vita?" Quapropter insistendo sacris Canonibus venationes omnes signanter tamen clamorosas Clericis serio inhibemus sub pœnis a jure statutis, & aliis arbitrio nostro infligendis, juxta Conc. Trident. Unde in sacris Canonibus vetatur retinere canes ad venandum & accipitres.

Quartum vitium est *Avaritia*, quia diabolus malorum omnium artifex subtili & occulta quadam arte Ecclesiasticos excœcat, quibus hoc vitium ita proprie adhæret, ut locum dederit communi effatui *Presbyterorum genus avarissimum.* Hoc detestabile crimen ita Ecclesiasticum Ordinem deturpat, ut propter istud, multis Sæcularibus sint odio abominabiles Clerici in sortem Domini vocati, pariantque illa nummorum siti inexplebili, varia & quamplurima scandala, ut enim illam extinguant, se variis implicant illicitis negotiationibus, quibus sæpissime proximi & miserabiles personæ graviter ab ipsis opprimuntur, & hoc excœcati scelere frigidi & ferrei viscera claudunt pietatis super necessitates & indigentias pauperum. Quare jure merito idolorum servituti comparavit D. Paulus hoc vitium, quia, ut ait Glossa, *tanquam Deo exhibet avarus nummo reverentiam.* Quapropter præcipimus omnibus Ecclesiasticis, "ne lucra sæculi in Christi " quærant militia," ut ait S. Hieronymus. Negotiationes ergo sæculares juxta sacros Canones, mercaturas, turpia lucra fugiant tanquam pestes, sed thesaurizantes thesauros in cœlo, ut præcepit JESUS Christus in Evangelio, mammonæ abrenuntient. *Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi*, ut monet S. Paulus. Qui contravenerint, subjaceant pœnis a sacris Canonibus inflictis, & præcipue a Concilio Nicæno I. *Can.* 17. & Concilio Arelatensi *Can.* 14. Sint igitur procul Ecclesiastici omnes ab hoc barathro, ne sibi, & aliis sint causa æternæ ruinæ. Nam *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, ait S. Paulus.

Quintum vitium est *Contemptus puritatis animæ, sacrorum Rituum & Rubricarum in Celebratione Missæ, & recitatione Divini Officii, aliisque in functionibus Ecclesiasticis.* Nihil enim est, flens dicam, quod a quibusdam Deo dicatis viliori attentione, & incuria majori absolvatur in hoc mundo, quam Divinus famulatus, ita, ut vere dicere possimus cum Salviano: "Omnia amamus, om- " nia colimus, solus nobis in compara- " tione omnium Deus vilis est." Quapropter ex quibus vitam, & bona omnia reportare deberemus, cum iis sine debita animæ puritate, devotione, reverentia & attentione, sed magna oscitatione, & contemptu perfungamur, ex tali incuria & temeritate ab Altari & Ecclesiasticis Officiis mortem ipsam cum Oza; & mala omnia reportamus. Hanc oscitantiam, tepiditatem, in Clero removere volentes decernimus.

Quatenus Personæ Ecclesiasticæ singulis annis ad aliquod religiosum domicilium se conferentes in eo exercitia spiritualia sub perito aliquo artis hujus ex fonte Magistro absolvant, idque sub pœna duorum aureorum pro qua-

quavis omissione per Instigatorem Officii pro Seminario Diœcesano in duabus partibus, & tertia sibi applicanda. Non est etenim felicior modus, ac medium efficacius ad excutiendas profanas levitates, ad sæculares fumos ac vanitates dissipandas ad Deum sibi sincera pietate, solidisque virtutibus adstringendum, ad totam denique vitæ suæ & honestatis regularem, & ordinatissimam sui status dispositionem componendam, quam hæc sacra, & divinissima solitudo, quæ si toto pectore, sinceroque ad Divinos amplectendos instinctus animo suscipiatur, impossibile videtur quempiam sine divite Spiritus Sancti fructu, morumque suorum duratura emendatione de hoc Ascetorio rediturum.

Quare Officiales nostri testimonium de absolutis recollectionibus, a Clero solicite exquirent, & nisi docuerint se exercitiis spiritualibus vacasse, tempus absolvendarum recollectionum iis præfigi volumus, & contumaces propterea a Divinis arceri.

Lectioni sacræ Scripturæ, casuum resolutioni, conscientiæ discussioni quotidie aliquid temporis tribuere assuescant. Quod ut efficacius consequi valeant, omnes & singulos animarum Rectores, imo & universum Clerum in Domino hortamur, & authoritate hujus Synodi statuimus & mandamus.

Ad lites Parochianis suis intentandas nullatenus sint faciles, sed prius Nobis, vel Officiali nostro causam litis excitandæ exponi faciant. Nos, vel DD. Officiales nostri civiliora remedia attentabimus, quæ si non succedent, licentiam, jure agendi permittemus, quod non solum de criminalibus, verum etiam in civilibus observari præcipimus. " Popularis enim & grata est " omnibus bonitas." Nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus, in Sacerdotibus vero incredibile, quantum procedat ad cumulum dilectionis, profectum & lucrum animarum.

CAPUT X.

De sacris Ecclesiæ Jejuniis.

Omnis sacrorum temporum celebritas, singularem a Pastoribus animarum deposcit solicitudinem, atque a populo observantiam, atque in iis quidem unum est, quod pie, religiose, sancteque coli a fidelibus maxime oportet, tempus Quadragesimale virtutum Christianarum disciplinæ, atque exercitationibus dicatum. Est enim plenum sacris Mysteriis, propter quæ magnam illam Paschæ solemnitatem, qua una omnium celebritatum dignitas, ut inquit S. Leo, consecrata est, proxime præcedit. Fuit porro jejunium Quadragesimale a Christo Domino constitutum, & ab Apostolicis usque temporibus in universa Ecclesia Dei religiose observatum. Quare ut tempus hoc sacrum, tamque religiosum, in quo colendo, sancteque observando veterum pietas mirifice illuxit, a fidelibus nostræ solicitudini commissis, majoris observantiæ studio, abstinentia, jejuniis, eleemosynarum largitionibus, oratione, continentia, non ciborum tantum parvitate, sed privatione maxime vitiorum, carnis maceratione, omnisque salutaris pœnitentiæ disciplina colatur, Curati locorum Dominica ante Quadragesimam populum informabunt. Inter multos enim refrigescentis in Deum charitatis effectus relaxationem jejuniorum merito numeramus, quæ prætextu infirmitatis, ac debilitatis plerique excutiunt, qui tamen ad vitia satis dignoscuntur habere virium, longe meliores futuri, si debiliores essent. Conscientias igitur DD. Parochorum, Confessariorumque obligamus, ne facile, nec sine gravi causa partem illam disciplinæ Ecclesiasticæ relaxent, nec alimenta vitiis subministrent.

Dispensati vero ad esum carnium certis diebus per Quadragesimam ad scandalum aliorum imbecilliorum in observandis legibus Ecclesiæ, evitandum indulgentia illa non abutantur, oculisque hominum se cum illis cibis vetitis comesturi subducant.

Deinde omni conatu Pastores animarum obniti debent, ne privata devotione adinventa, & superstitionem quoque aliquam redolentia jejunia quisquam ita assumat, ut illa quidem mordicitus retineat, consueta vero, & ab Ecclesia imperata, & in hac Diœcesi laudabiliter observata eludat. Quare Paro-

Parochi Vigilias, & quatuor anni tempora præcedentibus diebus Dominicis post concionem populo notificent, simul denuntiando gravem obligationem omnibus a carne, aliisque vetitis cibis abstinendi, egressis vero vigesimum primum ætatis annum nulla legitima causa impediente etiam jejunandi, ita, ut nonnisi semel in die circa meridiem comedant, nec aliam deinde refectionem, præterquam serotinam ac parcam capiant, habita tamen consideratione graviter in sudore vultus panem sibi promerentium.

Ut autem sacrum, & maxime acceptabile Quadragesimæ tempus eo, quo debet, fructu a populis celebretur, eos Parochi & efficaciter & opportune præmoneant, illius observationem, licentia atque intemperantia præcedentium dierum non recte suscipi, nec in peccatis jejunando bene peragi, neque sine magno jejunio, abstinentia scilicet iniquitatum, Paschali cœlestis panis saturitate licere frui. Propterea ut omnis, non solum culpa, sed etiam culpæ occasio cautius tum, quam alias vitari possit, a feria quarta Cinerum, usque ad festum Paschatis, prout etiam sacro Adventus tempore, choreas, tripudia, saltus, compotationes, convivia, musicam, & quælibet licentiosa conventicula, sub gravibus pœnis, tam contra authores, quam contra quomodocunque assistentes districte prohibemus; & Parochos ad Appendicem *sub numero 5to* de Jejuniis, & Festorum observantia, quomodo populo publicari debent, remittimus.

CAPUT XI.

De Festorum observantia.

Ea est morum corruptela, atque ab omni Divina & humana lege aliena, ut qui Deo dicati sunt dies, & ad ipsius, & Sanctorum celebrandas laudes instituti, ii non modo sancte, pieque, ut par est, non colantur, sed servilibus etiam operibus, vilibusque officiis violentur, iisque ipsis homines ad Divinam iram, & suarum animarum perniciem abutantur.

Nos igitur sacrorum Conciliorum auctoritate, ac Summorum Pontificum Decretis innixi, hæc Christi fidelibus in festis diebus sanctificandis proponenda censuimus.

Primum igitur pridie Festi omni pietatis studio fideles se parent, atque disponant ad illius sanctificationem, confessione, sive oratione crebriore, atque ardentiore meditatione celebritatis, quæ agitur, imitatione alicujus virtutis Sancti, aut Sanctæ, cujus festum colitur, jejunio, vel præcepti, vel devotionis, vel saltem abstinentia, firma deliberatione progrediendi in vitæ sanctioris via.

Ipso vero die Festo Missæ reverenter intersint, quæ prætermitti non potest absque peccato mortali, idque, ut in Parochiali Ecclesia præstent, ad sacrorum Canonum præscriptum vehementer in Domino monemus.

Missæ etiam solemni, quæ canitur, præsentes adsint, præsertim in festivitatibus majoribus.

Concionem sacram attentissime audiant, monitaque concionantis exequantur. In doctrinæ Christianæ Scholis diligenter versentur, & Patresfamilias filios suos, ac famulos Catechismum frequentare obligent.

Egentibus, præsertim iis, quos ad fores Ecclesiæ repererint, secundum posse suum eleemosynam conferant.

Pauperes non solum, qui in publicis hospitalibus sunt, sed etiam alibi visitabunt, & adjuvabunt re, consilio, & consolatione.

Abstineant autem diebus festivis ab omni opere servili, mundanoque, atque a quavis illiberalis artis exercitatione, nec non a cujuslibet rei emptione & venditione, præter id, quod illius diei victui necessarium sit.

Custodes pecorum, quia tempore pascuæ raro, aut vix possunt interesse Divinis de æstate, Curati locorum de hyeme eo diligentius monebunt, ne negligant frequentare Ecclesiam, quos etiam examinabunt de rudimentis fidei, ac monebunt de superstitionibus, quæ ejusmodi hominibus communiores esse solent, vitandis.

Si quis autem ex aliqua gravi causa, seu necessitate hujusmodi diebus, aliquod

aliquod servile, aut vetitum opus propter ingruentes pluvias, & concurrentiam Festorum aggredi vellet, id cum scitu saltem fiat Parochorum, quorum conscientias oneramus. Foralia, nundinas & mercaturas quasvis, prout etiam vocationes subditorum in diebus Dominicis & Festis, vulgo *do Gromad*, quando populus Divinis Officiis, & doctrinæ Christianæ interesse tenetur, omnino abrogamus, & sub comminatione tremendi judicii Dei generaliter quoad omnia bona tam spiritualia, quam sæcularia prohibemus. Ad quem effectum ea, quæ in Appendice apposita sunt *sub numero* 5. De observantia Festorum, *y o Targach Niedzielnych*, Parochi populo sibi commisso quatuor vicibus in anno Dominicis post quatuor Tempora publicabunt.

CAPUT XII.

De Archidiaconis, illorumque Officiis.

Ut utriusque nostræ Diœcesis necessitates facilius cognoscere, eisque opportuna remedia accuratius adhibere possimus, PP. DD. Archidiaconi omni studio ac diligentia curabunt, ut quæ ad Divini cultus augmentum, animarumque salutem procurandam, a sacris Canonibus, & Constitutionibus Synodalibus sancte præscripta sunt, in regione tractuve sibi commisso ab omnibus diligenter attendantur, & accurate observentur. Cum vero præcipuum eorum munus sit visitare Ecclesias, ideo præsentis Synodi authoritate statuimus, ut de triennio in triennium Ecclesias suorum territoriorum per se ipsos, & non per Substitutos visitent sub pœnis a jure descriptis. Actaque hujusmodi suarum visitationum cum Decretis Reformationum in libros descripta & compacta, ad Nos, Officiumque nostrum intra tres menses ab actu visitationis tradant. Tempore visitationis modesto equitatu, & famulatu contenti sint, munera etiam ultro oblata tam per se, quam familiares suos pro se, aut suis quocunque prætextu non accipiant, aut si quid forte sumpserint, eos puniant, ac restituere compellant.

Sicuti enim visitationi subjectos gravari nolumus, ita Visitatoribus honorem debitum, & reverentiam ab iis, qui visitantur, deferri, ac eosdem sufficientibus provisionibus (quæ ipsis de jure debentur) honorari præcipimus.

CAPUT XIII.

De Archipresbyteris, sive Decanis foraneis, obligationibus illorum, & Congregationibus Decanalibus.

Officium Decanorum, quam utile & honorificum sit in Ecclesia Dei, inde patet, quod ii Archipresbyteri, id est, primi Presbyteri, & Presbyteralibus Officiis eminentes nuncupentur. Sunt tamen nonnulli, qui tam honorifici muneris immemores, ea, quæ sui sunt officii, ita negligunt, ut illa quasi penitus ignorare videantur, ut igitur illos, eosdemque Decanos abhinc in exequendis muneribus suis diligentes ac solicitos habeamus, iis omnia, quæ Decanali Officio congruunt, huic Synodo inserenda duximus. In Constitutionibus Dzialinianis tit. *de Visitat. & Congregationibus per Archipresbyteros faciendis*, satis prolixe enarrantur Archipresbyterorum munia, quæ præsentibus, ac si hic expressa forent, de verbo ad verbum assumimus, & innovamus. Noverint præterea DD. Archipresbyteri sive Decani se commune Archidiaconorum & Oeconomi officium exercere, adeoque se per Decanatus quasi quosdam Speculatores esse constitutos, ut propinquius observent & explorent vitam, mores, & actiones Cleri, suæ animadversioni commissi, ac proinde si quem a recto status & officii sui tramite declinantem audiverint, & compererint, primo illum privatim inter se, & illum ipsum fraterne admoneant, deinde si se non emendaverit, in Congregatione coram senioribus Confratribus reprehendant, si autem nec monitus, nec reprehensus a malo vel negligentia sua destiterit, tum cum summaria informatione illum ad Nos, aut Officialem nostrum Generalem deferant.

Si quis de Clero inhoneſte vixerit, fœminas ſuſpectas domi ſuæ, aut extra foverit, vel tales cum forti ſuſpicione & populi ſcandalo viſitare, aut tabernas & hoſpitia ad compotandum, vel choræas ducendas adire conſueverit; ſi quis cum mulieribus in uno curru diſcedere; ſi quis ebrietati deditus eidem frequenter indulſerit, aut pecuniam ſuam in uſuram dederit, ſive infamem Simoniæ labem commiſerit; ſi quis ſupellectilem ſacram, præcipue in auro & argento, & pretioſiorem etiam in rem & neceſſitatem ſuæ Eccleſiæ citra expreſſam a Nobis obtentam in ſcripto facultatem oppignoraverit, vendiderit, vel alienaverit; ſi quis in adminiſtratione Sacramentorum ita negligens vel tardus fuerit, ut ipſius culpa, aut infans ſine Baptiſmo, aut adultus ſine Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramento (quod Deus avertat) moriatur; ſi quis Sacramentum Matrimonii ſubditis alterius Parochiæ, non habita prius a proprio illorum Parocho licentia adminiſtrare præſumpſerit, aut ab Eccleſia frequenter ſeſe abſentaverit; ſi quis etiamſi penes ſuam Eccleſiam reſideat, Officia tamen Divina præcipue ad inſtructionem populi Conciones, & Catecheſes, nec per ſe, nec per ſubſtitutum peragit; ſi quis obligationes Miſſarum ex fundatione non adimplet, jura, decimas, cenſus, alioſque proventus Eccleſiæ ſuæ vigore juramenti circa inſtitutionem ſui præſtiti vindicare aut negligit, aut de anno in annum retardat; ſi quis Eccleſiam, cui præeſt, ædificiaque plebanalia in deſolationem tendere permittit, ruinis tempeſtive non occurrendo, nec ſarta tecta pro poſſe conſervando, aut, quod pejus eſt, bona, ædificia, fundos, proventusque Eccleſiaſticos (quorum non Dominus, & hæres, ſed Adminiſtrator & diſpenſator eſt) diſſipat & dilapidat. Si qui DD. Hæredes, & Poſſeſſores bonorum, novas colonias introducendo homines acatholicos fundant, aut Judæi mulieres Chriſtianas in obſequiis ſuis fovere, dies feſtos violare præſumant, talem ſive tales, iisdemque ſimiles quilibet Decanus ex ſuo Decanatu, imo etiam ex vicino, ſi ille negligens fuerit, ad Nos, vel Officialem noſtrum Generalem quantocius deferre tenetur.

Ut autem quilibet Decanus ſuper hactenus enumeratis, & ſimilibus poſſit ſe prius, & deinde Nos debite informare, de facili id aſſequetur, ſi bonam & fraternam cum Condecanalibus ſuis tenuerit ſemper cointelligentiam, & correſpondentiam, ſed & ex altera parte tam Parochi, quam alii, quicunque Commendarii, Vicarii, Miniſtri Eccleſiarum, imo univerſus illius Decanatus populus oportet, ut Decanos ſuos convenienti honore proſequantur, debitamque illis obedientiam præſtent, nihil eos celando, ſciſcitabuntur pro ſuo officio, quinimo, ſi quid certi cum gravi offenſa Dei, injuria Eccleſiæ, aut proximi aliquis ſciverit, eidem non odio perſonæ, ſed amore juſtitiæ deferre tenetur.

Convocabit quoque prævio proceſſu quilibet Decanus omnes, quoscunque ſui Decanatus beneficiatos Directores Scholarum, Cantores, Organarios, & alios Eccleſiarum Miniſtros, pro Congregatione Decanali bis in anno celebranda, ſcilicet poſt Dominicam ſecundam poſt Paſcha in craſtinum, & poſt primam Dominicam Octobris, die poſt Dominicas nominatas non impedita, idque obſervato turno Eccleſiarum. Cantataque Miſſa pro defunctis Confratribus, & altera de Spiritu Sancto poſt Orationem ſive diſcurſum ordine per ſingulos Parochos habendum de cauſis & fructibus harum Congregationum præhabitum mutuo conferat cum fratribus de occurrentibus negotiis, aut neceſſitatibus Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, tum de moribus, honeſtate vitæ Parochorum, aliorumque Presbyterorum in Decanatu ſuo exiſtentium, de cura animarum, adminiſtratione Sacramentorum, decore Eccleſiarum, Miniſtrorumque Eccleſiæ, cujuslibet ſobrietate, & in ſervitiis diligentia, præcipue autem, an Decretis præſentis Synodi & Ordinationibus in viſitationibus præſcriptis ſatisfactum fuerit.

In literis innoteſcentialibus pro futura Congregatione intimanda, proponantur per Decanum loci tres quæſtiones

ſtiones morales, ſeu caſiſticæ, ut quivis Beneficiatus ſuam deſuper in ſcriptis reſolutionem in philyra connotet, non ut tota impleatur, ſed ut poſtea in unum volumen redigatur, quas reſolutiones nominibus & cognominibus ſuis ſubſcriptas ſecum adferent, publice in Congregatione prælegendas, quas Decanus ſua reſolutione concludet, ac omnium ſcripta folia cum punctis, & quæſtionibus ad ſe recipiat, & ad Officium noſtrum una cum ſermone dicto remittet. Præterea, ſi quempiam ſcandaloſum, notoriisque exceſſibus, ſive defectibus, minoribus tamen (majores namque exceſſus ſupra numeratos illisque ſimiles noſtro, Officiique noſtri judicio totaliter reſervamus) accuſatum & convictum habuerit, eundem in Congregatione Decanali prius monitum, & correctum, tandem levioribus pœnis afficiat, ſi autem a malo, & pravo habitu non deſtiterit, eum in relatione, quam Nobis, ſive Officio noſtro ex qualibet Congregatione in ſcriptis transmittere tenebitur, cum ſummaria informatione deferat puniendum.

Quia vero compertum eſt, quod aliqui ex Parochis pro Oleis ſacris, & Rubricellis tardiſſime recurrere ſolent, opportunum duximus, procurationis ejusmodi negotium Decanis locorum committere. Unde quatenus iidem facta ſuper hoc in Congregatione cum Confratribus conferentia, eorumque præmonitione pro ſacris quidem Oleis circa feſtum Paſchæ Presbyterum ex quovis Decanatu per turnum, pro Rubricellis autem ad initium cujuslibet anni, curſorem tempeſtive mittant, illasque & illa inter Clerum, & Eccleſias ſui Decanatus ſalva refuſione expenſarum, & vialium diſtribuant.

Attendat inſuper unusquisque Decanus, ſi fratres in legendis, canendisque Miſſis Rubricas & cæremonias obſervent, & an cantum Gregorianum, tam illi, quam Eccleſiarum Miniſtri calleant, ne inordinato cantu audientium aures offendant.

Rituale Eccleſiæ, Catechiſmum Conc. Trid., libellum Evangeliorum præter alios libros morales, & ad prædicandum verbum Divinum neceſſarios ſuperius inſinuatos, an ſinguli habeant, & Breviarium integrum, videat & revideat, non habentes puniat, & ad comparandum citra ullam dilationem urgeat, ac inducat.

Similiter ad Congregationem non venientes, nec juſtas abſentiæ ſuæ cauſas literis nuntiisve exponentes mulcta pecuniaria, Parochos decem marcarum, Vicarios quinque puniat, quæ mulcta cedat pro fabrica Eccleſiæ illius, ubi Congregatio celebrabitur. Si autem ſecunda vice abſentes fuerint, ſciant ſe gravioribus ſubjiciendos pœnis, & contra tales Inſtigatori Officii actionem committimus.

Finitis vero, aut ſi ante prandium finiri non poterunt, dilatis poſt meridiem occurrentibus negotiis, omnes ſimul in domo Decani, ſive Parochi, quem turnus tetigerit, prandium ſument quam frugaliſſime paucis ferculis contenti, item in bibendo ſobrietatem omnimodam obſervabunt. Tempore menſæ legatur aliquis liber ſpiritualis.

Si quis autem ſub tempus Congregationis de ebrietate, rixis, contentionibus, exceſſuque aliquo ſcandaloſo convictus fuerit, is a Decano ab officio & ordine ſuſpenſus declaretur, & ad Nos pro abſolutione remittatur. Miniſtri autem Eccleſiæ laici carcere, aut verberibus pro qualitate exceſſus, & delicti, ex mandato Decani irremiſſibiliter puniantur.

Sumpta refectione iterum omnes inſimul ad Eccleſiam redeant reinduti ſuperpelliceis, & ſi quæ adhuc habent tractanda, expedienda, & definienda, tractent, expediant, & definiant, Actaque Congregationis a Decano, & Conſiliariis ſubſcripta ad Nos, ſive Officialem noſtrum Generalem per certum nuntium transmittant, ſuamque Congregationem per ſolenne *Te Deum laudamus*, & præmiſſo verſu *Benedicamus Patrem & Filium*, &c. per Orationem de Sanctiſſima Trinitate, cum altera pro gratiarum actione terminent, ac tandem eadem die ad Eccleſias ſuas revertantur in pace.

Officii præterea Decanorum eſt, viſita-

visitare omni anno singulas sui Decanatus Ecclesias, præmonitis antecedenter sive per processum, sive per literas illarum Rectoribus, quem taliter præmonitus quilibet Præpositus, Parochus, aut Commendarius cum Vicario ac Ministris Ecclesiæ domi suæ expectare, illumque cum omni quidem civilitate, hospitalitate, ac debita reverentia, & obedientia, tanquam Decanum suum & Commissarium nostrum sub pœnis pro qualitate culpæ, aut inobedientiæ irremissibiliter extendendis suscipere tenebitur, non tamen solemniter pulsatis campanis ad Ecclesiam introducere, quod Nobis tantum, nostrisque Visitatoribus reservamus.

Sub illud igitur tempus præsentiæ suæ non solum supellectilem, & ornamenta, ordinem & decorem in Ecclesia, & circa illam munditiem sacrorum linteaminum, præcipue corporalium, purificatoriorum subpallorum, an cum Inventario concordet, sed etiam fructus omnes, fundos, redditus, proventus, possessiones, jura, privilegia, dotes Beneficiorum, inscriptiones summarum diligenter connotet, maxime autem de vita & conversatione Sacerdotum, ac de scandalis & excessibus notoriis inter Parochianos utriusque sexus inquirat, & defectus omnes tam in spiritualibus, quam temporalibus rebus accurate & exacte describat. Visitationes suas ad Nos, Officiumque nostrum remittat, & super omnibus præmissis informet.

Præterea ad illorum officium spectare dignoscitur, de vacantibus quocunque modo Ecclesiis, Nos, aut Officium nostrum quantocius certiores reddere. Proinde, cum Decanus inaudierit aliquem ex Clero condecanali graviter infirmari, eundem personaliter visitet, & ad sumenda tempestive Sacramenta, ac testamentum faciendum suaviter inducat. Quod si quempiam ex Clero sui Decanatus diem ultimum obire contigerit, ad id denuntiandum citra ullam dilationem Decano vicinus illi defuncto Parochus cum expressione, testatusne, an intestatus decesserit, tenebitur. Quo facto, si ille testatus decessit, monebit Decanus Executores, ut quamprimum ad locum loci descendant, factaque circa corpus defuncti dispositione, ante omnia adhibitis saltem duobus testibus, inventarium tam jurium, & supellectilis Ecclesiasticæ, quam rerum defuncti revideant, ac verificent, aut, si non est confectum, conficiant, atque cum testibus subscribant, rebusque obsigillatis, ac sub fideli custodia relictis cum inventario & testamento pro approbatione illius procuranda, ad Nos, sive Officialem nostrum Generalem recurrant.

Si vero quispiam de Clero intestatus decesserit, tunc ipsemet Decanus ea, quæ supra, adimpleat, & confectum derelictorum inventarium aut ipsemet afferat, aut quamprimum per expressum nuntium ad Nos, vel Officium nostrum transmittat, expectans tantisper nostram dispositionem. Qualitercunque etiam vacaverit Ecclesia, ipse interim Decanus, (Decano autem mortuo vicinior Parochus hæc, & supradicta peragat) omni meliori modo ipsi in temporalibus & spiritualibus providendo, donec nuntio delato Nos, sive Officium nostrum per datam Commendam aliter disposuerimus.

Sicuti autem Decanos, quasi Vicarios foraneos in partem solicitudinis nostræ assumpsimus, & per eos universæ Diœcesis prosperitatem, ac pericula contemplamur: ita eosdem speciali reverentia ab omnibus volumus honorari. Quapropter quæcunque ex vi officii sui, suis in Decanatibus ad mentem Synodi præsentis, aut sacrorum Canonum præceperint, iis omnino a Clero Decanali obtemperandum decernimus. Sancta, & salubri cogitatione exorandi pro mortuis permoti, statuimus quoque authoritate præsentis Synodi, ut quoties in Decanatu contigerit aliquem Sacerdotem mori, extunc Decanus extraditis ad primam notitiam literis, universum Decanatus sui Clerum in virtute hujus Statuti Synodalis requirat, quatenus pro anima Confratris Parochi duas Missas cum Officio Defunctorum, pro anima autem Vicarii unam Missam, ut primum poterit commode, quilibet absolvat, similia post fata sua habiturus suffragia.

Statui-

Statuimus præterea, ut nullus Beneficiatus a quopiam alio, nisi ab ipsomet Decano suo foraneo, aut si Decanus justam impedimenti legitimi habuerit excusationem a designato ad hunc actum condecanali Parocho datis ad eundem ab ipsomet Decano literis introducatur in præsentia Executorum Antecessoris, qui juxta inventarium a Decano, & Executoribus, sive duobus ad minimum testibus, ac demum a seipso subscriptum, & prius fideliter revisum Ecclesiæ & domus plebanalis supellectilem, resque omnes derelictas cum augmento aliquo præteriti inventarii recipiet. Cujus inventarii exemplar unum manebit in Archivio Ecclesiæ, aliud a Decano & noviter installato pariter subscriptum, quilibet Beneficiatus intra unum mensem post suam introductionem ad Nos, sive Officium nostrum sub pœna 20. marcarum per Instigatorem Officii urgenda referre, & penes Acta relinquere tenebitur.

Meminerint quoque Decani admonere suos Parochos, quatenus unusquisque intra limites suæ Parochiæ cruces in viis publicis venerationi fidelium expositas, & vetustate aut ventorum vi collapsas, sive quocunque modo deformatas, tolli curet, novis in illarum locum substitutis, ne per hunc memoriæ Passionis Dominicæ neglectum inter Judæos & Hæreticos abundet scandalum.

Ut autem eo diligentius, & citra ullum respectum personarum officium suum obeant illos circa sui institutionem ad Decanatum Juramentum corporale juxta rotham & formam juramenti a Nobis præscriptam & hic appositam præstare debere ordinamus.

JURAMENTUM ARCHIPRESBYterorum sive Decanorum.

"Ego N. spondeo ac juro, &c.

Quia vero ad præsens aliqui inveniuntur Decani, qui non sunt Archipresbyteri, ideo salvis modernis Possessoribus, in futurum munus Decanorum ad solos Archipresbyteros debere spectare declaramus. Quos speciali favore prosequi volentes tam Archipresbyteros, quam Decanos, qui officium Vicariorum foraneorum sustinent, semel pro semper durante illorum officio ad audiendas confessiones approbamus, & facultatem etiam a casibus reservatis sedi ordinariæ absolvendi, & apparamenta pro Ecclesiis sui districtus, ubi non intercedit sacra Unctio, benedicendi, hac Synodali Constitutione impertimur.

CAPUT XIV.

De recta Sacramentorum administratione.

Sanctissima novæ legis Sacramenta, per quæ veluti per instrumenta salutis, atque invisibilis gratiæ visibiles formas, omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, cum e latere Christi, tanquam de misericordiarum plenitudine in adjutorium humani generis effluxerunt, atque illæ sunt, quæ cum gaudio hauriuntur de fontibus Salvatoris, & sanctam Dei Ecclesiam perenni gratiarum effusione fœcundant.

Cum ergo tantum valorem in se contineant, nimirum thesauros Redemptionis nostræ complectantur, condignum est, ut sancte, pie, ac reverenter pertractentur. Noverint ergo Parochi, aliique Sacerdotes, ad quos pertinet pretiosa hæc dona administrare, quanta illis adhibenda sit cura, ut in tanta cœlestis ærarii custodia fideles Mysteriorum Dei dispensatores habeantur. Idcirco Sacramenta & Sacramentalia sub seris & clavibus, quas semper apud se caute detineant, ita custodiant, ut nemo ad nefaria exercenda, vel ad usum a sancta Romana Ecclesia reprobatum illis uti queat, graves pœnas arbitrio nostro daturi, si quid in hac re dolo, aut negligentia deliquerint.

Cum autem nefas sit, pura ab impuris tangi, & sancta non sancte tractari, inprimis studeant vita, moribusque se reddere irreprehensibiles, ut omni ferme temporis momento, ea, qua decet, animi puritate ac veneratione ad tantæ administrationis munus parati inveniantur. Neque enim licet pec-

peccati labe infectis sacra hæc Mysteria polluto ore conficere, aut fædis manibus contrectare, cum peccatori dixerit Deus: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam.* Propterea quicunque Sacramenta administraturi omni, quo possunt, studio cavere debent, ne manus ad ea admoveant mortali reatui obnoxii, sed prius conscientiam emundent omni, & quocunque lethalis culpæ contagio per Sacramentalem Confessionem, vel saltem per contritionem, si Confessarii copia desit, & ministrandi Sacramenti necessitas urgeat, ne alias mortiferis sordibus inquinati, dum aliorum saluti student, sibi reddantur æternæ damnationis authores. Tenentur tamen taliter contriti quamprimum confiteri. Advertant autem bene ly *quamprimum* esse præceptum, non consilium; prout pridem ALEXANDER VII. *Propositione* 38. inter confixas condemnavit: "Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum." Et *Propositione* 39.: "Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur."

Atque ut internæ cordis dispositioni externus itidem cultus, atque ornatus respondeat; Sacramenta omnia præter Extremam Unctionem, & præter gravis necessitatis casus nonnisi in Ecclesia conficiantur, aut conferantur. Ac quemadmodum illa ministrantes candida innocentiæ stola exornati esse debent, ita etiam extrinsecus superpelliceo, stolaque ejus coloris, qui Sacramento ministrando congruit, semper induantur, eademque ratione curent, ut vestes & vasa sacra, aliaque omnia pro singulorum Sacramentorum usu, ac ministratione adhibenda Ecclesiasticæ munditiæ nitore, ac puritate colluceant, totoque illo tempore omnem modestiam, gravitatem, animique compositionem retineant probantes ex eo, quod vere sint Ministri Dei, Mysteriorumque Divinorum dispensatores indubii.

Ea præcipue exacte calleant, quæ tum intrinsece & essentialiter ad Sacramentorum constitutionem, tum extrinsece ex Ecclesiæ præscripto, aut pia consuetudine ad earundem administrationem exiguntur.

Illorum vero formis, quas a Christo Domino institutas S. Romana Ecclesia, aliarum Ecclesiarum Mater & Magistra, tot sæculorum usu observavit, nihil addere, aut detrahere præsumant, sed verba, in quibus ipsa consistunt, omni animi attentione proferant agere proponentes, quod Christus Dominus noster instituit, & sancta intendit Ecclesia. Rituale Romanum semper præ oculis habentes, ex eodem omnia attente exequantur.

Quacunque vero diei sive noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabuntur, hilari vultu ac prompto animo accedentes, nullam tam sanctæ pietatis officiis moram interponent, ideoque populum sæpe monebunt, ut statim a principio morbi infirmum Parocho significent, nulla habita aut temporis, aut loci distantis, aut alterius cujuscunque incommodi ratione. Imo cum aliquos in Parochiæ suæ finibus ægrotare intellexerint, eos statim etiam non vocati conveniant, curentque, ut Pœnitentiæ Sacramento peccatis suis expiatis sacram Eucharistiam percipiant, & quos gravius affectos corporis morbo cognoverint, eis maxime persuadere conentur, ut ad hæc salutaria animæ remedia frequentius confugiant. Quod si eorum negligentia quempiam absque Sacramentorum susceptione, ac etiam commendationis animæ suffragiis mori contigerit, ultra gravissimi sceleris admissi reatum, severissimis pœnis arbitrio nostro punientur.

Caveant tamen, ne quidquam etiam minimum in Sacramenti cujuslibet ministratione verbis aut signis directe vel indirecte exposcant sub pœnis a jure sancitis, & aliis etiam gravioribus arbitrio nostro infligendis. Cum enim quæ gratis accepimus, gratis etiam dare debeamus; Sacramenta non modo absque aliqua Simoniæ labe, verum etiam absque ulla avaritiæ suspicione sunt conferenda. Quod si sponte aliquid, ac libere eleemosynæ nomine & pietatis studio hac occasione a fidelibus

bus offerri consueverit, id tanquam non debitum peracto Sacramento modeste recipi non interdicimus.

Collimitaneos extra Diœcesim nostram Catholicos, qui non *in loco pascuæ*, verum *Canticum Domini cantant in terra aliena*, & nonnisi rarius Templa nostra accedere possunt Rectoribus Ecclesiarum in confiniis existentium maxime recommendatos esse volumus, obsecrantes eos per viscera misericordiæ, ut talibus quisque Ecclesiasticus omni possibili modo succurrat, & ubi ad illos pro administratione Sacramentorum vocati fuerint, nulla distantia loci, nullis viarum incommodis se excusent, quinimo uti oviculas errabundas paterne præ reliquis complectantur, gratis, etiam sponte oblata non recipiendo, sed solo lucro animarum, & gloria Dei contenti.

Demum quia non modo in ministrantibus, sed & in suscipientibus pietatem, puritatem, externumque cultum exigunt Sacramenta, crebris cohortationibus monendi erunt fideles, ut illorum salubres effectus considerantes, pure, devote, ac frequenter ad ea recipienda accedant, nec modo conscientiæ munditiem, animique debitum candorem afferant, sed exteriori etiam corporis habitu, ac gestu humilitatem, ac reverentiam præseferant. Mulieres quam maxime honesto, humilique ornatu ad ea suscipienda accedant, ut ita cœlestia Christi Salvatoris munera sanctius recolentes, uberiores Divinæ gratiæ fructus consequantur.

CAPUT XV.

De Baptismo.

Baptismi Sacramentum, cujus virtute e damnationis barathro, cui tanquam naturæ filii addicti omnes nascimur, in Dei filios adoptamur, atque in innocentiæ statum restituimur, omni certe sanctitate & gravitate administrandum est, atque omni item cum humilitate, sanctaque modestia suscipiendum. Etenim *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quare officii nostri ratio postulat, ut quæ circa Baptismum recte scire, & in ejus administratione rite servare, quæque populum, quando usu venerit, edocere tenentur, hic explicemus.

Licet omne aquæ genus, sive maris, sive fluvii, sive paludis, sive putei, sive fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua dici solet, etiamsi sit lutulenta, sit sufficiens hujus Sacramenti materiá, tamen extra casum necessitatis, non alia aqua in hujusmodi ministerio adhibenda est, quam quæ ex sanctæ Matris Ecclesiæ instituto statis cæremoniis, & sacrorum Oleorum admixtione, Sabbato sancto, & Sabbato ante Pentecosten solemni ritu consecrari solet, & in baptisterio toto anno pure & decore asservari. In casu autem necessitatis curandum est, ut pro Sacramenti dignitate aqua pura & munda habeatur.

Noverint autem ipsi Parochi, alios que doceant formam legitimam hujus Sacramenti a Christo Domino præscriptam necessario adhibendam esse hanc: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita enim a Domino traditum est, cum Apostolis præcepit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris* &c. Quorum verborum prolationi contemporanea debet esse aquæ super baptizatum trina per modum Crucis infusio trium Divinarum Personarum nominibus correspondens, & animadvertendum diligenter est, ut idem sit aquam adhibens, & verba pronuntians. Strictissime vero prohibemus, ne quidquam addatur, aut immutetur in formæ prolatione, sed ipsamet verba a Christo Domino, ut supra præscripta, & ab Ecclesia custodita exactissime retineantur. Ideo, cum sæpe contingere possit, quod ab aliis de populo, quam a Sacerdotibus Baptismum administrari oporteat, Parochi populum, & præcipue obstetrices, quibus sæpius obligatio infantes in mortis periculo constitutos baptizandi incumbit, ea, quæ essentiam Baptismi spectant, edoceant, atque de hoc antequam ejusmodi munus exercere incipiant, a Parochis instrui, & examinari sæpius debent, atque ut cognoscatur, an in re tanti momenti Parochi diligentiam adhibeant, volumus, ut

ut præfatæ obstetrices semel in anno Decano foraneo loci se præsentent, & ab eodem examinentur; idque hoc fiat tempore visitationis Decanalis.

Si vero dubium suboriatur, fueritne Baptismus vere collatus an non, tunc Parochi antequam baptizent, diligenter inquirant, an, & quomodo infans ob imminens mortis periculum, baptizatus domi fuerit, & si rite, recteque peracta omnia cum intentione, quam habere vult Ecclesia, ad Baptismum necessaria certo compererint, a baptizando quidem abstineant, sed tamen preces, ritusque Ecclesiæ consuetos prætermissos duntaxat suppleant. Quod si Parochus post accuratam inquisitionem factam adhuc tamen probabiliter dubitet, an infans fuerit recte baptizatus, tum eundem, ne talis dubitatio eidem ruina fiat, sub conditione baptizet dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Nam ut super hujuscemodi re D. Gregorius monuit: "Non " monstratur iteratum, quod non cer- " tis indiciis ostenditur rite peractum."

Ut autem fideles ad altissimam de Baptismi Sacramento æstimationem, & dignitatis suæ agnitionem excitentur, commoneat eos Parochus, & sæpe doceat uberrimos, quos per Baptismum fructus percipiunt, nam non modo a peccato originali liberos efficit, sed & gratia ditat, & glorioso charactere exornat, ut Christi Ducis, ac Dei nostri semper, & ubique filii agnoscantur, hocque argumentum uberius explicet ex Catechismo Romano p. m. Cardinalis BELLARMINI, quem in Polonicum idioma transferri curavimus, & Trid. Conc.

Legitimus autem Minister Baptismi est Parochus proprius, vel de ejus licentia etiam alienus, & quicunque Sacerdos. At quoties mortis manifestum imminet periculum, quilibet esse potest Minister Baptismi, qui applicata rite materia & forma intentionem habeat faciendi, quod facit Ecclesia. Eo tamen casu hunc ordinem servandum esse meminerint, ut præsente Parocho non baptizet simplex Sacerdos, nec hoc præsente Diaconus, aut Subdiaconus, nec his adstantibus Clericus, neque præsente Clerico, Laicus, neque præsente viro, mulier, nisi hæc melius sciret formam, & modum baptizandi.

Nullus extra Ecclesiam, ac in domo privatâ hocce Sacramentum audeat administrare, nisi forte domi imminente mortis periculo id facere compellatur, & tum cessante mortis discrimine, quamprimum ad Ecclesiam referatur infans, ut ritus, precesque consuetæ per Parochum suppleantur.

Ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine præter Sacerdotem, qui baptizat, alii etiam adhiberi solent, qui Patrini vocantur, ideo Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat, qui patrini electi sint, nec nisi unum tantum sive virum, sive mulierem, vel ad summum unum, & unam admittere debet, quos tamen antequam admittat, prius examinet, an Symbolum fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Ecclesiæque præcepta calleant. Et si ignaros reperit, omnino rejiciat. Ad hujusmodi autem munus assumi prohibemus mares nondum completo anno decimo quarto ætatis, & fœminas nondum completo duodecimo, Sacramento Confirmationis nondum initiatos, hæreticos, schismaticos, notorie excommunicatos, non confessos, nec sacra Communione refectos proximo Paschate, publice criminosos, aut infames. Denique quoscunque Regulares utriusque sexus & Clericos, etiam Sæculares in sacris sine nostra speciali licentia. Caveant igitur Parochi, ne hujusmodi admittant, alioquin gravibus pœnis arbitrio nostro subjiciendi, & quoties Sacramentum Baptismi populo explicabunt, publice omnibus denuntient se tales in patrinos nullatenus admissuros, sed protinus repulsuros. Quos autem rite admiserint, eos de eorum officio commonefaciant, scilicet illud non esse nudum nomen, sed gravem obligationem eos, quos de sancto fonte suscipiunt, in Catholica fide & bonis moribus instituendi, si eorum parentes id facere vel negligentia omiserint, vel morte, aut alio casu præpediti nequiverint. Doceantque Paro-

Parochi cognationem ſpiritualem impedientem, & dirimentem Matrimonia, hoc nomine contrahi inter ſuſcipientes ex Baptiſmo, ac baptizatum ipſum, & inter illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem, ac baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum.

Curent quoque Parochi, ut infantibus proprio nomine in Baptiſmo appellandis ea nomina non imponantur, quæ turpia aut ridicula ſunt, quæque adeo gentilium, & impurorum hominum memoriam referant, ſed illorum, qui ob veræ pietatis, ac ſanctæ Religionis, virtutisque Chriſtianæ laudem Sanctorum numero adſcripti ſunt, ut & in ipſo vitæ ingreſſu cum ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere velle proteſtentur, & ipſi infantes, etiam cum ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine ad eorum, a quibus illa accepta ſunt, imitationem excitentur, & præterea quos imitari ſtudeant, eisdem quoque frequentius precentur, ac ſperent eos ſibi ad ſalutem tum animæ, tum corporis Advocatos fore.

Puerperæ, cum primum poſt partum domo exierint, mox ad Eccleſiam Parochialem Deo acturæ gratias accedant, ubi ex laudabili ſanctæ Eccleſiæ conſuetudine benedictionem peculiaribus precibus a Parocho ſuſcipiant. Parochus tamen hac de cauſa puerperæ domum non ingrediatur, etiamſi mulier ob adverſam valetudinem Eccleſiam adire nequeat.

Grave atque immane facinus eſt, infantes per impudentiam illorum ſuffocari, qui ſtatim, ac nati ſunt ſecum in cubili collocant. Quare diſtricte parentibus, nutricibus, aliisque quibuscunque inhibemus, ne infantem ætatis ſuæ anno nondum completo in lecto ſecum retineant, aut lactent, ſub pœna, ut ſecuta ſuffocatione tales per totam Quadrageſimam ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & ante fores Eccleſiæ ſub porticu, ſive campanili ad pœnitentiam ſe diſponant, & feria 5ta in Cœna Domini ſe ſiſtant coram Nobis, ſive Deputato noſtro ad recipiendam publicam abſolutionem. Decanis tamen locorum licitum erit tales delinquentes in foro conſcientiæ duntaxat abſolvere.

Præterea habeant Parochi ſub diligenti cura decentem, & bene compactum librum cum ſuis integumentis. Non libellum, qui vento rapitur, in quo baptizatorum, eorumque parentum & patrinorum nomina, & diem, & annum collati Baptiſmi, & alia juxta formulam Ritualis Romani accurate, ſtatimque (ſi fieri poteſt) deſcribant, nunquam vero ultra diem hoc facere differant. Quod ſi de licentia Parochi proprii, vel etiam ſine licentia in caſu neceſſitatis alienus Parochus aliquem baptizaverit, tunc Baptiſmi ſic collati notulam ſub præfata pœna eadem die transmittat proprio Parocho in ejus libro inſcribendam, & in ſuo quoque libro eandem inſerere non prætermittat. Porro ut horum librorum plenior ſit fides, ea adverſus fraudes adhibeatur cautela, ut omnes eorum paginæ chartulentur, & nomina baptizatorum in iis deſcripta, continuata numerorum ſerie a principio uniuscujusque anni uſque ad finem in margine calculentur.

Pro extradendis atteſtationibus, ſive fide Baptiſmi, & aliis teſtimoniis a Parocho ſæpius neceſſariis, volumus, ut quævis Eccleſia ſuum habeat ſigillum proprium ex ferro, aut aurichalco effigiem S. Patroni vel Patronæ repræſentans cum exaratione literarum in circumferentiis, v. g. Sigillum Eccleſiæ Parochialis N. quod omnibus & ſingulis Parochis ſub pœna trium aureorum piis cauſis applicandorum, in prima viſitatione præſentandum habere mandamus, ut etiam longe diſtantes ex ſcriptura tali ſigillo firmata teſtimonium præſtitum verum eſſe cognoſcant.

In adultis baptizandis ſignanter Hebræis (de quibus exempla (licet horribile dictu ſit) extant turpis quæſtus gratia bis Baptiſmum ſuſcepiſſe) ſint valde cauti, omnem idcirco curam Parochi impendent, antequam aliqui baptizentur adulti, ut de illorum conditione ac ſtatu, quantum licuerit, teſtimonium a probatis Viris exhibeatur.

CAPUT XVI.

De Confirmatione.

Ad roborandos in ſuſcepta fide regeneratos ex aqua & Spiritu S. providit nobis benignitas Salvatoris noſtri DEI Sacramentum Confirmationis, quo per unctionem S. Chriſmatis, & impreſſum fronti ſignum S. Crucis ſignaculo quodam indelebili initiaremur fideli illius, fortique confeſſioni & cultui, contra omnes viſibilium & inviſibilium hoſtium dolos, & inſultus. Hinc cum S. Chriſmatis virtute ad Chriſtianam militiam ſpiritualemque agonem roboremur, ad quod pugnæ genus pueri rationis uſu carentes, idonei non ſunt, ab ejusdem Sacramenti ſuſceptione minores ſeptennio omnino repellantur.

Patrini, qui iis, quos in Confirmatione tenent, veluti duces in ſpirituali certamine præire, & documenta Chriſtianæ fidei, ſi opus fuerit, tradere debent, ſint natu majores, aut ſaltem ejus ætatis, ut proprio muneri ſatisfaciant, a quo officio eos excludimus, qui adhuc Sacramentum hoc non ſuſceperunt, tum etiam omnes, quos ſupra in Baptiſmi Sacramento repellendos mandavimus.

Mares a maribus, fœminæ a fœminis ſuſcipiantur, ſintque tantum unus vel una juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

Rectores Eccleſiæ, quoties hoc Sacramentum adminiſtrandum erit ab Ordinario loci, vel alio Epiſcopo de ejus licentia, inſtruant tempeſtive populum de vi & effectibus ejus, moneantque, ut ſemel confirmati non reiterent illud ſacrilege, tum ut adveniente ſtatuta die, mundo corporis cultu, atque animi devoto habitu, linteamina munda pro alligando ſibi in frontibus Chriſmate ſecum deferentes ad Eccleſiam deſtinatam ſe conferant, ſciantque animarum curam gerentes ipſorum muneris eſſe ſedulo ac diligenter curare, ut confirmandi omnes, ne ſeptiformi gratiæ Spiritus Sancti, quæ in hoc Sacramento confertur, obicem ponant, conſcientiam prius per Sacramentalem Confeſſionem emundent.

Meminerint quoque cognationem ſpiritualem in hoc Sacramento contrahi inter confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem. Quorum omnium nomina & cognomina cum expreſſione temporis curet annotari Parochus in libro confirmatorum, in hunc modum: *Anno, menſe, die, confirmatus, vel confirmata eſt ab Illmo D. Epiſcopo N. filius, vel filia N. Patrinus vel matrina fuit N.*

CAPUT XVII.

De Euchariſtia.

Quoniam per Baptiſmum renatos, & in Confirmatione adverſus hoſtes armatos nos ali, præterea & cœleſti cibo ſuſtentari oportet, ne in miſeræ hujus peregrinationis noſtræ ad patriam via deficiamus, providit nobis gratioſiſſimus Salvator Panem de cœlo vivum, habentem in ſe omne delectamentum ſaporis, Panem fortium & Divinum Sacramentum, ſcilicet Euchariſticum, in quo divitias vel delicias ſui erga homines amoris velut effudit, *memoriamque fecit ſuorum mirabilium miſericors & miſerator Dominus.* Nec in nutrimentum duntaxat animarum nobis obtulit Divinum hoc epulum Corporis & Sanguinis ſui verum & in pharmacum. Ipſo enim, ut loquitur S. Thomas, " purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur." Itaque ut non ſolum viveremus vita quadam ſpirituali, ſed etiam nutriremur, creſceremus, & mortem non guſtaremus in æternum Chriſtus Dominus ac Salvator noſter, *cum in finem dilexiſſet ſuos*, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in ultima cum diſcipulis cœna ante paſſionem inſtituit, in quo ſub ſpeciebus panis & vini vere realiter & ſubſtantialiter ejus Corpus & Sanguis una cum anima & Divinitate, atque adeo totus Chriſtus, fons, authorque omnis gratiæ continetur, ut non modo fideles Pane de cœlo præſtito enutriantur in vitam æternam, ſed eſſet in Eccleſia ſua Symbolum illius unitatis, & charitatis, qua Chriſtianos omnes in ſe conjunctos & copulatos eſſe voluit.

Quam-

Quamobrem cum ea ſit dignitas, excellentia, atque ſuper cætera Sacramenta prærogativa ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ut ejus Majeſtatem, Divinitatemque tot expreſſis & iteratis ſacræ Scripturæ teſtimoniis Spiritus Sancti teſtatam eſſe, & ex ea tanquam a fonte in reliqua Sacramenta veluti rivulos, quidquid habent boni derivare voluerit, idcirco Officii noſtri ratio poſtulat, ut omni Paſtorali ſolicitudine procuremus tam eximii erga nos amoris ſacratiſſimum pignus fide firmiſſima ab omnibus credi, religioſiſſima veneratione coli, reverentia maxima tractari, & ſummo demum aſſervari decore.

Hinc ſacrorum Canonum, Conciliorumque veſtigiis inhærentes ſtatuimus, in eo Eccleſiæ Altari, in quo Sanctiſſimum ſolet aſſervari, ſit tabernaculum affabre factum majori ex parte ad extra deauratum, ad intus ſerico panno rubri, ſeu alterius decentis coloris conveſtitum, vacuum omnino a ſacris Reliquiis, atque a ſacrorum liquorum vaſis, aliisque quibusve rebus, ut ne inane quidem vaſculum, Monſtrantiave in eo reponatur. Bene tutum & jugiter clauſum, ejusque clavis habeat cordulam decentem, quam ſolus Parochus diſtincte aſſervet, neque alteri unquam committat. Sub pyxide & oſtenſorio extenſum continuo ſit candidum corporale, quod ſingulis ſaltem duobus menſibus mutetur, ut mundum ſemper habeatur. In Eccleſiis Monialium clavis a Tabernaculo ſervetur penes Confeſſarium.

E regione ſanctiſſimi Sacramenti præluceat continuo lampas munda, loco convenienti poſita vel appenſa.

Jam vero ad devotum & frequentem tanti Sacramenti cultum & uſum, Parochi ſæpe paterno affectu opportune importune populum hortentur, rogando & obſecrando, ut ſacroſanctam Euchariſtiam religioſiſſime adorent, ad gratiarum omnium Authorem, in ea contentum, in ſuis neceſſitatibus recurrant, & eam non modo ſpiritualiter, ſed etiam ſacramentaliter quam frequentiſſime ſumant. Demonſtrabunt etiam hoc Sacramentum eſſe infiniti in nos Divini amoris admirabile argumentum, Dominicæ Paſſionis jugem commemorationem, & æternæ vitæ certiſſimum pignus.

Ex vi triti Canonis Lateranenſis Concilii quilibet Catholicus, ſemel in anno ad minus, ad hoc ſanctiſſimum & auguſtiſſimum Sacramentum accedere obligatus eſt. Intererit quoque curæ & zeli Parochorum populum ad frequentandum ſæpius hocce Sacramentum ſaltem majoribus feſtivitatibus exhortari. Si quis autem tempore Paſchali (quod in hac Diœceſi a Dominica Paſſionis, ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha incluſive durat) Euchariſtiæ ſumptionem (niſi forte jubente vel ſuadente id Confeſſario) differre neglexerit, & quidem in propria Parochiali Eccleſia, eorum nomina Parochus ſcripto notata Nobis, vel Officio noſtro ſtatim poſt finitum tempus Confeſſionis Paſchalis deferat, & niſi moniti reſipuerint, ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & taliter mortui in locis ſacris non ſepeliantur.

Ad effectum autem habendæ melioris notitiæ, qui huic præcepto Eccleſiæ paruerint, ſive non, ſciant omnino Parochi, & habeant inſcriptum numerum Parochianorum ſuorum, dum Colendas abſolvunt, ſtatum animarum ſibi commiſſarum oſtiatim inquirendo. Pro Confeſſione Paſchali ſchedulas diſtribuant, quas poſtea circa confeſſionem recipiant. Sicque numerum ſchedularum cum numero perſonarum confrontent, ac conferant.

Sed ne quis temere ad cœleſtem hanc menſam accedat, & manducando indigne judicium ſibi manducet, non diſcernens Corpus Domini, Parochi ſæpius, præcipue omnibus Dominicis Quadrageſimæ populum omnia, quæ ad fidem & doctrinam hujus Sacramenti pertinent, accurate edocebunt, & illud Apoſtoli: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, ſæpe inculcando ex Catechiſmo Romano oſtendant, qua ratione præparatos communicantium animos eſſe oporteat, & quomodo præmiſſo conſcientiæ maturo examine per Sacramentalem Confeſſionem expurgari debeant.

Sedulo præterea Parochi caveant, ne

ne quosvis indiscriminatim ad sacram Communionis mensam admittant, omnino excludentes publice excommunicatos, concubinarios, meretrices, blasphemos, maleficos, usurarios publicos, itemque publice criminosos, eos præterea, qui in odio proximi cum scandalo perseverant, nec non conjuges cohabitare sine causa legitima nolentes, nisi prius hi omnes certum pœnitentiæ cum vitæ emendatione signum dederint, denique amentes, qui lucida intervalla non habent, quorum omnium nomina vel ad Nos, vel ad Vicarium nostrum Generalem transmittere non prætermittant.

Alienæ Parochiæ fideles, præter advenas, & peregrinos, ad Parochum proprium remittantur.

Sæculares inservientes in Monasteriis, vel Conventibus Regularium, seclusis privilegiis particularibus Nobis, sive Vicariis nostris Generalibus exhibendis, huic præcepto in Ecclesia Parochiali satisfacere teneantur.

Cum ad infirmos Ss. Sacramentum defertur, id fiat publice præcedentibus Ministris Ecclesiæ cum facibus cereisve accensis, & tintinnabulo, hymnosque aut antiphonas convenientes recitantibus cum populo sequente, qui, ut frequens & devotus comitari assuescat, moneatur sedulo in concionibus, ac præsertim sicubi Confraternitates Laicorum pietati huic destinatæ habentur, ut illam assiduo exerceat. Quod intelligendum est, nisi propter nimis lutosam viam aut alias graves causas, aliter omnino fieri oporteat.

Remotius vero ab oppido & villa omisso pretioso apparatu in capsula auro, vel serico texta ex collo Sacerdotis cum tintinnabulo pendente, eundo, vel equitando, seu discedendo modeste deferatur, ubi vero ad locum pervenerit, superpelliceum & stolam omnino adhibeat. Monendi sunt autem ii, qui Parochum de infirmo certiorem reddent, ut mundum a sordibus sit cubiculum, & profana omnia amoveantur, in mensa mappa nitida sternatur cum cereis super ea accensis, & cruce posita.

Si ob distantiam loci, vel instans mortis periculum, una eademque opera audienda fuerit ægroti confessio, primum id Sacerdos, excedere omnibus cubiculo, atque foris orare jussis, præstet, deinde sacram ei Communionem exhibeat.

Porro alias semper, quando vicinitas loci, nec adeo afflicta infirmi valetudo patitur aditum, prius eo fine ægrum audiat ac disponat, tuncque demum ad eum Divinam Synaxim ferat.

Antequam infirmis Viaticum præbeatur, cum iisdem actus fidei, spei, charitatis recitentur, nisi prudentia aliter suadeat. Administrato vero Sacramento alii actus, nimirum gratiarum actionis, resignationis in Divinum beneplacitum, & alii similes iisdem suggerantur, qui apponuntur in Appendice *sub numero VI.*

In Ecclesiis Parochialibus, præcipue solennioribus festis, & dum major est ad Communionem concursus, actus, de quibus immediate insinuatum est, clara voce recitentur a Sacerdote, qui sacram Communionem distribuet.

In Parochiis, ubi una, aut duæ duntaxat Missæ Dominicis & Festis diebus haberi solent, Missa præfatis diebus stata semper hora celebretur, ita scilicet, ut paulo ante meridiem finiatur. Et si qui Parochiani ad illam tempestive non confluxerint, etiamsi jure Patronatus gaudeant, non expectentur, ne alii longe plures inaudita Missa, quod sæpe accidit, discedere cogantur.

Hostiæ consecratæ hyeme singulis quindecim, æstate vero octo diebus renoventur, renovationisque tabula in Sacristia consulto appensa sit, in eaque quocunque tempore renovatio facta fuerit, connotetur.

Cæterum cum ex crebra sanctissimi Sacramenti expositione vilescere observantiam & reverentiam tam præcelso Sacramento debitam animadvertimus; quascunque publicas expositiones & processiones, nisi publica ex causa, a Nobis vel Vicariis nostris approbatas, fieri prohibemus etiam in Ecclesiis Regularium utriusque sexus.

Quo-

Quotiescunque licentiam prædictam exponendi sanctissimum Sacramentum dari contigerit, saltem cereos sex accendi, & Altare, Capellam, atque etiam Ecclesiam pro facultatibus locorum exornari, omnesque cæremonias in hujusmodi casu consuetas diligenter observari sub pœnis arbitrio nostro injungendis jubemus, Servitoresque Ecclesiæ ad emungendas candelas accedentes, superpelliceo semper induantur.

CAPUT XVIII.

De Sacrificio Missæ.

Ut sanctissimum Missæ Sacrificium, in quo idem ille Christus continetur, & in Altari quotidie a Sacerdotibus in remissionem peccatorum incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruenta morte obtulit, ea, qua decet, cordis munditia & puritate, atque exterioris devotionis, ac pietatis specie peragatur, hoc decernimus.

Sacerdos, qui, ut ait Apostolus: inter homines, in iis, quæ sunt ad Deum, electus est, *ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis populi*, secum ipse frequenter consideret, quanti sit munus sibi commissum victimam illam sacratissimam pro peccatis populi immolandi, & uti sæpius celebrare debet, ne tanto tamque admirabili dono & beneficio fraudet Ecclesiam Dei, ita quoque eum eniti par est, ut omni animi pietate ac religione sacrosancta illa & illibata offerat dona, ne cum aliis opem imploraverit, ipse sibi exitium paret.

Celebraturus igitur diligenter prius discutiat conscientiæ suæ latebras, & si peccati mortalis sibi conscius fuerit, quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Missam faciendam non accedat, etiamsi ex officio celebrare teneatur, modo non desit ei copia Confessoris. Quod si necessitate urgente absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Mente præterea recogitet, ac pie meditetur mysterii, quod tractaturus est, altitudinem, atque excellentiam, propriamque sui ipsius miseriam ac vilitatem, & suum in diligendo Deum torporem, totumque se in immensam illius misericordiam projiciens interno cordis clamore se tanto hospite indignum esse cognoscat, & coram Domino fateatur.

Celebret autem non quasi ex consuetudine, & necessitate, sed magna cum attentione & devotione, sedate, tranquille, leniter, ut spiritualem, ac Divinam rem agi omnes, qui interfuerint, cognoscant.

Ad mentem autem Conc. Trid. ordinamus, ut quilibet Curatus Missæ Sacrificium celebrando, idem diebus Dominicis & Festis pro populo offerat, quod ipsum S. R. C. demandavit sequentibus: " Parochi in Dominicis & " Festis non possunt recipere stipendia " pro Missa eadem die celebranda." Idem multoties declaravit S. Congreg. Concil. & noviter anno 1725. his formalibus: " Parochi tenentur Missam " Conventualem in diebus Dominicis " & Festis applicare pro populo suæ " Parochiæ." De reliquis in hebdomade diebus meminerit quilibet illius, quod V. Beda dixerat: " Sacerdos legitime non impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat sanctissimam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores & in purgatorio existentes venia, justos subsidio & gratia, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & semetipsum medicina ac remedio."

Cæremonias ab Ecclesia institutas in Sacrificii celebratione, quam exactissime servent. Cum autem accesserint ad Altare, ne in mora sint cum Sacrificio cujusvis expectandi gratia, neve ob eandem causam in Missa inchoata subsistant, aut ejus initium repetant.

Hostiæ habeantur ad Sacrificium Missæ ex farina triticea, munda, recenti, & vinum purum, clarum, non acidum, bene servatum, non evaporatum, & quoad hanc materiam Sacramenti obligat Synodus omnes Beneficiatos sub gravissimo onere conscientiæ & reatu, licet conscientias illorum obliget etiam ipsa fides, & præscriptum Ss. Canonum.

Missam legant, nec memoriter dicant,

cant, ne quid diminuatur aut addatur propter erroris caſum, qui in omni Miſſæ parte gravis, in Canone gravior, in ipſa vero conſecratione graviſſimus eſt.

Pallas, corporalia, purificatoria munda teneant, nec tela rara ob periculum fragmentorum, ſed denſa pro corporalibus utantur, ornatumque omnem tam circa Altaria, quam circa veſtitum ſacrorum adhibeant. Pileos, chirothecas, ſtrophia, & quidquid ſapit profanum, in Altari non ponant. Hoſtias ad Sacrificium Miſſæ non ultra quindecim dies conſervent, ſed recentiores præparent.

Hortentur Curati cunctos ſuæ Parochiæ fideles, ut omnes feſtis diebus Miſſam audiant in Eccleſia Parochiali, in qua per Baptiſmum regenerati, atque hæredes Regni cœleſtis facti ſunt, moneantque diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commode fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.

Ubi ſunt duo vel plures Sacerdotes penes Eccleſiam, prima Miſſa mane dicatur, ut illi, qui interfuerant, domum redire, &, qui ibi remanſerant, inde ad Eccleſiam, antequam ſummum Sacrum incipiat, tempeſtive venire queant.

Nullus Sacerdos etiam Regularis in privatis ædibus & oratoriis privatis celebrare præſumat ſub prætextu cujuſcunque indulti, idque ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, niſi hujuſmodi indultum per Nos, ſive Vicarios noſtros Generales debite reviſum, admiſſum, ſive conceſſum fuerit. In hujuſmodi Oratoriis nemo dormiat, nihilque fiat, tractetur aut exerceatur, quod profanum ſit. Nullæ ciſtæ profano uſui deſtinatæ, nihilque ex domeſtica ſupellectile, nihilve aliud ſacris locis alienum in eis aſſervetur, alioquin eo ipſo interdicta ſit illis Miſſæ celebratio. Nec unquam amplius, quam una ſola Miſſa de die in talibus oratoriis celebretur, idque exceptis diebus ſolennioribus in indulto expreſſis, in quibus omnino a celebrando abſtineatur. Sacerdotes in hoc delinquentes, etiamſi ſint Regulares, noverint ſe a Nobis graviter puniendos. Scire enim volumus univerſos, datam & conceſſam eſſe facultatem Ordinariis locorum procedendi contra quoscunque contravenientes, quamvis Regulares, ad pœnas a Conc. Trid. præſcriptas, ac etiam ad cenſuras latæ ſententiæ contra eosdem publicandas. Revocantes illis præterea in memoriam Decretum p. m. CLEMENTIS XI. Papæ *die* 15. *Decembris* 1703. deſuper latum. Et perſonas contravenientes huic Decreto, Eccleſiæ præcepto de audienda Miſſa nullatenus ſatisfacere, & Regulares privilegio Altaris portatilis, tanquam per Concilium revocato, uti non poſſe nec debere.

Præterea omnibus, & ſingulis Parochis, Vicariis, Sacriſtianis, & Miniſtris Eccleſiarum, inhærendo Ss. Canonum diſpoſitioni authoritate præſentis Synodi ſerio & diſtricte in virtute S. Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna mandamus & præcipimus, ne vagos quoscunque & ignotos, ſæculares quidem ſine teſtimonio de vita ac moribus, ac ſine literis formatis promotionis ad Ordinem Presbyteratus, Regulares vero ſine literis obedientialibus & commendatitiis ſuorum Superiorum, cujuscunque Ordinis, & Inſtituti exiſtant, peregrinos autem ex aliis Diœceſibus ad noſtram cum commendatitiis ſui Ordinarii literis commeantes, nonniſi de licentia & approbatione noſtra, vel noſtri in Spiritualibus Vicarii in ſcriptis obtenta, ad miniſteria Eccleſiaſtica, celebrandum tremendum Miſſæ Sacrificium, & confeſſiones audiendas, aliaque Sacramenta adminiſtranda admittant.

Sciant demum non licere Sacerdoti, qui Miſſam cum certa eleemoſyna celebrandam ſuſcepit, eandem alteri retenta ſibi parte dictæ eleemoſynæ committere, alioquin ipſum graviter peccare, & teneri ad reſtitutionem, etiamſi alter ſciens majorem committenti tributam fuiſſe eleemoſynam, ſibique tantum partem ejus dari, ea ſit contentus, intelligens, aliter a dicto primo Sacerdote celebrationem ſibi non committendam, ac proinde vel ipſa minore eleemoſyna ſe cariturum.

Manuales eleemoſynas pro Miſſis cele-

celebrandis accipere non aliter se posse intelligant, nisi jam pro antea acceptis satisfecerint, aut saltem si satisfacere possunt intra modicum tempus unius nempe mensis.

Anticipatas autem Missarum celebrationes pro incerta eleemosyna offerenda ab universa Ecclesia improbatas esse pariter sciant.

Ut autem omnis negligentia, sive potius fraus, qua piæ dispositiones depereunt, & Divinus cultus diminuitur, penitus eliminetur, aut certe detecta severe puniatur, omnibus Beneficiatis enixe præcipimus, ut sedulo perquisitis & inspectis cujuscunque Ecclesiæ scripturis, quibus Missarum onera suis Ecclesiis incumbentia continentur, suam quisque tabellam in Sacristia publice exponendam diligenter, illis etiam, quorum interest, vocatis, conficiant, in qua dilucide & distincte eadem onera notata sint cum suis qualitatibus, nimirum sintne titulo Beneficii fundata? an pia aliqua dispositione tantum constituta ad tempus? an perpetua? quo die, & quoties in hebdomada, mense vel anno adimplenda? nomina quoque & cognomina Fundatorum vel Benefactorum describantur. Habeaturque liber in Sacristia bene compactus, in quo Sacerdos, qui in illius oneris adimplementum celebraverit, statim, peracto Sacro, nomen suum cum Altaris expressione, testimonium celebrationis, tali die, mense & anno factæ, manu propria inscribat. Et qui Missam non dictam falso notaverit, in suspensionis pœnam ipso facto incurrat.

Inhærendo quoque Decretis S. Congreg. Conc. de celebratione Missarum, & Bullæ f. m. URBANI VIII. editis, districte prohibemus sub pœnis canonicis, Capitulo Ecclesiæ nostræ Cathed. Parochis, Ecclesiarum Rectoribus, ne inposterum sine nostra, aut Vicariorum nostrorum Generalium licentia, in scriptis obtinenda, fundationes sine nova onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant, & ut reditus, qui præfatis Ecclesiis & locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis. Volumus & declaramus, nova onera perpetua Missarum, inspecto more hujus Provinciæ non suscipi, nisi ad rationem gr. 18. pro qualibet Missa lecta. De reductione vero Missarum antiquitus fundatarum, si quæ justa allegabitur ratio, Extrasynodalem petentibus dabimus declarationem.

Summas pariter intuitu fundationum super bonis quibusvis officiose inscriptas de loco in locum sine speciali nostra licentia in scriptis obtinenda transferre inhibemus.

CAPUT XIX.

De Pœnitentia.

Cœlestis Medicus noster JESUS CHRISTUS per salubria Baptismatis lavacra nos peccati originalis labe liberavit, & per salubrem Chrismatis unctionem contra malorum nobis ab hostibus immissorum incursus communivit, atque etiam per vivificam sanctissimæ Eucharistiæ alimoniam in vitam æternam quotidie nos enutrit & pascit. Imbecillitatis tamen nostræ & figmenti ab adolescentia in malum proni conscius, agnovit Nos per summam ingratitudinem in criminum morbos frequenter relapsuros. Et ne humana infirmitas opportuno destitueretur remedio, sed posset etiam, postquam deciderit, pristinæ restitui sanitati, Pœnitentiæ Sacramentum ex immensa Divinæ Bonitatis suæ misericordia instituit, cujus vi a sceleribus absoluti amissam gratiam recuperare, Deo reconciliari, pacem & serenitatem conscientiæ, cœlestesque consolationes adipisci possemus, quibus allecti ac corroborati peccata horrere, detestarique, & bona opera sectari alacriori animo pergeremus.

Et quoniam hujus Sacramenti, lapsis post Baptismum omnino necessarii administrationem Sacerdotibus tanquam Judicibus & spiritualibus Medicis committi Dominus voluit, curandum est, ut ii tantum Sacramentalibus Confessionibus audiendis præficiantur, qui hujusmodi munus non perite modo, sed etiam prudenter ministrare noverint, ac summopere velint, ut præ-

præter Ordinis poteſtatem, quam circa Sacerdotium ſuſceperunt, præter jurisdictionis authoritatem, quam recipiunt, cum ad audiendas confeſſiones approbantur, doctrina etiam, prudentia & charitate præditi, atque exculti ſint; ut iis virtutibus inſtructi, doctrina quidem recte norint ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæve levia ſunt, pro cujusvis hominis ordine & genere dijudicare: prudentia, tanquam ſapientes medici ſingulis animi morbis opportuna præbeant medicamenta: & charitate Dei accenſi, zeloque ſalutis animarum excitati Chriſti fidelibus omnia præſtent ſalutaria adjumenta.

Quamobrem præcipimus, ut nullus Sacerdos, ſive Sæcularis, ſive Regularis confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, aut Clericorum audiat, niſi aut Parochus ſit, aut a Nobis, Officialive noſtro approbationem & facultatem in ſcriptis prævio examine, vel ſine eo, ſi ita judicabimus expedire, obtinuerit, alioquin ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrat. Abſolutio autem Sacramentalis ab iis collata, qui jurisdictionis poteſtatem non habent, irrita eſt & invalida. Quoad caſus vero Nobis reſervatos, etiam Parochos, ut ſe ſiſtant examini, & approbationem ſive facultatem ab illis abſolvendi obtineant, ſub onere conſcientiæ obligamus, nec eam ultra terminos præſcriptos durare declaramus.

Cum autem ad confeſſiones audiendas iis Sacerdotibus licentiam concedi deceat, qui pœnitentes ad viam ſalutis reducere utilius valeant, ideo nonniſi Viri maturæ ætatis, illibata & exemplari vita, doctrina ſufficienti, & maxime omnium prudentia præſtantes approbandi erunt.

Et licet Confeſſarii, etiam qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tanquam Chriſti Miniſtri functionem remittendi peccata exercere valide poſſint, nihilominus, ut id muneris ſanctius absque ſuomet periculo obeant, oportet eos omni labe carere, ac proinde ſi in peccatis fuerint, antequam ad functionem hanc accedant, eadem confiteantur, aut certe, ſi copia Confeſſarii non fuerit, & miniſtrandi Sacramenti urgeat neceſſitas, actum contritionis eliciant, gnari ſe mortaliter peccare, ſi crimine aliquo contaminati, aut cenſuris & canonicis impedimentis irretiti, hoc Sacramentum adminiſtraverint.

Omnis autem præcipitantia in adminiſtratione hujus Sacramenti, prout & ſeveritas, nimiaque lenitas evitetur: per præcipitantiam enim pœnitentibus peccata ſua debite confitendi, conſiliaque opportuna capiendi tempus non conceditur: per nimiam ſeveritatem homines ab hoc ſalutari remedio avertuntur: per lenitatem autem nimiam peccatores in vitiis ac delictis quodammodo confoventur.

Rudes & fidei myſteria ignorantes a Confeſſariis circa ea, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, præcipue neceſſitate medii cum patientia & charitate examinari & inſtrui debent: quod ſi ad id tempus ob pœnitentium confluxum non ſufficiat, abſolutionis beneficium illis tamdiu differatur, donec ea didicerint.

Eos, qui in confitendo difficultatem quandam aut pudorem præſeferunt, Confeſſarii prudenter de peccatis, eorumque numero & circumſtantiis, ſpeciem mutantibus, interrogent, tum ad veram contritionem, firmumque deinceps non peccandi propoſitum cohortentur.

Illos, qui proximo damnum aliquod in fama, ſive ſubſtantia intulerunt, nullatenus abſolvant, niſi reſtitutione prius facta, & damno ad æqualitatem compenſato, ſi damnificans id præſtare poſſit: experientia quippe compertum eſt, ſi talibus reſtitutione non ſecuta, ſed promiſſione duntaxat de reſtituendo facta, abſolutio concedatur, reſtitutionem a plurimis differri, & nunquam fere, ut oportet, præſtari. Quod ſi damnificans penitus id præſtare nequeat, ad reſtitutionem quamprimum poterit faciendam ſeſe coram Deo obliget.

Advertere autem debent Confeſſarii tam ſæculares, quam Regulares reſtitutionem damni illati faciendam eſſe illi,

illi, qui damnum passus est, sive eo mortuo hæredibus & successoribus illius, minimeque sufficere, ut fiat restitutio pauperibus, vel locis piis, nisi forte tunc, cum adhibita per longum tempus diligentia sciri non potest, cuinam damnum illatum fuerit, vel de eo, ejusque successoribus notitia haberi nequit.

Si restitutiones fuerint incertis faciendæ (quæ propterea pauperibus Ecclesiis, vel in alios pios usus erogari debent) nec sibimet, nec suæ Ecclesiæ, seu Conventui Confessarius ullatenus faciendas injungat, aut suadeat, sed pœnitentium arbitrio omnino relinquat.

Cum iis, qui nec peccata, nec proximas peccandi occasiones relinquere volunt, absolutio tanquam indignis deneganda sit, prohibemus; ne Confessarii hoc beneficium impertiantur, concubinariis, meretricibus, usurariis, blasphemare solitis, odia & inimicitias exercentibus, nec tamen deponentibus, aut ignoscere recusantibus, aliisque hujusmodi, nisi per tantum temporis spatium ab his sceleribus abstinuerint, ut Confessarius spem moraliter certam habeat, eosdem imposterum vitam emendandi animo concepisse. Interim autem pœnitentiæ ad eosdem habitus corrigendos aptæ eis injungantur: in hoc enim Confessariorum, qui Judices simul & Medicos agunt, prudentia maxime elucere debet, ut pœnitentiæ, quas imponunt, nedum expiandis jam commissis peccatis idoneæ, sed etiam medicinales sint, tales scilicet, quæ ad vitanda imposterum peccata inserviant. Cum autem scientia vel maxime Authorum lectione crescat, & augeatur, Confessarii non per accidens, sed ex professo lectioni casisticæ dent operam, habeantque ad manum volumina, quorum resolutionibus se se instruere, vel difficultate quapiam occurrente, ad ea pro excipienda resolutione possint recurrere.

Sedem pro audiendis confessionibus in Ecclesia habeant, non tamen in locis obscuris, & a conspectu hominum distantibus, neque in Sacristia, vel domo privata confessiones audire præsumant, præsertim mulierum, nisi tempore morbi, & tum aperto ostio, sub pœnis arbitrio nostro irrogandis.

Caveant præterea, ne peccata in confessione audita, verbo, signo, aut alio quovis modo, directe, vel indirecte, extra illam prodant, sub pœna depositionis, carcerisque perpetui, & excommunicationis sententia: sed & in ipsa confessione vitent, ne dum pœnitentes graviora peccata narrabunt, suspirando, spuendo, signando se cruce, corrugando frontem, aut alias quomodocunque suspicionem illorum circumstantibus injiciant, imo si quem forte ob reservatum casum, aut quia peccatum, sive occasionem ejus dimittere, satisfactionemque aut restitutionem præstare recusat, absolvendum non existimabunt, signo saltem crucis cum precatiuncula aliqua propter circumstantes, admonitum prius ea de re, benedicant, & sic a se dimittant.

Pœnitentias etiam tales non injungant, ex quibus alii in cognitionem criminum secretorum devenire facile possint.

Presbyteri vagi & ignoti, tam Sæculares, quam Regulares ad excipiendas confessiones non admittantur, nisi approbationem a Nobis, aut Vicario nostro ad easdem excipiendas sibi concessam in scriptis monstraverint.

Tandem quia non omnia, quæ ad hujus Sacramenti rectam administrationem pertinent, uno capite comprehendi possunt, sed multa passim in Jure & Constitutionibus Apostolicis eo spectantia continentur, idcirco Confessarii sacros Canones, & præcipue Concilium Tridentinum, Rituale, & Catechismum Romanum, universaque hæc Synodi nostri Decreta, indefesso studio ita perlustrent, sicque orationibus, piisque operibus assidue vacent, ut nec Nobis, quod speramus, eos coarguendi, sed potius commendandi ansam præbeant, nec fideles peccati ullius, quinimo ædificationis, & exercendarum virtutum incitamenta, ab eorum exemplis valeant derivare.

Noverint præterea bene casus S. Sedi Apostolicæ reservatos, tam per Bullam *Cœnæ Domini*, qui in appendice hujus

hujus Synodi *sub numero VII.* continentur, quam per Jus commune, aliasque Pontificias Constitutiones, de quibus præter alios optime Navarrus, tum & eos, qui Sedi nostræ ordinariæ reservantur, uti pariter in appendice videre est *sub numero VIII.* Ne absolventes a peccatis, a quibus revera ob defectum jurisdictionis non possunt absolvere, se, & pœnitentes decipiant.

Regulares, etiamsi vigore privilegiorum suorum a S. Sede Apostolica sibi concessorum habeant facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, non possunt tamen absolvere a casibus reservatis Episcopo, nisi ad hoc speciale ab eodem, vel ejus Officio habuerint facultatem, a quo illos præmonitos esse volumus.

CAPUT XX.

De Extrema Unctione.

Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani se integros, dum viverent, ab omni graviori Spiritus incommodo conservare possint, ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, Divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit. Quamobrem, licet hoc Sacramentum necessarium non sit ad salutem, a nullo tamen negligi debet absque gravi peccato. Itaque Parochi ejus naturam, & multiplicem utilitatem accurate & frequenter, sed præcipue dum infirmos ex sui muneris officio invisunt, fidelibus exponent, quo plenius omnibus, ad ejus salutarem perceptionem necessariis, instructi cœlesti ope tum plurimum juventur, cum corpore sævissimis doloribus æstuante, animo anteactæ vitæ, instantis mortis, supremique judicii horrendis imaginibus exterrito, & dœmone cunctas perdendi artes tunc vel maxime adhibente, omni alio auxilio prorsus destituuntur. Atque ita memores periculorum, in quibus exeuntes e vita versantur, hoc Sacramentum, & tempestive a Parochis petant, & opportune recipiant. Ait enim S. Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum Oleo in nomine Domini &c.* Virtute namque hujus Sacramenti confertur abundanter suscipienti gratia Spiritus Sancti, cujus unctio, delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in Christo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda levius fert, & tentationibus dœmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

Omnem solicitudinem, & diligentiam adhibeant iidem Parochi, ut neminem eorum, quorum curam gerunt, hoc salutari præsidio destitutum ex hac vita migrare contingat: ideo cum periculum mortis ægroto imminet, supremusque vitæ dies instare videbitur, illud superpelliceo & stola induti in tempore ministrent, paratique erunt illud die noctuque, nulla interposita mora, prompte ministrare.

Videant, ut qui illud suscepturus est, prius, si fieri poterit, sanctissima Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta percipiat, quorum virtute munitus Extremæ Unctionis effectus efficacius consequatur.

Studeant illud ministrare, dum æger integris est sensibus, ut intelligere, quid agitur, & fructuosius ad ejus effectum consequendum se disponere possit.

Nullo modo ministretur infantibus, puerisve, qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccatis obnoxii sunt, nec excommunicatis, interdictis, impœnitentibus.

Sub-

Subita vi morbi ita oppressis, ut nec confiteri, nec communicare possint, ministrandum est, si ex aliqua contritionis significatione appareat eos voluisse illud suscipere, vel si anteactæ vitæ pietas etiam sensu omni destituto ministrare suadeat.

Et licet hoc Sacramentum in diversis infirmitatibus sit reiterabile, tamen quamdiu in eadem ægritudine, & in eodem mortis periculo infirmus versatur, semel tantum est Extrema Unctione liniendus. Quodsi unctione suscepta convaluerit, & postea iterum in vitæ discrimen inciderit, ægroto administrabitur.

Diligentissima autem cautione curandum est Parochis, ne ulli graviter ægrotantes absque hoc Sacramento e vita excedant; si eorum culpa, aut negligentia, id unquam, quod absit, evenerit, se ultra pœnas in sacris Canonibus contentas, a Nobis quoque severe puniendos intelligant.

Demum ne Parochus hoc Sacramento infirmis administrato officio satisfactum suo ullatenus existimet, omnino volumus, ut eosdem piis monitis, ferventibus ad DEUM, Beatissimam Virginem MARIAM, Angelum Tutelarem, Sanctosque omnes precibus reiteratis, etiam contritionis, amoris Dei, & aliis piis actibus ad vitæ exitum usque prosequatur, & tandem in agonia laborantis, & mox exspiraturi animam juxta præscriptum Ritualis Romani piissime, religiosissimeque commendet.

CAPUT XXI.

De Ordine.

Quo majori majestate & veneratione Divina Mysteria peragerentur, institutum est, ut plures in Ecclesia Ministri essent, qui alicui certo ministerio addicti in sanctitate & justitia per ordinatissimos hujus Sacramenti gradus statis intervallis ambulantes, tum denique ad Sacerdotium ascenderent, cum doctrina fidei, & Sacramentorum ritibus instructi, castorumque morum exemplo conspicui, *ad dandam scientiam salutis in remissionem peccatorum*, opere & sermone potentes essent.

Atque si summus ejus gradus spectetur, id est, Sacerdotium, ejus præstantia atque excellentia vel exinde manifesta est, quod Sacerdotes Dei interpretes, & mediatores quidam sunt, qui ejus nomine Divinam legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipsius Dei Personam in terris gerunt. Potestas quoque Corpus & Sanguinem Domini nostri conficiendi, & offerendi, peccataque remittendi, quæ illis collata est, humanam quoque rationem, & intelligentiam, ita excedit, ut Sacerdotali dignitati aliquod par, & simile in terris inveniri nequeat.

Quanta autem diligentia adhiberi debeat in qualitatibus eorum, qui ad sacros Ordines assumendi sunt, perscrutandis, ne indigni, & minus apti ad hujusmodi gradus admittantur, sacri Canones, Pontificiæque Sanctiones, & præcipue Concilii Tridentini Decreta aperte declarant, quibus insistendo hac Constitutione Synodali mandamus.

I. Ut promovendi ad sacros Ordines uno mense ante ordinationem aliquo die festo denuntientur ex ambone in Ecclesiis, tum ubi nati sunt, tum ubi commorantur, juxta formam in Appendice appositam *numero IX.* & factarum hujusmodi denuntiationum ordinandi adferant a Parochis testimonium clausum, Examinatoribus præsentandum, in quo testificetur denuntiationem fuisse tali die factam, hoc, vel nullum fuisse detectum impedimentum: & præterea ibidem exprimetur, quam frequenter confiteri, & communicare soleat ordinandus, an sobrius, modestus, honestæque conversationis sit, & nihil de eo mali audiatur.

II. Exercitia spiritualia, seu Recollectiones per octo dies ante quemvis Ordinem peragant in aliqua domo religiosa, & peractarum recollectionum testimonium ferant a Superiore loci.

III. Interstitia inter Ordines præscripta, nimirum ab Acolythatu suscepto ad Subdiaconatum, ab hoc ad Diaconatum, item ab hoc ad Presbyteratum integrum annum observent, nisi aliter Nobis attenta utilitate, vel necessitate Ecclesiæ videatur, & cum ipsis dispensatum foret, quod sint arctati

Beneficio, vel quando Parochus ob suam ægritudinem, aut Parochiæ amplitudinem, vere hic & nunc, indiget Cooperatore, nec alium interim conducere potest, de quo a Decano adferant testimonium.

IV. Ut ordinandus prius se exerceat in unoquoque Ordine, præcipue ii, qui ad curam animarum ordinabuntur, etiam in traditione Doctrinæ Christianæ, & prædicatione verbi Divini: in hoc enim casu probationis gratia Clericis minorum Ordinum aliquoties in Ecclesia publice concionandi coram suis futuris Provisoribus facultatem concedimus, hujusmodi vero facti & exercitii, & habilitatis ad catechizandum, & prædicandum testimonium dabunt.

V. Nemo ad curam animarum provisus, admittatur ad Presbyteratum, nisi prius biennio integro Theologiæ morali operam dederit, & saltem per unum annum ad imbibendum Spiritum Ecclesiasticum in Seminario fuerit, & desuper testimonium hujusmodi studii cum profectu sufficienti a Professore suo attulerit, in quo Professorum conscientias oneramus, ipsosque provisos in Domino hortamur; ut illi, vel maxime doctrinæ, sedulam navent operam, quæ utilitati & regimini animarum profutura esse dignoscitur ex præscripto Canonum.

Cantum Gregorianum, & lectionem cum observatione quantitatis, sancti Patres & Canones summopere commendant, quapropter ordinandi serio de his examinabuntur, in quibus deficientes sciant se esse rejiciendos præsertim ad sacros majores Ordines.

CAPUT XXII.

De Presbyteris loca suarum Provisionum deserentibus, & Provisionibus inscribendis.

Experientia edocti, quod multi Parochi aspirantibus ad sacros Ordines, Vicariatuum Provisiones ad Ecclesias suas in titulum Canonicum officiose inscribere non vereantur, & modo ad sacrum Presbyteratus Ordinem promoveantur, amplius postea de illorum sustentatione non sunt soliciti, quinimo propria authoritate, sine scitu Officii, illos ab Ecclesiis suis amovent, & vagari ab Ecclesia ad Ecclesiam non sine status spiritualis dedecore permittunt, quare tollendo istum execrabilem, & damnosissimum abusum, hac Synodali Sanctione statuimus, ut omnes vagi ad suas provisiones redire, aut se aliquibus Ecclesiis adscribi in spatio duorum mensium a die publicationis præsentis Synodi computando, curent. Alioquin si intra hujusmodi præfixum tempus non redierint, nec se servitio Ecclesiastico addixerint, extunc contra tales vagos provisos pœnam suspensionis ipso facto absque ulla alia declaratione incurrendam decernimus. Provisoribus vero in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna mandamus; ut suos provisos omnino revocent, aut recipiant, & sibi, sive Antecessoribus suis adscribant, quod hoc onus illos alendi in se susceperint. In futurum vero mandamus omnibus Parochis, ut, antequam portionem sui reditus alicui per inscriptionem provisionis promittant, ac declarent, suæ cum primis indigentiæ rationem habeant: non enim recte ac prudenter alimenta distribuit, qui per factam alteri distributionem eorundem, se famelicum ac inopem constituit, nec ulla amplius provisio admittatur, nisi servatis conditionibus infrascriptis.

I. Ut quilibet Provisor volens habere Provisum, ferat a Decano loci testimonium cum subscriptione Notarii Decanatus ejusdem, vel in ejus defectu Parochi antiquioris: per quod constet Provisorem habere sufficientes proventus Ecclesiæ ad fovendum & alendum Vicarium, & aliam seorsivam domum Vicarialem, sive mansionem: & quod Ecclesiæ necessitas exposcat, ut Vicarius adsciscatur, super quo conscientia Decani oneratur.

II. Ut Provisores jurent, quod alios Provisos ad suas Ecclesias non habeant, nec de illis sciant, nec in illorum præjudicium modernam provisionem inscribant, tum quod Provisos suos etiam sponte ab Ecclesia recedere volen-

volentes, nunquam dimittent fine fcitu noftro, aut Vicarii noftri Generalis.

III. Provifi pariter jurabunt, quod fideliter & diligenter munus Vicariatus penes Ecclefiam, ad quam affumuntur, obibunt, nec quod unquam eandem Ecclefiam deferent, nifi obtento per inftitutionem Canonicam Beneficio.

IV. Ut hujusmodi infcriptiones perfonaliter, non ad literas miffivas, per Mandatarios, & nonnifi coram Actis Curiæ, five Officii noftri recognofcantur, nifi aliquis legalitate jufta Nobis, vel Vicario noftro Generali exponenda impeditus fuerit, quo cafu coram Officio Decanali fpeciale mandatum, ad infcribendum perfonæ fibi electæ cum facultate etiam jurandi in præfcriptos numero præcedenti articulos, recognofcere debebit.

V. Ut nonnifi idoneis, & de fcientia, ac probabili fufficientia ad curam animarum, deque vita, moribus, & converfatione honefta, bene notis, & ex mandato Officii noftri bene examinatis infcribant.

Omnes autem, ad quos fuper promovendos ad Ordines teftimonia facere fpectat, maxime Parochi, quibus hæc cura præcipue incumbit, quam fancta, præfertim in re fanctitatis plena, teftimoniorum fides effe debeat, diligenter meminerint pœnis graviffimis a Nobis, fi quid ementiti fuerint, fevere afficiendi, Deo, cujus præfentiam falfidici teftes contemnere veriti non funt, graviores reddituri.

Ratione vero fortiendi domicilii per juramentum de non deferenda Diœcefi, & ad tollendos abufus & fraudes circa Ordinationes alienorum fubditorum, præfens Synodus declarat & mandat, ut Conftitutio f. m. INNOCENTII Papæ XII. quæ in Appendice apponitur *fub numero X.* exacte obfervetur.

CAPUT XXIII.

De Seminariis.

Quantæ utilitatis fint Seminaria in Diœcefibus, facile colligitur ex facro Concilio Tridentino *c.* 8. *Seff.* 23. *de Reformat.* ubi circa erectiones faciendas illorum dicit: " Cum adolefcentium ætas, nifi recte inftituatur, prona fit ad mundi voluptates fequendas, & nifi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poffideat, nunquam perfecte, ac fine maximo, ac fingulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in difciplina Ecclefiaftica perfeveret &c." Et S. Carolus Borromæus in fuis inftitutionibus Seminariorum *part.* 3. *c.* 1. taliter loquitur: " Sunt igitur ea potiffimum de caufa Seminaria erecta, ut in iis boni, ftrenuique operarii ad curationem animarum, quas fuo fanguine pretiofiffimo Chriftus redemit, inftituantur, & ii quidem adolefcentes (qui ob ætatem, cum tenera fit, & proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impreffiones admittendas, in operibus virtutum erudiri debent) ut eam vitæ perfectionem adipifcantur, quæ in iis, qui Doctores populorum futuri funt, elucere debet, & feverioribus difciplinæ legibus coercendi." Patres vero Concilii Aquileien. *celebrati anno* 1596. taliter fentiunt: " Seminariorum inftitutionem, confervationem, & promotionem in Ecclefia Dei fumme fructuofam, qua Clericalis militiæ propagatur ordo & progreffio, tantopere neceffariam effe conftat, ut ftare Ecclefiaftica difciplina fine illorum fubfidio, & adminiculo vix poffit." Hinc cum nihil fit in hac Diœcefi noftra magis neceffarium ad Catholicam Religionem propagandam, quam ut operarii in vinea Domini fint pietate, doctrina, ac morum integritate præftantes, quæ qualitates in Presbyteris requifitæ vix aliter acquiri poffunt, nifi iidem a teneris annis feorfum ab aliis fub falubri Inftitutorum Magifterio, in Seminario, ceu plantæ novellæ benigniori cultura, educentur, ut inde poftea ad laboriofa Ecclefiaftica Minifteria in vineam Domini opportune transplantentur.

Et cum propterea in executionem Decreti S. Concilii Trid. Illuftriffimi Anteceffores noftri Epifcopi Culmen. Seminarium Clericorum in civitate noftra Culmenfi, fub directione & cura

RR. Sacerdorum Congregationis Misſionis fundaverint, ac in bonis menſæ noſtræ, tum Ven. Capituli, ſummisque certis capitalibus, ac incorporatione inſignium Beneficiorum competenter dotaverint, pro debito muneris noſtri Epiſcopalis, ut taliter fundatum vigeat in perpetuum, & pios, ſtrenuos, & diligentes operarios in vineam Domini proferat, hanc Synodalem facimus Ordinationem; Rector Seminarii, ſive Præpoſitus ſedulo invigilet, ut ab omnibus tam Eccleſiaſtica, quam domeſtica diſciplina diligenter obſervetur, Scholam ſæpe viſitet, Clericorum mores, & profectum in literis accurate exploret, cubicula & officinas, ut omnia ibi decenter & munde fiant ac teneantur, perluſtret. Opportuno anni tempore cibaria, & reliqua ad victum neceſſaria provide comparet, & bis ad minimum in anno cum perilluſtribus Proviſoribus, a Nobis & Ven. Capitulo ad hoc deputatis, conſultet & tractet de Seminarii bonis, eorumque adminiſtratione, & ſi quid majoris momenti occurrerit, Nos conſultat, librum grandiorem bene compactum habeat, in quo ſingula bona, & reditus ejusdem Seminarii, nec non expenſæ adnotentur, cujus rationes annuatim a DD. Proviſoribus exacte verificabuntur, & ſubſcribentur. Alterum quoque ſimilem librum habeat, in quem pariter referat nomina, & patriam ſingulorum Alumnorum cum die & anno, quo admiſſi & dimiſſi fuerunt.

Profeſſores cum omni diligentia ac perſpicacitate, mores motusque animi conſiderent Clericorum, probentque ſtudio, cujus Spiritus ſint, cujus virtutis & ſcientiæ, in quonam magis fervor Eccleſiaſticus præcellat, zelusque Divinorum, ut, cum eos ad operandum in domo Domini deputare, mittereque contigerit, ſciamus, cui rem Divinam committere valeamus.

Controverſias autem, vel maxime de fide cum hæreticis, caſus conſcientiæ, prædicandi verbi Dei rationem, adminiſtrandi Sacramenta methodum tradant iis ad diſcendum. In cantu chorali, rubro, & cæremoniis Eccleſiaſticis pariter exerceantur, de omnibus his examinandi ante promotionem ad Ordines.

Nemini interiores Seminarii ædes intrare, nec cum Alumnis, aut Convictoribus, niſi in inferiori earundem porticu, & cum licentia Præfecti colloqui liceat, nec ea concedatur, niſi extra horas Scholæ. Nulli eorundem Clericorum permittatur extra Seminarium pernoctare, & ſi quando pro vacationibus alicui eorum permiſſum fuerit ad paternam domum divertere, inde ad Seminarium non revertatur ſine literis teſtimonialibus Parochi loci, ubi commanſit, quibus doceatur eum diebus feſtivis Eccleſiæ Parochiali inſerviviſſe, doctrinam Chriſtianam exercuiſſe, Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſaltem bis in menſe ſuſcepiſſe.

Si quis ex iis inobediens, diſcolus, & male moratus compertus fuerit, acriter moneatur & puniatur, & ſi poſt trinam hujusmodi admonitionem, & caſtigationem ſeſe non emendaverit, tanquam incorrigibilis e Seminario dimittatur, quod etiam de illis intelligendum volumus, qui profectum in ſtudiis nullum faciunt, & tempus inaniter conſumunt.

CAPUT XXIV.

De Judicibus Diœceſanis & Examinatoribus Synodalibus.

Præcepit Deus per Moyſen ſervum ſuum: *Judices & Magiſtros conſtitues*, quod & imitantes, debitam obedientiam præſtando Decretis ſacroſancti Concilii Trident. & Conſtitutionis GREGORII XV., infraſcriptos in Judices Synodales eligimus & deputamus.

Illuſtriſſimum, Perilluſtres, & Admodum Reverendos *Mathiam Soltyk* Epiſcopum Margariten. Suffraganeum & Archidiaconum noſtrum, *Paulum Szczuka* Decanum, *Petrum Sikorski* Scholaſticum Vladislavien. & Scholaſteriæ Culmen. Coadjutorem, *Fabianum Plaskowski* Archidiaconum in Cathedra Culmen. Pomeſaniæ, *Paulum Dominicum Dromler* U. J. D. Varmienſem Canonicum, Cauſarum Curiæ noſtræ Auditorem & Judicem generalem, *Laurentium Zmijewski*, &

& *Martinum Strachocki* Canonicos Culmenſes.

Et cum præterea Decreto ejusdem Ss. Conc. Trid. cautum ſit, ut a Nobis eligantur Examinatores Synodales, hi profecto diligentiſſime ea omnia obſervare debebunt in examinibus faciendis, quæ a prædicto Concilio Trid. ordinata ſunt, quæſtiones & caſus proponent examinandis, ſpectantes ad curam Parochorum non inutiles & implicatos. Perveſtigabunt attente, an promovendi ad Ordines, ſive Beneficia curata, & examinandi ad approbationes legitimum finem ſecundum Deum ſibi propoſuerint, videlicet Dei honorem, Eccleſiæ utilitatem, & animarum zelum. Perſpicient inſuper in examinandis doctrinam, ætatem, mores, prudentiam, aliasque neceſſarias virtutes in arduo animarum regimine requiſitas. Eliguntur a Nobis in Examinatores Synodales iidem, qui ſuperius fuerunt nominati in Judices Diœceſanos, quibus pro officio Examinatorum adduntur Perilluſtres & Adm. Revdi *Franciſcus Czapski* Scholaſticus, *Conſtantinus Piwnicki*, *Joſephus Wrzeſinski*, Canonici Culmenſes. *Caſimirus Goraczynski* Præpoſitus Eccleſiæ & Domus Miſſionis Culmen., *Auguſtinus Alſcher* Soc. JESU Collegii Thorunen. & *Joannes Milkiewicz* Soc. JESU Collegii Graudentinen. Rectores, duraturi uſque ad futuram Synodum, calculo Conſeſſus Synodalis approbati.

Antequam examen aggrediantur, præmittant ſemper Hymnum: *Veni Creator*, cum oratione: *Deus qui corda fidelium &c.*

In examinando non aliquo affectu privato, aut præpoſtera quadam charitate, ſeu alio quovis reſpectu humano moveantur, preces, ſeu inſtantias favore examinandorum factas & ſubordinatas rejiciant, & contemnant.

Caveant, ne examinandos ante examen, quid ſit reſpondendum, doceant, nec quidquam occaſione examinis ullo tempore capiant, alioquin tam ipſi, quam dantes Simoniæ vitium incurrunt, a quo niſi Beneficiis, quæ obtinent, dimiſſis abſolvi nequeunt, atque etiam ad quævis alia inpoſterum obtinenda inhabiles evadunt.

Peracto demum examine, quos quoad ſcientiam, mores, prudentiam, dignos judicaverint, ſecretis ſuffragiis approbent, & teſtimonium deſuper ad Nos, ſive Officium noſtrum remittant.

CAPUT XXV.

De Matrimonio.

Vetuſtiſſimum humani conjugii fœdus, quod ab ipſo mundi primordio tanquam naturæ officium & humanitatis ſolatium in horto voluptatis divinitus inſtitutum fuit, poſtea uti legis obſequium & concupiſcentiæ remedium acceptum, demum a Chriſto Domino in temporum plenitudine Sacramenti dignitate decoratum, merito ab Apoſtolo *magnum in Chriſto & Eccleſia Sacramentum* nuncupatur, arctiſſimæ ſiquidem & æternum duraturæ illius neceſſitudinis, quæ Chriſto cum Eccleſia intercedit, vinculum, ejusque erga nos immenſæ charitatis myſterium, hac potiſſimum maris & fœminæ ſancta & indiſſolubili conjunctione declarantur.

Ut igitur ea, qua decet, ſanctitate & reverentia præſtantiſſimum hoc Sacramentum recolatur, ſedulo curent Parochi fideles a ſe Matrimonio jungendos efficaciſſime, ac repetitis hortationibus admonere, ut ante Matrimonii celebrationem peccatorum ſuorum ſordes in humili confeſſione lacrymarum abluant imbre ſalutari, mentesque, ne libidinis ſiti æſtuantes deficiant, cœleſti Euchariſtiæ cibo, tanquam rore matutino, refrigerent, atque ita contra ſpirituales nequitias, carnisque procacitatem muniti ex eo Sacramento non ſibi perniciem, atque iram Dei, ſed gratiam ſalutemque comparent. Sacramenti hujus inſtitutionem, vim, naturam & ſanctitatem fidelibus ſæpe explicando, ut intelligant non ſolum præparationem & pietatem in eo ſancte contrahendo, cum res non humana, ſed Divina ſit, verum etiam quomodo caſte, pieque in eo verſari debeant.

Nullus Parochorum Matrimonium omiſſis bannis, aut inter perſonas, quarum una ſaltem non ſit de ejus Parochia, niſi de licentia proprii contrahen-

hentium Parochi benedicere, aut eidem assistere præsumat sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, aliisque arbitrariis, nisi forte super bannis a Nobis, aut Vicario nostro fuerit dispensatum, quod rarissime, & nonnisi ob graves & maximi momenti rationes fiet.

Quia vero impedimenta Matrimonium dirimentia passim ignorantur, ideo ea juxta instructionem, ad calcem præsentium appositam *sub numero XI.*, a Parochis oppidorum & villarum populo saltem bis in anno in Adventu & Quadragesima explicentur. Si aliquod impedimentum inter personas Matrimonium contrahere volentes detectum fuerit, priusquam ulterius procedatur, serio ac diligenter circa id inquiratur, quod si facto examine constet impedimentum revera subesse, ulterius nullatenus procedatur; si vero res dubia & incerta videatur, totum negotium ad Nos, Officiumque nostrum remittatur.

Benedictiones Matrimoniorum in ædibus privatis absque expressa licentia, in scriptis a Nobis obtinenda, prohibentur.

Exteri ignoti, incertis vagantes sedibus, aut ex aliena Diœcesi propinqua, vel longinqua, sive etiam ii, qui per sex menses continuos ab alterutra nostra Diœcesi absfuerint, ad Matrimonia contrahenda nullo pacto admittantur, imo nec ea quidem in Ecclesiis denuntientur absque nostra, sive Vicariorum nostrorum respective licentia in scriptis, non aliter danda, nisi prius legitimis documentis eorundem status liber in Curia nostra exhibitus, & per testes probatus fuerit. Sunt enim plerique tam improbi animi, ut prima uxore relicta, illaque vivente, plures variis in locis ducant.

Similiter ubi agitur de conjugiis cum viduis contrahendis denuntiationes ne fiant, nisi prius de obitu prioris conjugis liquido constiterit, præsertim si hic extra Diœcesim nostram secutus asseratur, adeo, ut nulla quantumvis longa absentia, aut alia probabilis mortis conjectura ad hunc effectum suffragetur: si secus actum fuerit, inobedientes Parochi præter pœnam suspensionis a Divinis, alias quoque gravissimas arbitrio nostro pœnas dabunt.

Nullus quoque Parochorum ad benedicendum Matrimonium accedat, nisi ipsi constet contrahentes scire mysteria fidei, præcepta Decalogi, Orationemque Dominicam: ideo cum publicatum fuerit primum bannum inter personas, de quibus dubitari potest, an supradicta sciant, moneat Parochus, ut contracturi Matrimonium tempestive compareant, ut circa prædicta examinari, & si ea nescíverint, addiscere possint, interim benedictio differatur.

Nec unquam ad denuntiationes Parochi procedant, nisi prius diligenti examine contrahere volentium qualitates exploraverint, an scilicet legitimæ sint ætatis, ut vir saltem decimum quartum, mulier vero duodecimum annum expleverint, an eo anno Paschalis Communionis præcepto satisfecerint, an aliquod inter eos subsit propinquitatis vinculum, sive aliud impedimentum, ut supra jam insinuatum.

Præcipue vero exquirent, an sponte ac libere, nullisve parentum sive aliorum minis vel seductionibus coacti contrahendis nuptiis assentiant, ac propterea ab ipsismet sponsis seorsum & semotis arbitris, prout & ab illorum parentibus, sive aliis eorum nomine faciendarum denuntiationum assensum excipient.

Maxime tamen hortandi erunt filii-familias, honestatis id suadente ratione (licet ad Sacramenti validitatem minime sit necessarium) ut parentibus, & iis, in quorum fide & potestate sunt, eum honorem tribuant, ut ipsis inconsultis, nedum invitis & repugnantibus, rem tanti momenti non ineant; imo potius illorum consiliis & placitis humiliter obsequantur. Si vero liberorum nuptiis parentum, vel tutorum consensus repugnat, aut plane consentiens non est, ne Parochi quidpiam ea de re prius conficiant, quam Nos consuluerint.

Quos autem Parochi compererint, cujuscunque tandem sint gradus vel dignitatis, minis & collusionibus directe

recte vel indirecte Matrimonii libertatem quoquo modo violantes, confestim Nobis deferant, ut præter anathematis sententiam, quam ex Sanctionibus Canonicis ipso facto incurrunt, aliis etiam pœnis arbitrio nostro plectantur.

Personas Catholicas cum diffidentibus nullus Parochorum copulare, imo nec ad banna procedere audeat, sed si tales sunt copulandi, remittantur ad Nos, sive Officiales nostros Generales pro diligenti examine, an subsit periculum perversionis conjugis Catholicæ, sive etiam prolis suscipiendæ extra fidem Catholicam educandæ. Et Officia nostra omnem cautelam adhibebunt, ne sponsis diversæ Religionis minus possessionatis ullatenus Matrimonia ineunda concedantur, sed tantum illis, qui in bono tam fortunæ, quam proportionati honoris & famæ statu existentes, in bonis mundis immobilibus utriusque, sed præcipue diffidentis a S. Catholica Fide sponsi actualiter propriis, domicilio sponsorum in nostra Diœcesi contiguis, hypotheca cautionaria innodandis, cautionem de non pervertenda conjuge, tum de educanda in S. Fide Catholica utriusque sexus prole præstare valeant, honoremque suum & famam in observantiam legitimorum promissorum invadiando omnem suspicionem fraudis & doli per se, vel per subordinatas personas, practicandi penitus excludere possint, talemque cautionem omnium litium & molestiarum exclusivam sponte & libere coram Actis Jurisdictionis sæcularis, cui sponsi sive sponsus diffidens subsunt, inscribant, eandemque in authentico Extractus instrumento Officio spirituali Actis consistorialibus, & libris Parochialis Ecclesiæ, ad quam sponsi vel diffidens sponsus cum suis bonis & domicilio spectant, ingrossandam reddant. Sicque stante hac cautione, bona, in quibus cautio assecurata, alienare non præsumant.

Ne vero individua vitæ consuetudo, quæ in conjugali consortio servanda est, temere contemnatur, si conjuges aliquando absque legitima causa a sacris Canonibus permissa, ac Ecclesiæ judicio probata de communi cohabitatione discesserint, sedulo Parochi studeant, vel per se ipsos, vel aliorum opera, ut ad pristinam vitæ societatem revertantur, & nisi profecerint, rem ad Nos deferant, ut opportunis remediis eorum, qui sic fidem ac conjugia maculant, damnabilem contumaciam compescamus.

CAPUT XXVI.

De sacris Reliquiis.

Gloriosum adeo se ostendit DEUS in Sanctis suis, ut non solum eos in cœlis gloria ejus beatissima perfruentes in terris coli, sed illorum etiam corpora, nempe, quæ viva Christi membra fuerunt, nec non pura Spiritus S. tabernacula, quin ossa singula ac cineres, Reliquiasque omnes a fidelibus suis in magna veneratione ac religione haberi voluerit. Ideo postulat Officii nostri Pastoralis ratio, ut tantorum pignorum conservationem solicite procurando, & cultum, qua decet pietate, augendo, eorundem protectione defendi, & adjuvari precibus commereamur.

Quapropter præcipimus, ut omnes Ecclesiarum Rectores thecis saltem ex ligno deaurato affabre elaboratis, & crystallo, seu vitro integro, pellucidoque contectis, non confuse, sed separatis cellulis, & sua unaquaque inscriptione, & nomine distinctis, authenticas Reliquias repositas seu reponendas diligentissime custodiant. Si quas vero ignotas, dubiæve fidei, legitimis quippe documentis carentes, nec a Nobis, sive Officiali nostro Generali recognitas & approbatas habeant, eas separato & mundo vasculo conservandas quidem, sed sine nostra licentia non exponendas, meminerint.

Præterea ne Reliquiarum memoria aut tam pretiosi thesauri pars unquam deperdatur, curabunt iidem Ecclesiarum Rectores, ut earum catalogum tempore Visitationis generalis, prævia exhibitione literarum desuper authenticarum, conficiendum, & a Visitatore generali subscribendum, in Sacristia collocatum, patenti loco expositum habeant, & eorundem authentica documenta in Ecclesiæ quisque suæ

ſuæ Archivio diligenter adſervent. Neque inpoſterum ullas novas Reliquias abſque authenticis a Nobis, ſeu Vicariis noſtris Generalibus recognoſcendis etiam Regulares publice exponere præſumant.

Verum ut non modo cuſtodiæ, ſed & cultus atque ſacrarum Reliquiarum venerationis, qua par eſt, ratio habeatur & indies augeſcat, ſtricte injungimus Parochis & Concionatoribus, ut captata ſæpius occaſione fidelem populum bene edoceant, qua reverentia & pietate Sanctorum memoriam recolere, preces, opemque apud Deum expoſcere, & quo eorum Reliquias honore afficere teneantur, ut quoties eorum ſacra lipſana adeunt, aut expoſita viderint, æternitatis hæc ſemina eſſe, viva olim Spiritus Sancti habitacula fuiſſe, ſuſcitanda in cœleſtem æternamque vitam, glorioſis dotibus decoranda, cum Chriſto in perpetuum regnatura recordentur. Atque adeo quorum ſacros cineres venerabundi agnoſcunt, & precabundi reverentur, eorum virtutes imitari non pigeat, & eorundem exemplo ediſcant, vitam etiam ipſam pro Domino effundere, quam ſancti homines pretioſa morte & glorioſis confeſſionibus honoraverunt.

CAPUT XXVII.

De ſacris Imaginibus.

Catholicam Eccleſiam a ſuis jam inde incunabulis ſacrarum uſum Imaginum amplexam fuiſſe, easdem conſtanter ubi terrarum tenuiſſe, ob earum conſervationem ab Iconomachis perſecutionem perpeſſam fuiſſe, & earum cultum & venerationem ſacrorum etiam Oecumenicorum Conciliorum Decretis ſtabiliviſſe, mirari deſinet, imo pie collaudabit, quisquis veteris etiam legis teſtimonia, novæ traditionem, ſanctorum Patrum fidem & ſententias, ac earundem imaginum utilitates maximas, religioſa ſecum mente recogitaverit. Imagines enim id, quod Parochis plebem fidelem ſæpe docere præcipimus, rudes inſtruunt, myſteriorum fidei noſtræ, geſtorum a Chriſto Domino pro ſalute noſtra, & Sanctorum memoriam fideliter renovant, excitant, & conſervant, fideles ipſos ad eorum, quos repræſentant amorem, atque imitationem ſuaviter invitant, docent nos habere advocatos, ad quorum patrocinia recurramus, quorum exemplo moneamur fidem non erubeſcere, ſed eandem palam audacterque profiteri, mores pietatemque æmulari, & doctrinam ſequi. Et quantum denique per imaginum venerationem Chriſtum, Sanctosque, earum prototypa, honoramus & colimus, tantundem ſuperſtitionem omnem & idololatriam deteſtamur.

Cum itaque picturæ eloquentiſſima taciturnitate fideles utiliſſime alloquantur, & commoveant, propterea ne ulla turpis quæſtus fœditas, aut ſuperſtitionis impietas, errorve in populorum mentibus irrepat, Paſtorali noſtro muneri ſatisfacturi, prohibemus ullas exponendas imagines, quæ vel falſum aliquod dogma continere, vel periculoſi erroris occaſionem præbere poſſe rudibus videantur, & quæ piorum oculis aliquam poſſint afferre offenſionem, ſed ſicubi tales in Eccleſiis reperirentur, aut ſacris literis, vel Eccleſiæ ritui, aut pietati Chriſtianæ, honeſtative aliquo modo repugnent, eas ſtatim aboleri omnino volumus, ac jubemus.

Si quæ vero fractæ, aut diminutæ, vel vetuſtate corroſæ, ea vel reſtaurentur, vel ſi id fieri minus poteſt, comburantur, ac earum cineres ſub pavimento Eccleſiæ reponantur.

Et ne ſuperſtitio, & infamis lucri fœdiſſimum crimen ex occaſione miraculorum, ſeu ad ſacras imagines, ſeu alia ratione patratorum, ſeu patrandorum committatur, neve fidelium credulitati atque ſimplicitati per fictionem & jactationem miraculorum imponatur, ac illudatur, & ne fides noſtra, quæ firmiſſimis veritatis fundamentis innixa mendaciorum fallaciis nunquam indiguit, nec indiget, imo vero hujusmodi figmenta condemnat, & exhorret, revocari in dubium, & ſugillari ab impiis poſſit, prohibemus ſub ſeveriſſimis pœnis a Nobis irremiſſibiliter infligendis, ne quisquam Sæcularis, ſive Clericus Regularis in Eccleſia quomodo-

modolibet exempta, aut ullo alio loco insolitas imagines temerario & execrandæ impietatis ausu proponere, nova miracula, aut novas Reliquias evulgare, prædicare, aut jactare præsumant.

Quod si omnipotens Deus, cujus est miracula, seu per seipsum, seu per Sanctorum intercessionem facere, Ecclesiam suam illustrare, fidem nostram confirmare, & fideles solari per miraculosas operationes complacita benignitate dignabitur, rem totam prius per Parochum loci ad Nos deferri volumus, ut ad normam S. Conc. Trid. adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciamus, quæ veritati & pietati consentanea judicaverimus.

CAPUT XXVIII.

De Indulgentiis.

Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auhoritate comprobatum esse Catholica Ecclesia semper docuit, eosque anathemate damnat, qui illas aut inutiles asserunt, vel in eis concedendis ejus potestatem negant, inexhaustus quippe meritorum Christi, Beatissimæ Virginis, aliorumque Sanctorum thesaurus per benignitatem ejusdem Salvatoris nostri sic ab Ecclesia in salutem fidelium dispensatur, ut non solum per merita Christi culpæ reatus, & pœna æterna peccatis debita in Sacramento Pœnitentiæ remittatur, sed etiam per eadem Christi, nec non Beatissimæ Virginis, reliquorumque Sanctorum merita temporalis eorundem peccatorum post Sacramentalem Confessionem adhuc debita castigatio, ex materna Ecclesiæ indulgentia in opera facilioris executionis commutata, nonnunquam minuatur, nonnunquam plene condonetur.

Verum ne dispensatio, seu distributio hujusmodi Indulgentiarum, & laudatissimus cæteroquin usus disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem obtundat, aut relaxationem morum, variosque abusus spe, & per occasionem earundem progignat, præcipimus omnibus Parochis, ut Catholicæ Ecclesiæ Matris & Magistræ nostræ circa Indulgentias sensum, valorem, fructus, utilitates plebem fidelem accurate edoceant & instruant, & ad cordis contritionem, peccatorum suorum Sacramentalem Confessionem, & ad injunctorum a Summo Pontifice, Indulgentiarum dispensatore, operum, quæ sigillatim, distincteque enumerabunt, humile, devotum, & fidele adimplementum, cæterasque necessarias ad Indulgentiarum consecutionem dispositiones paterne adhortando invitent.

Nullæ Indulgentiæ publicentur, neque earum concessiones typis vulgentur, nisi prius a Nobis, nostrove Officiali recognitæ fuerint. Quod etiam ab omnibus cujuscunque Ordinis, & Instituti Regularibus servari præcipimus.

CAPUT XXIX.

De Officio Parochorum.

Quanta Pastoribus animarum, quas Christus acquisivit Sanguine suo, in crediti sibi gregis regimine adhibenda sit vigilantia, exacta muneris ratio supremo Pastorum Principi districtissime ab ipsis reddenda, aperte nos docet, dum commissarum ovium sanguinem, quæ ex custodum fortasse incuria peribunt, in extremi examinis die de illorum manibus severus Judex requiret. Idcirco altissimi hujus oneris proponendæ a Nobis rationes totam ad se revocant mentis nostræ solicitudinem. Licet enim omnia pene in hac nostra Synodo hucusque sancita ad rectam, ac solertem Pastoralis Officii administrationem pertinere dignoscantur; non satis tamen muneri nostro adhuc satisfactum censuimus, nisi alia hic etiam animarum Rectoribus, disertius ac firmius de gravissimo ipsorum ministerio ediceremus.

Meminerint ergo Parochi, sublimem proprii muneris vocationem sæpius recogitantes, fidei scientia ac morum sanctitate ita cæteros antecellere, ut Christi gregem tam verbi doctrina, quam operum exemplo pascentes, non ut *Dominantes in Cleris*, *sed forma facti gregis ex animo* fideles Mysteriorum Dei dispensatores reputentur. Sciant proinde

inde omnia ſuperius præſcripta de vita & honeſtate Clericorum ad ipſos potiſſimum pertinere, qui in altiorem, & ſublimiorem officii, ac honoris gradum aſſumpti, & quaſi in ſpecula conſtituti, vitæ integritate ac ſanctimonia reliquis anteire & prælucere tenentur. Præterea, quæ ſuperius decrevimus de Divini verbi prædicatione, de Chriſtianæ fidei rudimentis edocendis, de Feſtorum & jejuniorum obſervantia, præſertim vero de Sacramentorum adminiſtratione (quod præcipuum ipſorum munus eſt) exactiſſime calleant, ac diligentiſſime exequantur. Nec modo, quæ ad ipſos attinent, ſed & ad populum ſpectantia noſtrarum Conſtitutionum Decreta omnino obſervari curabunt, vigilum Paſtorum munia ſolerter peragentes, cunctoſque abuſus, qui forte hominum vitio, vel temporum injuria adverſus eas irrepſerint, Nobis, aut Vicario noſtro Generali denuntiaturi.

Habeant proinde ſinguli noſtras haſce Conſtitutiones Synodales, quas quamprimum typis publicari curabimus, eaſque ita frequenter legant, ut ad minimum tertio quoque menſe univerſas prælegiſſe ſeſe ſtrictiſſime teneri ſciant. Præterea ſummam aliquam Caſuum conſcientiæ, vel Canonum, Concilium Tridentinum, Catechiſmum & Rituale Romanum apud ſe ſemper retineant, & aſſiduo ſtudio revolvant, ut ita ad propria munia rite obeunda pleniſſime inſtruantur. Eos inſuper enixe in Domino hortamur, ut ultra pios Divinarum meditationum libros, aliquem habendis concionibus accommodatum, item alium, quo in officiis erga infirmos ab ipſis ſedulo exhibendis erudiantur, ac demum ſacrarum literarum libros ſibi comparent, quos a ſacris Canonibus frequenter legere admonentur, ut docendi officium, quod ſuſceperunt, fructuoſius ac facilius exequantur.

Animarum curam ſibi commiſſam, non per alios, ad quos de ovibus non pertinet, ſed per ſe ipſos adminiſtrent, niſi forte legitima intercedente cauſa, Nobiſque aſſentientibus approbati Sacerdotis miniſterio indiguerint, nec tamen ſe propterea aut reſidentiæ lege ſolutos, aut ab aliis Paſtoralibus muniis, quæ illis interdicta non fuerint, immunes exiſtiment. Eorum proinde deſidiam, ac damnabilem negligentiam ſummopere improbamus, qui proviſos in regimine animarum Coadjutores ſuſceperint, de temporalibus lucris ſolummodo ſoliciti, ac Divinis humana præferentes, inexcuſabili torpore totum in illos onus paſcendarum ovium rejiciunt, quas ipſi arctiſſimis legibus regendas ſuſceperunt.

Non itaque mercenarii more, *qui dimittit oves, & fugit*, ſed boni Paſtoris exemplum ſectantes circa Beneficia ſua perſonaliter reſideant, nec ex cauſa cujuscunque obſequii ſæcularium quarumvis perſonarum, aut occaſione prætenſæ cujusvis neceſſitatis juſto tempore ſine licentia noſtra ſe ſe ab Eccleſiis abſentent, alias enim ultra reatum peccati mortalis pro rata temporis abſentiæ fructus non faciunt ſuos, nec tuta conſcientia, quamvis etiam nulla declaratio Judicis ſubſecuta ſit, eosdem retinere poſſunt, ſed pro fabrica loci, aut pauperibus erogare tenentur. Nec quisquam ſibi perſuadeat, aut confidat ſufficere in vinea Chriſti per Vicarios laborare, alioquin ſatis eſſet per Vicarios manducare.

Sibi igitur *& univerſo gregi attendentes, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere plebem Dei, in omnibus laborent* ac vigilent, ſuumque fideliter miniſterium adimpleant aſſidue curantes, ut ſibi creditæ Eccleſiæ ſanctæ ſint, non habentes rugam, neque maculam, ac Deo per omnia placentes. Ideo, ut Apoſtolus monuit: *potentes ſint in doctrina ſana, exhortari, & eos, qui contradicunt, redarguere*; ne alias Sacerdotalis ſeveritatis immemores, tanquam *canes muti non valentes latrare*, dum culpas corripere metuunt, delinquentibus promiſſa ſecuritate in caſſum blandiantur. Hinc vigilantes ſuper gregibus ſuis diligentiſſime inquirant, an in eorum Parochiis perditi homines degunt publice, nempe blaſphemi, concubinarii, res Eccleſiaſticas occupantes, ſive alterius gravis, ac ſcandaloſi criminis publice rei; quos quidem paterne primum, ac ſuaviter cum omni patientia ad bonam frugem reducere ſtudebunt, mox acrius,

acrius, ac severius pro temporis opportunitate admonebunt, ut ita non subterfugientes eis annuntiare consilium Dei, veraciter cum Apostolo, mundas manus suas ab illorum sanguine valeant profiteri. Si vero his adhibitis studiis se nil proficere cognoverint, Nobis sive Vicariis nostris contumaces denuntiabunt. Inquirent pariter, an non sint aliqui, qui libros tractantes hæresim legunt, sive penes se conservant, tales ad Officium nostrum deferant, nisi sponte libros suspectos ad Officium nostrum remittendos ipsis extradant.

Viduarum ac virginum egestate laborantium, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant, orphanos pariter ac pupillos pro viribus tueantur, præsertim, si earum educatio in iis, quæ ad Christianam institutionem pertinent, ab illorum tutoribus negligatur. Infirmis præcipue, ac in extremo vitæ discrimine constitutis, prout alibi pluries monuimus, quam diligentissime assistant, eisque omnia debitæ pietatis officia assidue conferant. Omnibus demum, quos spirituali aliqua vel corporali ope indigere cognoverint, tum ipsi pro viribus consulant, tum alios suo exemplo & hortatu ad id Christianæ charitatis officium enixe invitent, memores pro suarum ovium incolumitate, quemvis excipere laborem, subire omnes casus, omnem vim atque injuriam perferre, denique ut bonus Pastor Evangelicus animam suam pro illis ponere non dubitantes. Quibus autem ob redituum Ecclesiasticorum tenuitatem temporalibus subsidiis prodesse nequeunt, spiritualibus saltem auxiliis opitulentur. Ideo omnes animarum Rectores pro ovibus suis orare, ac Sacrificium offerre a Tridentina Synodo enixe jubentur, adeo, ut saltem Dominicis diebus & Festis de præcepto pro populo semper celebrantes, aliunde sibi eleemosynam quærere strictissime prohibeantur, ut alibi jam innuimus.

In celebratione Divinorum, Sacramentorumque administratione decentia, mundities, gravitas, ritusque ac cæremoniæ in Rubricis Missalis ac Ritualis Romani ab Ecclesia præscriptæ serventur. Inprimis vero linteamina, ornamenta, & vasa sacra, non lacera, non sordida, quæ nauseam provocent, non mucida, aut ærugine consumpta ad usus Divinos adhibeantur. Quamvis enim probe sciamus plurium Dioecesis nostræ Ecclesiarum pauperiem, hæc tamen ejusmodi abusus minime excusat, cum plerumque nil aliud in hoc, nisi Rectorum cura, atque diligentia desideretur, & longe magis optandum est, ut vasa & ornamenta sacra in minori potius numero, modo sint apta & munda, habeantur. Quare noverint Ecclesiarum præsertim ruralium Rectores, Nos, si quid tale in illorum Ecclesiis animadverterimus, id impune minime relicturos.

Ædes quoque Parochiales conservare ac collabentes reparare ab iis, ad quos pertinet, pro viribus curent. Bona item, & jura suarum Ecclesiarum diligenter & strenue tueantur. Non ideo tamen Parochialium proventuum, eorumque præcipue, quæ ex funerum jure ipsis obveniunt, rigidi ac molesti sint exactores, ne alias peculii potius ampliandi cupiditate, quam studio augendi patrimonia pauperum, Sacerdotalium jurium defensores habeantur.

Diffidia & contentiones inter suæ Parochiæ subditos exortas opportunis cohortationibus ac monitis in neutram partem æquo propensiores, quam citissime studeant componere. Id autem studiosissime caveant, ne ullam Laicis præbentes offensionem ipsimet inter se rixentur, aut quoquo modo contendant. Ideo, si quas aliquando ratione officii, aut jurium parochialium controversias habuerint, amicabiliter omnino componant, aut certe ad Nos, sive Officia nostra deferant, quantum fieri poterit, absque judicii strepitu dirimendas.

In singulis autem Parochialibus Ecclesiis præcipimus, ut Archivum erigatur, seu saltem conveniens Sacristiæ armariolum sera & clavi munitum ad hunc duntaxat usum seligatur, ibique libri Scripturæ, inventaria, & publica instrumenta continentia, reditus, bona, privilegia, onera, aliaque ad Ecclesiam quomodolibet spectantia dili-

diligentissime & distincte custodiantur. Similiter authentica Reliquiarum documenta, onerum satisfactiones, Indulgentiarum diplomata, ac visitationum decreta ibidem retineantur. Præcipue vero libri Parochiales, tum antiqui, tum recentes, nimirum baptizatorum, matrimonia contrahentium, mortuorum, ac status animarum diligenti cura asserventur.

Curabunt pariter, ut in quacunque Parochia habeatur Ludimagister, qui Catholicus sit, & eruditus ac bonæ famæ. Is autem non solum in Grammatices, & humaniorum literarum peritia, sed etiam in Christianæ fidei rudimentis ac Catholica Religione ad Catechismi Romani præscriptum, pueros adolescentesve instruat, eosque bonis moribus, Christiana pietate atque spiritualibus exercitiis diligenter imbuat.

Diligentiam item adhibeant, ut mulieres, quæ in Parochia puellas docent legere & scribere, Catholicæ sint, & spectatæ vitæ, atque in eis erudiendis libris utantur Catholicis, & a proprio Parocho approbatis.

Sub tempus Confessionis Paschalis, quantum fieri potest, alium Sacerdotem, dummodo sit approbatus, pro confessionibus Parochianorum suorum invitent ad evadendum periculum sacrilegii, quod contingere potest, si non habeant confidentiam ad proprium Parochum, & conscientiæ suæ latebras illi aperire pertimescunt, confidentius autem iis, quibus suus author ignoratur, turpitudines humanæ revelantur.

CAPUT XXX.

De pluralitate Beneficiorum.

Perniciosissimum Ecclesiæ statui, animarumque saluti videmus, dum idem & unus Sacerdos varia Ecclesiæ stipendia in variis & distantibus sæpe locis, & quibus diversa incumbunt officia in se assumit. Quare cum sacri Canones abhorrent pluralitatem Beneficiorum, sed singulis singula Beneficia esse conferenda declarant, omnes pluralitate Beneficiorum laborantes serio monemus, quatenus nulliter possessa hactenus Beneficia intra tres menses dimittant, nisi ipsis legitimæ dispensationes a sancta Sede Apostolica suffragentur, quas Nobis intra spatium trium mensium sine aliqua adcitatione præsentare teneantur, alias ipso facto priora per illos obtenta pro vacantibus declaramus, & ad pœnam restitutionis dupli, cæterasque arbitrarias procedemus.

Et quia per varias temporum injurias, multas Ecclesias Parochiales, suis olim destitutas Pastoribus, dari in Commendam vicinioribus Parochis propter defectum Cleri necessitas exigebat, prava demum & damnabilis consuetudo irrepsit, quod pro affiliatis Ecclesiis a Possessoribus illorum tractu temporis censeantur, & sub colorato hoc titulo affiliationis multi ex Parochis plures Ecclesias proprie Parochiales, prout in Synodo Diœcesana Illustrissimi olim GASPARIS DZIALINSKI *de anno* 1641. enumerantur, temere tenere non verentur. Hinc improbæ illorum temeritati metas ponere volentes decernimus, ut nisi in spatio trium pariter, ut supra, mensium a publicatione præsentis Synodi docuerint de incorporatione dictorum Beneficiorum, Nos singulis Beneficiis distinctos provisuros fore Pastores, & præterea de male perceptis fructibus in rem Ecclesiæ dispposituros. Præterquam enim quod talis pluralitas charitatem, quæ debet esse inter fideles, extinguat, & minuat, dum Sacerdotes quantumvis dignos, & opitulante Divina gratia, satis numerosos ad laborandum in vinea Domini portione Christi ac pane meritorum privat & destituit, facitque famelicos, administrat insuper materiam dissolutionis, ac detrimentum & damna varia Ecclesiæ generat, fructus ac reditus spirituales, dum taliter qualiter expenduntur, profanat ac violat, Divinorum absolvendorum necessitatem per absentiam eorum, qui per plura Beneficia cursitant, tollit ac destruit.

Quicunque autem inposterum pro dispensatione Apostolica super pluralitate Beneficiorum ad Sedem Apostolicam supplicare voluerint, literas patentes seu testimoniales super veritate exponendorum a Nobis ipsis & non aliter

aliter accipere, & Bullas pro verificatione Nobis præſentare tenebuntur.

CAPUT XXXI.

De Eccleſiis deſolatis.

Compertum habentes ex Viſitatione generali Diœceſis nuper expedita aliquas Eccleſias ita deſolatas extare, ut legitimis a multo tempore orbatæ Rectoribus in ſuis tantum ſepultæ ruinis conſpiciantur, & quas majorum pietas ad cultum Divinum, ſalutis humanæ miniſterium, & ad animarum ſuarum ſuffragium erexit, has incuria, negligentia, & injuſtitia poſterorum in abominationem deſolationis converti fecit, & permiſit. Huic malo pro munere noſtro occurrere volentes informati, quod nonnullæ ex illis integra ſua gaudeant dote, & tales habeant reditus, quod commode Parochus ali & ſuſtentari poſſet, decernimus hac Synodali Conſtitutione, ut viciniores Parochi, qui omnes fructus & proventus deſolatarum Eccleſiarum percipiunt intuitu adminiſtrationis Sacramentorum, ſint contenti decimis & accidentiis. Cenſus vero ex manſis Eccleſiæ deſolatæ eouſque per Officia noſtra ſequeſtrentur, quouſque collecta ſumma non fuerit ſufficiens pro reædificanda nova Eccleſia, qua ædificata, noverint tamen illi, ad quos Eccleſiarum reædificatio ſpectat, ad reſtitutionem ſummæ erogatæ ſe teneri debere ſaltem per rathas quouſque ſumma integralis repoſita non fuerit, quam demum pro interno decore Eccleſiarum applicandam decernimus. Illas vero Eccleſias, quarum dotes per calamitatem temporum interierunt, inhærendo textui ſacroſancti Conc. Trid. aliis Parochialibus vicinioribus, incorporandas & inviſcerandas conſtituimus, ac hujusmodi incorporationem & unionem, vocatis de jure vocandis, coram Nobis fieri volumus, & nunc diſpoſitive præcipimus.

CAPUT XXXII.

De Hoſpitalibus.

Xenodochia, pauperum commoditati priſca fidelium pietate inſtituta, atque a ſacris Canonibus toties tamque enixe Paſtorali ſolicitudini commendata, ut debite & ſecundum piam mentem Fundatorum adminiſtrentur, omni ſtudio adniti decet.

Viri itaque providi, juſti, & expertæ in miſerabiles perſonas charitatis, ad quem de jure vel conſuetudine ſpectat, uniuscujuscunque Hoſpitalis adminiſtratores per triennium ad ſummum continuandi eligantur, qui bona, res, & jura ejusdem diligenter ac fideliter adminiſtrent, conſervent, ſtrenueque tueantur & recuperent, atque eorundem uſurpatores Nobis, ſive Vicariis noſtris ſub pœnis excommunicationis denuntient, ut locis piis ſatisfactionem ſimul, ac denuntiatorum emendationem paterna ſuavitate procuremus, aut certe ipſorum ſacrilegam contumaciam cenſurarum declaratione, aliisque graviſſimis pœnis vindicemus. Domos pro pauperibus fovendis ſarto tecto, januisque atque feneſtris refectis accommodare faciant. Prædia excoli, Eccleſiæ ſeu Capellæ, ſi qua forte Hoſpitali reperitur adnexa, cultum & nitorem, onerumque eidem incumbentium adimplementum religioſe curent.

Reditus ejusdem in ſuos uſus damnabiliter convertere, aut in alienos ab inſtituto erogare ſub excommunicationis pœna non audeant, ſed ut quidquid acceperint, exegerint, vel expenderint, in libro bene compacto ad hoc deſtinato fideliter notent, & in fine anni, vel quotiescunque fuerint requiſiti, adminiſtrationis rationem Vicario noſtro Generali, ſeu propriis illorum Foraneis & Parochis, aliisve, quibus ex fundatione vel conſuetudine jus hoc competit, reddere teneantur. Et quidquid ex annuo reditu ſupereſſe compertum fuerit, Nobis per eosdem Vicarios vel Parochos ſignificetur, ut in Hoſpitalis, aliosve pios uſus, prout e re magis viſum fuerit, noſtro arbitratu impendatur.

Obligationes, ſi quæ pauperibus ex fundatione impoſitæ ſunt, Præfecti Hoſpitalium animadvertant, ut abſolvantur, ubi vero non ſunt, curent, ut ſemper pauperes exercitium habeant, Roſarium vel Coronam B. M. V. & alias

alias pias preces quotidie recitando. Mares & fœminæ permiſcue non cohabitent, ſenes tantum, debiles, claudi, cœci, infirmitate incurabili laborantes, non vero validi, ſani, & juvenes recipiantur, moneantur etiam, ut ſæpe confiteantur, & communicent.

Quia vero mendicorum temere vagantium maximus reperitur numerus, qui tametſi valentes viribus ad labores & operas ſunt idonei, mendicant tamen per civitates & oppida, ac non ſolum veris ac incolis pauperibus eleemoſynam inique præripiunt, ſed ipſi quoque ea ſcandaloſe & in perniciem animarum ſuarum abutuntur; quare hac Conſtitutione Synodali mandamus, ut diligens eorum deinceps habeatur delectus, ac qui ſani ac validi erunt, expellantur a Magiſtratu ex civitatibus & oppidis, vel faciendis operibus publicis juſta aliqua mercede addicantur. Infirmos autem & vere mendicantes, quos Hoſpitalia capere non poſſunt, curet quilibet Parochus, ut in ſua Parochia per ſe & Parochianos ſuos porrectione eleemoſynæ ſuſtentetur, ne vagari cogantur, atque Parochiis aliorum ſint oneri.

Domos pro Sacerdotibus ſenio, & laboribus confectis, tum circa Eccleſiam Cathedralem, tum Lubaviæ pientiſſime fundatas & erectas, cum illarum fundis, ſummis capitalibus, dotationibus, erectionibus hac Synodali Conſtitutione approbamus, & ut Perilluſtres DD. Proviſores ex Ven. Capitulo deſuper conſtituti quotannis calculum de perceptis & expoſitis Nobis reddant injungimus, quorum muneris erit in omni charitate & pietate neceſſitatibus dictorum Presbyterorum quoad victum & veſtitum ſuccurrere, & ne in alios quamvis alias pios uſus, proventus earundem fundationum, præterquam pro commoditate tam ſpirituali, quam temporali invalidorum Presbyterorum, applicentur, ſerio inhibemus.

Sciant præterea Adminiſtratores locorum quorumvis piorum ex Decreto Ss. Concilii Tridentini ſe teneri quolibet anno rationem Nobis reddere, quamvis ex conſuetudine, aut privilegio, aut conſtitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet. Nam in tali caſu ſancivit ſacroſancta Synodus, ut cum illis adhibeatur etiam Ordinarius & aliter factæ liberationes ſeu quietationes dictis Adminiſtratoribus minime ſuffragentur.

CAPUT XXXIII.

De Regularibus.

Quantum Catholico gregi ex ſanctiſſimis Religioſorum Ordinum inſtitutis, ſplendoris ac dignitatis acceſſerit, fortiſſima militanti in terris Eccleſiæ aucta præſidia, eidemque in cœlis triumphanti eximii fulgoris addita lumina abunde teſtantur. Ideo quoscunque Regularis vitæ Profeſſores, qui fallacibus hujus mundi inquinamentis poſthabitis, ſpem ſuam in altiſſimis, ubi vera ſunt gaudia, collocarunt, enixe in Domino admonemus atque obſecramus, ut acceptæ vocationis memores, *gratias agentes Deo Patri, qui dignos eos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*, ante omnia ad Regulæ, quam profitentur, præſcriptum ita vitam inſtituant, moresque componant, ut ad omne religioſæ virtutis officium in dies longius progredientes, tanquam *filii lucis* honeſte ambulent, exemplumque afferant fidelibus, ut ait Apoſtolus, *in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in omni opere bono fructificantes.* Nobis vero in agro Domini excolendo non otioſos ſe præſtent operarios, ſed tanquam fideles agricolæ ad meſſem hanc vocati, opera ſua Nos adjuvent, ut quos Chriſtus Dominus vitæ Magiſter de poteſtate tenebrarum eripuit, eos curæ ac fidei noſtræ commiſſos, quaſi purum triticum in horrea cœleſtia congregemus. Hinc ſicuti Regulares omnes cujuscunque Ordinis & Inſtituti, in hac noſtra Diœceſi fundatos, peramanter tanquam ſtrenuos in meſſe Chriſti operatores æſtimamus, & eorum privilegia a ſancta Sede Apoſtolica, ſummisque Pontificibus eisdem conceſſa, dummodo revocata non fuerint, ſarta tecta conſervare, tueri, & defendere ſtatuimus, ita pariter eosdem Regulares rogamus & obſecramus

in

in Domino, ut in iis, in quibus authoritati nostræ, vel tanquam Ordinarii, vel tanquam Delegati Apostolici subjecti sunt, omnem reverentiam & obedientiam, non tam Nobis, quam characteri nostro Episcopali exhibeant, & in iis, quæ ad regimen Parochiarum, juraque Parochialia pertinent, non transgrediantur fines, quos posuerunt Patres nostri, nec mittant falcem in messem alienam. Et 1*mo* quidem, quandoquidem Regulares juxta Conc. Tridentinum non possunt audire confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi fuerint ab Episcopo approbati: ideo omnibus Religiosis cujuscunque Ordinis & Instituti, etiam Societatis JESU, districte præcipimus, ut nullus confessiones in Diœcesi nostra sub nullitate absolutionis excipere audeat, nisi fuerit a Nobis, vel Officio nostro ad id approbatus. 2*do*. Cum juxta idem Conc. Tridentinum expresse constitutum sit, ut nullus Regularis etiam in propria Ecclesia prædicare audeat, nisi ab Episcopo prius benedictionem petierit: in aliis vero Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, præter benedictionem, etiam licentiam prædicandi obtinere debeat; ideo, ut hæc Ss. Concilii Tridentini Decreta in viridi sint observantia, serio omnes requirimus, sciantque se, si obedire neglexerint, pœnis a jure statutis fore puniendos. Iidem Concionatores non in doctis humanæ sapientiæ verbis, aut adulterantes verbum Dei, aut vanam profanæ eloquentiæ sectantes auram, sed in spiritu & virtute ministerium suum adimplere studeant, ad corrigendos pravos mores, vitiaque evitanda, mandatorum Dei observantiam, Christianasque virtutes auditores suos cohortentur. Si vero (quod tamen per misericordiam Dei nunquam eventurum speramus) aliquis errores prædicare, vel scandala seminare in populo repertus fuerit, talis sciat sibi officium prædicationis juxta dispositionem Concilii Tridentini interdicendum fore. 3*tio*. Regulares extra Monasterium degentes, juxta idem Concilium ab Episcopo, tanquam a Sedis Apostolicæ Delegato, puniri possunt. Qui vero intra claustrum degunt, sed extra claustrum delinquunt, juxta dispositionem ejusdem Concilii a suo proprio Superiore ad instantiam Episcopi, & intra tempus ab eodem præfigendum, severe puniantur, ac de punitione idem Superior Episcopum certiorem facere debet; aliter delinquentes ab Episcopo puniri possunt. His ergo Decretis & dispositionibus Ss. Concilii Tridentini inhærendo, omnes Superiores quocunque titulo & nomine vocandos paterne obsecramus in Domino, ut ita subditos suos in officio contineant, ne unquam ullum scandalum ab ipsis, qui omnis sanctitatis & perfectionis vivum debent esse exemplar, fideli populo detur, Nobisque omnis occasio pœnas emeritas contra delinquentes urgendi, aut respective, ut supra, in eosdem extendendi auferatur. Regulares vero extra claustrum degentes (quod tamen nonnisi legitimis ex causis, & cum licentia suorum Superiorum facere debent) bonæ conversationis exemplum omnibus exhibeant, alias noverint Nos contra ipsos juxta datam Nobis facultatem processuros. 4*to*. Nemo Regularium audeat quempiam inducere ad sepulturam eligendam, vel eam electam immutandam sub pœnis *in cap. Animarum periculis in sexto* contentis; neminemque illis in Ecclesiis suis sepelire liceat, præterquam illos, qui vigore sepulturæ antenatorum ibi sepeliri debent, vel qui sibi apud illos sepulturam elegerint, de qua electione vel per testamentum, vel saltem per duos testes fide dignos docere Parochum, intra cujus limites quis mortuus est, teneantur. Corpora defunctorum, etiam illorum, qui apud ipsos sepeliri debent, non vocato Parocho & sine cruce parochiali levare, & ad Ecclesias suas deferre non audeant. Sacrosanctum Viaticum & Sacramentum Extremæ Unctionis administrare eisdem non licet, sub pœna excommunicationis in jure statuta; nisi interveniente ad hoc consensu expresso Parochi. 5*to*. Missas in domibus privatis juxta tot Summorum Pontificum, maxime vero CLEMENTIS Papæ XI. *die* 15. *Decembris* 1703. decretum nemini, virtute etiam cujuscunque privilegii, celebrare liceat, nisi vel indul-

indultum Romanum, vel a ſacra Nuntiatura, vel a Nobis facultas celebrandi conceſſa fuerit; ſed & ad hoc locus ſeparatus, aliis uſibus non ſerviens, decenter ornatus, a loci Ordinario, vel aliquo alio ex ipſius mandato reviſus & deſignatus eſſe debet. Obſervandæ vero ſunt clauſulæ & conditiones in ſimilibus indultis apponi ſolitæ tam de Feſtis ſolennioribus, in quibus præfata celebratio prohibetur, quam de numero Miſſarum abſolvendarum, tum etiam de iis, quibus auditio Miſſæ in præfatis Oratoriis privatis ad implendum præceptum Eccleſiaſticum ſuffragatur. Oſculum patenæ poſt Miſſam offeratur nemini, niſi Senatoribus, vel aliis in prima dignitate Regni conſtitutis, tum & Collatoribus Eccleſiæ nobilioribus in iis Eccleſiis, in quibus hæc obſervatur conſuetudo. Quod intelligi debet, ſi prope Altare, in quo celebratur, adſint; nam Sacerdoti cum patena in habitu ſacro per Eccleſiam circuire penitus indecens eſt. *6to.* Religioſi, dum a ſuis Superioribus peregre mittuntur, obedientiales eorundem Superiorum ſuorum, tum & teſtimonium de facultate excipiendi confeſſiones (ſuppoſito, quod ad hoc approbati fuerint) ſecum deferant, alias ſciant, ſe a Parochis nec ad celebrationem Miſſarum, nec ad audiendas confeſſiones eſſe admittendos. *7mo.* Nemo Regularium etiam in Eccleſiis ſuis Indulgentias publicare audeat, niſi eas prius Nobis, vel Officio noſtro exhibuerit, & eaſdem publicandi licentiam obtinuerit: quod expreſſe in Concilio Tridentino ſtatutum eſt. Si quæ vero Indulgentiæ jam expiraverint, iisdem uti non audeat, donec renoventur, aut novæ obtineantur. *8vo.* Expoſitiones Ss. Sacramenti, quæ tam frequenter & ſæpiſſime ſine debito apparatu & reverentia, introductæ ſunt in Eccleſiis tam Regularium, quam Sæcularium, fere ipſa conſuetudine viluerunt; quare inhærendo mandato INNOCENTII X. deſuper pro Regno Poloniæ emanato ſevere prohibemus, ne quis absque noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis ſpeciali licentia, expoſitiones & proceſſiones cum Ss. Sacramento facere audeat, niſi diebus ſequentibus: in Feſto & per Octavam Ss. Corporis Chriſti. In Feſto Titularis Eccleſiæ Patroni, & Dedicationis ejusdem. In Eccleſiis Regularium etiam in Feſtis Ss. Fundatorum ſuorum, tum & aliorum ſui Ordinis ab Eccleſia canonizatorum, vel beatificatorum, in iis vero Eccleſiis, in quibus Confraternitates ſub invocatione B. M. V. erectæ & inſtitutæ ſunt, ſi talis in iisdem Eccleſiis conſuetudo, in Feſtivitatibus ejusdem ſacratiſſimæ Virginis expoſitiones & proceſſiones fieri permittimus, tum etiam in diebus Quadrageſimæ, dum in aliqua Eccleſia devotio, Paſſio vulgariter dicta, abſolvitur. Quia vero norunt ſeſe ad ædificationem, non deſtructionem eſſe, ne populus abſtrahatur a Parochiali Eccleſia, ubi ſalutis initium conſequitur, & ad quam frequentandam juxta ſacroſanctum Concilium hortandus eſt, volumus & decernimus, ut eadem die, quando in Eccleſia Parochiali Paſſio abſolvitur, in Eccleſiis Regularium talis devotio vacet, quibus aliam ſibi diem diſtinctam ab Eccleſia Parochiali ad effectum præmiſſæ devotionis abſolvendæ, prævio conſenſu noſtro, eligere integrum erit. Ubi vero Confraternitates ſub invocatione alterius Sancti legitime erectæ fuerint, licitum erit eisdem Confraternitatibus in die principalis Patroni ejusdem, a primis Veſperis uſque ad ſecundas: in aliis vero quatuor ſolemnioribus, quæ communiter adjungi ſolent, expoſitionem & proceſſionem cum ſanctiſſimo Sacramento de mane peragere. In reliquis vero per annum diebus nemo expoſitionem & proceſſionem ſine noſtra, vel Vicarii noſtri facultate facere præſumat. Quia vero nonnullæ Confraternitates ſingulis fere vel ſaltem alternis Dominicis, præfatas expoſitiones & proceſſiones facere conſueverunt, de jure vel privilegio, in quo hæc conſuetudo fundatur, docere tenebuntur. Religioſis extra clauſtra ſua proceſſiones, niſi certis diebus per privilegia ipſis conceſſis, facere non licet. Ideo inſolitas & novas proceſſiones ſine ſcitu & licentia noſtra penitus prohibemus. *9no.* Officium exorciſtatus nemo exercere audeat, niſi ad hoc expreſſam in ſcriptis a Nobis, vel Officio

Officio nostro habuerit licentiam. Quibus vero illud permissum fuerit, condigne & devote in Ecclesiis & non alibi exerceant, precibus, orationibus, exorcismis in Rituali Romano præscriptis ad hoc utantur. Ab aliis vero, quæ quandoque superstitionem redolent, omnino abstineant, præcipue a balneis, maxime respectu personarum alterius sexus conficiendis, sub pœnis arbitrariis, & privatione in perpetuum concessæ sibi facultatis. 10*mo.* Meminerint etiam omnes Superiores Regulares, ad quos spectat, subditis suis dimissoriales pro Ordinibus concedere, quod eas dirigere debeant, subditosque suos pro ordinatione mittere, juxta Constitutionem CLEMENTIS VIII. 15. *Martii* 1596. latam, ad Episcopum Diœcesanum; hoc est ad eum, in cujus Diœcesi Monasterium existit, in quo habitant, qui ordinandi sunt; nisi forte Episcopus a Diœcesi sua abesset, vel non esset habiturus ordinationes, vel Sedes Episcopalis vacaret. Tunc enim licitum erit præfatos subditos suos ad quemcunque Episcopum mittere, dummodo ipsi Regulares de industria non distulerint concessionem dimissorialium ad id tempus. Si vero dimissoriales in casu, ut supra, ad Episcopum non Diœcesanum dirigantur, in iisdem expresse apponatur ratio absentiæ Episcopi Diœcesani, vel ordinationum ab ipso non habendarum. Quæ omnia præfatus CLEMENS VIII. sub privatione officii, dignitatis, administrationis, vocis activæ & passivæ, & aliis arbitrariis in præfata Constitutione decrevit. 11*mo.* Censuras & interdicta non solum a Sede Apostolica emanata, sed etiam a Nobis promulgata, Nobis vel Vicario nostro Generali mandantibus in suis Ecclesiis publicent & servent. 12*mo.* Rogamus pariter omnes Superiores quorumcunque Ordinum, ut quandocunque a Parochis locorum præcipue in majoribus solennitatibus, in quibus ipsi Parochi concurrenti populo satisfacere non possunt, invitati fuerint, ut eos in excipiendis confessionibus, vel aliis ministeriis adjuvent, id benevole & prompto animo facere non dedignentur.

CAPUT XXXIV.

De Monialibus.

Sacræ Virgines sub suavi Religionis jugo cœlestis Agni nuptiis arctissimo fœdere consecratæ, cum a sæculi periculis ereptæ tutioris vitæ optimam partem elegerint, insontis columbæ nomine ab eorum Sponso in foraminibus petræ, in caverna maceriæ blande advocantur, ideo inviolabili clausuræ lege servata solicite Agnum illum custodire debent; in quo cœlestis disciplinæ thesaurus absconditur, quemque venditis omnibus, quæ possidebant, avidissime compararunt. Hinc est, quod in Monasteriis Monialium Ordinis S. Benedicti Nobis omnimode subjectis: videlicet Culmensi, Thorunensi, & Graudentinensi, circa eorundem Constitutiones, personas, clausuram, regimen, & bona ab Antecessoribus nostris laudabiliter constituta, pro munere nostro Pastorali, ut vetus disciplina integra conservetur, & ea parte, quæ depravata est, restituatur, hæc ab ipsis servanda decernimus & sancimus.

Constitutio BONIFACII Papæ VIII., quæ incipit: *Periculoso*, servetur diligenter; ita, ut nemini Sanctimonialium liceat inposterum post professionem exire a Monasterio etiam ad breve tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa a Nobis scripto approbanda sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Ingredi autem clausuram Monasterii nemini pariter liceat cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine licentia nostra scriptis obtenta, alioquin eandem pœnam eo ipso subeant.

Cum autem a Nobis, sive cui vices nostras commiserimus, facultatem ob aliquam gravem necessitatem exeundi ad breve tempus obtinuerint, saltem unam sive aliam provectioris ætatis Monialem per Abbatissam loci assignandam secum habeant.

Omnes ad Regulæ, quam professæ sunt, præscriptum vitam instituant & componant, atque inprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis vota, præceptaque ad trium votorum essen-

tiam, nec non ad communis vitæ, victus, & vestitus conservationem pertinent, fideliter observent: ea enim, quæ ad regularis vitæ substantiam spectant, non sunt relaxanda, ne tota regularis disciplina corruat.

Expedit autem, ut cuncti sciant anathematis pœnam ab iis incurri, qui quomodocunque virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum religionis habitum, aut ad emittendam professionem coegerint, quique, scientes eam non sponte hæc facere, quoquo modo consensum, præsentiam, vel authoritatem interposuerint, sive econtra, qui earum voluntatem accipiendi veli, aut voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa impedierint.

Præterea nulla ad regularem habitum admittatur, nisi prius per Nos, aut per nostros respective Vicarios, vel per alium a Nobis deputandum ejus voluntas juxta formulam a Nobis præscriptam in Appendice *sub numero XII.* exploretur, qua exploratione facta, si reperta fuerit idonea, ei præcipiatur, ut in secessu per octo saltem dies exercitia spiritualia faciat, acceptatio autem ejusdem capitulari suffragio majoris partis Monialium vocalium facienda est.

Professio autem nullatenus facienda est, nisi jam completo decimo sexto ætatis anno, & probationis integro anno continenter peractæ sub severa disciplina Magistræ Novitiarum in loco a reliquis separato, ubi Novitiæ in timore instrui debent in iis omnibus, quæ ad religiosæ vitæ munia spectant, nec econtra ultra 15. dies a completo probationis anno sine nostra licentia differenda est.

Per mensem ante professionem Abbatissa de ea mox facienda Nos, aut Vicarios nostros sub pœna suspensionis ab officio certiores faciat, ut iterum, sicut in susceptione habitus factum fuit, ejus voluntas explorari possit, qua explorata acceptatio, ut supra, a majore parte Capituli iterum facienda est.

Confessarii Monialium tam ordinarii, quam extraordinarii, per Nos, seu Vicarios nostros deputandi, confessiones e consueta sede in loco Ecclesiæ conspicuo collocata semper excipiant, nec unquam Monasterii septa ingrediantur, nisi in casibus necessitatis, nimirum ad Sacramenta infirmis ministranda, & tunc superpelliceo ac stola induti a duabus ex senioribus Monialibus recta ad infirmæ cubiculum associentur, nec in aliam Monasterii partem divagentur, si secus fecerint, noverint se pœnam violationis clausuræ incursuros. Si autem Sacramentum, quod ministraturi sunt, fuerit Sacramentum Pœnitentiæ, tunc sciant se debere id ita ministrare; ut dictæ Moniales assistentes cernere quidem per apertas cellæ fores, non autem audire infirmam, & ipsum Confessarium possint.

Voti paupertatis memores, nihil, uti proprium, habeant, bona omnia, sive mobilia, sive immobilia sibi donata, relicta, aut quomodocunque acquisita, in commune ponant. Abbatissæ autem liceat ejus primo necessitatibus inde providere, cujus nomine donata vel relicta, vel cujus labore quæsita fuerunt. Pecunias, etiam in parva quantitate, apud se non retineant, nisi Abbatissa prudenter judicaverit id eis permittere.

Moniales denique secum reputent ex tribus Religionis solemnibus votis magnum quidem esse paupertatis, quo Deo bona donantur; majus castitatis, quo ei corpus consecratur; maximum vero obedientiæ, quo libera ante effrenisque voluntas, nunc alienæ ditionis jugo subdita, eidem sacrificatur, & quo tota monastica disciplina velut basi nititur, idcirco ea omnia humili animi devotione faciant, quæ Nos, vel Vicarii nostri, aliusve per Nos deputandus Superior, vel demum Abbatissa illis in Domino præceperimus.

In unoquoque Monasterio sint tot grandiores & bene compacti libri, quot ejusdem Constitutiones præscribunt, in quibus secundum ordinem ab iis digestum scribantur bona omnia stabilia, census & reditus Monasterii, accepta & expensa, cum die & anno, electiones Abbatissarum, seu Superio-

rum,

rum, & aliarum Miniſtrarum, cum die pariter & anno, admiſſiones Novitiarum ad habitum, & profeſſionem cum uniuſcujusque dote, ejusque inveſtimento, acceptationes educandarum, penſionesque pro earum victu pactæ, reſolutionesque Capituli ſuper negotiis in eo tractatis, obitus ſingularium Monialium &c. juxta Conſtitutiones & pias conſuetudines uniuſcujusque Monaſterii.

Præterea, ut Moniales tanquam Regum Regi deſponſatæ ſingulari nota a cæteris mulieribus diſtinguantur, omnes decentem habitum, & proprium Religionis, quam profitentur, ſemper geſtent, qui modeſtiam, humilitatem & paupertatem præſeferat, juxta pervetuſtum monitum a Patribus Nicæni Concilii in hæc verba traditum: "Religioſi tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quam Laici, & tondant caput in modum coronæ, & cingant ſe." Verum, quia non cum exteriori ſolum amictu, ſed multo magis cum interiori puritatis & charitatis indumento in conſpectum Dei venire ejus ſponſæ tenentur, ſingulis Dominicis diebus quorumcunque menſium, expurgata prius anima per Sacramentum Pœnitentiæ, ſacro Euchariſtiæ pabulo ſe reficiant, & idem in ſolennioribus Feſtis intra annum exequantur. Orationi vacent, ut unico ſuo Sponſo ſumme placere poſſint, & non ſolum communibus orationibus, ſed privatis etiam, quantum poterunt, intentæ ſint, ut frequenter de his, quæ Domini ſunt, cogitare aſſueſcant. Ad perſolvendum Divinum Officium omnes in choro, niſi ſint legitime impeditæ, convenire compellantur, ſub pœnis ſub Regula contentis ad arbitrium Abbatiſſæ imponendis. Horas Canonicas diſtincte, ſedate, attente, ac devote alternatim recitent. Clauſuræ leges, Regulam, & ſui Monaſterii Conſtitutiones omnino ſervare ſtudeant, orationibus non ſolum communibus (ut prædictum eſt) verum etiam privatis ſint aſſidue intentæ, ad quas maximopere excitabuntur, dum vana & inutilia colloquia tam in locutorio, quam inter Monaſterii ſepta pro poſſe effugient. Idcirco expreſſe prohibemus, ne ſub veſpere, dato ſilentii ſigno, ad alienam cellam aliqua ſe conferat, ſed in propriis ſingulæ ſe contineant. Clauſura totius Monaſterii ita ſit in portis, feneſtris, parietibus & tectis compacta, conſtructa, atque firmata, ut exteris nullus ſit negotiationi & viſui aditus.

Fugiant colloquia vana, & inutilia tam in locutorio, quam intra ſepta Monaſterii, ſanctumque ſilentium ſedulo colant. Modeſtiæ, charitatis, & ſanctitatis ſpecimen ſemper præbeant, ad collocutorium raro & auſcultatrice præſente, & nunquam ſine Abbatiſſæ licentia accedant, ibique pro eo tantum tempore commorentur, quod neceſſitatis urgentia requiret, & nulla Monialis quavis occaſione vel cauſa exteris ſive viris, ſive mulieribus, ne quidem conjunctiſſimis, defectus, rixas, contentiones, pœnitentias, & alia hujus generis, ſi quæ in Monaſterio ex humana imbecillitate evenirent, communicet, referat, aut patefaciat ſub pœna privationis acceſſus, arbitrio noſtro, ad collocutorium & alias taxandas etiam per Abbatiſſam.

Nulla Monialis audeat mittere extra Monaſterium literas, ſive in Monaſterium intromiſſas aperire, quin prius eas Abbatiſſa inſpexerit ſub pœna gravi pro prima & ſecunda vice ab Abbatiſſa infligenda. Quod ſi aliqua in hujus præcepti contraventione pertinaciter perſeveraverit, Abbatiſſa Nos admoneat ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ut Nos auctoritate noſtra ſeveriori remedio pertinaciam hujusmodi infringere valeamus. Et propterea prohibemus Confeſſariis, Capellanis, famulis, & quibuscunque aliis Monaſterii Miniſtris, ne ab ulla particulari Moniali literas ad quemcunque ferendas, mittendas, neque ab aliis alicui Moniali tradendas accipiant, ſed a ſola Abbatiſſa accipere, eique tradere liceat ſub pœna privationis officii, & aliis a Nobis arbitrio noſtro infligendis. Munera itidem quæcunque etiam minima cuipiam extra Monaſterium ne tradant, niſi conjunctiſſimis perſonis cum licentia Abbatiſſæ, quæ interdum id poterit permittere, dummodo non

ſint immoderata, nec religioſæ paupertati difformia.

Hæreditates, vel legata, ſecum onera ferentia, ſive Monaſterio, ſive alicui ex Monialibus relicta, neque acceptare aut repudiare, locationes bonorum, neque cujuscunque generis contractum aliquem, ſive inſtrumentum obligationis, vel quietantiæ in rebus alicujus momenti facere præſumat Abbatiſſa absque capitulari convocatione, & licentia noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis in ſcriptis tradita, alias acceptationes, repudiationes, contractus, quietantiæ, & inſtrumenta hujusmodi nulla, atque irrita ſint eo ipſo, absque ulla prævia declaratione, niſi in quantum Nos, ubi adeſſet utilitas Monaſterii, ea ſuſtinere, & convalidare vellemus. Caveant autem Abbatiſſæ, & aliæ Moniales quæcunque, ne quietantiam, & atteſtationem ullam faciant, in qua declarent ſe recepiſſe pecuniæ ſummam aliquam, ne quidem minimam nomine Monaſterii aut proprio, niſi vere & realiter illam receperint, ſub pœna graviſſima noſtro arbitrio imponenda.

Mandamus præterea, ut imminente electione novæ Abbatiſſæ certiores reddamur per Prioriſſam de prædicta nova electione juxta Conſtit. GREGORII XIII., quæ Nobis præſentibus, vel Commiſſario a Nobis ad eum effectum deputando, per vota ſecreta erit eligenda, ut præcipitur per Conc. Trident. Ipſa vero Abbatiſſa eligenda non ſit minor annis 40. & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Moniales, quæ expreſſe non emiſerint profeſſionem, & alias juxta Conſtitutiones Monaſterii in electione, & in omni alio capitulari negotio, voce activa & paſſiva careant. Erit vero in Abbatiſſam canonice electa illa, quæ majorem votorum partem obtinuerit. Abbatiſſa vero electa magnam debet habere curam, ut, ſicut ipſa, ita Moniales omnes, perfectionis & ſanctitatis ſemitam aſſequantur. Quare hortamur in Domino, ut præſens Capitulum latine conſcriptum, Polonico ſermone ad literam traducendum, traductumque Monialibus exhibendum, Confeſſarii Monialium intra menſem a publicatione hujus Synodi publicare curent, atque, pro ſua pietate & prudentia, præmiſſa eisdem opportune inſinuare & explanare meminerint, & ut ſæpe ſæpius in refectorio ad menſam perlegatur, Abbatiſſæ attendant.

CAPUT XXXV.

De Sepulturis, obventionibus, & accidentiis Parochorum.

Ut omnis avaritiæ ſpecies, quæ Eccleſiaſticos viros ſummopere dedecet, evitetur; prohibemus inprimis, ne quis pro Sacramentorum adminiſtratione quidquam exigere audeat & præſumat, ſicubi vero abuſus irrepſerit, ut Parochi a populo ad Sacramentum Pœnitentiæ tempore Paſchali confluente retributiones aliquas exigant, id abhinc ſub graviſſimis pœnis arbitrio noſtro irrogandis interdicimus.

Si quid tamen Sacerdoti Sacramentum Baptiſmi miniſtranti, vel Matrimonium benedicenti ſponte & benevole offeratur, id grato animo recipi nil vetat.

Sordidos quoque quæſtus, & mercimonia in funeribus ducendis a Parochis omnino vitari volumus, ſciantque ſe graviter puniendos, ſi eorundem occaſione quidpiam præter id, pro quo antiqua, pia & probata cujuscunque loci invaluit conſuetudo, exigere aut paciſci præſumpſerint. Ideo nunquam ſub prætextu non ſolutæ eleemoſynæ funeralis denegare aut differre ſepulturam quisquam audeat, quinimo, quia ſcriptum eſt: *Mortuo non prohibeas gratiam*, pauperum & miſerabilium perſonarum cadavera gratis ſepeliantur.

Proprius autem cujuscunque ſepulturæ locus eſt Eccleſia Parochialis, intra cujus fines defunctus habuit domicilium, ut ubi vitæ accepit Sacramenta, ibi mortalitatis ſuæ habeat conditorium, & ſuffragiorum adjumentum, niſi tamen alibi ſepulchrum elegerit, aut ab ejus Majoribus pro ſeipſis & Succeſſoribus conſtitutum fuerit.

Adver-

Advertant tamen quicunque Clerici, five Sæculares, five Regulares, fub pœna maledictionis æternæ comminatæ in facra Sanctione & aliis arbitrariis, ne quenquam inducant, ut voto, juramento, aut fide interpofita fe obliget ad eligendam fepulturam in eorum Ecclefia, vel electam non immutandam. Quod fi contra factum fuerit, & electio ipfa irrita erit, & eligens hoc pacto, in ea Ecclefia fepeliri non debet, fed ad eam erit deferendus, in qua, fi fepulturam non elegiffet, effet humandus.

Quia vero nomine accidentium venit etiam quarta pars funeralium, quæ hodie, ex generali confuetudine, Parochis & non alteri cuipiam juxta difpofitionem Concilii Trid. in quantitate, per confuetudinem regionis & locorum folita & præfcripta, debet folvi, ideo de eadem hoc loco ftatutum noftrum adjicientes, quod pro executione 4tæ funeralis non gravatur hæres, fed lis agitur inter Parochum, & Ecclefiam tumulantem, ut refpondit Congregatio Epifc. & Regular. in civitatis Caftelli 14. *Aprilis* 1615. quodque quarta funeralis debetur Parocho, non folum de his, quæ cum funere deferuntur, fed de omnibus illis, quæ intuitu fepulturæ tradita fuerunt Ecclefiæ tumulanti, declaramus.

In tumulandis defunctorum corporibus obfervent quoque Parochi, ut cadavera diu infepulta non maneant, qua de re hæredes, & amici defunctorum monendi funt. Oppreffos tamen repentino aliquo morbo, aut cafu ante expletas viginti quatuor horas, vel quamdiu de vita illorum fpes aliqua fupereft, fepulchro ne mandent.

Regulares cujufcunque Ordinis fub quocunque prætextu ad proprias Ecclefias deferre cadavera fepelienda nullatenus audeant, nifi vocato & expectato Parocho defuncti. Cæmeteria præcipimus religiofe cuftodiri, & propterea undequaque claudantur, ne animalibus pateat acceffus; adfit in medio crux, herbæque omnes penitus amoveantur.

CAPUT XXXVI.

De Decimis & Cenfibus.

Decimas effe a principio mundi confecratas Chriftiana docet veritas, nihilque aliud effe, quam recognitiones fupremi erga Deum dominii. Mirum tamen eft, quod nonnulli eafdem reddere detrectantes, vel minuere volentes opinantur, quod fuos augeant proventus, cum tamen Dominus dicit: *Refpexifti ad plus, & ecce factum eft minus.* Advertant ergo omnes decimam, rem Deo dicatam, aut retinentes, aut penitus denegantes, quam manifefte fidem fufpectam teneant, dum colunt *avaritiam & idolorum* fufcipiunt *fervitutem*, & decimarum penfione renuunt probare Deum, noluntque agnofcere, quod *Deus fit Dominus, & non eft alius.*

Hocce itaque deteftabile crimen, quod vel maxime multa Templa & Parochias facit defertas, reprimere cupientes, confuetudinem pendendi decimas, tot Divinis oraculis confirmatam, & ab Ecclefia fidelibus efficaciffime femper commendatam, atque adeo fub graviffimarum contra non folventes pœnarum comminatione præceptam, Nos fecundum antiquiffimum morem in hac Diœcefi ufitatum, & fecundum Decreta S. R. Mtis defuper in bonis Regalibus lata, fub pœna excommunicationis, juxta feveriffimam facrorum Canonum cenfuram, inviolate fervari enixe mandamus; a qua eos abfolvi, nifi plene reftitutione facta, nolumus, nec fuper earum folutione Parochos cum folvere debentibus quovis pacto, aut conditione componere in præjudicium fuarum Ecclefiarum volumus, fub pœnis contra alienatores bonorum Ecclefiæ fancitis.

Ufurpantes denique, aut quocunque quæfito colore, five per fe, five per alios indebite detinentes Ecclefiæ, vel cujusvis loci pii quælibet bona, jura, cenfus, fructus, emolumenta, obventiones, inftrumenta, libros, ac cujufcunque generis fcripturas, & quomodolibet impedientes, ne præfata iis, ad quos pertinent, reddantur, & ne ab iisdem percipiantur, noverint fe ultra pœnas arbitrio noftro infligendas

fubja-

ſubjacere excommunicationi Summo Pontifici reſervatæ in Bulla *Cœnæ Domini*, atque in Decretis S. Concilii Tridentini. Clerici vero hiſce uſurpationibus, & fraudibus conſentientes ultra excommunicationem, ut ſupra, reſervatam, privantur Beneficiis, & ad alia redduntur inhabiles, ut in dicti Concilii Decreto, quod in Appendice *ſub numero XIII.* & aliis ibidem Decretis, videre licet.

CAPUT XXXVII.

De ſacroſanctis Eccleſiis, & earum cultu ac Immunitate.

Domum Dei, in qua ſacroſancta perficiuntur Myſteria, & Deus ipſe cum hominibus habitans de excelſo ſolio gloriæ ſuæ ſupplicantium preces exaudit, quam maxima decet ſanctitudo, ideo omni cultu, ornatuque ac decore, ſicut ſponſa ornata viro ſuo, enitere debet.

Inprimis itaque, cum indignum ſit, ut ſacra Templa, aut forma indecora ædificentur, aut conſtructa neceſſariis ornamentis & ſubſidiis deſtituantur, nemini liceat absque noſtra licentia, & ſine dote, ac neceſſariorum apparatu novas Eccleſias, Oratoria, Capellas, atque etiam Regularium Monaſteria erigere, ſeu conſtruere, nemini item conſtructa diruere, vel in alium locum transferre liceat ſub pœna interdicti. Quæ autem Eccleſiæ aliqua ex parte collapſæ fuerint, illæ Chriſtiana pietate juxta S. Conc. Trid. Decretum reparentur, & quæ temporum injuria ita collapſæ ac derelictæ ſunt, ut pro dignitate ex Beneficiorum ibi exiſtentium tenuitate, vel inopia Patronorum, tum Parochianorum inſtaurari nequeant, ex ejusdem Concilii Sanctione, prævio conſenſu noſtro, ſive Vicarii noſtri Generalis obtinendo penitus deſtruantur ea cautione, ut tigna, lateres, & cæmenta profanis ædificiis non applicentur, ibique adorandum crucis ſignum collocetur.

Cum vero in iis exequendis, quæ in Lugdunenſi Concilio olim a GREGORIO X. & poſtea a B. PIO V. de Eccleſiarum cultu ſancita fuerunt; quam maximam diligentiam adhibere debeamus, omnino decernimus, ne quis in Eccleſia, quæ domus orationis eſt, præſertim dum Miſſarum Sacra fiunt, Divinaque Officia peraguntur, ſeu ſacra concio habetur, mutuis confabulationibus operam det, profanum ullum negotium agat, & quovis modo Divina turbet Officia, ſeu a ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento averſus ſedeat, vel irreverenter ſtet, nec propterea quispiam Altaribus, Baptiſmi, ſeu aquæ benedictæ fontibus innitatur, nec in confeſſionalibus ſedeat. Quod ſi quis hæc, quæ Chriſtianam Religionem maxime dedecent, admiſerit, pœnis tum eadem B. PII Conſtitutione latis, tum etiam pro perſonarum ratione, & culpæ modo afficietur.

Diligentiſſime autem Eccleſiarum Rectores curent, ut Eccleſiæ, quibus præſunt, ſint probe tectæ & clauſæ, parietes habeant firmos, nec fiſſuris hiantes, feneſtras vitro clauſas, fornicem aut laquear decens. Nihil enim eſt, quod vel illos chariores populo reddat, vel populum ipſum ad devotionem & pietatem omnem moveat magis, quam ſi diligant decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum teneatur in tabernaculo competenti, in Altari majori, aut in alio conſpicuo loco Eccleſiæ ſito, ſeraque munito, cujus clavis a Parocho aut alio Sacerdote diligenter ſervetur.

Olea quoque ſacra cum Chriſmate in loco bene clauſo & decenti extra tamen tabernaculum SSmi Sacramenti, in quo nihil, præter illud, poni debet, inque terſis ac nitidis vaſculis collocentur. Nova ſingulis annis poſt diem ſanctum Cœnæ Domini per Clericos, non Laicos ex Eccleſia noſtra Cathedrali afferantur, ac modice, ubi neceſſitas exiget, mundo & recenti oleo olivarum diluantur; vetera autem, extra caſum neceſſitatis, ne adhibeantur a Parocho, ſed quotannis in lapide ad hunc uſum deſtinato, aut in lampade comburantur.

Fontem item baptiſmalem nitide atque ſub clauſura teneat Eccleſiæ Rector, vasque fontis ſæpius intra annum mun-

mundet, aquam ejusdem per pannum lineum mundum in ollam novam colando, qua refusa in vas suum sic mundatum, pannus ille comburatur, & olla confracta subterretur. Quando vero renovanda erit statis temporibus (scilicet Sabbato Sancto, & in Vigilia Pentecostes) aqua prior, quæ in vase fuerat, in Sacrarium projiciatur.

Reliquiæ, si quæ sint approbatæ, in Ecclesiæ loco decenti, tuto, neque humido serventur, quæve, & quorum sint Sanctorum, superscriptis eorum nominibus pateat. Quoties autem venerandæ exponentur populo, non permittantur eas osculari, aut tangere sæculares, sed vasa duntaxat seu thecas illarum. Si quæ vero incertæ sunt, & inscriptione carent, non ostendantur publice, sed reverenter in Sacrario teneantur.

Imagines, & signa nonnisi Sanctorum eaque decentia, ac quæ ore, affectu, habituque corporis religionis speciem præseferant, ac ad pietatem animos intuentium provocent, in templis & altaribus collocentur.

Altaria sint munda, gradus firmos, declives, & pro capacitate loci spaciosos habentia, suggestus pro prædicando verbo Dei, loco eminenti atque conspicuo, & quoad fieri potest in medio Ecclesiæ, quo melius videre omnes Prædicator, viderique ipse, & audiri ab omnibus valeat, collocetur, tegaturque laqueari ligneo.

Confessionalia etiam tot in publico, & aperto loco, remoto tamen ab Altari majori, extruantur, quot pro confitentium frequentia, & Confessariorum numero sufficiant.

Pavimentum Ecclesiæ stratum sit æquale, scopeturque frequenter, cum autem fidelium corpora sub eo conduntur, coaptetur, & planetur denuo, profundeque fodiantur, & claudantur optime sepulchra, ne fæteant.

Vas cum aqua benedicta pro aspersione in ingressu, & egressu fidelium prope limen, extra tamen Ecclesiam, statuatur, qua singulis diebus Dominicis renovata, vetus in Sacrarium, aut per Ecclesiam diffundatur.

Grana, merces, resque aliæ profanæ, etiam in scriniis vel doliis non asserventur in Ecclesiis.

Sit etiam porticus ante ostium Ecclesiæ, quæ exorcizaturo baptizandos, vel introducturo puerperas Parocho, pauperibusque eleemosynam petentibus pro receptaculo deserviat.

Cœmeterium sit septum & clausum, ne brutorum incursionibus pateat, nullæque in eo sint immunditiæ lignorumve strues sive lapidum aut cæmentorum acervi.

Sit etiam ossorium separatum a parietibus Ecclesiæ, in quo ossa mortuorum, cum carnes penitus jam consumptæ fuerint, & non prius congerantur.

Ecclesiastica demum supellex, vasa, vestes & ornamenta armariis congruentibus dispertita diligenter in Sacristia asserventur, ac mundissime custodiantur, & cum opus fuerit, instaurentur, aut renoventur, nec alteri cuicunque extra Ecclesiam commodentur.

Turres campanarum ita custodiantur, ut non omnibus in illas ingressus pateat. Campanæ noviter fusæ in illis non collocentur, nec usui Ecclesiastico deputentur, priusquam sacris precibus & ritibus benedictæ fuerint. Eædem vero nonnisi statutis horis pulsentur, nec temere ad res profanas significandas adhibeantur.

CAPUT XXXVIII.

De Immunitate Ecclesiastica, & de rebus Ecclesiæ non alienandis.

Quoniam Ecclesiasticis sacrisque usibus dicata Patrimonium Christi censeri, atque adeo summa religione, integritate ac diligentia administrari debent, idcirco Ecclesiarum, locorumque piorum Rectores quicunque eorundem bona immobilia, aut mobilia pretiosa vendere, alienare, vel quomodocunque obligare, aut sub perpetuo Canone locare, etiam cum clausula *reservato beneplacito Apostolico quatenus opus sit*, nisi realiter & cum affectu

idem beneplacitum ante possessionis traditionem accesserit, sub pœnis sacrorum Canonum, Constitutionumque Pontificiarum nullatenus præsumant.

Stabilia vero modici valoris, sicut etiam mobilia non pretiosa, auctoritate ordinaria alienari de jure permissa, sine nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia in scriptis prius obtenta distrahere, permutare, aut quomodolibet obligare sub pœnis, ultra nullitatem contractus, arbitrio nostro infligendis omnino caveant.

Ad amovenda autem quævis in posterum alienationum media, quilibet Beneficiatus curatus, & non curatus, post adeptam realem possessionem Beneficii, maxime vero in Parochialibus Ecclesiis inventarium omnium & singulorum Ecclesiæ suæ & Beneficii mobilium, & immobilium bonorum, sacræ profanæque supellectilis in præsentia Decani, seu vicinioris Parochi, aliorumque testium, & Vitricorum Ecclesiæ debite conscribat, subscriptumque unum penes se, alterum penes Decanum, ut post fata cujusque Parochi juxta inventarium prædictum res omnes recipiat, tertium autem ad Cancellarium Officii nostri remittere tenebitur, ut uno, aut alio deperdito, Successor in Beneficio ex Actis nostris illud desumere possit. Quod inventarium proportionaliter quivis Parochus augere tenebitur, & si quid ab Antecessore compertum fuerit alienatum, Executores testamenti ante omnia legata damnum Ecclesiæ resarcire tenebuntur.

Si autem, quod Deus avertat, contingeret aliquem Beneficiatum substantiam, & res Ecclesiæ dispergere, talis per Decanum loci Officio deferatur, quod ultra pœnas a jure præscriptas, sequestrum fructuum Beneficii, ad recompensandum damnum, decernet.

Statuimus autem, ut annis singulis per Decanos eadem inventaria revideantur, & verificentur, ut appareat, si per improvidentiam Ministrorum Ecclesiæ vel ipsorummet Beneficiatorum, aliqua destructa, aut, quod absit, distracta, vel eorum diligentia sunt acquisita.

Beneficiati insuper juramenti per ipsos circa institutionem præstiti memores, non solum a prædictis abstineant, sed etiam res & jura Beneficiorum suorum male alienata omni fide, industria ac vigore recuperare pro viribus laborent, nec super iisdem ad aliquam compositionem, transactionem, Nobis inconsultis, devenire audeant.

Nulla Ecclesia sit sine Vitricis, &, si quæ illis caret, eligantur intra quatuor septimanas viri ad hoc officium probi, ac timoratæ conscientiæ, quorum muneris erit, proventus pro fabrica & necessitatibus Ecclesiæ, uti a sepulturis tertiam partem, legata pia, largitiones & eleemosynas, solutiones a pulsibus campanarum colligere, ac fideliter in libro ad hunc effectum comparando, percepta & exposita connotare. Habeantur a corbona, ubi pecunia talis collecta imponitur, duæ claves, quarum una sit penes Parochum, altera penes Vitricos. Ultra ceram & vinum, si quid pro ornamentis Sacristiæ, sive fabrica Ecclesiæ erogandum venerit, id, ne fiat sine consensu nostro in scriptis obtento, sub pœnis contra alienatores, ut supra, prohibemus. In visitatione Decanali rationem quotannis Vitrici Ecclesiæ reddere tenebuntur.

Immunitas denique, Ecclesiæ, ac locis sacris debita, inviolate servetur. Rei ad ea confugientes, quamvis gravia delicta commiserint, tuti sint, nec ab eis directe, vel indirecte, via compulsiva, vel impulsiva, subdolis, vel blandis verbis extrahi permittantur, nisi ex illis fuerint, quos in sua Constitutione san. mem. GREGORIUM XIV. & BENEDICTUM XIII. ab hoc beneficio exclusisse legitime constiterit.

CAPUT XXXIX.

De Testamentis & ultimis voluntatibus Clericorum.

Cum dies Domini sit sicuti fur, ignoremusque universi, dum, & quando veniet, sicut mercenarii, dies nostra; merito non solum animas, sed & res temporales a singulis dispositas haberi congruum est, ideoque horta-

mur

mur omnes Beneficiatos, præsertim illos, qui annum quinquagesimum expleverunt, vel in debiliori valetudine se constitutos sentiunt, ut tempestive horam, qua Dominus veniet, mortis scilicet, prævenientes, ultimam suam voluntatem per testamentum explicent, idemque testamentum quotannis revideant, & postquam ea, quæ justitiæ erunt, ordinaverint, maxime Ecclesiarum suarum; aliarumque causarum piarum rationem habeant.

Pro Seminario, tum infirmorum Sacerdotum domibus certam portionem, inhærendo Constitutionibus Provincialibus tum Diœcesanis, assignent, alioquin peculii per eos relicti, circa approbationem testamenti, aliqua portio ad eundem effectum applicabitur.

Ut autem evitetur perplexitas, & dubietas testamentorum legitime confectorum, volumus, ut Clerici quicunque ad sua testamenta duos Sacerdotes (si fieri poterit) vel iis deficientibus, alios probos viros, per quos possit de ipsorum voluntate constare, advocent, assignatis seorsivis executoribus, qui testamenta neutiquam subscribant, ad tollendam irrealitatis suspicionem.

Executores testamentorum approbationem eorundem quantocius procurent, eaque subsecuta intra annum de rebus defuncti derelictis disponant, & calculum eorum Nobis, seu Officio nostro Generali faciant sub pœnis arbitrariis. Si qui autem Executorum munus hocce gesserint in ante, calculationem vero non expediverint, aut quietationem desuper non obtinuerint, ut, quod non fecerunt, intra mensem a notitia præsentium faciant, serio mandamus, alias investigationem & actionem contra tales dirigendam Instigatori Officii committimus, & pœna decem aureorum morosos plecti volumus, medietate pro Hospitali infirmorum Sacerdotum, altera medietate Instigatori Officii applicanda.

Hortamur præterea, ne testatores inordinato affectu circa dispositionem bonorum erga parentes & consanguineos ducantur, hoc enim particulariter cautum est, ne res Ecclesiasticas, aut ex reditibus Ecclesiæ coacervatas consanguineis distribuant, nisi vere inter pauperes numerari possint, cum vana vivorum gaudia sæpe transeunt in supplicia mortuorum.

Quod si vero aliquis intestatus decesserit, ex bonis illius derelictis, absoluta sepultura, persolutis debitis, expedita familia, quæ defuncto inserviebat, consolationeque consanguineis & propinquis illius, maxime si fuerint in statu indigentiæ, præstita, fundatoque pro anima defuncti anniversario, idque in illa Ecclesia, cui deservivit, atque parte pro fabrica ejusdem Ecclesiæ assignata, quod reliquum erit, arbitrio nostro sciant, ac noverint dispensandum.

Ad tollendam autem detestabilem in omnibus cupiditatem & avaritiam, præsenti Synodali Decreto constituimus ac declaramus; quicunque sive Sæcularis, sive Ecclesiasticus res defuncti cujuscunque Presbyteri attractaverit, vel bona occupaverit, eum ultra excommunicationem latæ sententiæ per Synodum Provincialem promulgatam, per Instigatorem Officii nostri raptoris criminis reum pro pœnis debitis conveniendum, & ad dupli solutionem cogendum.

Ne autem res post defunctos Clericos derelictæ depereant, & rapinæ exponantur, si conditum sit testamentum, Executores, si vero quispiam intestatus, vel inopinate mortuus fuerit, Decanus loci, vel vicinior Parochus, accepta notitia, indilate, & sine omni procrastinatione inventarium relictorum in præsentia duorum testium conficiat, eadem in Ecclesia vel domo plebanali, provisa omni securitate, consignet. De morte Officio denuntiet, inventarium manu sua ac testium subscriptum transmittat, ac super his, quæ necessaria, informet.

Quicunque intra annum, vel superveniente causa legitima intra biennium, rationes executionis ultimarum voluntatum non reddiderint, præter superius comminatas pœnas, noverint se incurrere casum Nobis reservatum.

CAPUT XL.

De Conſervatoribus.

Nulla reperitur virtus abundantiores habere fructus, quam juſtitia: hæc enim ſuas negligens utilitates alienis proſpicit: hanc Pontificia poteſtas, ſingulis ſingula tribuendo, æqua lance moderata eſt. Quare omnes Regulares, cujuscunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis monemus, ut ad normam Conſtitutionis GREGORII XV. editæ, & in Synodo Provinciali Petricovienſi 1628. promulgatæ, intra menſem a publicatione præſentium Judices Conſervatores e numero Judicum Synodalium ſibi eligant. Quodſi id facere neglexerint, jurisdictioni noſtræ ſciant ſe fore ſubjectos. Nomina vero electorum ad acta noſtra quamprimum notificent, ut eorum notitiam illi, quorum intereſt, habere poſſint.

CAPUT XLI.

De Taxa Fori ſpiritualis.

Cum in Eccleſiaſtico Tribunali lex Domini immaculata convertens animas, reddendo unicuique quod ſuum eſt, ſuos quoque Operarios deſervita nolit fraudare mercede, & poſt longam cauſarum audientiam jejunos dimittere minime ſinat, ideo ne & Partes nimiis graventur exactionibus, aut aliquando vexatorie ſe gravari querulentur, & Cancellariæ Alumni victum habeant, & quo veſtiantur, ut ait Apoſtolus, ſpectatis utriusque extremi circumſtantiis, & matura deliberatione ponderatis, omnibus proceſſibus & inſtrumentis expediendis in Cancellaria ſequentem præſcripſimus taxam.

	fl.	*gr.*
Abſolutio in totum a Cenſuris	4	
Aggravatio	3	
Areſtum una cum adcitatione	3	
Areſti relaxatio	2	15
Audientia Juramenti in Cancellaria ejusque expleti teſtimonium	1	
Appellationis acticatio	2	15
Citatio ſimplex		18
Commenda alicujus Eccleſiæ	2	
Commiſſio pro inquiſitione	3	
Decretum excommunicationis in contumaciam latum	2	
Declaratoriæ excommunicationis cum inſertis tribus monitionibus Canonicis	4	
Decretum interlocutorium	2	
Decretum ex partium controverſiis	6	
Decretum cum inſerto toto Proceſſu omnium inſtantiarum a qualibet philyra 30. rigarum in qualibet parte		18
Decretum in cauſa Juris Patronatus	16	
Decretum in cauſa ſeparationis divortii habito tamen reſpectu perſonarum	30	
Erectio a quolibet mille	10	
Inſcriptio cauſæ ad regeſtrum		12
Inſtrumentum appellationis	3	
Interdictum illiusque relaxatio, pro quolibet inſtrumento	3	
Inhibitio ejusque relaxatio, pro quolibet inſtrumento	2	15
Inſcriptio proviſionis cum ejus tranſſumpto	3	
Inſtitutio ad Beneficium tenue	10	
Ad Beneficium pinguius	16	
Indultum celebrandi in Eccleſiis non conſecratis	2	
In Oratoriis privatis	16	
Diebus vetitis veſcendi carnibus	2	
Literæ Cridæ ad inſtituendum	3	
Monitorium ſimplex	1	
Non viſo robore	2	
Indultum ſuper bannis	24	
Mandatum executivum	3	
Procuræ	2	
Oblata quorumcunque Documentorum a qualibet philyra		18
Pro examine cujuslibet teſtis	1	10
Pro formatis ſeu teſtimonialibus Ordinum	2	
Pro dimiſſorialibus cum reditu	4	
ſine reditu	8	
Pro confirmatione ſeu approbatione teſtamentorum habita ratione debitorum	15	
Pro ſublevatione	3	
Reſignatio Beneficii	3	
Suſpenſio ab Officio & Beneficio	1	15

Volu-

Volumus tamen per Officia noſtra ſingularem haberi moderationem erga Parochos, qui vera & non ementita paupertate preſſi ob tenuitatem & inopiam ſuam jure cum injuriatoribus ſuis experiri non valent. Quorum cauſas gratis, quoad omnes juris gradus, per Inſtigatorem Officii ad hunc effectum particulariter a Nobis ſalariandum, promovendas decernimus.

Si tamen aliqui, dum poſſunt vindicare injurias ſuas, diſſimulant; talibus pœna ordinaria, quæ eſt contra alienatores, aſſignata infligatur.

CAPUT XLII.

De Miſſionibus.

Nullum ſane efficacius eſt medium ad ſalutem animarum procurandam, & vitiorum monſtra ex cordibus Fidelium propulſanda, Miſſionis exercitio, in illo etenim apparet Digitus Dei multiformis, ac mira operatio Spiritus Sancti, quare fundationes miſſionum, tantopere Diœceſi noſtræ utiles ac fructuoſas, ſicuti grata mente proſequimur, ita zelum Miſſionariorum circa ampliandum cultum Divinum maxime recommendamus. Cum tamen juxta ſacroſanctum Chriſti Evangelium ſcire omnino debeamus, *quas oves oportet Nos ad ovile Chriſti deducere*, æquum cenſuimus fructum animarum quotannis explorare, quem quidem ex Parochialibus Eccleſiis compertum habentes, eundem quoque ex miſſionibus habere deſiderantes pro Paſtorali noſtra ſolicitudine, ſub interminatione Divini judicii, omnibus ad hoc munus Miſſionis exercendæ obligatis præcipimus, ut non contenti ſolo Miſſionariorum vocabulo, munus ſuum actu, & ipſa re, idque cum ſcitu noſtro ſæpe ſæpius exerceant, fructum, quem in lucrandis animabus, reductione aberrantium ad Orthodoxam Cathol. Romanam Eccleſiam ſuis in Miſſionibus fecerint, Nobis quotannis, aut Officio Conſiſtoriali, idque poſt feſtum ſacri Paſchatis, producant, ac remonſtrent, ſuarumque Miſſionum fundationes, ſi quæ hucusque non ſunt approbatæ, intra terminum trium menſium a Nobis approbari curent.

Quotiescunque vero eosdem Miſſiones ſuas obire contigerit, non prius ad easdem excurrant, donec Nobis, vel Officio noſtro, ad quas Eccleſias ſint perrecturi, notificent, & licentiam in ſcriptis ad has, & non alias, Eccleſias Miſſionem exercendi pariter a Nobis, vel Officio noſtro conſequantur.

Meminerint præterea non tam temporalia, quam ea, quæ Dei ſunt, quærere, & omnia, quæ ipſis ſui inſtituti reſpectu incumbunt, diligenter obſervare.

Eleemoſynæ, quæ tempore Miſſionum a fidelibus comportantur, accedant Eccleſiæ, in qua fit Miſſio. Liberum tamen erit Parocho aliquam partem illarum Miſſionariis concedere, cum præterea habeant aliunde ex piis fundationibus pro vialibus & honeſta ſui ſuſtentatione.

CAPUT ULTIMUM.

De Obſervatione Conſtitutionum Synodalium.

Habetis jam Fratres dilectiſſimi, probe exploratum præſentis congreſſus finem, non ignorantes amodo ovium Nobis commiſſarum ſalutem, in legis cuſtodia potiſſimum poſitam eſſe, agnoſcentesque graviſſimum conſcientiæ noſtræ pondus, ni latas leges executioni demandari procuremus.

Satagendo itaque pro viribus noſtris, ut, quod perierat, requiri, & quod abjectum, reduci, & quod confractum, alligari, & quod infirmum, conſolidari queat, mediante hac ſancta Synodo, & in ea præviis matura deliberatione ac conſilio emanatis, debite ac legitime publicatis Conſtitutionibus, nihil amplius Nobis faciendum reſtat, niſi ut earum inculcemus, & commendemus obſervantiam. Quocirca ingeminamus primo verba Doctoris Gentium, *Quicunque hanc Regulam ſecuti fuerint; pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei. Non enim*, ut ait Apoſtolus, *Auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipſos.* Ideo, ut hæc Decreta Synodalia & Conſtitutiones

noſtræ, ex ſacris Canonibus, Conciliis, & Synodis Diœceſanis utriusque Diœceſis Culmenſis & Pomeſanienſis excerpta, & compilata, ad Dei honorem & animarum ſalutem debitam executionem ſortiantur, Paſtorali noſtra vigilantia, qua premimur, præcipimus, volumus & mandamus, ut omnes & ſinguli, ad quos pertinebit, prædictas hujus Synodi Conſtitutiones cum eo obſervent fervore, ne adjunctarum iis pœnarum habeatur locus.

Quoniam vero non licuit adeo arctis harum Conſtitutionum Synodalium limitibus omnia ea comprehendere, quæ a ſacris Canonibus ſapientiſſime conſtituta fuerunt, idcirco Ss. Patrum Sententias, Conciliorum Decreta, Bullas Apoſtolicas, cæterasque Eccleſiaſticas leges, inconcuſſas & illibatas ipſo jure remanere declaramus. Verum, quia & humanum ſuperat intellectum, cunctos in condendis legibus prævidere caſus, propterea mens non eſt, authoritatem noſtram hic circumſcribere, quin poſſimus easdem Conſtitutiones, ubi opus fuerit, mutare, corrigere, declarare, interpretari, ſuper his diſpenſare, eisque addere, quæcunque expedire in Domino judicaverimus.

Sed, ut boni, qui leges Dei & Eccleſiæ ea, qua par eſt, reverentia & obedientia cuſtodiunt, malorum exemplis ad earum violationem non provocentur: hi ſane ſeverioris diſciplinæ cenſura compeſcendi ſunt, proindeque præter pœnas & cenſuras, quæ his Conſtitutionibus continentur, etiam alias, quas ſacri Canones, Concilia Oecumenica, Summorumque Pontificum Sanctiones ſalubriter decreverunt, experturos ſe iſti noverint; niſi vitam ſuam ad normam bonorum, componere ſerio ſtuduerint. Imo & aliis pœnis tum corporalibus, tum pecuniariis noſtro arbitrio infligendis ad Officium ſuum a Nobis fore revocandos certo intelligant, ut ſic pie in eorum vitia ſæviendo, ipſos a vitiorum lue, urgente Nos ad id charitate, liberemus.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam cæterarum omnium Eccleſiarum Matrem, ac Magiſtram confitemur, & veneramur, cuncta in hac Synodo noſtra ſancita & contenta omni humilitatis & debitæ obedientiæ ſenſu ſubmittimus, ut ipſa, quæ emendanda & corrigenda fuerint, pro ſua ſuprema authoritate emendet, & corrigat. Quæ vero ſacris Canonibus conſentanea, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ promovendæ idonea inveniuntur, fulcire, & protegere clementer dignetur.

Et quia harum Conſtitutionum executionem, a Vicariorum noſtrorum authoritate ac diligentia præcipue pendere experimur, eorum conſcientiam, ac præcipue Vicariorum noſtrorum Generalium Culmen. & Pomeſanien. graviter onerando præcipimus, ut omni humano affectu, quocunque terreno timore, ac deteſtanda quarumcunque perſonarum acceptione depoſitis, noſtra in omnibus auctoritate, non ſecus, atque ſi Nos præſentes eſſemus, inconcuſſi & imperterriti utantur. Parochorum etiam, & Confeſſariorum diſtricte conſcientiam oneramus, ut in obſervatione ac executione harum Conſtitutionum Synodalium perpetua ſolicitudine, in omnibus & ſingulis ſibi impoſitis, perpetuo advigilent, & una Nobiscum per charitatem Dei & viſcera miſericordiæ Domini noſtri JESU Chriſti exoratos volumus, ut pro gregis noſtri ſalute & incolumitate laborent, omnem induſtriam, operam, ſtudiumque ad hunc effectum conferant.

Et ne eædem Conſtitutiones præcipiti curſu in deſuetudinem abeant, volumus, ut in ſingulis Archiviis tam Cathedralis, quam Parochialium, & Hoſpitalarium Eccleſiarum, unum illarum exemplar impreſſum a publicatione, termino quindecim dierum, ſibi proviſum, perpetuis futuris temporibus conſervetur, quod juſſu noſtro & Succeſſorum noſtrorum prompte exhiberi, quoties opus fuerit, paratus quivis Beneficiatus ſit, ſub pœna decem aureorum irremiſſibiliter ad inſtantiam Inſtigatoris Officii pro Hoſpitali ſenio confectorum Sacerdotum ſex, & Inſtigatore Officii quatuor decernenda, & omni remedio juris opportuno ad effectum deducenda.

Fundantur præterea ab omnibus ad

ad DEUM Optimum Maximum preces, & obſecrationes, ut, quæ ad ipſius gloriam & animarum ſalutem Nobis commiſſarum ipſius gratia & ipſo inſpirante ſtabilivimus, & ordinavimus, ipſo etiam dante, & fautore debitam apud omnes executionem, & obſervantiam feliciter nanciſcantur, ut, qui dedit velle, det etiam perficere in bono, & adjuvante gratia Domini noſtri JESU Chriſti oves noſtræ Nobiscum, & Nos cum illis, per viam mandatorum ſemper incedentes, ad æternæ ſalutis portum perveniamus, in quo ſupremi ovium animarum Paſtoris paſcua invenientes per æternitatem DEO fruamur, cui Regnum & Imperium, honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ACCLAMATIONES.

Diaconus. DEO Patri miſericordiarum, ac DEO totius conſolationis & gratiæ, omnis laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

Chorus ℟. Amen, Amen, Amen.

Diaconus. Beatiſſimo Domino noſtro, D. BENEDICTO Papæ Decimo quarto, Sanctæ & Univerſalis Eccleſiæ Pontifici, Chriſtiani Nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum gentium obedientia; pax vera, diuturn. proſperitas.

Chorus ℟. Domine DEUS ſanctiſſimum Patrem noſtrum Eccleſiæ tuæ conſerva, mitte illi auxilium de Sancto, ut eo gubernante gentes omnes illuminentur, & quæ diſperſæ ſunt, in unum Eccleſiæ tuæ ovile colligantur.

Diaconus. Sereniſſimo AUGUSTO Regi noſtro & omnibus Principibus Chriſtianis, Catholicæ Religionis zelus, juſtitiæ & pacis fæcunditas, & contra Chriſtianæ fidei hoſtes victoria.

Chorus ℟. Princeps cœleſtis, terrenos Principes Catholicæ fidei, æquitatis & concordiæ conſervatores, atque hoſtium noſtrorum exterminatores cuſtodi.

Diaconus. Reverendiſſimo ANDREÆ Epiſcopo noſtro, hujus Synodi Præſuli, ejusque Miniſtris, ſalutaris vigilantia, in laboribus conſtantia, & felix exitus.

Chorus ℟. Omnipotens DEUS ſuper Antiſtitem noſtrum benedictionum tuarum dona perpetua multiplica.

Diaconus. Diœceſi Culmenſi & Pomeſanienſi tranquillitas, ſalus & Divinarum gratiarum abundantia.

Chorus ℟. Benedic Domine Filios tuos, & eſto in circuitu populi tui ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Diaconus. Decretorum hujus Synodi obſervantiam ſalutarem omnes, qui hic adſumus, unanimi voto a DEO bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine MARIA, Domina noſtra, cum Beatis Apoſtolis PETRO & PAULO, & Beatis Patronis noſtris ADALBERTO & GEORGIO, & omnibus Sanctis.

Chorus ℟. Fiat, Fiat, Fiat, Amen.

ROGITUS NOTARII
ſuper Actis Synodi.

Supraſcriptæ Conſtitutiones & Synodalia Decreta ſæpius in privatis Congregationibus a Viris doctrina, prudentia, ac pietate præſtantibus, ſedulo, & multa cum maturitate diſcuſſa, Præſidente Illuſtriſſimo, Excellentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, D. ANDREA STANISLAO KOSTKA, Comite in Zaluskie Zaluski, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Culmenſi & Pomeſanienſi, Abbate Commendatario Czervinenſi & Paradiſienſi, Supremo Regni Cancellario, præſentibus Perilluſtribus & Admodum Reverendis *Fabiano Plaskowski*, Archidiacono in Cathed. Culmenſi Pomeſanienſi, *Caſimiro Kryger*, *Joſepho Zielinski*, *Conſtantino Piwnicki*, *Laurentio Zmieiewski*, *Jacobo Adempski*, *Matthæo Dzieminski*, *Joſepho Wrzeſinski*, Canonicis Cathedralis Culmenſis, tum Illuſtribus, & Admodum Reverendis Archipresbyteris, & Decanis locorum utriusque Diœceſis, Parochis ex Archipresbyteratibus deputatis, magnaque populi affluentia, in Eccleſia Archipresbyterali Lubavienſi ſervatis de more ſervandis, legitime congregatis, alta & intelligibili voce, lecta fuerunt per Illuſtrem & Admodum Reverendum *Mathiam Frywalski*, Decanum foraneum Culmenſem, Parochum in Czarnowo, præſentis Synodi Secretarium, anno a Nativitate Domini MDCCXLIV. Indictione VIII. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini N. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIV. anno VI. diebus vero XVI. XVII. & XVIII. menſis Septembris in quinque Seſſionibus, ſcilicet tribus matutinis & duabus pomeridianis rite & juxta formam habitis, multis ibidem præſentibus & audientibus, & in ſpecie Admodum Revdis *Stanislao Domzalski* Commen-

mendario perpetuo Starogroden. *Simone Sidelski* Presbytero Congregationis Missionis Domus Culmen. Cæremoniarum Magistris, Testibus ad præmissa omnia vocatis, habitis, atque rogatis. In quorum fidem me subscripsi & publicavi, ac meo solito signo communivi. Datt. hac die 18. mensis Septembris 1745.

Ita est JOSEPHUS GROSZEWSKI *Publicus sacra Authoritate Apostolica & Curiæ Episcopalis Culmen. prædictæque Synodi Notarius, ad instantiam Perillustris Admodum Reverendi* PAULI DOMINICI DROMLER *U.J.D. Canonici Varmien., Causarum Curiæ Episcopalis Culmen. Auditoris & Judicis Generalis, Promotoris Synodalis, hæc omnia peregi. In fidem &c.*

Loco † Signi.

GRATIARUM ACTIO,

Illustrissimo Excellentissimo & Reverendissimo Domino ANTISTITI post Synodum finitam a Perillustri Admodum Reverendo CONSTANTINO PIWNICKI, *Canonico Cathedr. Culmen. dicta.*

Quod olim Divinum patrasse Vatem sacræ testantur paginæ, ossa nimirum arida in redivivos suscitasse e tumulis mortales, idipsum nostris innovari sæculis spectamus in Te & miramur omnes, Pontificum Illustrissime, dum arescentem hactenus præ grandi desiderio Clerum, & Populum Diœcesium tuarum, acsi spiritu vitali vegetas, ubi ei tumulatam jam dudum, & plusquam cimmeriis obliteratæ memoriæ sepultam umbris Synodalis Concilii faciem, in publicam erigis, & attollis lucem. Thesaurum sapientiæ de penetralibus ultra centenariæ oblivionis eruis, quo rariorem, eo cariorem & pluris æstimandum, quam si aurifodinas in montibus Culmæ reseraveris, ac proinde integris sæculis appretiandum in Ecclesias tuas invehis gazophylacium. Ad invidiam plane retroactis temporibus fortunato Nobis cursu volvitur annus præsens: ubi enim tot jam Olympiades, tot lustra Synodalis voluminis avida irrito & jejuno quodammodo evanuere conatu, anno currenti primum ambrosiis Synodalium legum dapibus a Plocensi & Luceoriensi Ecclesiis magno cum gustu nuper prælibatis, Nos quoque aluisti, Antistes Illustrissime; non secus ac illo mellifluo codice, quo Vatem suum Divinum cibavit Numen. Et dulcorasti profecto mentis & cordis nostri palatum, hocce pergrato Sanctionum tuarum volumine, quod dum ad nostras devolvitur manus, reciproco grati pectoris & animi cursu nos primum Cathedrales rotante sese orbita nostra Præsulis plantis advolvimur. Selecta inde & electa portio gregis tui, status quippe Ecclesiastici, ac quotquot subsunt Pedo tuo Pontificio, e Culma Novicolli ruunt præcipites in profundos Pedum tuorum amplexus. Collegisti Pontificum Illustrissime, Synodale Concilium ex adverso illi malevolorum in illum Conventui *adversus Dominum & adversus Christum ejus*. Tu zelotem circa Divinam Majestatem instituis confœderationem, *ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*, omne id, quidquid supremo Numini adversatur, &, quod Divinis arridet oculis, *ædifices & plantes*. Congregasti Ecclesiæ tuæ militantis copias, ut castrorum acies ordinatas, contra ingruentes hostium phalanges, ubi *cornibus intortis aries stat in ordine primus*, in primatura nempe tua Præsidentiali, Apostolicum in Te spirans Martem, & quamvis natura mitis sit, ac mansuetus, ubi tamen urget Pastoralis zelus, non exuta Agni lenitate magnanimum, & ad quævis adversa intrepidum induit Leonem; illum quoque imitatus, qui & Agnus est, *& Leo de tribu Juda*, ac si utrumque in Te conciliat Avitus JUNOSZA tuus Antistes Zelantissime: *hic Aries Astris, hic leo dignus erat.* Leo nempe es, & Agnus; Leo, a fide exteris, Agnus domesticis fidei, Leo hædis, Agnus ovibus, etiam, si necesse foret, vitæ dispendium pro grege subiturus, ut *caderes magno victima grata Jovi;* illi nimirum, qui primus pro grege suo mori dignatus est. Non deest Tibi ignifero in Apostolico fervore Pastori *flammeus ardor, amor Numinis atque gregis.* Magnorum Prædecessorum tuorum non pressisti tantummodo, verum ad amussim expressisti vestigia, nullum Pastoralis curæ linquendo passum, ubi non fueris. Imo quo illi ob injuriam sibi temporum vicissitudinem non attigerant, Tu intactum non relinquis; quo non pervenerant, Tu stetisti, in suprema nimirum Factorum tuorum meta Synodo consummata. Stetisti, inquam, ut non detrectes succedaneos labores supremo Numini & ejus Cœlicolis gratos, verum si plus non egeris, ultra id, quod jam egisti, hoc ipsum sufficit, ut Annales impleas. Explesti, Præsulum Illustrissime, grandes DZIALYNII Actus, quidquid illo Antistite gestum, Tu ne punctum intermittis. Ultimum salve Culmensi & Pomesaniensi dedit Ecclesiæ Synodali Canone, acsi Canone, Nominis sui DZIALYNIUS, deinde vox hæc Pastoralis subticuit;

asi

aſt noſtris rurſus temporibus (ô fauſtam anni præſentis ſortem) reboat inter montes concavos Diœceſeos Culmenſis voce Synodica balans Gentilitius JUNOSZA tuus, quo vocante & Duce (*Dux gregis inter oves Agnus*, ut ait Poeta) ſtetimus animo lubenti in Lubavienſi Ditione tua, terra quippe Michalovienſi a Michaele Archangelo ſuum ſortita nomen, ac veluti altero monte Gargano, eidem primo cœleſtium copiarum Duci conſecrato; ſub cujus nomine, auſpicato omine, ſacra hæc Comitia peregiſti cum Statibus Eccleſiaſticæ Reipublicæ tuæ, Rex, Sacerdos, Antiſtes Illuſtriſſime. Stetimus, inquam, aſt minime ſubjecti criſi Evangelicæ: *Quid ſtatis otioſi?* Nôn enim torpemus otio, qui vitio terminos præſcribimus, ut hic confringat tumentes fluctus ſuos, an potius illud penitus proſcribamus. Sed quo feror inani faſtu incultus Orator? ut auſim dicere: Nos proſcribere vitia? *quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus?* cum totum tuum ſit Antiſtes Illuſtriſſime. Tuus hic labor, hoc opus eſt, Tua Paſtoralis deſudat cura, & ſolertia ſuper abolendis de ovili tuo vitiorum Mæandris, Tu proſcribis vitia, quia Agnus es, nempe Divini illius Agni, *qui tollit peccata*, ideam exprimens; quem ab incunabulis ipſa enutrivit caſtimonia, cui ſingularis morum probitas ultra annos pubertatis incrementum dedit, quem virtus omnigena ad adultam perduxit ætatem. At ſumma in rebus gerendis dexteritas adeo commendavit, ut Vicaria Dei in terris poteſtas nondum maturum ætate, jam Te dignum probaverit Pontificia Dignitate; & Illuſtriſſimum Purpurati Senatus Phæbum in Avito ſigno Zodiaci Plocenſis adoraverit Eccleſia: *Scandis laniger tropicum ſol aureus Aſtrum:* Deinde ſuprema Regni noſtri Majeſtas in aſſiſtricem Sedium ſuarum adſciverit Sapientiam. Quid mirum igitur Antiſtes ſapientiſſime, Te ſolum, ſine adminiculo alieni conſilii, grande hoc Synodi perfeciſſe & conſummaſſe opus? dum *Conſilium ipſe ſuum eſt Aries, ut Principe dignum eſt;* a cujus Oraculis & Patriæ integritas, & Eccleſiæ pendet felicitas. Tu conditor legis, & Nos auditores ſumus, & factores inpoſterum, ut juſtificemur. Stetimus ad vocem tuam Paſtoralem in hoc *Concilio juſtorum & Congregatione*, ut faciamus coronam in circuitu Throni Legislatori Agno ſedenti. Accumulamur Præſidentiali Majeſtati tuæ, ut habeas, cui præſideas; qui præſides, ut provideas ſaluti noſtræ; Præſes es, ut proſis omnibus. Accurrimus ad audiendam ſapientiam Salomonis ævi noſtri, audivimus & exultavimus, & delectati ſumus, quia Avitus JUNOSZA tuus *erexit cornu ſalutis nobis*, ſalutaris nempe Concilii, ut cornua peccatorum confringat. Ergo jam ſæculis deprædicande Antiſtes, grandibus præconiſande Tomis, primis in Eccleſia & Regno titulis prænuande, ſcande voto omnium ſummas honorum curules, qui ſummam Apoſtolici zeli attigiſti. Nullus ſit ſupremus honos, quem non teneas, qui nullum onus Paſtoralis curæ formidaſti; Nulla felix ætas, quam non vivas, qui propriam litaſti ætatem arduis pro Deo conatibus. *Addat de noſtris Tibi Jupiter annis*, cui Agnum tuum, gratam victimam, immolaſti. Sequamur omnes virgineo morum candore hunc Agnum, quocunque ierit, uſque ad thronum Agni Olympiaci, Cui æterna laus, honor & gloria, aſt Tibi Pontificum Illuſtriſſime, a præſenti Concilio conſummato profunda Gratiarum Actio.

Ex Appendice hujus Synodi adnectuntur hic loci Puncta ſequentia.

I.

Caſus a Nobis Sedi noſtræ Ordinariæ reſervati.

1mo. Levis percuſſio Clerici.

2do. Omne crimen Papæ reſervatum, ſi fuerit occultum.

3tio. Incendium frugum, domorum, ſi fiat ex deliberata voluntate. Pariter conſilium & auxilium ad id datum.

4to. Peccatum publicum, ob quod publica & ſolennis pœnitentia eſt imponenda; præcipue concubinatus, & adulterium publicum.

5to. Blaſphemia publica & notoria.

6to. Homicidium voluntarium, vel realis alicujus membri abſciſſio.

7mo. Injectio manuum in Parentes.

8vo. Crimen falſi, cum quis vitiat ſcripturas, vel dat falſum teſtimonium, vel cum Advocatus aut Notarius Inſtrumenta partis adverſæ alteri parti demonſtrat, item monetæ, menſurarum, & ponderum falſificatio.

9no. Sacrilegium, hoc eſt rei ſacræ, vel

vel etiam profanæ in loco ſacro per furtum aut rapinam ablatio.

10*mo.* Uſurpatio bonorum poſt Clericos demortuos, ſive teſtatos ſive inteſtatos, ſi id fiat ſine ſcitu aut licentia noſtra, vel Officii noſtri.

11*mo.* Sortilegium, divinatio, incantatio per tacitam vel manifeſtam dœmonis invocationem.

12*mo.* Procuratio abortus etiam ante animationem fœtus: & procuratio ſterilitatis.

13*tio.* Oppreſſio infantium in lecto.

14*to.* Inceſtus in primo & ſecundo conſanguinitatis & affinitatis gradu.

15*to.* Violatio Monialis, vel ſacrilegium cum eadem commiſſum.

16*to.* Peccatum ſodomiticum & beſtialitas.

17*mo.* Detentio iniqua cenſuum, decimarum, legatorum cenſuum, & aliorum proventuum ad Eccleſias pertinentium.

18*vo.* Ultimarum voluntatum intra annum vel ſuperveniente cauſa intra biennium non executio.

19*no.* Servitium continuum & famulatus apud Judæos.

20*mo.* Staterarum vel menſurarum corruptio.

21*mo.* Inter conjuges qui legitime Matrimonium contraxerunt diſſenſionum concitatio, eorundemque ad procurandum divortium ſolicitatio.

II.

Conſtitutio INNOCENTII *PP. XII. Incip.*

"Speculatores Domus Iſraël, &c.

III.

Impedimenta Matrimonii, quæ impediunt contrahendum & annullant contractum, Curati animarum & Confeſſarii ob caſus ſæpe contingentes ſibi ſubjectis probe inculcabunt, quorum ſummam cum brevi declaratione ſubjicimus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Affinis, raptor, ſi clandeſtinus & impos,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

1*mo.* Error circa perſonam, ut cum pro Rachele obtruditur Lia, perſona una pro alia, non autem circa qualitatem perſonæ, v. g. ſi ignobilior pro nobiliori, pauper pro divite, corrupta pro virgine contingeret.

2*do.* Conditio, error circa conditionem perſonæ, ut ſi liber contrahat cum ſerva, vel libera cum ſervo proprie dicto: quo nomine venire non debent famuli, neque coloni originarii, nec adſcriptitii glebæ.

3*tio.* Votum ſolenne caſtitatis per ſuſceptionem, v. g. Subdiaconatus, vel per Profeſſionem ſolennem in Religione approbata ſponte emiſſum.

4*to.* Cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur ratione Sacramenti Baptiſmi, aut Confirmationis, v. g. inter baptizantem & baptizatum & ejus parentes, item inter ſuſcipientes ſeu patrinos, & ſuſceptam prolem, prolisque parentes. Inter levantes vero virum & fœminam omnino nulla. Idem tene de Sacramento Confirmationis. Carnalis cognatio ab eodem ſtipite proxime deſcendentium, dirimit uſque ad quartum gradum lineæ transverſæ incluſive. In primo gradu lineæ transverſæ nemo poteſt diſpenſare, ob jus naturæ vetans, in reliquis ex juſta cauſa, poteſt Summus Pontifex; in linea vero recta omnes jure naturæ gradus ſunt prohibiti, ac indiſpenſabiles. Cognatio denique legalis ſive adoptio in filium & filiam, quia in Polonia minus eſt in uſu, hic omittitur.

5*to.* Crimen triplex eſt, 1*mo.* Homicidium alterius conjugis per alterum armis, veneno, conſilio vel imperio patratum, accedente cooperatione vel conſenſu perſonæ tertiæ: homicida talis impedimento dirimente cum illa tertia perſona contrahere prohibetur. Excipe tamen, ſi cædes tentata ſit, ſed non perfecta, ſeu ſine intentione Matrimonii, vel cum intentione, ſed non ſignificata exterius, vel non communi conſilio, ſed ab altero tantum, non dirimit Matrimonium; niſi etiam adulterium præceſſit, tunc enim, etiamſi unus tantum cædem perfecerit altero ignaro, dummodo fuerit intentione Matrimonii patrata, vere dirimit. 2*do.* Adul

Adulterium vivente unius conjuge, per alterum conjugum cum tertia persona commissum, cum mutuo consensu de præsenti, vel promissione de futuro Matrimonio, post mortem conjugis; sed ad hoc impedimentum consciscendum requiritur, ut promissio sit acceptata, ut uterque sciat alterum conjugatum esse: omnis ignorantia vera excusat ab hoc impedimento, dubitatio non excusat. 3*tio*. Crimen est raptus, cum persona quævis violenter abducitur, aut libidinis, aut Matrimonii ineundi gratia, duratque tamdiu impedimentum, quamdiu rapta in potestate est raptoris: si subinde etiam libere consentiat, ex eo tamen pro justa uxore haberi non potest, nisi libertati prius restituatur, & tum demum benevole consentiat, nunc valeat Matrimonium.

6*to*. Disparitas cultus, hoc est Religionis, dirimit Matrimonium inter baptizatum & non baptizatam, etiamsi catechumenum & vicissim. Hæresis alterius conjugum, impedit quidem cohabitationem, si periculum sit perversionis, non tamen dirimit.

7*mo*. Vis sive gravis metus injuste incussus irritat Matrimonium in utroque foro, sive ab alterutro contrahentium incutiatur, sive a tertio quopiam. Declarationes hujus impedimenti vide apud Theologos, nominatim *P. Busenbaum* & explanatorem ejus *La Croix*. Ligamen, quo quisquis ligatur conjugi adhuc viventi.

8*vo*. Honestas sive justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia vel matrimonium tantum ratum sed non consummavit, scilicet ob mortem supervenientem, vel ob professionem religiosam, vel aliam ob causam, unde nemo potest ducere filiam ejus, cum cujus matre sponsalia contraxerat, vel matrimonium ratum habuerat, & vicissim: neque sororem sponsæ, neque fœmina nubere filio, cujus patri spoponderat, ratove tantum matrimonio se junxerat ejusdem fratri: Si tamen vel sponsalia fuerunt irrita ob defectum consensus, vel mutuo consensu dissoluta, hoc impedimentum vim non habet. Alias si ex sponsalibus tantum, sed veris ac legitimis oriatur, impedit tantum in primo gradu: si ex matrimonio rato, usque ad quartum; oritur denique etiam ex matrimonio clandestino.

9*no*. Ætas, cujus defectus in mare putatur ad annum 14. in fœmina ad 12. nisi malitia suppleat ætatem, hoc est doli & officii maritalis capacitas, juxta prudentum arbitrium.

10*mo*. Affinis, ob hoc impedimentum non potest ducere in uxorem ullam ex consanguineis primæ uxoris suæ, usque ad quartum gradum superstes maritus: nec relicta nubere ulli ex consanguineis prioris mariti usque ad quartum; si autem hæc affinitas contrahatur per copulam illicitam, non extenditur ulterius, quam ad secundum gradum inclusive v.g. fornicatus cum matre, non potest ducere filiam, neque nepotem, neque sororem, neque amitinam, consobrinam, multo magis germanam; idem existima de fœmina, quod non potest nubere fornicatoris fratribus, amitinis, sobrinis, germanis.

Maritus peccans cum sorore uxoris suæ, non tantum germana, sed etiam amitina & sobrina, non potest amplius debitum a sua conjuge petere ante dispensationem, quamvis possit & teneatur reddere.

11*mo*. Clandestinus, cum deest assistentia proprii Parochi, alterutrius sponsorum, vel alterius Sacerdotis habentis potestatem a proprio Parocho, & duorum ad minimum testium, quorum nomine recipi possunt fœminæ; atque pueri modo rationis compotes. Vagabundi possunt contrahere coram quovis Parocho, vel si alteruter sponsorum sit vagabundus; tenetur tamen Parochus diligenter de eorum conditione inquirere, & petere licentiam ab Episcopo assistendi talibus matrimoniis, alias validum quidem erit matrimonium, sed Parochus graviter peccabit.

12*mo*. Impos, ob frigiditatem vel naturæ aliud vitium, quæ si sint perpetua, perpetuum efficiunt impedimentum: si temporanea, v. g. ex morbo,

bo, aut diaboli malignitate, mediantibus veneficiis, ideoque si antecedat matrimonium, tamdiu matrimonium contrahendum sub valore impedit, quamdiu durat; si superveniat matrimonio rato, non dirimit. De rapta muliere dictum *num. 5to* verbo *Crimen.*

IV.

Examen Puellæ ad Religionem aspirantis ante assumptionem habitus & faciendam Professionem, ad præscriptum Ss. Concilii Tridentini.

1*mo.* Interrogetur, quo fine velit Monialis fieri, & liberam suam voluntatem desuper exprimat.

2*do.* Utrum coacta, decepta, an sponte, & vocante Deo, aut consilio, persuasione, precibus, minisve a Monialium consanguineis, aut ab alia quavis persona adhibitis monialem vitam eligat. Utrum metu amittendæ gratiæ parentum aut consanguineorum hoc non faciat.

3*tio.* A quo tempore, Religionem ingrediendi desiderium nutriat.

4*to.* An a teneris annis ad pietatem propensa fuerit.

5*to.* Sciatne bene, & apprime intelligat rem, quam tractat, quam ob causam Monialis fieri velit.

6*to.* Num antea votum emiserit de eligenda strictiori Regula.

7*mo.* Utrum sponsalia de futuro vel de præsenti cum aliquo non contraxerit.

8*vo.* Sitne sana mente & corpore, aut occulto aliquo defectu laboret, qualis ille sit, & a quo tempore.

9*no.* Utrum omnes Religionis obligationes apprime noverit, & non ignoret vota, quæ in illa emittenda sunt.

10*mo.* An in communi vitam in clausura perpetua, & sub suæ Superioris obedientia, ducere pro grato habeat.

11*mo.* Quot annorum sit.

12*mo.* Dicat etiam nomen, cognomen & patriam.

13*tio.* Utrum Monasterii, in quo vult Religionem profiteri, libenter amplectatur Regulam, illamque servare omnino desideret.

14*to.* An ad Crucem Domini ferendam, ad seipsam abnegandam, & ad Christum crucifixum imitandum accincta sit? Explicetur illi, quid sit abnegatio sui.

15*to.* De Christiana doctrina etiam interrogetur, utrum bene illam calleat.

16*to.* An sciat legere & scribere. Finito examine, quæ in illo acta sunt, ad Loci Ordinarium in scriptis omnia referantur.

V.

Ex Constit. Synodalibus Provincial. Lib. 4. de Raptoribus.

Cum in quibusdam locis quorundam iniquitas invaluerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas: & violentia fortitudo: hoc sacro approbante Concilio, cupientes sæcularium potestatum audaciam, quantum cum Deo possumus, refrænare; sancimus, quod quicunque Princeps seu Capitaneus terræ, Baro aut miles, aut Nobilis vel Officialis eorum, & generaliter quævis alia persona spiritualis, vel sæcularis cujuscunque dignitatis, status & conditionis existat, Decimas, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones & bona, ac alias res mobiles & immobiles, & se moventes ad Ecclesias, & pia ac religiosa loca, personasque Ecclesiasticas spectantia & pertinentia, aut etiam pauperum hominum in ipsorum bonis degentium rapuerit, invaserit & occupaverit, aut illicite detinuerit, exactionaverit, tallias seu collectas imposuerit, seu injuste impignoraverit, ac occasione pignoris aliquid extorserit, vel quovis sumpto colore gravaverit, impignorari, aut exactionari mandaverit, ordinaverit, seu ratum habuerit; aut raptorem, invasorem, occupatorem & detentorem illicitum cum re rapta invasa, occupata, detenta conservaverit, seu in defensionem susceperit, aut in bono ejusdem notorium damnum, seu manifestam offensam intulerit; nisi infra trium dierum spatium, a tempore rapinæ, invasionis & occupationis perpetratæ & commissæ, omnia & singula rapta, invasa, & occupata, seu pignorata, nec non de injuriis & damnis

nis datis, & offenſa manifeſta, condignam emendationem & ſatisfactionem impenderit, cum eorum in hac parte complicibus excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto. Et nihilominus in illa ſeu illis Parochia ſeu Parochiis, de qua ſeu de quibus, raptores ſeu invaſores, occupatores, damnum dantes, ſeu manifeſtam offenſam irrogantes fuerint, aut in quibus larem, ſeu habitationem ſuam habuerint, ſeu habere conſueverint, & ad quam ſeu quas, res & bona prædicta ſic rapta, invaſa, ac occupata, ad conſervationem ipſarum deducta, ac in ipſis detenta fuerint, quouſque ad reſtitutionem & ſatisfactionem plenariam, aliaque loca quæcunque, ad quæ præfati raptores, occupatores, damnum dantes, ac offenſam prædictam inferentes cum eorum complicibus pervenerint, ſeu alter eorum pervenerit, & quamdiu in eisdem locis, ſeu altero eorum moram traxerit, ipſo facto Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Et quoniam excommunicatus ab uno, & ab aliis eſt vitandus: decernimus, quod ſi prædicti raptores, invaſores, occupatores, damnum dantes, ſeu offenſam inferentes, cum ſuis complicibus de aliena ſeu alienis Diœceſibus fuerint, ſeu alter ipſorum fuerit, Epiſcopus loci, de quibus dicti raptores & alii præfati fuerint, vel ad quos confugerint, extunc virtute Conſtitutionis præſentis, vel laudi communis, recepta ſi opus fuerit ab Epiſcopo loci, vel injuriam paſſo informatione ſummaria, teneantur hujusmodi raptores, invaſores, occupatores, & damnum dantes, cum eorum complicibus excommunicatos per ſe & ſuos ſubditos publice nuntiare, & in Parochiis & locis prædictis, prout ſuperius exprimitur, interdictum Eccleſiaſticum facere inviolabiliter obſervari.

VI.

Ex Bulla Cœnæ Domini *INNOCENTII XII. Romani Pontificis.*

Excommunicamus & anathematizamus ex parte DEI Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, authoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quoscunque, qui jurisdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus ad Nos & Sedem Apoſtolicam, & quascunque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant; vel etiam quavis occaſione vel cauſa ſine Rom. Pont. vel eorum, ad quos jure pertinent, expreſſa licentia ſequeſtrant. Quive collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi, absque ſimili Rom. Pont. ſpeciali & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam a ſponte dantibus & concedentibus recipiunt. Cæterum a prædictis ſententiis nullus per alium, quam Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam nunc niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum, quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, & militiarum Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſisque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus & domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii Decreta, verbo, literis, aut alia quacunque ſcriptura in genere & in ſpecie conceſſorum & innovatorum, ac concedendorum & innovandorum. Quod ſi forte aliqui contra tenorem præſentium, talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint; eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos ſpiritualiter & corporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri. Declarantes ac proteſtantes quamcunque abſolutionem, etiam ſolenniter per

Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, & injuriatis satisfecerint, non comprehendere, nec eis aliter suffragari.

VII.

Ex Clementinis lib. 5. *de Pœnis Tit.* 8. *Cap.* 3. Cupientes.

Illos Religiosos, qui aliqua, ut audientes a Decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in sermonibus suis vel alibi proferre præsumunt, excommunicationis subjacere sententiæ, decernimus ipso facto. Et quia nisi fiat quod bonum est, a malo abstinere non sufficit, Religiosis omnibus injungimus sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, ut quoties populo prædicabunt in prima Dominica, quarta & ultima Quadragesimæ, & in Festis Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, Nativitatis Beati Joannis Baptistæ, Assumptionis & Nativitatis Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris Dei, audientes expresse studeant informare, si ab Ecclesiarum Rectoribus, vel Vicariis, aut loca tenentibus eorundem requisiti fuerint. Nec non & his, quorum confessiones audient conscientiam facere, quod decimas solvere non omittant. Quod si forte in prædicationibus hoc ipsum supra dictis diebus suadere scienter omiserint, per Superiores graviter arguantur eorum. Quibus etiam Superioribus in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, ut contra taliter omittentes statuta pœnalia faciant, secundum quæ sic acriter puniant transgressores, quod pœna eorum sit cæteris in exemplum: Constitutione bonæ memoriæ GREGORII Papæ X. Prædecessoris nostri circa hæc edita in suo nihilominus robore duratura. Qui vero scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de solvendis hujusmodi Decimis, ab officio prædicationis tamdiu maneant ipso facto suspensi, donec confitentibus ipsis (si hoc ipsum sibi dicendi commode facultatem habuerint) conscientiam fecerint. Exinde excommunicationis incursuri sententiam ipso facto, si prædicare præsumpserint, prædicta negligentia (ut præmittitur) non purgata. Sane temerarios violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis & Clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, vel alias promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent: similem sententiam (pœna in dicta Constitutione contenta in suo perdurante robore) incurrere volumus ipso facto, ab alio, quam à Sede Apostolica, (præterquam in mortis articulo) nullatenus absolvendos; nullis Privilegiis aut Statutis, cujuscunque tenoris existant, super his valituris.

N O T A.

Illustrissimi & Excellentissimi Episcopi ANDREÆ STANISLAI KOSTKÆ elogium sat amplum & locuples reperire est in Gratiarum actione sub finem Synodi collocata. Utinam per temporum, quibus hæc scribo, miseriam fluctusque Societati JESU mihi carissimæ omnino exitiales plura posteris communicanda habere licuisset! Sed obstructis unde documenta petebam fontibus, prolixos inter gemitus ac fletus, altissima Dei judicia adoro humillime, & ejus me providentiæ totum permitto.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Christi MDCCXLV.

SUB

Sermo ac Revmo. CLEMENTE AUGUSTO, *Monasteriensi Episcopo*,

CELEBRATA

DIE 13 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum ad aures nostras fide dignorum testimonio pervenerint varios, præprimis mulieres aliorum ministeriis mancipatas, & ad quotidiana opera conductas quotidie ferme sacræ Mensæ accumbere, & quidem omissa passim Sacramenti Pœnitentiæ susceptione, quin nulla præmissa debita præparatione; relinquimus Confessariorum judicio, an ex conscientiarum puritate, virtutum exercitio, pietate frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus mercenariis his, humilibusque personis concedendus sit; committimus Pastorum, aliorumque vigilantiæ, ut dent operam, ut unusquisque pro devotionis & præparationis modo rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Mandamus Concionatoribus tum sæcularibus, tum regularibus, ut sæpe orationem habeant e cathedra de necessaria ad suscipiendam Eucharistiam præparatione, ut inculcent auditoribus suis plena formidinis verba: 1. Cor. 11. v. 27. *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini, probet autem se ipsum homo.* ibid. 29. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Proponant auditoribus suis suam infirmitatem: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Joan. 1. 8. Ut ita discant cœlestem mensam revereri, & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere, ut detestabilis abusus sine reverentia ad sacram Synaxin accedendi penitus eradicetur, & sublato abusu usus maneat salutaris. In quorum fidem præsentes manu & sigillo nostris corroboratas dedimus 1745. 10ma Octobr.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCXLVII. Benedicti XIV. PP. VII. Francisci I. Imp. III.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, Monasteriensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE 17 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum Pastoralis officii, quo ex dispositione Divina fungimur, ratio a Nobis exigat: *Attendere nobis & universo gregi, in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Act. 20. v. 28. non possumus, quin indefessa solicitudine curemus, veneranda sacrorum Canonum Decreta atque Statuta a subditis nostris inconcusse observari, & quoscunque abusus ex adverso pullulantes, quantum in Nobis est, radicitus extirpari. Quam in curam Nobis assidue intentis visum est sequentes Constitutiones Synodales publicandas mandare.

1*mo*. Quoniam, sicut accepimus, quibusdam in locis jurisdictioni nostræ subjectis ea, quæ circa formam ac ritus in contrahendis fidelium Matrimoniis adhibendos, cum per alios S. Canones, tum per S. Conc. Tridentinum provide & salubriter decreta & constituta sunt, non illa, qua par est, religione servari, sed a quibusdam superbe sentientibus, vel post concupiscentias suas pravas abeuntibus temere violari contingit, dum ipsi, quæ pro valida ac licita hujus Sacramenti administratione & susceptione præscripta sunt, vel culpabiliter negligunt, vel, quod pejus est, arroganter contemnere, aut in pravos sensus a mente Ecclesiæ alienos callide detorquere præsumunt, & alii quidem spreto Ecclesiæ interdicto rationabilibus ex causis interposito, sibique debite intimato, alii inter Missarum solemnia subter ultimam, quam de more populo impertit, benedictionem, non attento subinde, quod ipse non sit proprius eorum Parochus, vel hic eorum, quæ ab ipsis geruntur, ignarus subinde & invitus existat, minimeque intendat eorum nuptias benedicere, alii extra Diœcesin suam coram Parocho alieno, quin & alii graviore flagitio coram ministro acatholico Matrimonium de præsenti, qua illicite, qua etiam respective invalide contrahere non verentur. Quæ adeo perniciosa exempla, ne sui impunitate & conniventia in alios deinceps similia ausuros dimanent, de opportuno remedio providere cupientes imprimis Decreta Synodalia circa similes transgressiones pridem 1708. 12*ma Martii* & 12*ma Octobris*, 1712. 6*ta Octobris* emanata & successive publicata innovamus, & sub pœnis gravis mulctæ pecuniariæ, vel in personas tenuioris fortunæ ac humilioris conditionis carcerationis per dicta Decreta in delinquentes statutis, nec non gravioribus aliis arbitrio nostro infligendis, omnibus & singulis hujus nostræ Diœcesis subditis sæcularibus districte prohibemus, ne quis præmissorum aliquid attentare audeat, vel præsumat.

Deinde Parochis omnibus & Vice-Curatis serio præcipiendo mandamus, ut memores gravissimæ suæ obligatio-

nis

nis pro grege suo: *Pervigilandi, quasi rationem pro animabus ipsorum reddituri.* ad Hebr. 13. v. 17. Solicite præcaveant, ne quid ejusmodi a Parochianis suis temere præsumatur, in delinquentes vero solerter inquirant, & repertos nocentes debito loco denuntient pro delicti qualitate puniendos. Personas vero ignotas diversi sexus peregre adventantes, quæ intra Parochiæ suæ limites domicilium figere vel diutius commorari intendunt, conjugum instar sub eodem tecto cohabitare minime permittant, nisi per testimoniales literas authenticas de Matrimonio inter ipsos legitime contracto sufficienter fidem fecerint, secus vero easdem quamprimum separari faciant, vel si id efficere per se nequiverint, illas denuntiando Vicarii nostri in Spiritualibus officium implorent.

2do. Ut cœmeteriis sepulturæ Ecclesiasticæ sacratis, & corporibus, exuviisque fidelium in Domino defunctorum inibi quiescentibus, quæ in die magni judicii Dei a mortuis resuscitanda, & animabus jam cum Christo regnantibus in cœlis, vel certe, cum piacularibus flammis purgatæ fuerint, cum eo regnaturis reunienda esse fideliter firmiterque credimus, debitus ex more Ecclesiæ honor impendatur, Parochis & Vicecuratis omnibus hujus nostræ Diœcesis præcipimus, ne quempiam Ecclesiastica sepultura indignum ac per Ss. Canones & per Ordinationem in recentioribus Agendis Monasteriensibus contentam *pag.* 145. prohibitum, ad sepulturam Ecclesiasticam admittant. Quapropter, cum in quibusdam Parochiis hujus Diœcesis limitaneis frequentibus contingat pro ejusmodi indignis atque prohibitis sepulturam expeti; mandamus atque præcipimus ibi locum certum a sepultura fidelium separatum, nec benedictum deputari, ubi præmemoratorum corpora, quoties casus mortis evenerit, possint tumulari.

3tio. Quam periculosum sit, & animarum saluti noxium Sacerdotes ad excipiendas fidelium confessiones exponi sufficiente ad hoc tanti momenti officium scientia destitutos, nemo potest ignorare, cum proclive sit: *ut cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant,* perditionis æternæ. *Matth.* 15. *v.* 14. Et si claves Regni cœlorum cum potestate solvendi atque ligandi, aperiendi atque claudendi Sacerdotibus a Christo Domino nostro traditas ipsi imperite tractent, ipsi tam sibimet, quam pœnitentibus ad eos remedii causa accedentibus portas cœlorum fortius occludant, volumus & mandamus, ut quicunque tanti momenti munus suscipere intendunt, in pernoscendis conscientiæ casibus, iis præsertim, qui ad discernendas peccatorum species, restitutionem, vitandas peccandi occasiones, censuras, casusque reservatos pertinent, per assiduum Theologiæ moralis studium sese diligentissime exerceant, nec postquam semel approbati fuerint, ejusmodi studio deinceps supersederi posse sibi erronee persuadeant; atque ut nostra ex parte securitati conscientiarum, quanto meliore possumus, ratione consulamus, volumus & ordinamus, ut quotquot imposterum sive ad curam primariam, sive ad subsidiariam, aut quomodolibet ad confessiones fidelium excipiendas approbari cupiunt, coram nostro Vicario in Spiritualibus Generali ab Examinatoribus Synodalibus examinandi in curia Vicarii nostri in Spiritualibus Generalis compareant, huic vero examini peragendo feriam 4tam cujusvis hebdomadæ vel sequente non impedita assignatam noverint, ac pridie ejusdem feriæ Fiscum nostrum Ecclesiasticum accedant; qui nomina eorum, qui examinandi sunt, adnotet, & Vicario nostro in Spiritualibus Generali pro admissione ad examen exhibeat. In quorum fidem præsentes subscripsimus, ac Sigillo nostro communiri jussimus Clemenswertæ 8va Octobris 1747.

C. Augustus Elector mpp.

SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Chr. MDCCXLVIII. Benedicti XIV. PP. VIII. Francisci I. Imp. IV.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, *Monasteriensi Episcopo,*

CELEBRATA

DIE 15 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.


Maxima sane animi indignatione accepimus saluberrimas Constitutiones ad tollendum damnabilem abusum in cauponis & tabernis potitandi sub Divinis Officiis, concionibus, catechesi, alias sæpius emanatas quorundam hominum improbitate nonnullis in locis hujus Diœcesis frequenter violari, dum ipsi, quo tempore alii fideles Ss. Missæ Sacrificio devote intersunt, vel pias supplicationes pie comitantur, aut verbi Divini salutari pabulo recreantur, non sine gravi piæ communitatis scandalo & offensione in præfatis cauponis & tabernis intempestivæ potationi indulgendo, Baccho & ventris cupediis magis quam omnipotenti Deo servire præeligunt in eorum infelici numero, quorum juxta Apostoli sententiam *Deus venter est*, merito computandi, cui tam pernicioso malo remediis efficacibus mederi cupientes, districte prohibemus, ne Dominicis, Festisque diebus, quo tempore Divina peraguntur Officia, tam sub Missa prima non solemni, quam sub altera solemni, nec non sub supplicationibus, etiamsi eas die feriali deduci contingat, quoque verbum Dei, qua per conciones, qua per Catechesin Christianam fidelibus annuntiatur, & explicatur, caupones vel tabernarii, aliive vina sive de vite, sive eliquata, vel cerevisiam, aliudve cujuscunque nominis potulentorum quidpiam cuicunque demum promere vel vendere (viatoribus duntaxat, & iter agentibus, dum iter inceptum prosequendi necessitate premuntur, exceptis) præsumant; Archidiaconos, vel eorundem Commissarios serio hortantes & admonentes, ut non solum visitationis tempore, sed etiam quoties per annum ipsis visum fuerit opportunum, in ejusmodi delinquentes sedulo inquirant, & in repertos nocentes justis pœnis animadvertant, cauponi seu tabernario contra inhibitionem hanc nostram quodvis potulentorum genus promere vel vendere præsumenti quinque florenorum aureorum, potitantibus vero, aut potulenta in temporibus superius vetitis ementes, dictata duorum florenorum aureorum mulcta coercendo. Si quis vero ejusdem transgressionis secundo vel tertio repetitæ reus inventus fuerit, præfatam mulctam aggravando, ita ut caupo vel tabernarius denos vel quindenos, potitantes vero vel potum ementes quatuor vel senos florenos aureos mulctæ loco solvere compellantur. Parochis igitur, aliisque Curatis mandamus, ut tempore concionis primæ post publicationem præsentium in Synodo factam, habendæ, inhibitionem hanc nostram cum pœna transgressoribus imposita Parochianis suis publice promulgare, & ad ejusdem observantiam serio adhortari meminerint, quibus etiam facultatem imper-

timur

timur per ſe, vel per idoneos homines cauponas & tabernas temporibus in hac Conſtitutione expreſſis viſitandi, ut delinquentes inibi repertos Vicario noſtro Generali, vel Archidiaconis denuntient.

Inhibemus quoque Parochis, aliisque Beneficiatis, nec non Eccleſiarum, aliorumque piorum locorum ac fundationum vel pauperum Proviſoribus & Emonitoribus, ne pecunias ad fundationem ſeu dotationem Eccleſiarum, Beneficiorum Eccleſiaſticorum, Anniverſariorum, aliorumve piorum uſuum, vel ad eleemoſynas pauperibus diſtribuendas pia fidelium largitione vel diſpoſitione quavis deſtinatas, ſine præſcitu & expreſſa licentia noſtri Vicarii Generalis, vel Archidiaconi loci ad cenſum annuum elocent, neque ſummas capitales ad cenſum ejusmodi jam elocatas, relictis obligationibus ſibi a cenſuariis redhiberi poſtulent, aut ab eisdem ſponte redhibitas ad novum cenſum elocent, nedum apud ſe otioſe depoſitas retineant, aut quod pejus eſt, conſumant, ſed illas apud Vicarium noſtrum Generalem vel loci Archidiaconum deponant, eorundem cura & providentia ad cenſum annuatim pendendum applicatas. Si quis vero Parochorum, Beneficiatorum, Proviſorum vel Emonitorum ſaluberrimæ huic Conſtitutioni contravenire præſumpſerit, noverit præter pœnas arbitrio noſtro infligendas ſe & hæredes ſuos ad reſarcienda damna inde emergentia eſſe obligatos & aſtringendos, nec non cenſuarios ſine præſcitu & licentia præmiſſis obligationes cenſuum redhibita ſumma capitali redimentes ſeu reluentes, nequaquam ab obligatione ſolvendi eosdem cenſus fore liberandos. Quocirca Judicibus noſtra authoritate conſtitutis ſerio mandamus, ut in cauſis præmiſſa concernentibus in judicium deductis, vel deducendis huic Conſtitutioni perpetuo valituræ ſeſe in judicando conforment. Et ne quis ejus ignorantiam prætendere valeat, volumus hanc Ordinationem, quatenus homines privatos concernit, patrio ſermone promulgari. In quorum fidem præſentes manu & ſigillo noſtris corroboratas dedimus Bonnæ 4ta Octobris 1748.

Clemens Auguſtus.



SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCCXLIX. Benedicti XIV. PP. IX. Franciſci I. Imp. V.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, *Monaſterienſi Epiſcopo,*

CELEBRATA

DIE 18 MARTII.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Ut Conſtitutio Synodalis de non elocando absque Superiorum conſenſu capitalia ad Eccleſias, vel alia loca pia ſpectantia alias emanata meliorem ſortiatur effectum, Archidiaconis, vel ad eorum viſitationem Eccleſiarum deputatis Commiſſariis mandamus, quatenus non tantum redituum ac proventuum, qui ad fabricam templi & eleemoſynas vel alimentationem pau-

perum ac leprosorum, aut ad aliorum locorum piorum fundationes destinati sunt, rationes exigant, sed & registra Pastorum, Vicariorum, Primissariorum, & reliquarum personarum, quarum cura & solicitudo ipsis commissa est, sibi exhiberi faciant, ea diligenter revideant, pro revisis subscribant, atque accurate advigilent, ut in bonum Ecclesiarum, pauperum, nec non Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum rite omnia administrentur, & in suo vigore conserventur, negligentes vel inobedientes ad id pœnis debitis astringendo.

2do. Cum, sicut accepimus, quidam homines suspectæ fidei & manifestæ nequitiæ per Diœceses nostræ jurisdictioni subjectas vagentur, circumferentes, & turpis quæstus causa vendentes, & in vulgus spargentes varios libellos precatorios & schediasmata continentia varias & ementitas revelationes ac precationes ad Deum & Sanctos ab Ordinariis locorum minime approbatas, cum promissionibus aperte falsis indulgentiarum velut a S. Pontificibus concessarum, vel etiam gratiarum quasi per revelationes a Deo vel Sanctis acceptas promissarum eas tenentibus vel recitantibus; cujusmodi sunt, quæ in idiomate germanico circumferuntur sub titulis sequentibus:

1. Kleiner Seelenschatz allzeit bey sich zu tragen, erstlich gedruckt zu Trient 1648, wie auch zu Saltzburg 1652. &c. gedruckt zu Münster in Westphalen.
2. Copia des Himmelbriefes, welchen Gott selber geschrieben.
3. Geistliches Gnadenbrünnlein mit zwölf Röhren.
4. Ein sehr kräftiges Gebett, welches Cöllen am Rhein in der Thumb-Kirchen mit güldenen Buchstaben über die HH. drey Könige geschrieben stehet.
5. Alles zu Ehren Jesu und Mariä: Würckungen des Pragischen Gnadenbildes.
6. Gewisse und warhafte Länge unseres lieben Herrn Jesu Christi.
7. Gewisse und warhafte Länge und Dicke unserer lieben Frauen.
8. Unser lieben Frauen Traum.
9. Das güldene Vatter unser.

Et si quæ sunt alia horum similia vana ac superstitiosa, quæ ad nostram notitiam nondum pervenere, per quæ simplicioribus & indoctis fucum fieri, & non modo in noxios errores, sed etiam in sacrilegas superstitiones eos induci est manifestum. Nos ejusmodi pestes a locis nostræ jurisdictioni subjectis procul arcere cupientes, omnibus & singulis per hanc Diœcesin Parochis & Vicecuratis districte præcipimus, ut ipsi prædictarum & similium precationum usu Parochianis suis serio interdicant; ac libellos ejusmodi ac schediasmata, si quæ ab illis teneantur, vel ad se deferri, vel per ipsos flammis exuri demandent, atque prohibeant eisdem, ne deinceps ab hominibus vagis ac peregrinis libellos aut schedulas precatorias, velut plerumque suspectas, emant vel recipiant. Ipsi vero Parochi & Vicecurati in nundinatores ejusmodi circumforaneos, qui talia seu vendendi, seu erga receptas eleemosynas erogandi causa circumferre præsumpserint, solicite tum per se ipsos, tum per alios fidos homines invigilent, & si quos sive publice in nundinis, sive vicatim per domos ejusmodi res aut venales exponere, aut alio quovis modo in vulgus spargere deprehenderint, eosdem omni ejusmodi rerum apparatu privari faciant, implorato etiam, ubi opus fuerit, brachii sæcularis auxilio per Magistratus ac Judices locorum ipsis eos requirentibus impertiendo.

3tio. Quia etiam relatum Nobis fuit quarundam Ecclesiarum Rectores in procurando domus Dei decore adeo esse negligentes, ut non modo sacra indumenta, quibus in Ssmo Missæ Sacrificio vestiuntur Sacerdotes, plane detrita, lacera & obsoleta, verum etiam sacræ Aræ paramenta, quæ Divinam & immaculatam Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI hostiam propinquius contingunt, ut mappas, purificatoria, pallas, corporalia adeo immunda ac sordida tum ipsi ad Altaris ministerium adhibeant, tum aliis rem Divinam peragentibus subministrent,

niſtrent, ut Sacrificium hoc Divinum offerentibus nauſeam pariant & horrorem: Nos omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus ſerio mandamus, ut penſata tremendi hujus Myſterii majeſtate, quo vivifica illa Hoſtia, per quam Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari Sacerdotum miniſterio incruente immolatur, omnem operam & diligentiam in eo ponendam putent, ut debitam tanto Myſterio reverentiam cumprimis in eo quoque exhibeant, quod convenientem in prætactis ſacris Sacerdotum indumentis decorem & integritatem, atque in ipſius ſacræ Aræ paramentis, quantam maximam poſſunt, munditiem & nitorem procurent. Quare noſtros per hanc Diœceſin Archidiaconos, eorumque Commiſſarios hortamur, ut in conſuetis Eccleſiarum viſitationibus circa præmiſſa ſolicite inquirant; ſique aliquem huic noſtræ Conſtitutioni contravenire deprehenderint, hunc ad ejus debitam obſervantiam compellant.

4to. Cum licentia capillis fictis utendi ſub Sacrificio Miſſæ hactenus a Nobis conceſſa non fuerit, niſi ea lege, ut ad normam Conſtitutionum debeant eſſe efformati, nonnulli vero hujuſmodi Conſtitutionis ignorantiam fuerint cauſati. Hinc ut ad omninm notitiam eam reducamus, illius tenorem, prout anno 1723. emanata ac promulgata fuit, eandem innovando ſubjungimus: Quicunque ad Altare ſub Ssmo Miſſæ Sacrificio cum præſcitu Superiorum ficto capillitio utuntur, non longius nec pulvere capillari inſperſum, ſed modeſtum cum patente corona deferant. In quorum fide haſce manu propria ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus Neohuſii 1749. 6ta Martii.

Clemens Auguſtus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Eodem anno Chriſti MDCCXLIX.

ET SUB

Eodem Revmo ac Sermo* CLEMENTE AUGUSTO, *Monaſterienſi Epiſcopo,

CELEBRATA

DIE 14 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Paſtoralis Officii ratio Nos admonet: ut in gregem a ſupremo Paſtore noſtræ ſolicitudini commiſſum vigili ſemper oculo intendentes, gliſcentia in eo animarum contagia ſalutaribus remediis celeriter perſanare curemus. Quapropter cum ad notitiam noſtram pervenerit, in quibusdam hujus noſtræ Diœceſis locis peſtiferam carnalium hominum animis ſeſe inſinuaſſe opinionem, ex diabolica procul dubio ſuggeſtione profectam, qua illi, qui contractis ſponſalibus de ineundo Matrimonio ſibi fidem dedere, etiamſi hoc de facto in facie Eccleſiæ nondum contraxerint, nihilo ſecius ſe veros coram Deo conjuges eſſe, & conjugii legibus vivere ſibi licere, damnabili ſunt errore perſuaſi, ideoque hujusmodi ſponſi & ſponſæ conjugum ritu cohabitare, iisque actibus, qui ſolo Matrimonii legitime contracti vinculo cohoneſtari poſſunt, operam dare minime verentur. Ex quo conſectaneum fit eosdem ad ſacratum Matrimonii vinculum, quod Sacramentum

magnum esse prædicat Apostolus, coinquinatis prius per illicitas libidines & animis & corporibus convolantes, grandi sacrilegio sese obstringere, & Sacramenti fructu privatos iram ac vindictam Divinam sibi accersere, & ita benedictionem, quam ipsis solemni Ecclesiæ ritu precatur Sacerdos, sibi in maledictionem sua prævaricatione convertere, quemadmodum infaustæ inter ejusmodi sponsos subsecutæ nuptiæ & funesti earum exitus frequenti experientia demonstrant; dum videlicet amor inter eos ante connubii vinculum in illicitos complexus & fornicarios concubitus diabolicæ tentationis afflatu intemperanter accensus, post sacratum Matrimonii indissolubile vinculum, justo Dei permittentis judicio, dæmone dissensionum materiam suggerente, illico suffocatur, inque sæva odia, rixas, contentiones ad usque thori conjugalis separationem frequenter commutatur. Nos igitur tam ingentibus malis opportuno remedio obviare cupientes, Parochos & Vicecuratos omnes hujus nostræ Diœcesis serio commonemus, eisque districte præcipimus, ut Parochianis suis perniciosam hujusmodi, quam initio commemoravimus, persuasionem omnino eximere conentur, statuentes eis ob oculos gravitatem ac fœditatem peccati, quo sese coinquinant sponsi sponsæque, quoties ante Matrimonium de facto inter eos contractum illis liberioris inter ipsos conversationis actibus vacant, qui extra Matrimonium exerciti fœdæ libidinis ac impudicitiæ vitium redolent, eaque de causa ipsis perinde, atque aliis personis solutis lege tam naturali, quam Divina vetantur. Insuper eisdem gravi oratione inculcent horrenda illa mala, & formidandos exitus, Divinaque supplicia, quibus hujusmodi legis prævaricatores justo Dei judicio castigari tum in hoc sæculo, tum etiam in futuro, quemadmodum a Deo intentatæ fornicariis & impudicis per sacras Scripturas minæ luculenter ostendunt. Ut vero ejusmodi transgressionibus ostia, quantum possumus, obstruamus, & peccatorum fomenta tollamus, severe prohibemus, ne post sponsalia de futuro inita, sponsa ad ædes sponsi & vice versa cohabitandi causa sese transferre præsumant, prius, quam Matrimonium inter eos fuerit de facto contractum. Quod si huic nostræ inhibitioni quidam parere contempserint, Parochis & Vicecuratis præcipimus, ut eos quamprimum ab invicem separent, implorato etiam ad hoc, ubi opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, neque illorum Matrimonio prius assistant, quam ipsi in dicta separatione ad tempus arbitrio nostri Vicarii in Spiritualibus Generalis determinandum humiliter perseveraverint. Ne vero quispiam Parochianorum justam hujus nostræ Constitutionis ignorantiam prætendere valeat, volumus eam in singulis hujus nostræ Diœcesis Parochiis per integrum annum una Dominica de mense ex ambone publicari. In quorum fidem hasce manu propria subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Clemenswerthæ anno 1749. 3tia Octobris.

Clemens Augustus.



SYNO-

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCL. Benedicti XIV. PP. X. Francisci I. Imp. VI.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, *Monasteriensi Episcopo*,

CELEBRATA

DIE 13 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum non sine gravi sæcularium piorum scandalo quosdam de Clero publicas frequentare tabernas, quinimò quosdam laicorum ibi sese conventibus potitandi causâ miscere maxima nostra offensione intellexerimus, siquidem istud in gravissimum Ecclesiastici Ordinis vituperium & Religionis contemptum vergere est manifestum, & alias per Ss. Canones *C. Nulli. C. Clerici. D.* 44. noscatur esse prohibitum: " ne " Clerici edendi vel bibendi causâ ta- " bernas ingrediantur, nisi peregrina- " tionis necessitate compulsi." Nos intolerabilem ejusmodi abusum penitus aboleri volentes, statuimus, ut dictorum Canonum transgressores, toties quoties tabernam eos potandi causa intrasse fuerit deprehensum; sex imperialium pensitatione mulctentur, Archidiaconos nostros, eorumque Commissarios serio monentes, ut in delinquentes hujusmodi solicite inquirant, pœnamque prætactam sine remissione exequantur.

Agenda Pastoralia authoritate Prædecessoris nostri glor. mem. FRANCISCI ARNOLDI anno 1712. typis vulgata omnes Curati & Vicecurati sibi quamprimum comparare, eorumque, quæ in illis continentur, plenam habere notitiam & usum sibi reddere familiarem, ac speciatim in conficiendis libellis supplicibus pro impetrandis dispensationibus matrimonialibus, allegatis sufficientibus dispensandi causis per dicta Agenda assignatis, in efformando schemate consanguinitatis vel affinitatis, nec testimonio paupertatis Oratorum, formam ac methodum in eisdem Agendis præscriptam adamussim imitari & observare, ac postremo testimonium legitimum rite factæ executionis, quoties dispensatio pro foro externo concessa est apud Protocollum Vicariatus asservandum ad Vicarium nostrum in Spiritualibus Generalem mittere (quæ hactenus a variis parum observata fuere) imposterum exacte curabunt.

Cum, sicut accepimus, nonnulli ex Parochis aut Vicecuratis in doctrina catechetica rudi juventuti ac plebi tradenda non ea, qua merito contenti esse possumus, diligentia hactenus usi fuerint, quinimo in quibusdam Ecclesiis occasione vel comprecationum ob necessitates publicas a Nobis indictarum, vel Sodalitatum seu Confraternitatum in quadam Dominica per singulos menses celebrari solitarum prætermittant, & ita spiritualem *lactis potum* 1. Cor. 2. parvulorum animis subtrahant, posthabitis saluberrimis Ordinationibus & Decretis tum a nostris in hac Diœcesi Prædecessoribus, tum a Nobis ipsis Summo Pontifice hortante emanatis, quibus districte præceptum fuit, ut Parochi, aliique curam animarum habentes vel per se, vel per Substitutos idoneos sacram Catechesin omnibus & singulis diebus Dominicis & Festivis per

per totum annum pueris & rudibus explicent, ubi vero Parochiæ tam amplæ fuerint, ut ob distantiam a Parochiali Ecclesia quidam eo sese conferre non valeant, sacra Catechesis in diebus festivis non in Ecclesia, sed in Burschapiis remotioribus, aliisve locis opportunis explicetur. Tempore vero hiemali bubulci, subulci, & opiliones, aliique pueri, qui per æstatem armentis vel gregibus pascendis occupantur, speciali cura primis fidei Catholicæ rudimentis imbuantur. Nos Ordinationes hujusmodi innovantes, Archidiaconos & eorum Commissarios vehementer hortamur, ut in ista re, quæ Nobis maxime cordi est, operam suam minime desiderari permittant, sed in visitationibus singulis specialiter inquirant, quam in isto gravissimi momenti ministerio Parochi singuli, vel alii Curati sedulos sese exhibuerint, negligentes vero Nobis, vel nostro in Spiritualibus Vicario Generali denuntient, monitione prævia pœna suspensionis ab Officio & Beneficio puniendos. In quorum fidem has propria manu subscriptas, sigillo nostro communiri jussimus Mergenthemii 5ta Octobr. 1750.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCLII. Benedicti XIV. PP. XII. Francisci I. Imp. VIII.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, Monasteriensi Episcopo,

CELEBRATA

DIE 17 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Quoniam sicut dolentes accepimus, nec sine ingenti animi mœrore commemorare valemus, luctuosissimus intra hanc Diœcesin nostram casus evenit; quod quidam Parochianus in extremo mortis articulo positus per culpabilem Parochi sui absentiam omni ope & solatio spirituali sui Pastoris destitutus, & Ss. Sacramentorum Ecclesiæ, quibus in supremo illo amittendæ salutis æternæ discrimine ad ingrediendum periculosum illud æternitatis iter eum præmuniri oportebat, perceptione privatus ex mortali hac vita emigravit: Parochos & Vicecuratos omnes paterne commonemus, ut attente considerent, serioque perpendant gravissimam, qua tenentur, obligationem, ut pro fidelium grege curæ fideique suæ concredito assidue *pervigilent tanquam rationem pro ipsis reddituri* Hebr. 13. v. 17. Supremo animarum Pastori D. N. JESU CHRISTO, qui in tremendo quondam judicii die ovium suarum, quas ipse *acquisivit Sanguine suo*, Act. 20. v. 28. *sanguinem de eorum manibus requiret*. Ezech. 33. v. 8. Si videlicet illorum culpa atque socordia earum aliquam æternum perire contigerit. Deinde sub pœna suspensionis ab Officio eisdem prohibemus, ne unquam a Parochiis suis quacunque ex causa cum morali cujusvis Parochiani infirmi periculo absint, nisi substituto idoneo Sacerdote approbato, qui absentium vices pro casu necessitatis suppleat. Nostros vero Archidiaconos, eorumque Commissarios serio admonemus

nemus pro hujus rei gravitate, eorum conſcientias deſuper gravantes, ut perpenſa magnitudine periculi animarum, in graviſſimæ hujus noſtræ Conſtitutionis transgreſſores ſolicite invigilent, & ſicubi in conſuetis Eccleſiarum viſitationibus per ſuos reſpective diſtrictus quempiam hujusmodi transgreſſionis reum deprehenderint, præter mulctam eorum arbitrio illis dictandam, eosdem Vicario noſtro in Spiritualibus Generali quamprimum indicent, ut ipſos ab officio, uti præfertur, ſuſpendat, & ſuſpenſos publice denunciari faciat.

Quemadmodum admiranda malignos ſpiritus ab obſeſſis hominum corporibus ejiciendi, noxiasque dæmonum infeſtationes, invocato Chriſti nomine, Divina virtute reprimendi Diſcipulis ſuis a Chriſto Domino noſtro *Luc.* 10. *v.* 17. & 18. conceſſa, ac deinde ejus Eccleſiæ relicta, ſi rite & ſancte ea, qua oportet, maturitate, prudentia & ritu a legitimis Eccleſiæ Miniſtris exerceatur, ingentem ei affert ſplendorem, & apud hæreticos ipſos ac infideles, ea poteſtate deſtitutos admirationem & exiſtimationem, ita, ſi per incautos & imprudentes, ac ſpiritualium hujusmodi armorum pertractandorum imperitos perperam & temere contrectetur & uſurpetur, non levia apud fideles ſcandala, apud hæreticos vero ſacrorum rituum & cæremoniarum Eccleſiæ creat contemptum. Quapropter cum juſtis quorundam querelis ad notitiam noſtram pervenerit, in variis hujus noſtræ Diœceſis locis de Clero ſive ſæculari, ſive regulari Sacerdotes, eosque nequaquam requiſita ad graviſſimum hoc munus rite obeundum maturitate judicii, ac Theologiæ ſcientia inſtructos, nec competente ad hoc jurisdictione aut facultate munitos, nullo diſcrimine, nulloque de morborum aut malorum ex cauſis naturalibus plerumque oriundorum genere requiſito Medicorum conſilio, aut præmiſſa indagine, nec ſervatis, norma, locis, aut regulis pro ſacrarum hujusmodi functionum exercitio decenter ac religioſe pertractando ex primævo Eccleſiæ inſtituto, ac ſpiritu Miniſtris exorciſmorum provide ac ſalubriter præſcriptis turpis quæſtus magis cupiditate, quam juvandarum animarum zelo in ſacri hujus miniſterii functiones involare temerario auſu præſumant, dum febribus, ſpaſmis, membrorum convulſionibus, aut quibusvis aliis id genus ſeu hominum, ſeu animalium morbis ut ut naturalibus maligna maleficiorum & incantationum nomina vel ipſi perperam affingunt, vel rudi plebeculæ per ruſticam ſimplicitatem iſtiusmodi infeſtationum diabolicarum plus nimio credulæ aſſenſum præſtantes, ſacro exorciſandi miniſterio ſuperſtitioſe ac damnabiliter abutuntur. Quanta autem ſcandala & animarum pericula, quam fœdæ rudis populi illuſiones ac deceptiones, applaudente diabolo, ex hoc velut fonte emanent, triſti nimis experientia habetur compertum. Imperiti enim vulgus relicta veri Numinis ara, ubi auxilium a Domino corde contrito implorare debuerat, ad hoc vana Religionis ſpecie ipſum decipientes Miniſtros convertitur, donec ab his inani ſanationis ſpe ſe ſe deluſum denique ſero lugeat, atque deploret: ad hæc ſuſpicionibus iniquiſſimis ac temerariis in homines plane innoxios velut iſtorum malorum authores & præſtigiatores judiciis cum graviſſima eorum injuria, nec raro cum irreparabili ex detractione famæ jactura, ac propriæ demum conſcientiæ læſione implicantur. Ad hujusmodi peſtem ex Clero noſtro efficaciter exterminandam, quemadmodum etiam in Archidiœceſi noſtra Colonienſi exemplo Rdiſſimi & Sereniſſimi Dni MAXIMILIANI HENRICI Prædeceſſoris noſtri, fuit a Nobis proviſum; tenore præſentium omnibus & ſingulis hujus noſtræ Diœceſis Monaſterienſis Clericis ac Presbyteris tam ſæcularibus, quam Regularibus authoritate noſtra ordinaria, exemptis etiam, quatenus opus eſt, Apoſtolica delegata, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ diſtricte inhibemus & interdicimus, ne deinceps exorciſmos quidem citra licentiam ſpecialem a Nobis, vel Vicario noſtro in Spiritualibus Generali in ſcripto impetratam, intra Diœceſin hanc noſtram, eoque minus extra eam in locis finitimis, cæteras vero bene-

benedictiones, ritus, ſeu cæremonias quascunque etiam per modum precum, ad morbos, aliaque ſeu hominum, ſeu animalium mala pellenda nonniſi ex norma per Rituale Romanum, vel Agenda noviſſima Monaſterienſia, aut alias ab Eccleſia Catholica rite approbata uſurpare præſumant.

Omnibus inſuper Parochiarum Rectoribus ſerio & ſub gravi pœna arbitraria præcipimus, ut ſi quos hujus noſtræ Conſtitutionis transgreſſores intra ſuas Parochias deprehenderint, eorum nomina (niſi facti complices cenſeri velint) Vicario noſtro in Spiritualibus Generali ſine cunctatione denuntient. In quorum fidem has ſubſcripſimus & ſigillo noſtro communiri juſſimus, datas Arensbergæ die 29. Auguſti 1752.

Clemens Auguſtus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Chriſti MDCCLIII. Benedicti XIV. PP. XIII. Franciſci I. Imp. IX.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, Monaſterienſi Epiſcopo,

CELEBRATA

DIE 16 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Cum S. Mater Eccleſia perpetuo fuerit deteſtata & graviſſime interdixerit ea Matrimonia, quæ a Catholicis cum hæreticis contrahuntur, & nihilominus intellexerimus, quam maxime dolentes frequenter contingere in hac noſtra Diœceſi, præſertim in locis terras hæreſi infectas vicinia attingentibus; quod ſubditi noſtri Catholici vel inſano amore turpiter dementati, vel lucri terreni cupiditate excœcati, ſeſe in terras prædictas conferant, & ibidem cum hæreticis Matrimonia inire non reformident, non ſolum cum proprio perverſionis, ſed etiam alieno liberorum ex Matrimonio hujusmodi procreandorum periculo animarum, attento, quod vel ex more aut lege illarum Regionum, vel etiam ex ſponſione ſub ſacrilego juramento coram Satrapa loci facta dicti Catholici promittere debeant, ut omnes ſive filii, ſive filiæ eorum in ea ſecta, quam pars hæretica profitetur, educentur; vel ſi tolerabilius aliquanto cum eis agatur, ut patrem hæreticum filii, vel matrem hæreticam filiæ in eorum ſectæ profeſſione imitari debeant. Nos tam evidentibus animarum periculis, quantum in Domino valemus, obviare cupientes, Parochis omnibus & Vicecuratis hujus noſtræ Diœceſis ſerio graviterque præcipimus, ut ſuos utriusque ſexus Parochianos ab hujusmodi conjugiis in eorundem perniciem ſempiternam ineundis, quantum poſſunt, absterreant, inculcata eis frequenter ſive per conciones, ſive catecheſes gravitate peccati, quo ſic nubendo conſcientias ſuas illaqueant, nec non Parochianos ſuos ſæpe & graviter dehortentur, ne ſe ipſos, aut liberos ſuos Dominorum hæreticorum ſervitiis (quæ Matrimoniorum hujusmodi occaſio eſſe aſſolent) temere addicant. Denique Parochis & Vicecuratis eisdem prohibemus,

mus, ne Parochianis suis ad terras supradictas tendentibus testimoniales literas legitimorum natalium, & Baptismi ab eis susceptì impertiant, nisi facta prius sponsione, quod perniciosum hujusmodi Matrimonium cum persona hæretica nunquam sint inituri. Quod si vero Parochiani eorum ex præfatis terris revertentes testimoniales præfatas, vel dimissoriales literas ad effectum in præmemoratis terris nubendi ab eis petierint, has eisdem minime concedant, nisi a Parocho vel Missionario Catholico ejus loci, in quo Matrimonium sunt contracturi, testimonium in nullo suspectum exhibeant, per quod reddantur certiores, quod sponsalibus cum persona Catholica rite contractis, cum eadem sint Matrimonio conjungendi. In quorum fidem &c. Clemenswerdæ 9na Octobr. 1753.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Autumnalis* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCLIV. Benedicti XIV. PP. XIV. Francisci I. Imp. X.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo ***CLEMENTE AUGUSTO,*** *Monasteriensi Episcopo,*

CELEBRATA

DIE 15 OCTOBRIS.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Jam inde a Regiminis nostri exordiis studia nostra contulimus ad abolenda divinationis, vanæ observantiæ, sortilegii, aliaque id genus impiæ superstitionis detestanda scelera, per quæ vel verus purusque Dei cultus ab hominibus profanis temere contrectatus sub ementitæ pietatis specie superstitiosis ritibus & abusibus nefarie contaminatur, & ad emungendam pecuniis simplicem & male credulam plebeculam in turpem quæstum vertitur, vel quod eo horrendum magis est, homines incauti & instabiles in fide, pro pellendis morbis, aliisque malis temporalibus, aut pro bonis mundanis acquirendis, augendisve, aut pro recuperandis rebus deperditis, furtique authoribus pandendis ariolos, pythonissas, aliosque præstigiatores pessimos consulunt, & postposito Dei timore, ejusque adjutorio neglecto ad opem per diabolicarum fraudum artifices prædictos a nequissimo spiritu, capitali Dei ac generis humani hoste diabolo exquirendam convolare non formidant. Quæ adeo abominanda crimina radicitus extirpare cupientes, edidimus pridem anno Domini 1722. salutare Decretum tenoris sequentis: "Non sine " gravi offensione &c. *Vide pag.* 426. *h. T. usque ad verba*: Insuper Fisco &c.

Cum vero recenter fuerit Nobis insinuatum Decreto hujusmodi non in omnibus hujus nostræ Diœcesis locis optatum respondisse emendationis fructum, acerbissimum hoc Nobis intulit dolorem, animumque nostrum graviter commovit, ut ad expurgandam penitus tam exitiali præmemoratorum scelerum peste hanc nostram Diœcesin, curam & solicitudinem nostram amplius intenderemus. Quapropter Decretum prætactum non tantum inno-

vamus iterato, sed etiam eatenus ampliamus, ut omnes, ad quorum notitiam pervenerit, scelera hujusmodi aliquo in loco exerceri, nefandi criminis reos & complices denuntiare quamprimum teneantur non tantum in Ecclesiarum visitationibus, sed etiam, ne longiore mora convalescant, Promotori Fiscali. Insuper supradictos præstigiatores, qui diabolicas hujusmodi artes & fraudes exercuisse deprehensi fuerint, gravioribus pœnis coercendos esse decernimus, videlicet infamiæ & inhabilitatis perpetuæ ad quævis officia, & tribus quascunque, etiam opificum, quin & si admoniti se emendare noluerint, pro qualitate delicti & circumstantiarum, carceris, verberum, infamis stigmatis, ejectionis e Diœcesi, prout prævaricationis gravitas postulare censebitur, Judicis arbitrio infligendis pœnis, prout per Ss. Canones *Dist.* 26. *Q.* 5. *Can.* 10. & 12. est saluberrime constitutum, ut qui salubria & ab æterno interitu revocantia monita audire contempserint, cruciatu saltem corporis ad desideratam mentis reducantur sanitatem. Ne vero quispiam præmissorum ignorantia se valeat excusare, volumus prætactum Decretum una cum ejus extensione ad reorum & complicum denuntiationem faciendam, nec non ad pœnas præmemoratas in vernaculam linguam translatum, separatim typo mandari, & ejusdem exemplaria omnibus per hanc Diœcesin Concionatoribus communicata in Ecclesiis singulis ex ambone promulgari, ac deinde ad earum valvas affigi. Denique Parochos & Vicecuratos omnes monemus & hortamur in Domino, ut in concionibus & catechesi frequenter populum ab hujusmodi impiæ superstitionis peccatis proposita enormi ejus malitiæ gravitate absterreant, & qua ratione ritus superstitiosos & diabolicas fraudes pietatis specie larvatas ex certis indiciis deprehendere, & ita Satanæ & ministrorum ejus præstigia devitare valeant, salutaribus documentis per Theologiæ moralis Doctores passim traditis erudire ac præmunire satagant, ac demum de gravi obligatione supradictorum criminum reos & complices, si quos noverint, denuntiandi, qua publice, qua privatim commoneant. In quorum fidem has manu propria subscriptas, sigillo nostro communiri jussimus. Bonnæ 28. Septemb. 1754.

Clemens Augustus.

SYNODUS DIOECESANA *Verna* MONASTERIENSIS,

Anno Christi MDCCLVII. Benedicti XIV. PP. XVII. Francisci I. Imp. XIII.

SUB

Eodem Revmo ac Sermo CLEMENTE AUGUSTO, *Monasteriensi Episcopo*;

CELEBRATA

DIE 22 MARTII.

CLEMENS AUGUSTUS, DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, S. R. IMP. PER ITALIAM &c. &c.

Ex debito Pastoralis Officii in eam curam præcipue intenti, ut Dominici, Festivique dies cultui Divinæ Majestatis & Sanctorum ejus venerationi ex S. Matris Ecclesiæ præscripto consecrati, ea, qua par est, religione & devotione à populo Christiano Divina disponente gratia Nobis concredito atque

atque ſubjecto rite celebrentur, pridem Ordinationes quasdam ſaluberrimas & ad effectum hujusmodi conſequendum, atque ad abolendos abuſus eidem contrarios maxime oportunas a Prædeceſſoribus noſtris editas, & a Nobis aliis Ordinationibus auctas typis vulgari, & promulgari ſæpius juſſimus; Veruntamen cum recenter fuerit Nobis maximo noſtro dolore inſinuatum, etiam nunc graves noxiosque abuſus ordinationibus prætactis omnino adverſos hinc inde ſe prodere, ac nominatim contra expreſſam prohibitionem noſtram Dominicis, Feſtivisque diebus homines intemperantes in popinis & cauponis non ſolum compotationibus & helluationibus in ſeram noctem, quin & aduſque ſubſequentis diei diluculum protractis immodico potu ſe ingurgitare ad crapulam, inter petulantes ſaltus & tripudia, luſus & ſcurriles jocos bacchari, ſed etiam periculoſa promiſcua utriusque ſexus conventicula ibidem inſtituere, quinimo ſimplicem plebeculam ad frequentanda hujusmodi conſortia alliciendi cauſa ſymphoniacos inſtrumenta muſica pulſantes mercede conduci, eaque ratione crapulæ & ebrietati, rixis & contentionibus in ſæva verbera & vulnera ſubinde effervеſcentibus, aliisque flagitiis, quæ nocturnis tenebris tegi amant, & gravibus ſcandalis anſam præberi, atque hoc pacto ſacratos dies, quos piis operibus ſanctificari lege Divina & Eccleſiaſtica præceptum eſt, ex adverſo abominandis delictis & peccatis profanari. Hujusmodi igitur exceſſus & abuſus, ne eorum diſſimulatione ulterius propagentur, ſed quamprimum radicitus evellantur, Archidiaconos noſtros paterne hortamur de eorum zelo confidentes, ut officii ſui functioni ſtrenue incumbentes, ſolerter invigilent, quatenus præfatis Ordinationibus in Parochiis, quas viſitant, morem geri efficaciter procurent, delinquentes vero mulctis & aliis pœnis Eccleſiaſticis juxta menſuram delicti infligendis ſevere coerceant. Parochis etiam, aliisque eorum vice curam animarum ex officio exercentibus ſerio mandamus, ut præmemoratas Ordinationes noſtras ſæcularibus noſtris ſubditis ex ambone iterato exponant, & ſæpius in memoriam revocent, atque ad earum obſervantiam efficacibus rationibus exhortari ſtudeant, ea etiam ſpeciatim ratione nervoſe inculcata, quod ſi debitum ſacratis diebus cultum Deo exhibere poſtpoſuerint, formidandum illis merito ſit, ne horrenda iracundiæ Divinæ flagella, quæ terribiles terræ motus per orbem fere univerſum recenter pervagati viſa ſunt, peccatis hominum minitari, ipſis quoque a Deo peccatorum vindice infligi contingat. In quorum fidem &c. Bonnæ 17. Martii 1757.

Clemens Auguſtus.



IN-

INSTRUCTIO
PASTORALIS
REVERENDISSIMI ac ILLUSTRISSIMI DOMINI,
D. FELICIS JOSEPHI HUBERTI de WAVRANS,*
hodierni Iprensis Episcopi,

DATA

Anno Chr. MDCCLXVIII. Clementis XIII. PP. X. Josephi II. Imp. III.

Ad universum Clerum tam Secularem, quam Regularem; qua præter varias ORDINATIONES *&* DISPOSITIONES, *quas pro temporum circumstantiis, & ad pleniorem Morum ac Disciplinæ Ecclesiasticæ in sua Diœcesi Institutionem, præscribit, etiam* SYNODALES CONSTITUTIONES *ac Prædecessorum suorum* DECRETA *confirmat, innovat, & mandat ab omnibus observari respective.*

EPISTOLA CIRCULARIS
REVERENDISSIMI DOMINI,
AD REVERENDOS DOMINOS DECANOS CHRISTIANITATIS DIOECESIS IPRENSIS;

Qua illis committitur & injungitur præmissæ Instructionis Pastoralis, cum annexis, Publicatio sub cujusque Districtu respective.

REVERENDI ADMODUM DOMINI

Prodit tandem Instructio Pastoralis, *quam tam pro nostris, quam vestris ardentioribus desideriis votisque ad perfectiorem Diœcesis* Iprensis *institutionem, Deo juvante suscepimus, & absolvimus. Hanc vobis dirigimus, cum omni gratitudine animi ex parte nostra, quam etiam publice testari non omittemus, pro subministratis monitis, & consiliis, quæ tam vestra in nos solita observantia, quam Dei & Ecclesiæ nostræ zelus indefessus, operi illi perficiendo Nobis dictarunt; ac quidem ea sapientia & prudentia, qua majorem desiderare non potuimus.*

Ut autem laboris nostri successus; finem quem intendimus, plenius assequatur, vestrum est, Reverendi Domini, illum modis omnibus juvare & promovere; memores, quod nedum populi, sed & Pastorum, aliorumque Sacerdotum observatores sub Episcopo constituti prout vos monent Statuta nostra ** *(quod etiam tum facto, tum exemplo comprobatis) eatenus in partem Pastoralis nostræ solicitudinis speciali modo destinemini.*

Quare requirimus, non tantum, ut hujus Instructionis Pastoralis *executionem, apud omnes ad quos spectare debet, fortiter & suaviter urgeatis & commendetis; sed etiam, ut* intra octiduum *ab harum receptione, omnibus & singulis Presbyteris nostris de Clero sæculari, una & Regularium Superioribus, qui sunt sub vestro cujusque Districtu, intimari curetis Mandatum nostrum, quo his, illisque injungitur, ut* intra tres septimanas proxime sequentes, *illam sibi procurare teneantur, ad effectum, ut Monitis & Ordinationibus nostris in ea præscriptis respective,* cum

(*) Vide sub finem Instructionis.

(**) Sub R. R. D. Mas. T. 8. C. 5.

cum debita reverentia & submissione sese conforment in omnibus. Nos Orationibus vestris, & SS. Sacrificiis commendantes, in unione illorum cum speciali affectu subscribimur

REVERENDI ADMODUM DOMINI,

IPRIS 3. Feb. 1768.

Vester Addictissimus
† *F. EPIS.* IPRENSIS.

FELIX JOSEPHUS HUBERTUS de WAVRANS,
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Iprensis,
Universo CLERO tam Sæculari quam Regulari, Salutem.

I.

Proœm. a debito officii Pastoral.

Tametsi pro Pastorali cura & solicitudine, cui Nos immerentes præficere dignatus est Deus, indefessa teneamur charitate & Clerum & populum Nobis commissum, de rebus ad salutem spectantibus monere semper & adhortari, *ne nobis dormientibus veniat inimicus homo, & superseminet zizania in medio tritici*: (*a*) In id ipsum tamen eo vehementius impellimur, quo propius *ad fines Sæculorum* devenimus, de quibus monuit & prædixit Spiritus Sanctus, quod *in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi*; (b) *Animales, spiritum non habentes*; *secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus*: (c) *Mali homines & seductores, qui proficient in pejus*; *errantes & in errorem mittentes*, (d) *dum a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. (e)

II.

1. *Motivum*: *Sæculi corruptela.*

Hæc enim infausta & periculosa tempora nobis instare, quis non advertat? Audimus, aut etiam conspicimus, licentius umquam abundare iniquitatem; germanam charitatem refrigescere; priscam simplicitatem in astutiam verti; castitatem in nequitiam; cultum Dei & sacrosanctæ Religionis mysteria, officiaque vilipendi; dominationem & potestatem sperni; Ecclesiæ, inquam, præcepta, Principum edicta, Episcoporum, Magistratuum &c. mandata negligi, contemni, impune violari!

Ubi invenire, quod antiquam morum honestatem, quod avitam Majorum nostrorum modestiam, eorum pietatem & Religionem repræsentet; præsertim a tempore, quo inficiens perniciosorum libellorum colluvies, qui nihilominus tam humanis, quam Divinis legibus proscribuntur, hasce Provincias, torrentis instar, inundare cœpit?

Ad hæc dolorum initia dum intime affligimur & contremiscimus, insonat auribus nostris metuenda illa supremi Judicis comminatio: *Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit; veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* (*f*) De manu igitur nostra, de manu illorum omnium, quos Dominus *speculatores dedit Domui Israël*, (*g*) requiretur sanguis animæ illius, quam gladius tulerit, si non fuerimus locuti, ut se custodiat.

Et quamquam hic in commune nos omnes ad indefessam vigilantiæ curam per Prophetam suum Deus adhortetur, non ignoramus tamen (quod neque dissimulare volumus) specialem his, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, (*h*) in animarum cura & custodia, solicitudinem demandari; (*i*) quam etiam nobis prædicant & inculcant illustria Prædecessorum nostrorum facta exemplaque, quæ statim recognovimus, ubi primum Diœcesis hujus regimini admoti fuimus, dum ea

---

(*a*) Matt. 13. 25. (*b*) 2. Tim. 3. 1. (*c*) Ep. B. Jud. 19. (*d*) Tim. ibid. v. 13.
(*e*) Ibid. 4. 4. (*f*) Ezech. 33. 6. (*g*) Ibid. 3. 17. (*h*) Act. 20. 28.
(*i*) S. Hilar. in Matt.

ea nobis teſtarentur tot variæ Conſtitutiones Synodales, tot providæ Ordinationes & Decreta; quibus ſic quidem præſcripſerunt & ordinarunt, quidquid ad Cleri populique ſibi commiſſi ſalutem & inſtitutionem deſiderari poterat, ut ſi in viridi obſervantia permanſiſſent, aut permanerent, in Domino gloriari nobis liceret, optime proſpectum eſſe dilectiſſimo gregi noſtro; nullum metuendum eſſe periculum, nullum ſcandalum.

III.

2. Motivum: Diſciplinæ reſtauratio.

Sed quia ea eſt humana inconſtantia, ut fruſtra condantur bonæ leges, niſi ſint quorum opera bene conditæ ſerventur; vel inde nos moneri credimus, timendum fore, ne Legum Diœceſanarum, & Ordinationum obſervantia, niſi eam ad Prædeceſſorum noſtrorum exemplum tempeſtive ſerioque urgeamus, nedum intepeſceret magis, ſed ſenſim deficeret; fieretque, ut Diœceſis Iprenſis, quæ uſquemodo (laus Superis!) tot aliis amori eſſe meruit & imitationi, nobis ipſis fieret in opprobrium.

Ut igitur mali hujus principiis obſtantes, operam demus, ut *cum Princeps Paſtorum* aliquando *apparuerit*, Eccleſiam noſtram *ei exhibeamus glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi; ſed ut ſit ſancta & immaculata*; (k) viſis & inter ſe collatis Reſcriptionibus & Adviſamentis DD. Decanorum Chriſtianitatis, quæ per Circularem ad eos datam deſuper prærequiſivimus, factaque eorum communicatione RR. Adm. DD. noſtris Examinatoribus Synodalibus, ac matura cum his habita deliberatione, eo potiſſimum ac inprimis omnem ſolicitudinem noſtram dirigendam arbitrati ſumus, ut vos omnes & ſingulos, quos cura noſtra complectitur, tum monitis, tum præceptis hortemur & extimulemus, ut, *quemadmodum accepiſtis* a Prædeceſſoribus noſtris, *quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis: Scitis enim, quæ præcepta dederint vobis.* (l)

Quare, ut pro Dei gloria, pro Cleri noſtri ſanctificatione, ac totius populi ſalute, quibus ex debito Paſtorali hoc infelici tempore præcipua cura intendere debemus, tam ſalutare propoſitum totis animis & viribus exequamur; omnia & ſingula, quæ ad Fidei & Religionis integritatem & augmentum, ad Clericalis ſtatus ſplendorem & dignitatem, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem, ac populi Chriſtiani inſtructionem, tam in Statutis & Decretis Provincialibus, quam Diœceſanis noſtris (quæ tamquam ſacram hæreditatem a Majoribus acceptam, religioſe & inviolate cuſtodire intendimus, & debemus) hucusque ſancita ſunt & ordinata, ſtatuimus, omni qua valemus auctoritate & poteſtate, innovare & confirmare; eorumque omnibus, quorum intereſt reſpective, obſervantiam injungere & mandare; prout innovamus, confirmamus & obſervari mandamus per præſentes; iis ſolum exceptis, quæ non uſu vel contraria conſuetudine legitime præſcriptis, abrogata cenſeri debent; ſuper quo judicium Nobis reſervantes, intentionem noſtram infra declarabimus.

IV.

De honeſtate vitæ Clericorum.

Et ut ad particularia veniamus, circa quæ præ cæteris omnium attentionem & obedientiam hic requirimus, ac noſtram abſolutam voluntatem expreſſius declaramus; dum etiam conſiderata ſtatus Diœceſis noſtræ exigentia, nonnulla pro ampliori Miniſtrorum ejus inſtructione & ædificatione addenda duximus, quæ pari fidelitate ab eis, ad quos ſpectant, obſervanda erunt; æquum exiſtimamus, planeque neceſſarium, ut initium ſumamus *a domo Dei.* (m)

Quo igitur majori cum gaudio in Domino gloriati fuimus, & uſquemodo gloriamur, pleroſque e Clero noſtro *digne ambulare vocatione, qua vocati ſunt,* (n) vitæque integritate, gravitate morum,

(k) 1. Pet. 5. 4. Eph. 5. 27. (l) 1. Theſ. 4. 1. & 2. (m) 1. Pet. 4. 17.
(n) Epheſ. 4. 1.

morum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ observantia, reliquis antecellere & prælucere; eo acerbiori dolore animus noster stimulatur & pungitur, dum alios conspicimus, qui a virtutis tramite discedentes, stant *tota die otiosi*; (o) indulgent rebus statui suo indignis; mundanas sectantur levitates, ac sacrum Ordinis sui characterem modis aliis dehonorant; implentes illud Prophetæ: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* (p)

Quare cum tam ex Officio nostro, quam Tridentini Concilii præcepto, " teneamur monere Clericos, in quo-" cumque Ordine fuerint, ut conversa-" tione, sermone, scientia, Dei po-" pulo præeant; (q) eos omnes horta-" mur & obsecramus, quatenus vitam, " moresque suos omnes sic compo-" nant, ut habitu, gestu, incessu, aliis-" que omnibus rebus, nihil nisi grave, " moderatum, ac Religione plenum " præ se ferant: levia etiam delicta, " quæ in ipsis maxima essent, effugiant, " ut eorum actiones cunctis afferant " venerationem: quæ quidem, quo " majori in Ecclesia Dei utilitati sunt & " ornamento, eo quoque diligentius " observari debent." (r)

Proinde statuimus, & districte mandamus, ut quæ alias a Summis Pontificibus & sacris Conciliis, nominatim de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, salubriter sancita fuerunt, ac tam in Provincialibus, quam Diœcesanis nostris Constitutionibus & Decretis præscribuntur, eadem ab omnibus fideliter observentur; ne alias & nobis exprobrari debeat: "Sa-" cerdotes Dei contaminant Sancta & " reprobant Legem." (s)

V.

Vel minima incontinentiæ suspicio vitanda in Clericis.

Cumque, ut omni ratione scandalis occurratur, auferaturque hoc corruptissimo sæculo omnis sugillandi Cleri occasio, non tantum abstinendum sit a malo, sed *ab omni specie mala*; (t) monemus omnes & singulos de Clero nostro, ut sibi caveant non solum ab ipso incontinentiæ crimine, quo decor Ecclesiæ gravissime maculatur; verum, vel ab omni ejus minima suspicione. " Consortium mulierum Sacerdoti non " convenit, quem castitas & continen-" tia ornare perpetuo debent: & ut " castitas servari queat in muliebri con-" sortio, raro tamen bonum nomen " retineri potest." (u) Quare & illarum frequens consortium & accessum vitari volumus; præsertim si inde vel levis scandali, sinistræ suspicionis, vel obloquii occasio oriri possit. " Tantum " enim oportet, inquit S. *Chrysostomus*, " imo vero longe majus, studium ad-" hibere, ut malas opiniones, non so-" lum dum erumpunt, divellamus, " arceamusque; sed & procul unde " erumpere possint, prospiciamus; at-" que adeo causas ipsas, e quibus ena-" scantur, longo ante tempore interi-" mamus; non etiam dum coalescant " & in vulgi ore versentur & divulgen-" tur, expectemus; tum enim haud " proclive fuerit illas delere, sed ad-" modum difficile." (x)

VI.

De Ancillis Cleric. vitanda earum familiaritas.

Ancillas habeant non garrulas, immodestas, aut dominatrices, sed *prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes,* (y) *in silentio cum omni subjectione: Ornent se cum verecundia & sobrietate, promittentes pietatem per bona opera.* (z) Ingressum tabernarum, consortia immodesta, ipsis sub pœna expulsionis prohiberi volumus: cum illis mensæ accumbere, aut accedere convivia etiam invitati; forum negotiorum causa adire, amicos aut Parochianos invisere, quovis titulo vel prætextu, sub comminatione severioris correctionis omnibus interdicimus. Eos tamen excipimus, qui senectutis, aut alterius gravis

(o) Matt. 20. 6. (p) Oseæ 4. 9. (q) Trid. Sess. 14. Decr. de Reform.
(r) Ibid. Sess. 22. C. 1. (s) Ezech. 22. 20. (t) 1. Thess. 5. 22.
(u) Concil. Camer. an. 1565. (x) Lib. de Sacerd. C. 9. (y) Tit. 2. 5.
(z) 1. Tim. 2.

vis neceſſitatis cauſa, auxilio & comitatu ancillæ vere indiguerint; quo caſu, & ut conſcientiarum tranquillitati conſulamus, declaramus ſufficere, ſi Decanus Chriſtianitatis cujusque reſpective diſtrictus, ſic fieri probet & conſentiat.

Si qui nihilominus ratione ſuarum ancillarum, aut mulierum quarumcumque apud populum oblique audiant (de quo mandamus, ut Decani rurales in ſuis diſtrictibus tam intra, quam extra viſitationes Parochiarum ſedulo inquirant, ac Nobis ſine conniventia rationem reddant) parati erunt, easdem ſtatim ad primam noſtram aut Decani monitionem a ſe ablegare, aut earum familiaritatem vitare: alias, ſi prompte non obediverint, arbitrali pœna exemplariter puniendi. *Perficientes* igitur *Sanctificationem in timore Dei, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*; (a) *nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* (b)

VII.

Quid Regulares, eorumque Superiores hic obſervare debent.

Quoad Regulares vero, qui pro arctioris vitæ genere, quod profitentur, uti cæteris virtutibus, ita etiam vitæ honeſtate, morum puritate, & caſtimoniæ commendatione omnibus prælucere debent, *Chriſtique bonus odor effici in omni loco*, (c) injungimus omnibus eorum reſpective Superioribus, quatenus, quod in hac parte muneris ſui eſt erga ſubditos, pro Eccleſiæ & ſtatus ſui honore cum zelo & vigilantia exequantur; ac omnem ſcandali occaſionem vel periculum tollant & impediant.

Attendant præterea Conſtitutionibus Pontificiis, (d) quibus prohibetur, ne fœminæ intra Religioſorum clauſtra, ſepta, cœnacula, cubicula, aliasque officinas ingrediantur aut admittantur.

VIII.

Otium vitandum a Clericis; & quomodo.

Et quoniam, teſte Eccleſiaſtico, *multam malitiam docuit otioſitas*, (e) nec illa quidquam periculoſius vitæ Clericorum nominari poteſt; quicumque Clericali militiæ, aut Divino miniſterio nomen dederunt, meminerint & ſerio recogitent, ſe non ad ignaviam aut iners otium, ſed ad ſalutares pro Eccleſia Dei labores obeundos vocatos eſſe & adſcriptos. Quare ſi penſo & officio, ad quod primario obligantur, aliquid temporis ſuperfuerit, illud non otio, vaniloquio, inutilibus actionibus, luſibus & poculis; ſed ſtudio & piorum librorum lectioni, ſanctisque aut honeſtis exercitiis ſatagant impendere: " Vaca lectioni Divinæ in meditatione " Scripturarum, inquit S. *Iſidorus Hiſp.* " (f) vaca in lege Dei; habeto in Divinis lectionibus frequentiam; aſſiduitas legendi ſit tibi: lectio enim " docet, quod caveas; lectio oſtendit, " quod teneas, quo ſenſus & intellectus " augetur: multum proficis cum legis, " ſi tamen facis, quod legis." Addit S. *Hieronymus*: " Ama ſtudia litterarum, " & carnis vitia non amabis."

IX.

Commendatur lectio & ſtudium S. Scripturæ.

Cumque *ſacra Scriptura*, utpote *Divinitus inſpirata*, præ cæteris *utilis ſit ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*; (g) ideo " ne cœleſtis ille ſacrorum librorum " theſaurus, quem Spiritus Sanctus " ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat," (h) illorum aſſiduam lectionem & ſtudium omnibus Clericis noſtris & Sacerdotibus, iis vero præcipue, qui confeſſionis & prædicationis miniſterio deſtinantur, aut jam deſtinati ſunt, impenſius commendamus & injungimus: in quo ſtudii genere, an & quantum proficiant, experimentum fieri curabimus per quæ- ſtiones

(a) 2. Cor. 7. 1. (b) Ibid. 6. 3. (c) 2. Cor. 2. 15.
(d) S. Pii V. Greg. XIII. & Bened. XIV. 3. Jan. 1742. (e) Eccli. c 33. 29.
(f) De contempt. Sæculi. (g) 2. Tim. 3. 16. (h) Trid. Seſſ. 5. c. 1. de Reform.

ſtiones a DD. Examinatoribus ex S. Scriptura identidem in Conſiſtorio proponendas.

" Sic autem ſacros illos codices " pervolvite, ut ex iis, quæ legeritis " aliquid quotidie in ventre memoriæ " dimittatur, quod fidelius digeratur, " & ſurſum revocatum crebrius rumi- " netur; quod propoſito conveniat; " quod intentioni proficiat; quod de- " tineat animum, ut alienum cogitare " non libeat." (i)

In eum finem omnes (nominatim vero Seminarii noſtri Alumnos, quibus id etiam injungimus, ut praxi tam ſalutari aſſueſcant) ſerio hortamur & monemus, ut indies attente & reverenter legant Caput unum ex *Novo Teſtamento*, quam S. Scripturæ partem in minori volumine, ſemper & religioſe *ſecum deferentes*, quaſi aſſidue præ manibus habeant, "ac diu noctuque ſic merite re- " volvant, ut tenenti codicem ſomnus " obrepat, & cadentem faciem pagina " ſancta ſuſcipiat. (k) "Omnis quippe " Evangeliorum vox, reliquis omni- " bus Sancti Spiritus præceptis eminen- " tior eſſe dignoſcitur," inquit S. *Baſilius.* (l)

Ad hæc monemus Regularium Superiores, ut conformiter ad intentionem Concilii Tridentini, (m) in ſuis Monaſteriis, ubi commode id fieri poteſt, lectionem ſacræ Scripturæ haberi curent.

X.

Item commendatur ſtudium Theologiæ moralis.

Præter ſacrarum Literarum ſtudium, nemo certe dubitabit, quin Vir Eccleſiaſticus item aſſidue laborare & occupari debeat in *Theologiæ moralis* ſcientia acquirenda, quæ omnibus quidem, at iis præſertim, & in certo gradu, qui animarum curæ præficiuntur pernece ſſaria eſſe dignoſcitur; proindeque, nec ſatis eſſe, quod quis eam Theologiæ partem ſemel percurrerit, perceperit, aut etiam palam docuerit; ſed aſſidue excolendam eſſe, ut penitus animo defixa maneant, quæ didicerit; & nova ſemper doctrinæ capita, quibus ea ſcientia affluit, inveſtigari & memoriæ mandari queant; ſicque dignum & idoneum ſe probet & efficiat, qui ſacri Sacerdotii & animarum miniſterii partes ſufficienter adimpleat: " Omnes " quippe tenentur ſcire, ut docet S. *Thomas*, " ea, quæ ad eorum ſtatum vel " officium pertinent.... Manifeſtum eſt " autem, quod quicumque negligit " habere, vel facere id, quod tenetur " habere vel facere, peccat peccato " omiſſionis; unde propter negligen- " tiam, ignorantia eorum, quæ aliquis " ſcire tenetur, eſt peccatum." (n) Merito ſubjungit Concilium Toletan. 4. " quod ignorantia in *Sacerdotibus* mater " ſit cunctorum malorum, quæ in Ec- " cleſia Dei oriuntur."

XI.

Monentur promovendi ad curam animarum.

Quibus malis, ut pro munere noſtro, & quantum poſſumus in Domino, ſedulo occurramus, omnes ad quos ſpectat præmonitos volumus, nos firmiter ſtatuiſſe & reſolviſſe, (prout etiam tam jure humano, quam Divino ſtrictiſſime obligamur) quacumque humana affectione poſtpoſita, Beneficia curata non conferre, niſi iis, quos maturo & rigoroſo examine & perquiſitione præcedenti, nedum moribus, prudentia, aliiſque rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam neceſſariis & opportunis; ſed etiam ſcientia & doctrina præ cæteris idoneos magis & inſtructos judicaverimus: (o) Quod, ſervata proportione, in promovendis aut nominandis Vicariis etiam ſemper obſervabimus.

Similiter, ad confeſſionis miniſterium non admittemus, neque admitti volumus, niſi quos ſufficienti ſcientia (præter alias conditiones & qualitates, quæ in Confeſſariis requiruntur) profeciſſe deprehenderimus, ut recte judicare queant *inter lepram, & lepram*, (p) &

(i) S. Bern. ad Fratres de Monte Dei, c. 10. (k) S. Hieron. Ep. ad Euſtoch.
(l) Hom. (m) Trid. ſup. (n) S. Thom. 1. 2. q. 76. a. 1.
(o) Trid. Seſſ. 24. c. 18. (p) Deut. 17. 8.

& tamquam periti Medici, animarum morbos curare, & apta cuique remedia applicare sciant. (q) Quis enim cogitationis vulnera occultiora esse nescit, vulneribus viscerum? Si igitur qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt, ipsisque interdicitur hanc artem exercere: quomodo, qui nequaquam præcepta spiritualia cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuent; neve se tales profiteantur, modis omnibus impedire non teneamur? (r) Ea de causa, etiam rogamus & confidimus, ut DD. Examin. Synodales, quorum zelum, discretionem & sapientiam in hac ministerii nostri parte, ut & in multis aliis, satis superque experti sumus, sese in omnibus huic proposito & intentioni nostræ studeant conformare, ac operam conscientiamque nostram alleviare; semper præ oculis habentes, quæ Ecclesia, nominatim vero Tridentina Synodus, (s) ipsis in hac sua qualitate, præscribit & injungit; super quo nihilominus eorum conscientiam oneramus.

XII.

Quid agant Promoti ad curam animarum.

Eos vero, qui ad curam animarum jam admoti vel admissi sunt, solicito & paterno affectu adhortamur, ut *videant Ministerium, quod acceperunt a Domino, ut illud impleant*; (t) attente, sed timide recogitantes monitum Spiritus Sancti: *Præpara opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum*; (u) ne contingat imposterum, quod alias sæpius contigisse non ignoramus, nonnullos nempe Sacerdotes, qui initio laudabiliter Pastoris, Vicarii, aut Confessarii munus susceperant, eoque cum fructu plurimo & ædificatione perfuncti fuerant, post tempus aliquod omni studiorum & morum neglecta cura, pristinam moralis Theologiæ scientiam, & conversationis honestatem amisisse; adeo, ut qui positi erant *in resurrectionem multorum in Israel*, (x) facti sint illis *in ruinam, in lapidem offensionis, & petram scandali.* (y) Ut igitur, quisquis cum zelo & laude se sacro Ministerio impenderit, in illo pariter usque in finem perseveret, audiat & sequatur S. *Gregorii* monitum: " Nescit mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare: hinc Psalmista, qui ad perfectionis culmen jam pervenerat, quasi inchoans dicebat: Ego dixi, nunc cœpi: quia videlicet, si lascessere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus." (z)

XIII.

Quales ad Statum Clericalem assumendi.

Denique cum Tridentina Synodus neminem, nisi prævia exactaque de vita & moribus inquisitione, & præmisso super ejus doctrina examine, ordinari voluerit, uti plurimis Capitibus *Sess. 23. de Reform.* & signanter *Cap.* 12, expresse declarat, (a) monendo " Episcopos, non singulos in competenti ætate constitutos debere ad Ordines assumi, sed dignos dumtaxat & quorum probata vita senectus sit; ne videlicet, si manus cito cuipiam imposuerint, communicent *peccatis alienis*, (b) se involvendo peccatis eorum, quibus peccandi materiam tradunt;" (c) non tantum proponimus, eos solum cum accurato delectu militiæ Clericali adscribere, a quibus merito expectare debemus, fore, ut Diœcesi nostræ spiritualem afferant utilitatem: Sed insuper declaramus, eos neminem in inferiori aliquo gradu, seu Ordine constitutum, promoturos ad sublimiorem, nisi Nobis certo constiterit, an talis fuerit eorum vivendi ratio, & in sacris scientiis, studiisque progressus, ut vere digni judicandi sint, quibus dicatur, *ascende superius*: Cum alioquin expediat pauciores habere Ministros, sed probos, idoneos, dignosque vocatione

(q) Ritual. Rom. (r) Ex S. Greg. Pastoral. p. 1. c. 1. (s) Trid. sup. Ben. 14. de Syn. l. 4. c. 7. 8. (t) Coloss. 4. 17. (u) Prov. 24. 27. (x) Lucæ 2. 34. (y) 1. Pet. 2. 8. (z) L. 22. Moral. c. 20. (a) Trid. loco cit. Item Sess. 23. c. 16. de Reform. (b) 1. Tim. 5. 22. (c) S. Chrysost.

tione sua; aut certe, in inferiori potius aliquos remanere gradu, quam cum suo majori periculo & aliorum scandalo, provehi ad altiorem; a quo animi nostri proposito, non patiemur, Deo juvante, Nos abduci humano ullo respectu, ullis ambientium suggestionibus, ullis fautorum precibus.

In eum finem sedulo advertant, curentque omnes & singuli Diœcesis nostræ subditi, qui in Seminario nostro, vel Universitatibus sacros Ordines, aut Statum Ecclesiasticum assumere meditantur, ut eam scientiam, vitæque & morum integritatem cum Dei auxilio sibi comparare studeant, quam in Ecclesiæ Ministris, Scriptura sacra, Concilia & Patres requirunt; ne alias eos ab ordinatione excludere cogamur, aut status Clericalis ingressum ipsis interdicere.

Quod ne fieri debeat ut ex parte nostra prospiciamus, saltem quantum ad Clericos, & Candidatos Seminarii nostri Episcopalis, eos imposterum bis in anno (præterquam dum sese ad Ordines suscipiendos præsentabunt) per Nos ipsos, una cum DD. Examinatoribus, circa S. Scripturæ & Theologiæ studium examinabimus, ut eo certius de continuo eorum progressu constare Nobis valeat; ne alias occasionem demus, ut, dum tempus inutiliter terunt, nostræ expectationi, aut etiam Fundatorum intentioni illudant. Primum illud examen instituemus circa festum Natalis Domini; alterum vero ad finem mensis Augusti.

Quoad mores autem & profectum in status Clericalis perfectione, requiremus & sequemur D. Præsidis testimonium.

Nulli etiam liceat (quod & sub pœna perpetuæ rejectionis ab Ecclesiastico statu prohibemus) Clericalem habitum assumere & deferre, etiam finito Philosophiæ cursu, nisi prævie Nobis exhibuerit literas testimoniales vitæ, morum, studiorumque progressus; & ad hoc a Nobis veniam *in scriptis* obtinuerit.

XIV.

De admittendis ad Tonsuram, & habitum Clericalem.

Ad Tonsuram vero, nemo sese offerat, nullumque admittemus, ante ætatis decimum quartum annum, & qui 1. debite doceat de Natalibus, Baptismo, ætate; (*d*) ac insuper Pastoris, vel alterius fide digni testimonio, de Confirmatione suscepta. 2. Qui ostendat se fidei rudimenta sufficienter edoctum esse, & probabilem conjecturam præbeat se hoc vitæ genus elegisse, ut in illo, renuntiatis sæculi negotiis, specialiter sese Deo consecret, & in utilem Ecclesiæ Ministrum evadat; non vero, ut hoc medio in omnem, ut ajunt, eventum, se habilem reddat ad Beneficia & Præbendas, quas hinc inde ab amicis & fautoribus aucupetur, sine ullo interim vitæ Clericalis proposito, aut aliquo vocationis ad statum Ecclesiasticum verisimili indicio. 3. Quemadmodum a tonsurandis quæri volebat S. *Carolus Borromæus*, a quo Sacerdote sanctioris vitæ Magistro instituti essent ad vitæ Clericalis modum; ita nos ab iisdem ad minus exigemus, ut per diem saltem vel alterum, cum pio & discreto Sacerdote, & quantum fieri poterit cum proprio Pastore, de proposito suo egerint, qui eorum vocationem & dispositionem serio examinaverit, eisque vitæ Clericalis sanctitatem, puritatem atque illius a laicali differentiam ostenderit; quique demum horum omnium Nobis per testimoniales suas fidem faciat.

Ad hoc rogamus & obtestamur omnes, ad quos spectat, testimoniales tonsurandis, ordinandis, aut ad Seminarium vel habitum Ecclesiasticum admittendis conscribere, ne favorabilibus his attestationibus, quæ persæpe nonnisi plane rudibus & immorigeris denegantur, tales Nobis obtrudant, quos commendasse aut promovisse, & Nos & illos pœnitere debeat.

XV.

Quomodo se præparent ad Ss. Ordines.

Præterea injungimus, ut qui se imposterum ad Ordines offerent, prævie

(*d*) Trid. Sess. 23. c. 4. de Reform.

prævie seceſſum ſpiritualem octo vel decem dierum inſtituant (de quo Superiores Nobis fidem facient) ubi ſub periti Sacerdotis directione, ſe pie exerceant, & ad Ordinem & munus, quod ſuſcepturi ſunt, ſe digne diſponant. Præcipue vero tunc examinent & examinari curent vocationem ſuam; utpote ſine qua nemo, vel aptiſſimus, ſe Ordinibus ingerere niſi ſacrilega & irreparabili propemodum temeritate poteſt.

Denique, cum ſumme referat ad Dei gloriam, Eccleſiæ Matris noſtræ utilitatem & animarum ſalutem, ut nonniſi digni ad ſacros Ordines promoveantur, mediaque omnia in finem tam ſalutarem adhiberi debeant; requirimus, ut Concionatores, Paſtores vero præcipue, circa ordinationis tempora ſæpius e ſuggeſtu populum moneant, ut piis & ſanctis precationibus, ſolemnibusque jejuniis, ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ more inſtitutis, eos ſacrarum rerum Miniſtros a Deo impetrare ſatagant, qui ad tanti miniſterii poteſtatem recte & cum Eccleſiæ utilitate gerendam, aptiores eſſe videantur. (e)

XVI.

Ingreſſus tabernarum prohibetur ſub pœna ſuſpenſionis.

Et quia ex *tabernarum acceſſu*, qui cæteroqui multorum vitiorum fons vel occaſio eſſe ſolet, plurimum vileſcit Eccleſiaſtici ſtatus & miniſterii dignitas, quam indecoram conſuetudinem propterea quovis tempore Eccleſia Miniſtris ſuis ſevere interdictam voluit, prohibendo, " ne quis *edendi* " *vel bibendi cauſa* tabernas ingrediatur, " niſi peregrinationis aut alia neceſſi- " tatis cauſa compulſus; (f) quo qui- " dem caſu, nonniſi modicæ refectio- " nis gratia illas accedere liceat, ut " peregrinantes decet." (g) Ut proinde Eccleſiæ menti nos conformemus, omnemque abuſum, ſcandalum, aut illius occaſionem penitus & pro ſemper, ut decet, e Diœceſi noſtra eliminemus; non ſolum, quæ Prædeceſſores noſtri in eum finem ordinarunt, (h) hic ſpeciatim & expreſſe innovamus, ac pro inſertis haberi volumus; ſed inſuper ſtatuimus & prohibemus Clericis omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, *ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto Nobis reſervatæ*, ne, ſive in loco ſuæ reſidentiæ, ſive extra illum quacumque ratione aut prætextu, *excepto peregrinationis aut hoſpitii cauſa*, popinas, tabernas, hoſpitia, aut domos id genus alias, ubi potus aliquis venalis exponitur (ſub quibus etiam comprehendimus, quæ vulgo *Caffé huyſen* nuncupari ſolent) audeant accedere ad potandum, prandendum, cœnandum vel ludendum, aut ex illis potum venalem ſibi afferri faciant in atria, hortos, plateas, aliave loca quomodocumque ad præfatas domos ſpectantia, illisve adjacentia.

Si quis vero hic aliquid in fraudem hujus noſtræ Ordinationis, aut ad illudendam pœnam illi annexam, præſumpſerit attentare, ſciat eſſe intentionem noſtram, ut eidem pœnæ ſubjaceat, etiamſi locus, ad quem eo fine vel prætextu expreſſe ſe receperit, ab ejus reſidentia remotiſſime diſtaverit.

Declaramus tamen ſub præfata prohibitione & ſuſpenſionis pœna comprehendi non debere, qui in Parochis & Pagis ruralibus *bona fide* invitati, tabernam intrant, ut apud propinquum, honeſtum Parochianum, aut amicum, tabernarium, ad refectionem aliquam vel hoſpitium *gratis* admittantur. Eamdem exceptionem extendimus ad Paſtores, & Decanos, qui ex officio, commiſſione, aut conſuetudine interſunt, aut intereſſe debent redditioni computuum fabricæ, menſæ pauperum, aut aliarum piarum fundationum, quæ in tabernis fieri ſolet; prout etiam ad eos Paſtores, qui a Decimatoribus Eccleſiaſticis, ſeu eorum Deputatis, occaſione elocationis decimarum, urbanitatis gratia invitantur, ut potum, cibumve in taberna ſumant: quod etiam locum habebit reſpectu Deſervitorum & Vicariorum.

XVII.

[e] Catech. Trid. de ſacr. Ord. n. 54. [f] Conc. Later. 4. c. 16. Prov. Mech. 2. t. 18. c. 6.
[g] Syn. Ipr. ſub Rith. t. 3. c. 1. ſub Maſ. t. 17. c. 13.
[h] Guiliel. Delvaulx Dec. A. 1. & alii ſup.

XVII.

Corripiuntur compotationes pomeridianæ & commessationes.

Quoad *compotationes* vero *pomeridianas*, quæ in privatis ædibus sive intra, sive extra civitatem, aut residentiæ locum, fieri consueverunt, eas quoque, quantum fieri potest, omnes Viri Ecclesiastici studiose fugiant & declinent; præsertim, ubi vel minimum intemperantiæ scandalive periculum, quod semper & ubique a personis Deo sacris maxime devitari debet, timendum foret. Si quis nihilominus seu Sæcularis, seu Regularis, eousque sui oblivisceretur, ut quacumque occasione scandalosum, aut alias notabilem in potu excessum committere eum non puduerit; sciat, ubi id primum Nobis innotuerit, se gravi pœna mulctandum, etiam cum revocatione facultatum confessiones audiendi & prædicandi, si quam a Nobis antea obtinuisset: "Ebrietas si quidem, in aliis crimen est; in Sacerdotibus, sacrilegium: alii quippe vino animam suam necant; at Sacerdotes, Spiritum sanctitatis extinguunt; (*i*) si igitur ebrietas cuique Christiano dedecus est, quanto magis Sacerdotibus." (*k*)

Verum, quemadmodum in potu, sic etiam in cibo cuilibet Viro Ecclesiastico intemperantia omnis vitanda est, ejusque fugiendæ occasiones, quæ nedum in tabernis & compotationibus, sed & in conviviis ac commessationibus frequentiores esse solent & periculosiores; idcirco varia Concilia (*l*) "statuerunt, ut Clerici, in quocumque gradu constituti, Laicorum convivia, & nimiam eorum familiaritatem, unde Clericorum vilescit auctoritas, declinare & fugere debent." Ut igitur etiam in hac parte omnes & singuli, quæ status sui sunt & conditionis, eo majori ædificatione adimpleant inposterum, conformiter ad intentionem Ecclesiæ, & prout Nos ipsi summopere desideramus; commendamus illis, ut curent imitari, quod olim S. *Hieronymus* monuit scribens ad *Nepotianum*: "Convivia tibi vitanda sunt Sæcularium: ..... Consolatores potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis noverint. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat. Numquam petentes, raro accipiamus rogati: Beatius enim est, magis dare, quam accipere. Nescio enim, quomodo etiam ipse, qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat; & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur." (*m*)

XVIII.

Quid agant Clerici in diebus Bacchanalium.

Quod si omnes Dei Ministri quovis tempore in compotationibus & conviviis rariores esse debeant, quo studio ea penitus non effugiant illis diebus, quibus "ad impetranda Divina auxilia contra *Bacchanalium* abusus, (*n*) & ne fideles tempore tentationis a via Domini recedant," (*o*) ipsi *inter Vestibulum & Altare* plorare debent, & intercedere, prout Deus & Ecclesia ab illis requirit?

Cum autem ejusmodi abusus, ac omnis generis insolentiæ, quæ ab omnibus Christianis, quantum magis a Viris Deo sacris, detestari & abhorreri debent, in ipso *triduo Antecinerali* audacius committi soleant, idque non sine scandalo illorum, qui *ex adverso sunt*; (*p*) omnes Clericos & Sacerdotes serio monemus & adhortamur, non tantum ut toto præfato triduo a conviviis & solutiori consortio Laicorum abstineant, caveantque, ne exinceps stantes in plateis, in januis, vel per fenestras in propriis vel alienis ædibus, larvatos & histriones respiciant, aut, ut se in illis, eorumve excessibus oblectentur, quomodocumque conveniant; (super quo Regularium Superiores suis subditis invigilabunt) sed etiam eosdem omnes oramus & obsecramus, quatenus totis illis diebus sic animo & corpore separati

[*i*] S. Pet. Chrysolog. Serm. 16. [*k*] Concil. Aquisgran. A. 836.
[*l*] Aquileiense Can. *de vita & hon. Cler.* Ravennat. 3. &c. [*m*] S. Hier. Ep. ad Nepot.
[*n*] Clem. XIII. in Brev. 23. Jul. 1765. [*o*] Ezech. 8. 10. [*p*] Tit. 2. 8.

rati & recollecti permaneant, ut nonnisi in Ecclesiis, aut in via ad illas, in publico appareant; idque præcipue, ut Divinis Officiis religiose assistant, & nominatim *Precibus* 40. *horarum cum Indulgentia plenaria*, quas conformiter ad intentionem & desiderium Summorum Pontificum, hic primum pro Ecclesia Cathedrali nostra publicari fecimus, & deinceps successive, ad requisitionem DD. Pastorum, in Ecclesiis Parochialibus Diœcesis nostræ permisimus institui.

XIX.

Vestes Clericales semper deferendæ.

Aliud dedecus, quod hic caveri volumus, est, ne Clerici "propriam dignitatem & honorem parvipendentes, vestes deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in Divinis, alterum in carnalibus; cum tamen oporteat eos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant:" (q) Quem Religionis contemptum, quia Tridentina Synodus voluit, ut Episcopi etiam per censuras Ecclesiasticas comprimerent & exterminarent, districte præcipimus, ut omnes & singuli sacris Ordinibus initiati, aut Beneficium Ecclesiasticum obtinentes, in civitatibus vel oppidis suarum residentiarum incedant semper induti toga talari, seu subtanea veste, quæ ad talos defluat; qua nempe Clericalis modestiæ, gravitatis, continentiæ, totiusque perfectionis, quam imitari & præ se ferre debent, assidue commoneantur.

Pastores vero & Vicarii, aliive Clerici ruri commorantes, vel in itinere constituti, si prærequisita veste talari sine vero incommodo indui nequeant, habeant saltem vestes oblongiores decentis coloris, vulgari & simplici modo confectas, angustiores habentes manicas, ad normam fere subtaneæ vestis, in qua nec sacci exterius appareant; ita ut omni tempore & loco status eorum cunctis innotescat; ostendantque se etiam quærere in habitu honestam decentiam, non sæcularem levitatem, cui dum primum Clericali militiæ nomen dederunt, solemniter renuntiarunt. (r)

XX.

Vestis talaris adhibenda in functionibus sacris sub pœna suspensionis.

Cum tamen Pastores, aliique Sacerdotes & Clerici dum ubicumque Sacris operantur seu celebrando, seu concionando, seu Sacramenta administrando, aliasve Ecclesiæ functiones obeundo, singulari decentia & gravitate incedere debeant; nec tantum sibi ipsis authoritatem conciliare, sed & in adstanti populo, qui rebus exterioribus maxime movetur, majorem quam possunt erga Divina Mysteria excitare reverentiam; idcirco, mandamus *sub pœna suspensionis ipso facto Nobis reservatæ*, ut in omnibus & singulis præfatis functionibus, *dum intra Ecclesiæ septa, obiri debebunt*, etiam ruri, subtaneam aut talarem vestem adhibeant: Prohibentes etiam Custodibus, Sacristis, aliisque omnibus, ad quos spectare poterit, ne quemcumque Sacerdotem, licet advenam vel extraneum, ad Sacrum celebrandum admittant, nisi veste talari indutum. Et ne quis ignorantiam ullam hic prætexere valeat, injungimus hanc nostram Ordinationem in omnibus Sacristiis affigi, affixamque manere, etiam apud Regulares: *Nemini* igitur *dantes ullam offensionem, in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros.* (s)

XXI.

De pia & ordinata Divini Officii recitatione.

Quod si nos tales exhibere debeamus *in omnibus*, nulli dubium esse potest, quin ad id etiam teneamur modo præcipuo, dum pro *Christo*, ejusque Ecclesia *legatione fungimur* (t) ad Deum, *Divinum Officium* etiam privatim recitantes; adeoque summi momenti esse, ut solemnis ille Orationis ritus, summa ratione ab Ecclesia præscriptus, & sapientia dispositus, a Sacerdotibus, aliisque personis Deo

[q] Trid. Sess. 14. c. 6. de Ref. c. 3. & 4. [r] RR. D. Delvaulx A. 1. post Statut. sub Mas. t. 17. [s] 2. Cor. 6. 3. & 4. [t] Ibid. 5. 20.

Deo dicatis, eo quo decet modo persolvatur, *digne* nimirum, *attente & devote*; servatisque sacris ritibus & cæremoniis, quas Ecclesia ad hoc instituit, & ab omnibus religiose servari districte præcepit.

Et quia æquum est, ut membra capiti suo se conforment, oporteatque, ut quoad ritus & cæremonias ab Ecclesia præscriptas, & a Matrice Ecclesia receptas & usitatas, ab inferioribus Ecclesiis & illorum suppositis, servetur perfecta uniformitas; requirimus conformiter ad Statuta Synodalia, (*u*) ut etiam *Pastores & Vicarii Regulares*, quamdiu Pastorali munere defunguntur in Diœcesi nostra, proprium Breviarium relinquant, & Diœcesanum assumant, illudque in omnibus sequantur juxta Directorium hujusdem Diœcesis. Idem observent cum proportione, circa usum & ritum Missalis Romani, si qui forte etiam in hac parte difformes fuerint; quæ omnia præsertim in Officiis publicis servare debebunt.

XXII.

Commendatur Exercitium Orationis mentalis.

Quantopere autem conferat ad piam Divini Officii recitationem, mentalis Orationis exercitium, "quo " veluti cœlesti cibo anima impinguatur, Spiritui Sancto conjungitur & " ad Deum intime loquitur" (*x*) optime sensit piissimus Prædecessor noster Georgius Chamberlain, dum ejus neglectui aut ignorantiæ adscribebat intolerabilem illam irreverentiam, qua tam perfunctorie & oscitanter a multis Divinum Officium percurritur.

At quoniam mentalis Orationis seu *Meditationis* hic mentio incidit, quæ si vel sola dicta ratione Viris Ecclesiasticis familiaris & commendata esse debeat; quanto majori studio illi incumbendum erit, si fine illo vix quisquam pertingere possit ad veræ solidæque pietatis metam, ad quam tamen consectandam Sacerdotes omnes, cæterosque Ministeriis Ecclesiasticis addictos, speciatim obligari indubitatum est? Quid vero, si Ecclesiæ Ministri, utpote Duces populi & Præceptores a Deo constituti, fideles curæ suæ commissos, ad Divina meditanda & docere & exhortari debeant? (*y*)

Ne igitur *desolatione desoletur omnis terra, quia nullus est, qui recogitat corde*, (*z*) dum etiam tot Titulis omnes Viri Ecclesiastici huic medio salutis & perfectionis obstringuntur; eos per sanctitatem status & ministerii sui obtestamur, non tantum, ut singulis diebus salutari illi exercitio certam horam habeant assignatam, piæque meditationi dent operam; sed insuper, ut scientiam & methodum meditandi ipsi perfecte calleant, eam populo sæpe exponant & doceant, omnesque Christi fideles ad illius praxim excitent & adhortentur; proponentes non tantum copiosos & mirabiles fructus, quos quotidiana meditatio sui cultoribus afferre solet; sed etiam multiplices Indulgentias, quas ad studium usumque frequentiorem mentalis Orationis promovendum, Summi Pontifices, & nominatim BENEDICTUS XIV. iisdem concesserunt.

XXIII.

Variæ & gravissimæ Pastorum obligationes.

Neque hæc unica est Pastorum obligatio, circa quam hic eos speciatim monere proponimus: tot enim, tantæque sunt aliæ, ut onus eorum & officium, merito "quasi ipsis Angelicis " humeris formidandum considerari " debeat." (*a*)

Eas gravissimas obligationes summatim exponit, urgetque sacra Tridentina Synodus *Sess.* 23. *C.* 1. *de Reform.* ubi docet, " Præcepto Divino mandatum " esse, omnibus quibus animarum cu" ra commissa est, oves suas cognosce" re; pro his Sacrificium offerre; ver" bique Divini prædicatione, Sacra" mentorum administratione, ac bono" rum omnium operum exemplo pa" scere; pauperum, aliarumque mi- sera-

(*u*) Sub RR. Mas. T. 5. c. 1.
(*y*) Id. Bened. XIV. sup.
(*x*) Bened. XIV. in Brevi 16. Decemb. 1746.
(*z*) Jerem. 12. 11.
(*a*) Trid. Sess. 6. c. 1. de Ref.

" ſerabilium perſonarum curam pater-
" nam gerere; & in cætera munia Pa-
" ſtoralia incumbere."

Verum, quemadmodum hæc omnia diligenter & aſſidue ab omnibus Paſtoribus adimplenda ſunt; ita quoque muneris noſtri eſt, ſolicite invigilare & ſingulos exhortari, "ut Divino-
" rum præceptorum memores, facti-
" que forma gregis, in judicio & ve-
" ritate paſcant." Quocirca requirimus & injungimus, ut ſæpius relegant & præ oculis habeant, quæ circa hæc munia & obligationes, ſive in Statutis & Prædeceſſorum noſtrorum Ordinationibus, ſive in Conciliis noſtris Provincialibus; ſive denique in ipſa Tridentina Synodo latius præſcribuntur. Monemus eos præterea, ut ſerio reflectant ad *juramentum*, quod in ipſa Paſtoralis curæ poſſeſſione emiſerunt; in quo, præter "obedientiam, reveren-
" tiamque Summo Pontifici Romano,
" ac Nobis, noſtriſque Succeſſoribus
" debitam, jurarunt & promiſerunt
" non ſolum ſuæ Eccleſiæ Parochiali
" fideliter deſervire, ſecundum oneris
" illi annexi exigentiam; ſed etiam in
" ea perſonaliter reſidere." Et merito;
" cum nequaquam cætera omnia ab iis
" præſtari & impleri poſſint, qui gregi
" ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt,
" ſed mercenariorum more deſerunt."
(*b*)

XXIV.

Paſtores tenentur reſidere ſub gravi pœna.

Qua de cauſa, & ut præfata fideliori obſervantia executioni mandentur, tollanturque graves illi & periculoſi abuſus, qui contra ſtrictisſimam continuo & perſonaliter reſidendi Paſtorum obligationem, a nonnullis committi poſſent; innovamus, & ſub iisdem pœnis, quæ in hunc finem ordinavit & diſpoſuit Prædeceſſor noſter RR. D. GUILLIELMUS DELVAUX in ſuo Decreto A. 3. ulterius declarantes, ſub dierum numero, ultra quos ſine venia abeſſe non permittitur, comprehendi debere diem exitus & reditus.

Eamdem Ordinationem & pœnam extendimus etiam ad *Deſervitores* tam temporarios, quam perpetuos: Item ad Sacerdotes, qui Sacellis ſuccurſalibus præficiuntur; quos præterea, dum abeſſe debuerint, ultra licentiam, quam Decani hic concedere permittuntur, etiam conſenſum proprii Paſtoris habere volumus.

Quoad cæteros Vicarios ſeu Sacellanos, qui ad ſubſerviendum Paſtoribus in eorum functionibus & officiis admiſſi ſunt, eos ultra tres dies continuos a Parochia abeſſe non permittimus, niſi de licentia Decani & Paſtoris ſui; ſed neque vel ad unum diem, niſi Paſtore expreſſe præmonito & conſentiente; ut hac ratione, debita ſervetur ſubordinatio, & utriusque ſimul præcaveatur abſentia. (*c*) Quotiescumque vero etiam breviori tempore, Vicarii domo vel Parochia abeſſe debuerint, de eo ſaltem domeſticos moneant, eosque informent, ubi pro caſus exigentia adiri & inveniri poſſint. Idem, & potiori ratione, Paſtoribus injungitur per Statuta Synodalia; (*d*) quod proinde tam ab his, quam ab illis intendimus exacte obſervari inpoſterum.

Caveant autem Decani, ne Paſtorum ſuorum & Vicariorum abſentiæ conſentiant, niſi ex juſta & rationabili cauſa, & abſque ullo gregis detrimento; in quo eorum conſcientiam oneramus, quam ſperamus religioſam & timoratam fore; cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur.

Et ne Paſtores aliqui aut Vicarii perverſe arbitrentur, quaſi pro libitu ſibi licere, infra dies, pro quorum abſentia Decanum adire debent, a Parochia ſua abeſſe; mandamus Decanis, ut ſi quem hac in re defectuoſum deprehenderint, ſtatim eum moneant & corripiant; ubi vero non obediverit, ad Nos deferant.

Paſtores vero Rurales, præcipue qui Vicarii ſeu Sacellani ope deſtituuntur, rogamus & obſecramus per ſuam ſuarumque ovium ſalutem, ut a frequenti excurſione a Parochiis ſuis abſtineant, *vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis*,

(*b*) Trid. ſup. (*c*) Stat. ſub Georg. an. 1631. A. 1. (*d*) Sub Maſ. T. 8. c. 5.

noctis, dieique *super gregem suum.* (*e*) Numquam a mane ad vesperam, vel etiam notabili solum diei parte egrediantur, nisi præmonuerint Pastorem aut Vicarium vicinum; aut aliunde certi sint hunc vel illum, casu necessitatis ingruente, vocari & adesse paratum fore: pernoctare autem extra Parochiam, non substituto alio idoneo Sacerdote, sub gravi pœna interdicimus & prohibemus.

XXV.

Ovium cognitio Pastoribus mandatur.

Ex præcitatis Synodi Tridentinæ verbis (*f*) statim apparet, hanc personalem Pastorum residentiam, primum & præcipue ordinari tam ad *generalem*, quam *specialem* ovium suarum *cognitionem*; utpote, quæ merito reliquorum actuum Pastoris principium sit, & appellari debeat: Quæ cognitio cum multa exigat, nec sine magna vigilantia haberi possit, eo magis Pastores ad omnem curam & diligentiam excitare debet, ut in ea comparanda & exercenda, præcepto Divino in omnibus satisfaciant.

Quod quidem ut fidelius & exactiori modo exequantur, suademus, & exigimus, prout etiam tam nostræ, (*g*) quam aliarum Diœcesium Statuta, post Rituale Romanum, passim requirunt, ut habeant *Librum status animarum*, in quo singulas familias suæ Parochiæ, cum omnibus qui in ea vivunt, illorumque ætatem & qualitates diligenter conscribant; annotentque, qui ad primam Communionem apti; qui ad Confirmationem; qui ad Scholam catechisticam &c.

Hunc autem librum, quem si non singulis annis, saltem omni triennio renovent, sæpius evolvant Pastores, ut particularius in singulorum mores & necessitates intendere valeant; & videant, quid cuique opus sit, qui vino, qui oleo indigeant; qui lacte, qui solido cibo: ut tamquam fideles Dispensatores & Oeconomi summi Patrisfamilias, unicuique provideant proportionatam mensuram solicitudinis; hincque simul serio recogitent, quantum oneris sibi sit impositum, & quot oves & agnos aliquando de manu eorum requisiturus sit Deus, "apud quem non " poterit justa esse Pastoris excusatio, " si lupus oves comedit & Pastor ne- " scit:" (*h*) Ea enim, quæ quis "ex " officio indagare tenetur, scire, & scire " debere, facileque posse, pro eodem " habentur." (*i*)

Præter hunc librum, aliosque necessarios ex officio, omnes & singuli Pastores habeant *Registrum particulare*, in quo suæ Ecclesiæ monumenta, onera, reditus, fundationes &c. ad futuram horum memoriam, & Successorum suorum regulam & commodum, fideliter annotent & conservent. Curent autem, ut Libri & Registra quæcumque, nitido & legibili charactere describantur; qua de re Decani in sua visitatione diligenter inquirant, & Nobis rationem reddant.

XXVI.

Contra libros noxios invigilandum.

Ad ovium cognitionem, seu gravissimam illam Pastorum obligationem invigilandi suis subditis, merito reducimus ea, quæ tum quoad extraneos, vagabundos aut quoquo modo suspectos; tum quoad plura alia, quæ pro fidei & religionis integritate sarta tecta servanda, tam Principum nostrorum Edicta, quam Provinciales & Diœcesanæ Constitutiones injungunt, & observari mandant; utpote, quorum executioni Pastores præ cæteris Nobiscum incumbere & allaborare debent: In iis vero præcipue, quæ contra librorum noxiorum impressionem, invectionem, venditionem, aut distributionem, adeo pie & provide ordinata sunt; sed quo nihil æquius, nihil etiam utilius statui potuit & ordinari.

Quid enim tantopere mentes hominum depravat, quam perniciosa illa & intolerabilis quorumvis librorum obscœnorum lectio, dum non aliunde facilius perniciosæ doctrinæ venenum bibi-

(*e*) Lucæ 2. 8. (*f*) Sup. A. 23. (*g*) Sub Georg. an. 1630. T. 1. A. 3.
(*h*) Reg. jur. 10. 5. Decret. L. (*i*) Can. fin. Dist. 37.

bibitur, nec altius ſubit incautorum animos; eo vel maxime, quod non aperte, ſed miro cum artificio, & ſub obſcuris quibusdam ambagibus propinari ſoleat; ubi inter optimarum ſententiarum gemmas, noxius, quamvis latens, & maligna manu temperatus, pulvis inſpergitur, ad lentam, eoque interdum certiorem legentium perniciem aut infectionem?

Sed quid non ſentiendum, de tot aliis infamibus libellis, quos quaquaverſum, ſed impune ſpargi audimus, qui etiam ipſam fidem & Eccleſiam manifeſte impetunt; Sanctiſſima Religionis principia & fundamenta ſubvertere nituntur; aut quidquid ad Dei cultum ejusque adoranda Myſteria ſpectat, ſacrilega, inani licet, audacia rident, & oppugnant? Quæ, quantaque inde Eccleſiæ vulnera, quanta morum perverſio oriri debeant, quis non videt?

XXVII.

Hic obſervandæ Eccleſiaſticæ & Principum Ordinationes.

Ut igitur malo tam exitiali modis omnibus & quantum poſſumus occurramus; præter Paſtores, hortamur etiam Librorum Cenſores, Prætores ſeu Baillivos & Magiſtratus, ut quæ tam Sæculari, quam Eccleſiaſtica poteſtate (*k*) illis hic reſpective injunguntur, fideliter obſervent, & ab omnibus, ad quos ſpectat, obſervari faciant.

1. Videlicet, ut Typographi, Bibliopolæ & Librarii in manibus Ordinarii, aut ab eo ad hoc deputandi, Profeſſionem fidei emittant; & inſuper præſtent juramentum de non invehendis, diſtrahendis, aut etiam compingendis libris prohibitis. (*l*)

2. Ut nemo præter Typographos, Bibliopolas & Librarios juratos, ullos libros excudere aut venales exponere præſumat; neque ipſis liceat vel alios libros imprimere, quam qui ab Ordinario, vel ab aliquo approbato Cenſore viſi ſint & approbati, ſub pœnis pro qualitate & circumſtantiis facti infligendis. (*m*)

3. Ut libri domorum mortuariarum non diſtrahantur, niſi ab approbato Cenſore, vel alio ab Ordinario ad id deputato, viſitati & vendi permiſſi fuerint. (*n*)

4. Ut ludi theatrales, actiones mimorum & hiſtrionum, quæ vulgo *Kamer-ſpélen* vocantur; item cantilenæ aut rythmi, deinceps non permittantur, circumferantur, aut publice decantentur, niſi pariter viſitati & approbati fuerint; (*o*) ad quorum viſitationem & approbationem etiam Decanos Chriſtianitatis committimus & deputamus.

XXVIII.

De dierum Dominicorum & Feſtorum religioſa obſervantia.

Alterum, quod ſummopere tam ipſius Religionis incremento, quam Fidelium ſaluti promovendæ inſervire debet, ac cujus proinde curam item Paſtoribus ſingularius commendari oportet, eſt certe *Dominicorum & Feſtorum dierum* debita obſervantia.

Cum igitur non ſine acerbo dolore ex multorum relatu audiverimus, ac etiam noſtris oculis coram intueamur, ſacros illos dies, qui Divino cultui, ſanctisque Officiis dedicati ſunt, non modo, ut oportet, in Diœceſi noſtra non coli; ſed quod gravius eſt, hinc inde impune violari commeſſationibus, ebrietatibus, operibus ſervilibus, commerciis, aliisque actionibus a ſacro cultu & Chriſtianæ pietatis ſtudio prorſus alienis: ita ut dies illi, quos tum ad recolenda Dei beneficia, tum ad honorem debitum Sanctis tribuendum, eorumque imitationem excitandam, Fideles omnes quam diligentiſſime impendere deberent, hoc tempore inſtituti videri poſſint, ad Divinam Majeſtatem magis irritandam; atque hoc nomine vel ab ipſis Acatholicis vicinis noſtris, hac in parte Dominici præcepti obſervantioribus, Eccleſiæ *Sabbata* derideantur: (*p*) Monemus & requirimus

(*k*) Syn. Prov. II. T. 1. C. 3. 4. 5. 6. 9. Edict. ad eam. Syn. Stat. Diœc. ſub Georg. an. 1629. T. 1. A. 11. (*l*) Edict. ad Synod. ſup. A. 2. & 3. (*m*) Eod. Edict. A. 4. & 5. (*n*) Ibid. A. 6. (*o*) Ibid. A. 7. (*p*) Thren. 1.

mus Paſtores, ut tam gravi abuſui tollendo omnem operam impendant; ideoque Fidelibus frequenter inculcent, tum Dei, tum Eccleſiæ præceptorum obligationem; præcipue vero, quomodo dies Dominicos & Feſtos religioſe cuſtodire & ſanctificare debeant; eoſque hortando, ut diebus illis æterno Creatori ac Domino conſecratis, ipſi Deo ac Divinis rebus vacare ſtudeant; Eccleſias diligentius adeant; ſacris Officiis & Concionibus frequentius interſint; Sacramentorum participatione ſe mundent & muniant; atque in aliis Chriſtianæ pietatis operibus verſentur & proficiant.

Ut autem quod hic intendimus, id plenius aſſequamur; dum cæteroqui modis & mediis omnibus caveri debet, ne populus a frequentatione & auditione *Miſſæ Parochialis, Veſperarum* & *Prædicationis* verbi Dei umquam abſtrahatur; inhibemus, & per eos, ad quos ſpectat, inhiberi requirimus, conformiter ad Eccleſiæ & Principum intentionem, (*q*) ne dum Dominicis & Feſtis diebus hujusmodi Officia Eccleſiæ peraguntur, tabernæ, aut etiam macellum, ſeu alia loca divendendis carnibus aut mercibus deſtinata, aperiantur, aut in iis ad potitandum, commeſſandum, aut etiam ad mercatum exercendum aliqui admittantur aut recipiantur; nec non ut eo tempore, prætextu recreationis, ludi pilæ aut globorum inſtituantur, vel permittantur; aut populo aliqua alia occaſio proponatur, ut ſe a Divino Officio abſentet. Subhaſtationes & auctiones publicas fieri illis diebus, prohibemus omnino. Excipimus tamen venditiones mobilium ſpectantium ad Eccleſiam, & elocationes terrarum fabricæ aut menſæ pauperum, quas fieri permittimus de conſenſu Paſtorum, modo intra horam alteramve abſolvantur.

XXIX.

Quæ opera diebus Dominicis & Feſtis prohibentur.

Inter opera ſervilia, hiſce diebus prohibita, merito recenſeri debent aurigarum, molitorum, cereviſiæ coctorum, piſtorum, & id genus aliorum operæ & profeſſiones; quæ proinde numquam permitti debent, niſi ob notabilem neceſſitatem, idque extra tempus, quo Parochialia Officia perficiuntur.

Ne vero prætextu neceſſitatis, tum Dei, tum Eccleſiæ leges paſſim violentur, atque unicuique liberum ſit, eas transgredi, dum pro arbitrio ſuo & affectu aliqualem neceſſitatem fingunt; merito hujusmodi neceſſitatis determinatio non cujuslibet privati, ſed Superiorum arbitrio & judicio commiſſa eſt; ut hi ſerio conſideratis conſiderandis, judicent, an & quouſque in lege diſpenſandum ſit. Conſequenter, declaramus hujusmodi cognitionem & diſpenſationem ſpectare ad Vicarium aut Officialem noſtrum, Chriſtianitatis Decanos, ac etiam ipſum Paſtorem loci, præſertim aliis abſentibus aut procul degentibus; quem nihilominus, in quantum opus eſt, ad hoc committimus & authorizamus; ſalva competentia ſæcularis poteſtatis in hac parte, uti alias ſemper, prout juris.

Similem procedendi modum obſervabunt, dum in Pagis & Parochiis ruralibus diſpenſandi occaſio occurrerit ad fœnum aut fructus meſſis colligendos; cum hac differentia tamen, ut Decani & Paſtores in hoc caſu minus moroſi ſint & difficiles ad diſpenſandum cum ſuis: " ne occaſione momenti pe" reat commoditas cœleſti proviſioni " conceſſa." (*r*)

XXX.

Juvenum conventicula exterminanda; & quomodo.

Alter abuſus, per quem dies Domini prophanari ſolent, ſunt choreæ, tripudia, ſaltationes &c.; quæ licet nullibi turpius, majorique cum periculo & ſcandalo agantur, quam *in conventiculis Juvenum & Puellarum*, quæ diebus Dominicis & Feſtis, ruri maxime haberi ſolent, & in multam noctem protrahi, tamen vix umquam adiri poſſunt, "ſine multis iisque graviſſimis Dei

(*q*) Syn. Prov. I. Stat. ſub Rith. T. 10. C. 7. &c. Edict. Alb. & Iſabel. an. 1607.
(*r*) Lex Conſtant. L. 2. Cod. de Feriis.

" Dei offenfionibus, ob turpes cogitationes, obfcœna dicta, inhoneftas actiones, morum corruptelas, & periculofas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuo conjunctas;" (s) quæque tamen Babylonico more illis ipfis diebus, qui ad offerendam Deo propitiationis Hoftiam, ad orationis adolendum incenfum, aliisque Chriftianæ pietatis officiis incumbendum deputantur, infolentiis celebrari audimus; non obftante, quod nefariæ hujusmodi Satanæ blanditiæ & peccatorum incentiva, jam dudum per utramque Poteftatem, Civilem & Ecclefiafticam, fub gravibus pœnis, & iteratis vicibus, damnata fuerint atque profcripta. (t)

Quapropter, ut tam muneri noftro, quam faluti Fidelium etiam hac in parte profpiciamus, ac facros dies fupremi Numinis cultui dicatos ab hujusmodi prophanationibus vindicemus; Paftores & Concionatores omnes hortamur, ut hydram illam verbo Dei, veluti acuto & ancipiti gladio, fociatisque zeli & prudentiæ viribus, fortiter invadant, ac quantum in ipfis eft, fupprimant & extinguant; obfervantes præterea, quæ tam in Decreto immediati Prædecefforis noftri, (u) quam in Inftructione Confeffariorum hujus Diœcefis, (x) pro exterminandis hujuscemodi cœtibus, tam Confeffariis, quam Paftoribus refpective injunguntur.

Cum vero in eumdem finem a Principibus noftris, quibuscumque Prætoribus, Præfectis juftitiæ, aliisque ad quos fpectare poterit Officialibus, mandatum fit, ut jurisdictionis fuæ popinas, diebus præfertim Dominicis & Feftis, vifitent, prævaricatorum correctioni, mulctæ & pœnæ executione intendant; ac omnem opem, quam afferre rogabuntur, Judicibus Ecclefiafticis, eorumque Officialibus præftent quoad violationes, quæ Dominicis Feftisve diebus committuntur in cafibus, in quibus juxta præcedentia Regia Edicta, & Mandata, (y) ipfis etiam permiffum fuit per præventionem agere: requirimus & injungimus, ut Paftores præfatos Officiales Regios opportune accedant & moneant, quatenus ex officio allaborent tollendis juvenum conventiculis in popinis, aliisve indecentiis, quibus dies facri violari folent; " ipfosque Ecclefiæ Præfides & Miniftros fua authoritate juvent, jubendo populum Sacerdotum & Principum præceptis obtemperare; " (z) ac denique, ut ferio recogitent, fe Deo in die judicii rationem reddituros de abufibus, qui eorum conniventia aut timiditate contigerint.

Parentes quoque, non ignari forte criminum & peccatorum, quibus fefe florente ætate in ejusmodi conventibus polluerunt, ne & ipfis exprobrari debeat, *immolaverunt filios fuos & filias fuas dæmoniis*, & non Deo: (a) Sæpius moneantur, ut liberos fuos ab iniquis illis & lafcivis confortiis omni modo deterreant, avocent, eaque prohibeant, & inobedientes pia feveritate caftigent; propofito fibi exemplo Heli, quem graviffimas, fed meritas, nimiæ in filios fuos lenitatis & indulgentiæ pœnas, luiffe legimus. (b)

XXXI.

Quivis alii abufus emendandi cum prudentia.

Ea occafione monemus etiam Paftores, ut fi quos alios abufus, aut pravas confuetudines in fuas Parochias irrepere, aut irrepfiffe deprehenderint, omnem curam diligentiamque adhibeant, ut quantocius emendentur; " ne mala confuetudo, quæ non minus quam perniciofa corruptela vitanda eft, nifi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis affumatur; & incipiant prævaricationes & variæ præfumptiones celerrime non compreffæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more celebrari." (c)

Curent

(s) S. Carol. Conc. Med. III. T. 1. Aliud dat. ibidem 6. Mart. 1687.
(t) Decret. Reg. dat. Bruxel. 21. Mart. 1682.
(u) Art. 17.
(x) Art. 17.
(y) Cit. fup.
(z) Catech. Trid. P. 3. de præcep. Decal.
(a) Pf. 105. 37.
(b) 1. Reg. 4.
(c) Dift. 8. c. *Mala confuetud.*

Curent tamen, ut in abusibus hujusmodi vel consuetudinibus reformandis, prudenter & considerate procedant; *ne forte colligentes zizania, eradicent simul cum eis & triticum.* (d) Quare, si reformationem quamdam Pastor instituere meditetur, primum Decanum consulat, aut etiam Pastorum Congregationi casum exponat, ut mutuo consilio, ponderatisque mediis & motivis, res tota felicius peragatur; *Frater* enim *qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* (e) Idem cum proportione observari desideramus, si Pastor aliquis, piam licet, sed novam quamdam observantiam aut consuetudinem inducere & stabilire voluerit.

At, quemadmodum Pastores fortiter, sed prudenter, allaborare debent, ut pravæ consuetudines e Parochiis suis extirpentur; ita & sedulo curare, ut laudabiles consuetudines, præsertim quæ ab Ecclesia receptæ, diuturnove temporis usu & Superiorum authoritate probatæ censendæ sunt, religiose & intacte observentur. "Quare, etiam in " illis servanda est Divi *Augustini* regu-" la, qui non patitur, ut ab his, quæ " longo usu recepta sunt, recedatur, " nisi bene perspectum habeatur, quod " perturbationem (quæ ex novitate " semper sequitur) uberiori fructu " compensabit utilitas: " (f) De quo Nobis, aut certe Decanis nostris, judicium reservamus.

XXXII.

Divinum Officium celebrandum cum decentia & majestate.

Quod si in quibuslibet Ecclesiasticæ Reformationis capitibus solicite, magnaque animi contentione laborandum sit, ut nihil inordinatum, nihilque integritatis suæ splendori non restitutum remaneat; id maxime locum habere debet, ut Divinis Officiis sacrosancta reddatur Majestas, omnia vivam perfectamque in Deum fidem & charitatem in iis redoleant, quo nempe virtutes illæ in populo excitentur & augeantur. Ideo summopere commendamus, ut quivis sacro Ministerio adscriptus, præ cæteris vero Pastores, publicæ Divinorum Officiorum celebrationi non modo convenienter intersint; sed pio etiam devotoque animi affectu huic cooperari studeant, efficiantque, ut quidquid ad Religionis cultum pertinet, eo modo, qui Deum & populum maxime deceat, peragatur.

In eum finem, omnes Ecclesiæ Ministri solicite attendant, tum ut in Ecclesia, præcipue sub Divini Officii celebratione, se semper graviter & religiose gerant, moresque compositos & decentes servent; vitantes omnes discursus & excursus, omnem quoque confabulationem, aliamve vel minimam irreverentiam, & adstantium offensionem: tum etiam, " ut omnes quod ore " pronuntiant, id jugiter mente pie " elevata in Deum, cogitent & petant, " distincte & articulate quæ cantant " enuntiando; memores, quod parum " est labiis Deum honorare, & Divi-" no Officio corporalem præsentiam " exhibere, nisi etiam corde & affectu " fiat, quod tam a Deo, quam Ecclesia " & Fundatoribus principaliter deside-" ratum est; & pietas Ministrorum " sanctis desideriis Fundatorum respon-" deat: " (g) Quæ omnia proinde, & ob prætactas rationes, & a Pastoribus, & ab aliis, ad quos spectat, reflecti & observari debent etiam in solemnibus defunctorum Exequiis & Anniversariis; quæ in quibusdam Ecclesiis tam cursim & tumultuarie, tamque indevote decantari solent, ut ipsi Ministri, non tam animabus in flammis piacularibus detentis, solamen & refrigerium, quam temporale lucrum & quæstum sibi intendere videantur; idque cum magno scandalo Fidelium, qui vel hinc ab hujusmodi Officiis sibi procurandis vel fundandis retrahuntur: Filiorum *Heli* opprobrium & peccatum hic fugiamus. (h)

XXXIII.

Monendi Fideles, ut Officiis Parochialibus assistant.

" Et quia tam de jure, quam ex " Constitutionibus Synodalibus omnes

(d) Matt. 13. 29. (e) Prov. 18. 19. (f) RR. D. Rithovius Præf. ad Syn. Ipren.
(g) Stat. sub Rith. T. 10. C. 5. (h) 1. Reg. 2. 17.

" omnes Christi fideles diebus Dominicis & Festis in sua Parochiali Divino Officio interesse obligantur," (i) & ad Festorum dierum solemnitatem religiose celebrandam, multum confert populi concursus & devotio; quæ quidem Religionis Officia, dum a multis in nostra Diœcesi negligi videmus, eo majori zelo ad ea resumenda & servanda Fideles allicere & incendere debemus: omnibus Prædicatoribus tam sæcularibus, quam Regularibus commendamus & injungimus (quod nominatim ipsi Pastores, nedum in suis concionibus, sed & in catechismis quoque præstare tenentur) ut populum frequenter instruant de sua erga Parochiales Ecclesias obligatione, eumque ad cultum & frequentationem Officiorum Parochialium serio adhortentur; (k) omnes & singulos monendo, ut caveant notabilem in hac materia negligentiam; utpote, quam a peccato non excusamus, de quo proinde & Confessarii suos pœnitentes monere debent: tantum abest, ut quis Parochianos ab Ecclesiis aut Officiis Parochialibus ullo prætextu retrahere vel alienare audeat. In Capellis seu Oratoriis privatis, sub Officio Parochiali Missam celebrare; verbum Dei prædicare; aut etiam quovis alio tempore, aquæ benedictionem dare, vel sacram Communionem distribuere, absolute interdicimus. (l)

XXXIV.

Quid hic fecerit & docuerit S. Carolus Borromæus.

Porro, quanti sint fructus, qui ex diligenti piaque Ecclesiæ Parochialis frequentatione; quanta vero ex adverso incommoda, quæ ex ejus neglectu populo obvenire solent, ad longum exponit & enumerat Præclarissimum omnium Episcoporum & Pastorum Exemplar, S. *Carolus Borromæus*, in literis suis monitorialibus editis in Concilio Provinciali *Mediolanensi* sexto; ubi tandem " universos & singulos hac " sua monitione cohortatur non tantum, ac per viscera misericordiæ JESU CHRISTI obsecrat atque obtestatur (S. Tridentinæ Synodi Decretis, ut ait, & veteri salutarique exemplo adductus) ut saltem Dominicis, aliisque solemnibus Festis diebus ad suam quique Parochialem " Ecclesiam conveniant:" Sed etiam præoccupat & solvit, quæ in excusationem neglectus hujusmodi assumi posse prævidebat; varia addens pietatis motiva, quæ ad sedulam Parochiæ frequentationem Christi fideles excitare debeant.

Ea de causa, & ut tanti Præsulis securis vestigiis inhærentes, zelum erga Parochiales Ecclesias per Diœcesim nostram, tam in Pastoribus & Concionatoribus, quam in populo universo amplius promoveamus; prælaudatas literas Sanctissimi hujus S. R. E. Cardinalis in vulgare idioma translatas, huic Instructioni Pastorali annecti curavimus, eamque in omnibus Diœcesis nostræ Parochiis *quater in anno*, per proprium Pastorem e suggestu populo prælegi & explicari mandamus; videlicet, in Dominica immediate præcedente *Adventum*; in Dominica *Quinquagesimæ*; circa Festum *Pentecostes*; ac demum in Dominica *prima Septembris.*

XXXV.

Monentur etiam Clerici, ut Officiis Parochialibus frequentent.

Summo Sacro, *Vesperis* & *Laudibus*, quæ in Parochialibus Ecclesiis decantari solent, non solum Pastor, Vicarii seu Sacellani, & Custos; sed etiam omnes Sacerdotes & Clerici, alterius Ecclesiæ servitio non impediti nec adscripti, in iis respective Parochiis in quibus commorantur, ad sui & populi ædificationem, diebus Dominicis & Festis, diligenter & religiose *in superpelliceo* assistant; & in iis decantandis, aliisque obsequiis Ecclesiasticis, quorum ratione sui Ordinis sunt capaces, Pastoribus suis cooperentur. Sacerdotes vero, etiam catechizando & concionando se exerceant, ubi a Pastoribus, servatis servandis, ad id fuerint requisiti. (m) Ne quis autem tam justis desit Religionis Officiis, volumus, ut Pastores præfatis

[i] Stat. sub Rith. T. 10. c. 9. [k] Instruct. pro Concion. huj. Diœc. A. 7.
[l] Stat. sup. cit. [m] Decret. RR. D. Delvaulx A. 5.

fatis omnibus Sacerdotibus & Clericis, qui eorum Parochiam actu inhabitant, aut qui eam imposterum inhabitabunt, hanc nostram inte ·tionem & voluntatem intimare, illiusque executioni invigilare teneantur. Si quos vero inobedientes deprehenderint, hos Decanis denuntiabunt; qui eos, si moniti non resipuerint, ad Nos deferent, ut per Nos ipsos corripiantur & emendentur.

XXXVI.

Officia Divina statis horis celebranda.

Denique, ne diligentiori Officiorum Parochialium frequentationi aliquid deesse videatur, in singulis Ecclesiis etiam ruri, Missæ Parochiales, tam *Matutina* ut vocant, quam *Solemnis*, Dominicis Festisque diebus semper fiant certa eademque hora; quam Domini Decani in sua visitatione, pro suis respective Districtibus semel pro semper, de advisamento cujusque Pastoris, figent & determinabunt; aut jam convenienter fixatam & constitutam, observari curabunt. Commendamus Decanis & Pastoribus, ut hic non privato, sed populi commodo intendant; eamque horam statuant, quam Parochianis tam *æstivo*, quam *biemali* tempore judicaverint opportuniorem; ac cui exinceps & imposterum omnes, ad quos spectat, se conformare debebunt, quacumque ratione in contrarium non obstante. (*n*) Curent etiam, ut inter primam & alteram Missam sit sufficiens temporis intervallum, ut qui primæ interfuerunt, domum reversi, mittere possint eos, qui secundam sunt audituri, & remotiores ab Ecclesia, ad eam tempestive accedere queant.

Et quia omni tempore Pastores spirituali subditorum commodo & utilitati intendere debent; præsertim vero, ut sacrosancto Missæ Sacrificio, omnes & singuli intersint, quo possunt frequentius; Pastor & Vicarius numquam, etiam diebus feriatis, Missam eadem simul hora celebrent; sed diversa & stabili, de qua inter se convenient.

XXXVII.

Quæ in Divino Officio caveri debeant.

Cum non ea tantum, quæ ad majorem Divinorum Officiorum decentiam & augmentum spectant, promovere; sed etiam studiose removere debeamus, ea omnia quæ eorum sanctitati quomodocumque adversantur: prohibemus sub arbitraria pœna omnibus Pastoribus, aliisque quibuscumque Sacerdotibus, ne aves fictitias, seu, ut vulgo vocari solent, *Psittacos*, quorum ejaculatio per certas confraternitates fieri solet, prius ad Ecclesiam deferri, & sub Missæ Sacrificio in Altari deponi patiantur; aut Missa finita, quamcunque benedictionem illis impertiri audeant; neve post factam ejaculationem, Hymnum *Te Deum*, aliasve Ecclesiæ Orationes in gratiarum actionem decantent; prout, non sine indignatione, in nonnullis Parochiis fieri consuevisse audivimus. Ejusmodi autem ejaculationi interesse, primam sagittam emittere, Confraternitates ante vel post per plateas, aut vias publicas incedentes, comitari, etiam præpositura titulo, omnibus Clericis & Sacerdotibus tam Regularibus, quam Sæcularibus absolute interdicimus. Insuper prohibemus, ne prætextu vel occasione hujusmodi dierum lætitiæ, ullum Divinum Officium omittatur in Parochiali Ecclesia, aut ad horas non solitas transponatur. Toleretur nihilominus, ut a meridie *Vesperæ* & *Laudes* una hora citius decantentur, si Pastores, ad alia incommoda vitanda, sic expedire judicaverint.

XXXVIII.

Pastores tenentur offerre Missæ Sacrificium pro Ovibus.

Quoad alteram Pastorum obligationem, de qua Trid. supra; (*o*) *offerendi* scilicet, *Missæ Sacrificium pro ovibus suis*, præter alias quotidianas preces & orationes, quas pro iisdem tam vivis, quam defunctis Deo fundere tenentur; requirimus, ut serio attendant tot iteratis tum S. C. Tridentini inter-

[*n*] Syn. Prov. II. T. 12. c. 6.

[*o*] Vide hic Art. 23.

Interpretis, tum etiam Summ. Pontificum Declarationibus & Decretis, nominatim vero ipsius BENEDICTI XIV. (p) quibus statuitur & definitur, omnes & singulos Pastores tam Regulares, quam Sæculares, (sub quibus Vicarii, seu Deservitores etiam amovibiles & temporarii comprehenduntur) teneri *omnibus diebus Dominicis & Festis de præcepto*, iis etiam comprehensis, quibus populus Missam audire tenetur, licet permissum sit opera servilia exercere, ad Missam celebrandam & applicandam pro suis respective subditis; pro qua applicatione, eleemosynam accipere non possint, sive habeant congruam, sive non; & quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in Diœcesibus aut Parochiis obtinuisset, ut Missa populo non applicetur, eamdem tamen omnino imposterum ab ipsis applicari debere.

Quoad Parochos vero pauperes, seu quorum fructus sunt adeo tenues, ut fere ex Missarum eleemosynis vivant (si forte in nostra Diœcesi tales invenirentur) quamquam & ipsi præfatis diebus Missam celebrare, ejusque fructum populo applicare teneantur; sciant secum a Nobis dispensari posse ex facultate Episcopis ad hoc concessa, ut nimirum, hisce diebus recepto stipendio celebrent; dummodo in Ecclesia Parochiali ad populi commoditatem Missæ Sacrificium offerant, & infra hebdomadam pro suis tot Sacra exonerent & applicent, quot diebus Festivis occurrentibus, juxta particularem alicujus pii Parochiani, aut alterius Benefactoris celebranda susceperant.

Quisque igitur pro conscientiæ suæ exoneratione, hanc constantem Sedis Apostolicæ sententiam, & æquissimam dispositionem in omnibus reverenter amplectatur, & imposterum fideliter sequatur: dum etiam nihil amplius ulli desiderandum superest, ut Nos promptam illius executionem omni studio promovere & urgere teneamur.

Quæ vero a Sacerdotibus singulis, pro reverenti & religiosa sacrosancti Missæ Sacrificii celebratione, cavenda & observanda sunt, inferius dicturi sumus; procedentes modo ad functiones & obligationes ipsis Pastoribus proprias; inter quas ordine sequitur, *Verbi Divini prædicatio.*

XXXIX.

De obligatione, quem habent Pastores prædicandi verbum Dei.

Hæc autem qualis & quanta sit, ut probe inspiciamus, reflectendum imprimis; quod cum Concilii Tridentini Patres censerent, nihil ad animarum ædificationem æque necessarium esse, quam si Dei verbum illis frequenter, & qua par est sinceritate annuntietur; nihil autem ad earum depravationem nocentius, quam ejusdem Divini verbi neglectum; "Eos in Spiritu » Sancto congregatos statuisse, ut Ar» chipresbyteri, Plebani, & quicum» que Parochiales, vel alias curam ani» marum habentes Ecclesias quocum» que modo obtinent, per se vel per » alios idoneos, si legitime impediti » fuerint, *diebus Dominicis & Festis solem» nibus*, plebes sibi commissas pro sua » & earum capacitate pascant salutari» bus verbis; docendo ea, quæ scire » omnibus necessarium est ad salutem; » annuntiandoque eis cum brevitate & » facilitate sermonis, vitia, quæ eos » declinare, & virtutes, quas sectari » oportet; cujus Decreti executionem, » neque consuetudo &c. impedire va» leat." (q)

Quam autem districte prælaudata Synodus Oecumenica, id ipsum præcipiat, & ab omnibus respective adimpleri intendat, inde patet, quod ibidem mandet Episcopis, ut contra negligentes per Censuras Ecclesiasticas procedant, eosque ad id muneris diligenter exequendum compellant. (r)

Sed, quemadmodum hæc jure & merito sufficiunt ad exhibendam & inculcandam summam illam, quam habent Pastores, verbi Dei prædicandi obligationem; ita procul dubio, vinculum

[p] Const. 103. *Cum semper oblatas.* Tom. 1. Bullar. A. 56. Conc. Rom. an. 1725. T. 1. c. 4. De Sacrificio Missæ Tom. 2. Sect. 2.
[q] Trid. Sess. 5. c. 2. de Refor.
[r] Ibid.

culum ostendunt & important, quo populus vice versa, verbum Dei prædicatum in sua Parochiali Ecclesia frequentare teneatur: quam obligationem nihilominus eadem Tridentina Synodus clarioribus verbis asseruit, injungens Episcopis, ut moneant populum diligenter, "teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei;" (s) de quo proinde Diœcesanos nostros hic monere intendimus; & ut per Pastores, Confessarios & Concionatores sæpius moneantur, requirimus & commendamus.

Certe, hæc duo æquissima Tridentini Decreta, si genuino & plano sensu attente considerarentur, haud solum utique frequentior esset ad sacras Conciones Fidelium concursus; major in iis rerum Divinarum notitia, atque inde perfectior vitæ morumque compositio; sed & ipsi Pastores, quod suarum est partium in eo genere, majori zelo & diligentia adimplerent.

XL.

Exstimulata Pastorum in prædicando diligentia.

Non enim dissimulare possumus, quod, quemadmodum gaudio superabundavimus, ubi recognovimus plerosque Pastores huic Divino operi, ac præcipue suæ obligationi laudabiliter incumbere; ita Nobis permolestum acciderit & plane acerbum, nonnullos inveniri ex illis, qui salutaribus verbis populum sibi commissum instituere, non modo negligunt; sed etiam gravissimam culpam falsis rationibus excusare contendunt: quod quidem minus timendum fuisset, si præter Conciliorum & Romanorum Pontificum Decreta, intendissent Antistitum suorum Ordinationibus, quibus hanc gravem obligationem omnibus Pastoribus continuo proponunt, urgent & inculcant; omnesque excusationis causas de medio tollunt, & pro merito reprehendunt.

Ut igitur, tam Pastorum, quam ovium saluti hic etiam consulamus; præcipimus, ut Pastores & Deservitores per totum anni decursum (nisi forte *Adventus & Quadragesimæ* tempore, quo per Stationarios in nonnullis Ecclesiis conciones fiunt) per se, nisi legitime & canonice impediti fuerint, *singulis diebus Dominicis & Festis*, *saltem solemnibus* (paucis exceptis in minoribus Parochiis ruralibus, tempore messis) concionem habeant ad populum; (t) quam item ruri, nunc sub primo, nunc sub summo Sacro fieri curabunt; ut nempe, quod pro omnium salute institui debet, omnibus ad salutem proficere valeat. Commendamus autem Decanis, ut in visitationibus suis, ac sæpius alias, invigilent, sedulo inquirant, & Nobis referant, an Pastores circa prædicta Ordinationi nostræ & Ecclesiæ mandato obediant; ut, si qui adhuc negligentes fuerint, convenientibus mediis, aut etiam censuris aliisve arbitrariis pœnis, prout mandatur Episcopis, (u) eos ad Officium suum reducamus; vel si inidonei reperti, suis impensis alium deputemus, qui eorum vices suppleat. An autem Pastor aliquis aliter, quam per notoriam infirmitatem impeditus, censeri debeat; hoc stare judicio nostro volumus; cujus impedimentum si legitimum judicaverimus, id Pastor impeditus significare debebit suo Decano, uti alias præscriptum fuit. (x)

Quod si in quibusdam Parochiis usus & consuetudo, quæ facile mutari non possint, invaluerint, ut conciones Dominicales aut Festivæ per Religiosos Stationarios fieri debeant; declaramus esse intentionem nostram, ut eo non obstante, illarum Ecclesiarum Pastores, per seipsos singulis quindenis verbum prædicationis ad populum habeant, ea hora, quæ omnibus consideratis, ipsi commodior & utilior judicabitur.

XLI.

(s) Trid. Sess. 24. c. 4. de Refor. (t) Stat. sub Rith. T. 9. c. 1. & 2. post Trid. sup.
(u) Trid. ibid. (x) Decret. RR. D. Delvaulx A. 4.

XLI.

Quales conciones Paſtores ad populum habere debent.

Durum forte moleſtumque multis videbitur, Paſtores permultis aliis negotiis Paſtorale Officium concernentibus, occupatos atque diſtentos, ad tam frequentes conciones obligari. Id quidem fatemur, ſi de politis & elaboratis concionibus agatur; & quibus forte Prædicatores, non tam Dei gloriam, Fidelium ſalutem, & familiarem devotamque verbi Dei tractationem quærunt & intendunt; quam ſui ipſorum admirationem, rerum novarum & abſtruſarum congerie & expoſitione, aut artificioſo verborum lenocinio, conciliare ſtudent: hujusmodi quippe concionum ſicuti exiguus ac pene nullus eſt fructus, ita & compoſitio magni ſolet eſſe laboris & ſtudii; quod certe concionum genus non commendat, neque exigit Eccleſia Chriſti, ſed reprobat.

Verum, conciones & inſtructiones, ſolidæ quidem, ſed obviæ, quales eſſe debent Paſtorum ad plebem, quibus videlicet "cum brevitate & fa" cilitate ſermonis, annuntientur vitia, " quæ eam declinare; & virtutes, quas " ſectari oporteat, " (y) haud dubie facili negotio parari poterunt ab iis, qui vel cum medipcri doctrina, Spiritum devotionis ex quotidiana meditatione, ſtudio Scripturæ ſacræ, & piorum librorum lectione ſibi comparaverint.

Non improbamus tamen, ut in Parochiis ruralibus, concionis loco quandoque majorem Catechiſmum Paſtores inſtituant; dummodo id fiat non tam pro ſuo, quam ovium ſuarum commodo & utilitate; quin inſuper concedimus, ut Vicarii ſeu Sacellani (quibus id etiam injungimus, quo ſeſe ad prædicationis officium aſſuefaciant & exerceant) ſaltem *ſexies per annum*, Paſtoris ſui vice concionem habeant. Multo frequentius concionari illis non permittimus; ne, dum Paſtores ſuo proprio & perſonali officio deſunt, ipſi ſua munia negligant; aut in ſacræ Scripturæ & Theologiæ ſtudio, quo ſe ad examen vel concurſum aſſidue parare debent, non ſatis proficere valeant.

Ubi vero moris eſt, ut intra Miſſarum ſolemnia, lecto Evangelio, fiat populi inſtructio; prout ipſa Tridentina Synodus fieri deſiderat atque commendat; id ubique obſervetur; aut etiam, ſi commode alicubi poſſit, a Paſtoribus introducatur.

XLII.

Commendatur Catechiſmus Tridentinus.

At, quemadmodum verbi Divini prædicatio numquam intermittenda eſt; ita quovis tempore multo ſtudio allaborandum, ut incorrupta & uniformi doctrina, tamquam pabulo vitæ, Fideles ubique nutriantur & confirmentur. (z) Qua de cauſa, iisdem Patribus Tridentinæ Synodi maxime referre viſum eſt, ſi eorum authoritate, certa aliqua formula & ratio Chriſtiani populi ab ipſis Fidei rudimentis inſtituendi traderetur; quam inoffenſo pede in omnibus Eccleſiis ſequerentur, quibus legitimi Paſtoris & Doctoris munus obeundum eſſet: quæ tandem prodiit ſub nomine *Catechiſmi Concilii Tridentini*; qui, ob ſummorum Pontificum, (a) a quibus editus vel approbatus fuit, reverentiam, etiam *Catechiſmus Romanus* appellari ſolet; quem que alii rurſus *Catechiſmum Parochorum* vocant, quod pro eorum uſu & com modo potiſſimum fuerit impreſſus; qui omnes conveniunt, tot eſſe hujus Catechiſmi utilitates, quot numerari poſſunt Eccleſiæ neceſſitates; de quo proinde merito mandavit Epiſcopis Tridentina Synodus, ut eum, dum editus fuiſſet, a Parochis omnibus populo exponi curarent. (b)

Ut igitur tam ſalutari Mandato, quod etiam Ss. D. CLEMENS XIII. hodie feliciſſime regnans innovavit, (c) reverenter obtemperemus, atque in eo tot aliorum Epiſcoporum ſequamur exemplum; omnibus Paſtoribus & Vicariis injungimus, ut prælaudatum Ca

[y] Trid. ſup. [z] Præf. Catechiſmi Trid. [a] S. Pii V. Greg. XIII.
[b] Trid. Seſſ. 24. c. 7. de Refor. [c] In ſua Circulari, an. 1. Pontif.

Catechiſmum ſibi quamprimum comparent, " aſſidue verſent & lectitent, " unde ſacras conciones ad populum " habendas depromant;" (d) ſequendo doctrinæ expoſitionem, explanandi methodum, atque ordinem materiæ, quæ ibidem proponitur: certe, probabit felix experientia, quanto Paſtorum commodo, quantæque Fidelium utilitati *Catechiſmus Romanus* prodierit.

XLIII.

Quid Concionatores in generali attendere debeant.

Reliquos autem Sacerdotes, Paſtorum in hoc ſublimi prædicandi munere Subſidiarios, hortamur, ut & ipſi, memores ſe quoque ad Fidelium inſtructionem & ſalutem promovendam miſſos, digne & fructuoſe ſuum impleant miniſterium; ac Dei plebem *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & Virtutis* (e) prædicando doceant; & docendo, ſermones diſcentium ingenio aptent atque conforment: " Meliùs ſi quidem eſt, ut " nos reprehendant Grammatici, quam " non intelligant populi," aut nullum fructum inde referant. (f)

Quocirca, optamus, eosque monemus cum S. CAROLO, ut omiſſis difficilibus, aut inanibus diſcurſibus, præcipue in ſacri Evangelii, Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, Præceptorum Dei & Eccleſiæ, Sacramentorum, ſacrorumque Rituum dilucida explicatione verſentur; ſemper ſoliciti (quod generatim omnibus Concionatoribus commendamus) ut in ipſo exordio, clare nitideque materiam tractandam auditoribus proponant, cum diviſione & ſubdiviſione; dein in concluſione, principaliora moralis doctrinæ puncta, de quibus ſermo fuerit, reſumant breviter & inculcent; quo ſic utiliter memoriæ audientium occurratur, & quæ audierint, majori fructu percipiant atque retineant.

In reprehendendis vitiis, ita ſe gerant, ut pietatis & charitatis ſtudio eos adductos, non hominum, ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant. Diligentes & vehementes ſint in exagitandis iis vitiis & peccatis, in quibus populum magis volutatum, aut procliviorem viderint; neminem tamen nominatim, vel tacite eum deſignantes, inſectentur; neque in ullum Ordinem Religioſum, ſtatum, vel vitæ genus ab Eccleſia receptum, invehantur.

Caveant etiam, ne Superiores ullos cum audientium offenſione, quæ inde ſequi nata eſt, aſperius objurgent; ſed pie potius admoneant populum, doceantque, præpoſitis ſuis, etiam diſcolis obedire; ac eum ſæpius hortentur ex Apoſtoli ſententia, (g) ut faciat *obſecrationes, orationes &c. pro omnibus hominibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt*; præſertim vero, pro iis, qui *pervigilant quaſi rationem reddituri pro animabus eorum; ut quietam & tranquillam vitam gerant in omni pietate & caſtitate.* (h)

Denique, ita afficere & movere ſtudeant auditores, ut peccata ſua defleant, a viis pravis redeant, & ad virtutes, imprimis vero Dei & proximi amorem, accendantur.

Plura alia ad pleniorem Concionatorum inſtructionem inſervientia, cum in inſtructionibus pro Concionatoribus hujus Diœceſis ſuccincte, ſed abunde ſatis exponantur; illas adeant, ſæpius relegant, & in omnibus ſequantur, reflectentes præcipue ad id, quod ibidem ipſis injungitur; (i) " ut nempe, " tanta in privatis colloquiis, victu, " vitaque quotidiana, gravitate, mo- " deſtia, Eccleſiaſtica diſciplina, aliis " prælucere ſtudeant, ut quod verbis " ædificant, moribus confirment; ſic- " que aliquando uberes laboris ſui fru- " ctus colligere mereantur."

XLIV.

Monentur Concionatores Regulares, ut ſe conforment Tridentini & Statutis Diœceſanis.

Quod hic nominatim ſpectat Regulares cujuscumque Ordinis aut Inſtituti, caveant imprimis, " ne " in Eccleſiis etiam ſuorum Ordinum,

[d] Idem Clem. XIII. ſup. [e] 1. Cor. 2. 2. [f] S. Aug. in Pſ. 138.
[g] 1. Tim. 2. 2. [h] Heb. 13. 17. [i] Inſtruct. Concionat. Art. ult.

" prædicare præſumant, niſi ſecundum " Decretum Concilii Tridentini, a ſuis " Superioribus de vita, moribus & " ſcientia examinati & approbati (qua " ſuper re conſcientiam eorum etiam " ex parte noſtra oneramus) licentiam " ad hoc obtinuerint; cum qua licen" tia perſonaliter ſe coram Nobis præ" ſentare, & benedictionem petere te" neantur, antequam prædicare inci" piant." (k)

" Extra Eccleſias vero ſuorum Or" dinum, nullo modo eos prædicare " permittimus, niſi etiam ad hoc in " ſcriptis obtinuerint licentiam noſtram; " quam priusquam actum prædicatio" nis exerceant, Paſtoribus, in quo" rum Eccleſiis eos concionem habere " contigerit, præſentare teneantur, " etiam ſingulis vicibus, dum prædica" tionis cauſa admitti voluerint;" (l) præſertim extra locum fixæ reſidentiæ: quæ omnia juxta mentem Synodi Tridentinæ & Ordinationum noſtrarum Synodalium, fideliter & exacte obſervabunt impoſterum.

XLV.

Quædam commendantur Stationariis in particulari.

Qui ex Regularibus extra ſuos Conventus in terminis, ut vocant, ad prædicandum verbum Dei fixam reſidentiam habere permittuntur, aut ad certas ſtationes obeundas a Superioribus deputantur; ut & ipſi quod verbis ædificant, moribus confirment, & fructum in Eccleſia Dei afferant uberiorem, ſint ſemper & ubique vitæ exemplaris, & in ſui Ordinis pleno habitu verſentur. Caveant etiam, ne a modeſtia religioſa, & monaſtica diſciplina degenerent; negotiis profanis ſeſe immiſceant; convivia publica ſectentur; potatorum conſortiis interſint; aut hoſpitium in tabernis accipiant, quod etiam ipſis ſpecialiter prohibemus. Quantum Divinum Officium, prædicatio verbi Dei, aut aliæ graves circumſtantiæ patiuntur, ſe tamquam a ſæculo abſtractos, in ſuis domibus aut hoſpitiis contineant; atque in omni actione & converſatione ſua, Regularibus ſuis Inſtitutis & Exercitiis ſeſe conforment. Eleemoſynas, & populi oblationes fideliter, ſed modeſte colligant; omnibus modis jugiter ſoliciti, ne illud Pſalmiſtæ ipſis aliquando exprobrari poſſit vel debeat: *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum... & factum eſt illis in ſcandalum.* (m)

Hunc in finem, ipſorum Regularium Superioribus commendamus, ut circa prædicta ſubditis ſuis diligentiſſime invigilent; ne, ſi quos defectuoſos fuiſſe conſtiterit, eos a ſuis ſtationibus, & ab ipſo prædicandi munere, ad quod "nonniſi irreprehenſibiles & op" timis imbuti moribus deſtinandi & " admittendi ſunt," vel inviti amovere debeamus: (n) idque præſertim, ubi de his ad Nos querelæ fuerint depoſitæ a Decanis vel Paſtoribus; quos etiam rogamus, ut abuſus omnes, qui hic committi poſſent, ſolicite obſervent, delinquentes moneant; &, ſi ſeſe non emendaverint, ad Nos deferant.

Quod ſi contingat, ut ob rationes animum noſtrum moventes, alicui Sacerdoti ſeu ſæculari, ſeu Regulari ad confeſſiones ante approbato, hanc ejus admiſſionem revocemus, aut prorogare differamus; illum ex nunc pro tunc, eo ipſo ab exercitio prædicandi verbum Dei in noſtra Diœceſi ſuſpendimus, & ſuſpenſum declaramus; donec ad hoc novam & ſpecialem a Nobis licentiam obtinuerit; in caſibus ſcilicet & circumſtantiis, in quibus eam de jure a Nobis obtinere debet.

XLVI.

Officium catechizandi Paſtoribus proprium, ipſis commendatur.

Præter ſublime illud concionandi & docendi munus, de quo jam egimus, eſt & id genus aliud proprium Paſtorum officium, *Catechizandi* ſcilicet, ſeu prima Fidei Catholicæ rudimenta parvulis & rudibus tradendi; quod quidem licet paulo demiſſius videatur, haud ideo tamen negligendum; imo, tanto

(k) Stat. ſub Rith. T. 9. c. 4. poſt Trid. Seſſ. 5. c. 2. de Reform.
(l) Ibidem. Item ſub Georg. an. 1629. T. 1. A. 13. & in Inſtruct. Conc. A. 17.
(m) Pſ. 105. 35. (n) Concil. Rom. an. 1725.

tanto potiori ſtudio & affectu incumbendum illi eſt, quanto uberiores ex eo fructus, animarumque proventus colliguntur; dum etiam ad illud eodem jure & præcepto ſtrictiſſime obligantur: *Paſce agnos meos.... Paſce oves meas.* (o)

Hinc factum videmus, ut Prædeceſſores noſtri in tantum ſoliciti fuerint ad catechiſticam inſtructionem promovendam, ut in eum finem quidquid deſiderari poteſt præſcripſerint; præter ea, quæ in Conciliis Provincialibus deſuper fuerant injuncta: quibus iteratis Ordinationibus acceſſerunt etiam Sereniſſimorum Principum noſtrorum Authoritas & Edicta.

Cum nihilominus Nobis conſtet, nonnullos in hac noſtra Diœceſi Paſtores haud ſatis conſiderare gravem, quæ ipſis hac in parte incumbit, obligationem: ne Nobis quandoque exprobrari debeat illud Jeremiæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; (p) Mandamus, ut ſinguli Paſtores per ſe, aut per alios idoneos Sacerdotes, ſi legitime impediti, aut excuſati fuerint, *Dominicis & Feſtis diebus*, (q) quacumque excuſatione ſepoſita, ante vel poſt Veſperas pueros, ſuo ordine & loco per Eccleſiam diſpoſitos, (maribus a puellis ſemper ſeparatis) Doctrinæ Chriſtianæ principiis ac rudimentis ſenſim imbuant; aut ſi forte id onus alteri incumbat, ei diligentiſſime ſuperintendant; ac unam ſemper eamdemque docendi regulam & methodum obſervent; vel ab aliis, ad quos ſpectare poterit, tam in Eccleſia, quam in Scholis, aut alibi obſervari faciant: requirentes præterea, ut præter antiquum Catechiſmum Provincialem, ſeu Mechlinienſem, cum Appendice addito a Prædeceſſore noſtro immediato (& quem ſemper adhiberi & doceri volumus, conformiter ad id, quod alias ordinavimus) adhibeant novam Inſtructionem catechiſticam, quam nuper ſub nomine & authoritate noſtra edi curavimus; in qua, præter compendioſam præfati Catechiſmi, & ſui Appendicis repetitionem, eas petitiones & reſponſiones adjecimus, quæ pro ipſorum ſupplemento, & ſufficientiori juventutis Chriſtiana inſtitutione, ejus præſertim, quæ ad primam Communionem diſponitur, poſſunt & inſervire debent: quam catechizandi methodum per ſpeciale Mandatum (r) in tota noſtra Diœceſi præcepimus impoſterum obſervari, & in quantum opus eſt, per præſentes iterato præcipimus, ob rationes jam dictas, aliasque ibidem latius deductas: mandantes Decanis, quatenus curent & invigilent, ut hæc noſtra Ordinatio promptam executionem, ac plenum ſuum effectum ſortiatur.

XLVII.

Ad quos præterea hoc Officium Paſtorale ſe extendere debeat.

Nec Dominicis dumtaxat Feſtiſque diebus, aut in Eccleſiis tantum Panis ille cœleſtis pueris, rudibuſque frangendus eſt; ſed alibi quoque, multoque ſæpius, excurrendo ad agros, ad ſylvas, ad vicos, Principis Paſtorum exemplo, qui *Civitates & Caſtella* indefeſſe obibat, *prædicans, & evangelizans Regnum Dei*; (s) *ut*, quos ibi offenderint parvulos aut rudes, meſſe vel pecorum cuſtodia impeditos (quales ruri in ſingulis Parochiis invenire eſt) paſcant verbo vitæ; ut & ipſi, quorum ſalutis cura, & ſingularis ſolicitudo Paſtoribus utique demandata eſt, "pœnam " æternam evadere, & cœleſtem glo- " riam, ad quam creati ſunt, conſequi " valeant." (t) Quam juſte ac merito timendum, ne ex his plurimi, qui omnes etiam JESU CHRISTI Sanguine redempti ſunt, a via æternæ ſalutis aberrent, defectu neceſſariæ inſtructionis, quam eorum Paſtores, nulli labori parcendo, eis impendere debuiſſent!

Et quia tam ruri, quam in civitatibus etiam contingit, ut reperiantur homines non adultæ tantum, ſed provectæ, quin & decrepitæ ætatis, maxime inter pauperes & plebeios, qui præcipua Religionis noſtræ myſteria, & prima Fidei rudimenta ignorant; & quod magis lamentabile, cum parvulis cate-

(o) Jois 20. 15. & 18. (p) Thren. 4. 4. (q) Trid. Seſſ. 24. c. 4. de Refor.
(r) De 16. Decemb. 1766. (s) Luc. 8. 1. (t) Trid.

catechiſticas inſtructiones accedere verecundantur: illorum quoque ſaluti, quantum in Nobis eſt, conſulere cupientes, injungimus Paſtoribus, ut ſaltem in Pagis & Parochiis ruralibus (quod etiam ubique fieri deſideramus, & ut fiat, zelo ac diſcretioni illorum Paſtorum committimus) obſervent imposterum, quod alias tam in Synodo Provinciali ſecunda, (u) quam Diœceſana noſtra de anno 1629. (x), ſalubriter inſtitutum eſſe dignoſcitur; ut videlicet, ſeu ante, ſeu poſt concionem, recitent, vel per alios recitari faciant alte, tractim, intelligibili voce & lingua vernacula "Orationem Dominicam, " Salutationem Angelicam, Symbo- " lum Fidei, Præcepta Decalogi & Ec- " cleſiæ, ac ſeptem Sacramenta: qui- " bus addent, actus Fidei, Spei, Cha- " ritatis & Contritionis, ſecundum formulam & tenorem, quem in noſtra Inſtructione catechiſtica præſcripſimus.

XLVIII.

Frequens exercitium actuum Fidei &c. omnibus inculcandum.

Cum hic horum actuum mentio inciderit, ad quos frequenter eliciendos, Fideles omnes ſpeciali præcepto obſtringuntur; (y) ſic agant Paſtores & Catechiſtæ, ut tam adulti, quam parvuli, quantum, & quamprimum capaces ſunt, ſciant & intelligant, quam utilis, quamque etiam neceſſaria ſit cuivis homini Chriſtiano, frequens & devota illorum actuum repetitio: item, quod ſit illarum virtutum *materiale*, quod *formale objectum*; quibus verbis, qua etiam mentis & cordis attentione actus illos proferre & iterare debeant. Dein exponant ſæpius, quæ ab unoquoque neceſſario & explicite credenda ſunt *neceſſitate medii*; quæ, neceſſario *neceſſitate præcepti*; quamque diverſum ſit, ſcire tantum, & credere, quæ credenda ſunt: ac tandem frequentius moneantur de indulgentiis, quas Ss. D. BENEDICTUS XIV. ad promovendum frequens horum actuum exercitium omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus, per Breve Apoſtolicum conceſſit; cujus extractum hic ad calcem adjungimus, cum formulis illorumdem actuum, ex Catechiſmo noſtro deſumptis.

Ut actibus illis eliciendis, ac præfatis indulgentiis lucrandis etiam pueri ſenſim aſſueſcant, inſuper requirimus, ut Catechiſta ſemper finiat Inſtructionem ſuam catechiſticam alta voce prælegendo pueris, (qui eum ore & corde comitentur) Fidei, Spei & Charitatis actus: quod etiam, ut in Scholis ſemel ad minus indies, Ludimagiſtri obſervent, deſideramus.

XLIX.

Pueri tempeſtive ad confeſſiones erudiendi, & admittendi.

Præterea, quæ ad piam & Chriſtianam parvulorum inſtitutionem, quam numquam ſatis Paſtoribus commendatam credimus, plurimum refert, ut modum & praxim confitendi peccata, dum primum offendendi Deum capaces ſunt, diſcant, & rite exerceant: curent imprimis, non tantum ut pueros circa Pœnitentiæ Sacramentum diligenter inſtituant; ſed illorum quoque confeſſiones, licet quintum ſextumve ætatis annum nondum expleverint, (z) excipiant quotannis, & etiam ſæpius; eosque piis & blandis monitionibus fovendo, & ad frequentiorem confeſſionis uſum alliciendo, ad virtutem etiam excitent; & in ea a teneris erudiant, *donec formetur Chriſtus* (a) in eis.

Caveant igitur Paſtores, cæterique Confeſſarii, ne prætextu minoris ætatis in parvulis, a regula, quam hic præſcribimus, ſe abduci patiantur; quaſi nondum ad uſum rationis, qui ad peccandum ſufficere debeat, pervenerint, quorum confeſſiones tam anxie audire injungimus: ad hoc enim ſufficere debet, quod ſi non in omnibus, ſaltem in pluribus, quamvis ſint adhuc in ætate tenera, malitia ſuppleat ætatem; & peccata lethalia inveniri poſſint, aut etiam quandoque inveniantur, ut ſentiebat S. *Carolus*, & infelici nimium experientia compertum eſt.

Quo

(u) Tit. 11. C. 1. (x) Tit. 1. A. 14. (y) Bened. XIV. Inſtit. 72. n. 20.
(z) S. Carol. Inſtr. Confeſſar. (a) Gal. 4. 19.

Quod ad modum attinet, quo hujusmodi parvuli inter confitendum examinari debent, ubi ſufficiens apparet materia & malitia; Confeſſarii ſint providi & circumſpecti, ne forte, quæ ante ignorabant, ipſos edoceant, & ad petram ſcandali tenellas animas miſere allidant. In nullo caſu reprehenſiones aſperas ætati illi corrigendæ adhibeant; adblandiantur potius; laudentque candorem, aut aliud quidquam, quod laude dignum in ipſis obſervaverint, ne alias a confitendo abſterreantur. Nec vero ipſe Dominus & Magiſter noſter, oblatos ſibi parvulos unquam redarguit; ſed *complexans eos & imponens manus ſuper illos, benedicebat illos,* (b) atque ad ſe perbenigne alliciebat: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis illos; talium eſt enim Regnum Cœlorum.* (c)

L.

Quando & quomodo pueri ad 1. Communionem admitti debeant.

Ex hac admirabili ſupremi Paſtoris erga parvulos benignitate ac tenero affectu, inſuper colligere eſt, quantum eos donis ſuis ac gratiis abundantius cumulare deſideret, atque invitet, ut ſint *ſicut novellæ Olivarum in circuitu menſæ ſuæ;* (d) ubi, *ex adipe frumenti, & de petra melle* (e) paſti & ſaturati, creſcant gratia, ac cœleſti ſapientia indies magis magisque proficiant.

Quare, Paſtores ſolicite allaborent, ne ullus impoſterum primam Communionem deferre debeat ultra annum ætatis duodecimum. Si quos autem inveniant (invenient autem ſæpius) qui ante ætatem illam ſufficientem rationis uſum, ſeu, ut Synodus noſtra Provincialis ſecunda (f) cum Lateranenſi quarto loquitur, *annos diſcretionis* attigerint, etiam citius eos ad Menſam hanc cœleſtem diſponant & adducant; ut *in fortitudine cibi illius* (g) acrioribus diaboli ſtimulis, & innocentiæ offendiculis reſiſtentes, eant *de virtute in virtutem.* (h) *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* (i)

Memores, quod alias Diœceſis noſtræ Parochos exhortati ſimus, quatenus ſummum ſtudium in eo ponant, atque efficiant, ut " *Prima puerorum* " *Communio*, eo inſtituatur devotionis " cultu, eo ſolemnitatis apparatu, qui " tam ipſis communicantibus, quam " adſtanti populo Divini Myſterii ex- " cellentiam demonſtrent, ejusque " amorem & deſiderium accendant: " Hic ſolum requirimus, ut quæ alias in eum finem per ſpeciale Decretum (k) ſtatuimus & ordinavimus, ea ab omnibus Paſtoribus, & in ſingulis Parochiis religioſe & uniformiter obſerventur; deſiderantes tamen, ut hæc ſacra cæremonia uno eodemque præfixo die per ſingulos Decanatus peragatur; de quo Decani cum Paſtoribus ſuis proxime conferent, & quod reſolverint Nobis exponent.

LI.

De Scholis. Commendatur earum cura ſingularis.

Neque hic ſiſtit erga parvulos cura noſtra paterna: cum enim juventus ſemen ſit reipublicæ, cujus totius ſalus pendet propemodum a Chriſtiana puerorum educatione ac recta inſtitutione, quæ in Scholis maxime juvari & promoveri debet; enixe commendamus, ut Paſtores, Magiſtratus, & notabiles ſingularum Parochiarum incolæ, ea quæ tam Eccleſiaſtica, (l) quam Civili Poteſtate, ac nominatim Principum noſtrorum Edictis, (m) pro hujusmodi Scholarum erectione, conſervatione, & felici regimine injuncta ſunt, diligentiſſime obſervent, & per alios reſpective curent obſervari.

Ut vero Scholarum ſucceſſus earum fini & inſtitutioni plenius reſpondeat; cum prima cura habenda ſit circa Magiſtros & Magiſtras, a quorum capacitate & morum integritate, Scholarium

(b) Marci 10. 16. (c) Ibid. ℣. 14. (d) Pſ. 127. 3. (e) Pſ. 80. 17. (f) T. 7. C. 5. (g) 3. Reg. 19. 8. (h) Pſ. 83. 8. (i) Zach. 9. 17. (k) Epiſt. noſt. Circul. de 24. Mart. 1766. (l) Stat. Diœceſ. ſæp. poſt Syn. P. 2. t. 20. (m) Edict. ad eamd. Syn. A. 1.

larium debita inſtitutio & inſtructio præcipue dependet; hinc omnes, ad quos ſpectat, monitos volumus & attentos, ut quantum per ipſos ſteterit, nonniſi qui vitæ & morum probitate ſunt commendabiles, ac ſufficienter arte literaria inſtructi, illis dirigendis præficiantur; quique ulterius in ſua admiſſione, Profeſſionem fidei emittere teneantur, iis in locis, ubi eſt Scholaſticus, in ejus manibus; alibi vero, in manibus Decani Chriſtianitatis, prout tam Synodi Provinc. II. (n) quam Principum authoritate, (o) provide quidem ac religioſe ordinatum fuit, ſed quod hoc tempore obſervari negligitur. Additur in Edicto ad prælaudatam Synodum Provinc., (p) Nemini licitum Scholas tenere ad inſtruendos ſive maſculos ſive puellas, niſi præhabita licentia Scholaſtici, ſi ibidem aliquis fuerit, vel alias ipſius Decani, & primarii Officialis: quorum omnium executionem tum Paſtoribus, tum Decanis, quantum ad eos ſpectare poteſt, ſolicite commendamus, & per eos etiam nomine noſtro promoveri requirimus; hortando Magiſtratus & Regios Officiarios, ut quod muneris ſui hic eſt & obligationis, fideliter exequantur.

Ut autem debito ordine, & feliciori profectu Scholarum inſtitutio promoveatur, Scholæ Scholaſticis ſubjectæ, ab iisdem; cæteræ vero omnes, a Decanis, vel aliis per Nos deputatis, aut deputandis, ſingulis ſaltem ſemeſtribus viſitentur; (q) qui omnes ſingulorum diligentiam in legendo & ſcribendo explorent; de modeſtia & pietate eorum inquirant; eos ad frequentationem Catechiſmi alliciant; de principiis Doctrinæ Chriſtianæ, & in Lectionibus Catechiſticis progreſſu, de Oratione matutina & veſpertina, de modo Confeſſionis inſtituendæ, inſerviendi Sacro, ſimilibusque ad uniuscujusque captum, breviter examinent; nihilque omittant eorum, quæ ulla ratione teneram ætatem juvare, & utiliter dirigere poſſe judicabunt: quorum omnium curam & ſolicitudinem etiam Paſtoribus commendamus; in locis præcipue, in quibus non reſidet Scholaſticus, aut ad quæ Decanis nonniſi difficilis datur acceſſus.

Præter ea, quæ circa puerorum inſtitutionem & profectum, in Scholarum viſitatione fieri & examinari debent, inſuper attendendum, an, & qualiter ipſi Ludimagiſtri & Magiſtræ ſuo erga Scholares defungantur officio; an inſtruendæ erudiendæque juventuti ſe ſedulo impendant; modum convenientem in regendis Scholaribus teneant; quos libros illis prælegant; legendos tradant, aut legere & diſcere permittant; illis ſevere prohibendo, ne ullos alios adhibeant, aut adhiberi ſinant, quam qui pueris pietatem, morumque honeſtatem inſtillare valeant; an denique, omnem ſolicitudinem & prudentiam habeant, ne tenera ætas in Scholis a ſociis corrumpatur, ſed in Baptiſmali innocentia, quantum fieri poteſt, conſervetur.

LII.

Scholæ Dominicales inſtituendæ & promovendæ.

Sed quia non omnes quotidianas Scholas frequentare permittuntur, dum multi, etiam ab ineunte ætate, artificiis vel domeſticis occupationibus a parentibus detinentur, de quorum Chriſtiana educatione Paſtores tanto magis debent eſſe ſoliciti; optamus vehementer, ut quæ de *Scholis Dominicalibus* inſtituendis, aut jam inſtitutis conſervandis, item utraque poteſtate utiliſſime ſtatuta ſunt, in ſingulis Parochiis obſerventur: requirentes propterea, ut non tantum Paſtores, eorumque Vicarii, ſi forte in ſua Parochia hujusmodi Schola nondum erecta ſit, pro ea quamprimum erigenda omnem operam diligentiamque impendant; ſed etiam eas omnes, quæ jam erectæ, aut erigentur impoſterum, nedum ulla ratione interire patiantur, at omni modo protegere & promovere ſtudeant; & quantum per Eccleſiaſtica Officia eis licuerit, opera ſua & vigilantia ſuperintendant.

Ubi

(n) T. 1. C. 3. & 4. (o) Ibid. ſup. (p) Item A. 1.
(q) Synod. Prov. II. T. 20. c. 4.

Ubi vero aptior locus Scholis Dominicalibus erigendis non invenitur, permittitur, ut (extra horas Divini Officii) in aliquo remotiori loco ipsius Ecclesiæ Parochialis instituantur; ita tamen, ut quantum fieri potest, omnis irreverentia aut immodestia puerorum aliorumve studiose cohibeatur. (r)

LIII.

Media; quibus Scholæ Dominicales debeant promoveri.

Et ne quid obstet, quo minus Respublica omnem fructum & utilitatem ex præfatis Scholis consequatur; rogamus Magistratus & Baillivos, ut ex parte sua etiam curent, eas a pueris & juvenibus diligenter frequentari, saltem donec eorum, quæ Doctrinæ & Religionis Christianæ sunt, mediocrem gustum & profectum ostenderint; "mandentque in omnibus Parochiis abstineri diebus Dominicis & Festis, quibus in Scholis juventus instituitur, a tripudiis, aliisque insolentiis, quibus juvenes a frequentatione Scholarum hujusmodi distrahi possent, idque sub pœnis arbitrio eorum imponendis." (s) Addit eadem Synodus Provincialis prima, "ut ipsi quoque Episcopi per suas Diœceses in singulis Parochiis, sub certis pœnis similem prohibitionem ipsorum nomine fieri procurent." (t) Quod quidem serio proponimus efficere, quantum in Nobis erit & ad Nos spectare poterit, ubi ad hoc a Pastoribus fuerimus requisiti. Pauperes vero, qui plerumque circa prolium suarum educationem negligentiores deprehenduntur, per substractionem eleemosynarum mensæ pauperum cogantur, ut quas habent proles ad has Scholas mittant.

Hortamur denique Pastores, ut tam e suggestu, quam privatim parentes omnes frequenter admoneant, ut pueros suos ad Scholas mittere non omittant; eos domi bonis moribus, verbis & exemplis instruant; atque ea, quæ ad Doctrinam Christianam pertinent, sedulo edoceant, illa crebro, quæ in Scholis aut Catechismis didicerint, repetentes, si vel ipsi ad hoc sufficienter sint instructi.

Cæterum tam in Dominicalibus, quam aliis quibuscumque Scholis, masculi a viris, puellæ a mulieribus tantum doceantur: aut certe, ubi id obtineri nequit, saltem horis, vel locis seu interstitiis masculi a puellis separatim instruantur. (u)

Tandem, cum experientia constet, prærequisita omnia feliciorem habere successum, si pueri ad Scholarum ac Catechismi frequentationem alliciantur præmiolis & munusculis, quorum distributio ex ærario publico Parochiarum aut Civitatum, vel ex liberalitate ipsorum Pastorum & piorum Parochianorum fieri solet; optamus tam piam utilemque praxim in omnibus locis observari, & a Pastoribus tum verbo, tum exemplo promoveri.

LIV.

De administratione Sacramentorum. Quid in ea observandum.

Cum Ecclesiæ *Sacramenta*, quorum administratione præcipue omnes animarum curam habentes oves suas pascere tenentur, "ea sint, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur; (x) quibus nihil etiam sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis Divinum haberi constat in Ecclesia Dei;" (y) hinc patet non modo, quantum honoris & dignitatis horum Ministris accedat, ex supernaturali illis concessa potestate dona illa cœlestia dispensandi; sed etiam, quantum diligentiæ & solicitudinis in dispensatione illa debite exequenda ab ipsis requiratur; nominatim vero a Pastoribus; quibus cum totius Parochiæ cura spiritualis incumbat, etiam Sacramen-

(r) Stat. sub Rith. T. 23. c. 3. Synod. Provinc. I. T. de Schola Domin. c. 3.
(s) Ead. Synod. Provinc. loco cit. (t) Ibid.
(u) Utraq. Syn. Provinc. Stat. sub Georg. an. 1630. T. de Schol. A. 4.
(x) Trid. Seff. 7. in Procem. (y) Ritual. Roman.

cramentorum adminiſtratio ipſis jure ordinario competere dignoſcitur; quosque propterea præ cæteris, ut horum Miniſterio digne & laudabiliter defungantur, hortari & animare intendimus.

Quam ob rem, monemus eos imprimis, poſt Manuale noſtrum, ut integre, caſte, pieque vitam agant; nec unquam cum mortalis peccati conſcientia Sacra tractent vel conferant; ſed, ut ante confiteantur; aut ſi deſit eis copia Sacerdotis, de admiſſo peccato doleant; ſerio proponentes id prima occaſione confiteri. (z)

Quacumque diei aut noctis hora ad Sacramenta adminiſtranda Paſtor vocatus fuerit, nullam officio ſuo præſtando (præſertim ſi neceſſitas urgeat) moram interponat; nec ulli umquam deſit, pro paupere æque ac divite ſolicitus; ne ſua culpa vel negligentia pereat anima, quam Chriſtus Dominus Sanguine ſuo mercatus eſt.

Sæpe etiam, prout ſeſe offeret occaſio, Paſtores populum moneant & jubeant, ut, cum ſacro eorum miniſterio opus fuerit, ſeſe quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuscumque incommodi habita ratione: tantum abſit, ut aliquem Paſtoris ſui opem aut miniſterium requirentem, durioribus verbis excipiant.

Et ut vitetur quæcumque occaſio, ne quis Sacramentis Eccleſiæ non munitus e vivis excedat; præter ea, quæ in hunc finem hic ante requiſivimus, (a) attendant omnes Statuto & Ordinationi Synodali ſub RR. D. MASIO, (b) ubi graviſſima pœna in Paſtores decernitur, ſi quis eorum negligentia ſine Baptiſmo, ſacro Viatico, aut Extrema Unctione e vivis exceſſerit.

LV.

Sacramenta debent adminiſtrare in ſuperpelliceo, & reverenter.

In omni Sacramentorum adminiſtratione, Paſtor vel quivis alius Sacerdos, ſuperpelliceo ſit indutus, & deſuper ſtola ejus coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit; niſi in Sacramento Pœnitentiæ, vel conſuetudo, ut in Regularibus paſſim; vel locus aut neceſſitas aliter ſuadeat. (c) Dein accedens coram Altari paululum ſacræ rei, quam acturus eſt, meditationi vacabit; ac devote dicat Orationem, quæ hic in Manuali præſcribitur: *Adeſto, Domine &c.*

Verba omnia, præſertim Sacramentalia, pronuntiet integre, graviter, diſtincte, ac intelligibili voce; ſeque tam religioſum ac prudentem ſemper adhibeat, ut populo Dei nihil afferat offendiculi; ſed potius exemplo ſuo cunctos ad Sacrorum reverentiam & devotionem provocet: quo plurimum certe conferet, ſi recepti & approbati Eccleſiæ ritus, pro ſolemni Sacramentorum adminiſtratione tam generaliter, quam ſpecialiter in Manuali noſtro præſcripti, qui etiam in minimis ſine peccato negligi, omitti, vel mutari non poſſunt, (d) peculiari ſtudio ac Religionis affectu cuſtodiantur, & obſerventur; quodque ante omnia ſciri & obſervari debere, monet Rituale Romanum ſupra.

Quod attinet ad monitiones, quæ ad ſuſcipientium Sacramenta, vel adſtantium inſtructionem prælaudato Manuali noſtro inſeruntur; etſi neceſſarium non ſit, ut Paſtores, aliive Sacramentorum Miniſtri, ſemper & ubique eas totas adhibeant; nihilominus, ne populus rerum Divinarum ignorantia, in Sacramentorum negligentiam aut contemptum adducatur, Paſtores, cæterique, ad quos ſpectare debet, ſint ſoliciti, ut juxta Concilii Tridentini Decreta (e) & Synodales Ordinationes, (f) in Sacramentorum adminiſtratione eorum inſtitutionem, virtutem & efficaciam, ac cæremoniarum ſignificationes præſentibus exponant, prout loco, tempori & perſonis convenire judicabunt: præterquam quod ſæpius per anni decurſum, tam in concionibus, quam catechiſmis hanc materiam fuſius tractare & explicare debeant.

LVI.

(z) Man. Iprenſ. in præſcript. general. (a) Art. 24. (b) T. 8. C. 5.
(c) Rit. Roman. de adminiſtratione Sacrament. in general.
(d) Paſt. Mechlin. poſt Trid. Seſſ. 7. can. 13. (e) Seſſ. 24. can. 7. de Reform.
(f) Syn. Prov. II. T. 2. c. 3. Diœceſ. ſub Rith. T. 11. c. 3. poſt. Rit. Roman.

LVI.

Hic cavenda omnis Simoniæ aut avaritiæ suspicio.

Cum autem maxime deceat, ut Sacramentorum Ministri ab omni Simoniæ & avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absint; quisque diligentissime caveat, ne in eorumdem administratione quavis de causa vel occasione, aliquid directe vel indirecte petat aut exigat: (g) Si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a Fidelibus offerri soleat, id licite quidem, sed modeste, pro recepto locorum more accipere poterit.

Similiter, omnem pactionem pro quarumcumque rerum benedictione, aut alio quovis ministerio Ecclesiastico, (h) utpote cæteroqui illicitam & scandalosam, hic insuper sub gravi prohibemus: *Gratis accepistis, gratis date.* (i)

Jura tamen matrimonialia aut funeralia, quæ juxta laudabilem consuetudinem, vel taxam a Superioribus constitutam, aut eorum consensu approbatam, tamquam debitum honorarium, seu vitæ stipendium, Pastoribus aliisque Ecclesiæ Ministris præstari consueverunt, non tantum accipi, sed etiam peti & exigi possunt, contumaces juris remedio, si opus fuerit, compellendo. Suademus tamen, ut quisque in horum jurium petitione, omnem conservare studeat moderationem & circumspectionem, ne immisericordiæ, turpisve quæstus notam incurrat, indeque a Laicis Sacerdotum ministerium vituperetur, aut Sacrorum usus vilescat. *Sic igitur nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei.* (k)

LVII.

Sacramenta debent dispensare fideliter.

Hic *jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur:* (l) Neque solum hic, sed præsertim in futuro Divini judicii examine inquiretur exactissime, *quis inter Dispensatores fidelis* inventus sit; quis illo dispensandi munere fideliter functus? Unde intelligimus, quod quo major, & sublimior est ipsorum Sacramentorum dignitas & excellentia, quo salubrior & uberior eorum fructus, quo majori religione, & pietate tractanda; eo quoque diligentiori cura & solicitudine, eoque maturiori judicio fideli populo sint dispensanda. Hinc videant Sacramentorum Ministri, ac inter illos Pastores præcipue, quæ sibi incumbat obligatio, ut quantum Spiritus Dei & prudentia suggesserit, de statu & dispositione suscipientium, juxta cujusque Sacramenti exigentiam, cognoscant; omnemque diligentiam adhibeant, ut Fideles omni qua par est reverentia & devotione, ad Sacramenta suscipienda quovis tempore se præparent & adornent; ne impietatis & sacrilegii reatui communicantes, Dei iram & indignationem super se, & super populum inducant.

Quoad excommunicatos vero aut peccatores publicos, prudenter observent, quæ in Manuali præscribuntur. In rebus hujuscemodi dubiis, quæve negotium facessere possent, ne procedant Nobis inconsultis.

LVIII.

Sacramenti Baptismi administratio non differenda.

Sacrum Baptisma, Christianæ Religionis & æternæ vitæ janua, quod inter alia Sacramenta a Christo Domino instituta, primum locum tenet, cum cunctis ad salutem necessarium esse testetur ipsa Veritas; merito curare debent Pastores, eorumque Vicarii, ut hujus summam necessitatem attendentes, statim ac requisiti fuerint, se paratos ad illud administrandum offerant; neque ex ulla causa, etiam ob id forte, quod infans baptizandus ex concubitu illegitimo sit conceptus, Baptismum administrare differant.

Sæpe quoque parentes admoneant, ut proles suas quamprimum in Ecclesia baptizari curent; ne forte ipsorum culpa aliquem absque Baptismo, cum certo æternæ salutis dispendio, e vita migrare contingat. Infantem asse-

(g) Rit. Roman. (h) Man. Iprens. præscript. 10. (i) Matt. 10. 8.
(k) 1. Cor. 4. 1. (l) Ibid. ℣. 2.

curare, ut vocant, seu Baptismum illi conferre sine solemnitate, vel cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, etsi postea in Ecclesia supplendis, cum nulli liceat extra casum necessitatis, expresse prohibemus id fieri, etiam sub prætextu quod susceptores diutius expectandi sint, nisi ad hoc specialem licentiam a Nobis obtinuerint.

LIX.

Quæ hic præterea observanda.

Baptizandorum *Catechismus*, seu solemnes interrogationes, quibus susceptores baptizandi nomine compellantur: *An Satanæ abrenuntient &c*, *an credant in Deum &c.*, fiant idiomate vernaculo, quod susceptores intelligunt; prout post Pastorale *Mechlin.* etiam in aliis Diœcesibus hujus Provinciæ passim ordinatur & observatur.

Fideles quoque, qui præsentes adstant, pie, religiose, omnique animi attentione adesse moneantur; utque ipsi mente submisse & studiose repetant, quæ Deo, cum Baptismum susceperunt, sancte spoponderunt.

Quoad Susceptorum officium & obligationes, observent Pastores, quæ in Statutis & Manuali nostro ipsis præscribuntur; fidelesque sæpius moneant, ut in prolium suarum Baptismo eos potius patrinos & matrinas eligant, qui eorum animæ consulere, quam qui inopiæ subvenire possint.

LX.

Baptismus non temere iterari debet sub conditione.

Quanta autem cautela Baptismus *sub conditione* ministrandus sit, præter Romanum Pontificem BENEDICTUM XIV. in suo præclaro Opere *de Syn. Diœc. L. 7. C. 6.* provide item, & sapienter exponit *Catechismus Romanus* (*m*) his verbis: "Qua in re " tamen, diligenter a Pastoribus aliqua " providenda sunt, in quibus fere quo- " tidie non sine maxima Sacramenti in- " juria peccatur. Neque enim de- " sunt, qui nullum scelus admitti posse " arbitrentur, si quemvis sine delectu, " cum adjunctione illa baptizent: qua- " re, si infans ad eos deferatur, nihil " prorsus quærendum putant, an is " prius ablutus fuerit; sed statim eis " Baptismum tribuunt. Quin etiam, " quamvis exploratum habeant domi " Sacramentum administratum esse, ta- " men sacram Ablutionem in Ecclesia, " adhibita solemni cæremonia, cum ad- " junctione repetere non dubitant; " quod quidem sine sacrilegio facere " non possunt, & eam maculam susci- " piunt, quam Divinarum rerum Scrip- " tores irregularitatem vocant. Nam " ea Baptismi forma, ex ALEXAN- " DRI Papæ authoritate in illis tantum " permittitur, de quibus re diligenter " perquisita, dubium relinquitur, an " Baptismum rite susceperint; aliter " vero numquam fas est, etiam cum " adjunctione Baptismum alicui iterum " administrare."

LXI.

Hic religiose observentur, quæ Statuta præscribunt.

Ubi ergo ad Ecclesiam defertur infans, domi baptizatus, Sacerdos non statim, aut levibus tantum de causis, ei Baptismum *sub conditione* conferat; sed tunc ante omnem actionem, diligens fiat a Pastoribus, aliisve Ministris inquisitio, an qui infantem baptizavit, debitam formam & materiam adhibuerit? Cognito autem, neque circa materiam, neque circa formam erratum esse, sed substantialia Baptismi rite adhibita; tunc Minister omissis substantialibus hujus Sacramenti, quæ reliqua sunt, suppleat. Si vero post inquisitionem debitam certo cognoverit, illum, qui se baptizasse dicit, vel alia materia, quam vera aqua, baptizando usum fuisse; aut non veram formam servasse; tunc ipse Pastor ad administrandum hoc Sacramentum simpliciter procedat, tamquam nihil ab alio circa illud tentatum fuisset. Sed si post diligentem inquisitionem, justam dubitandi rationem habeat, an hoc Sacramentum sub debita forma atque materia, infanti administratum sit, nec ne; aut etiam cognoverit, obstetrices, quæ se

(*m*) De Sacram. Bapt. A. 56.

se baptizasse dicunt, adeo leves esse, ut ipsis certa fides adhiberi non possit, neque per alios probari potest, quod omnia sint legitime adhibita; tunc ipse Pastor ad administrationem sub solitis precibus & cæremoniis procedat; sed substantialia verba conditionaliter proferat dicendo: *N. Si non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* (n)

Idem, cum proportione, advertent & observabunt Pastores circa eos, qui baptizati sunt ab hæreticis: neque a regulis illis, quæ universalis Ecclesiæ doctrinam & praxim exponunt, doctissimum Rituale nostrum vel in minimo recedit, ut consideranti patebit. Baptizati vero ab hæreticis, qui rectam baptizandi formam, aut debitam materiam non retinent, denuo *absolute* baptizati debent.

Cum regulariter rationabilis subsit dubitatio, de Baptismo infantibus *expositis*, aut *inventis*, saltem valide collato, sive sal ipsis appositum sit, vel schedula collo appensa, sive non; semper sub conditione baptizandi sunt; notando in Registro, ubi, quo die, & a quo reperti fuerint. (o) Unicum casum excipimus cum Concilio *Carthaginensi Can.* 6. " nisi inveniantur certissimi testes, " qui eos baptizatos sine dubitatione " testentur."

Cæterum, a quocumque infans in casu necessitatis, etiam valide baptizatus fuerit, postmodum ad Ecclesiam deferatur, ut cæremoniæ Ecclesiasticæ ante & post adhiberi solitæ, diligenter suppleantur; neque tunc certe carituræ suo effectu.

LXII.

Quomodo Vota Baptismalia debeant innovari, & Baptismus describi in Registro.

Pastores tam in ipsa administratione Baptismi, quam alias sæpius, moneant doceantque Fideles, quomodo diem Baptismi ex institutione Patrum (p) quotannis ardentiori prece, eleemosyna, omnique charitatis opere & spiritualis gaudii celebritate recolant; memores, se quidem hac die a diaboli servitute liberatos, & mancipatos Deo; sed etiam universæ legis ejus faciendæ debitores factos esse. In quem finem, in usum revocari jussimus annuam & solemnem *Votorum Baptismalium* innovationem; quæ, Deo favente, per totam Diœcesim fructu plurimo & magna ædificatione jam cœpit observari, ut observetur imposterum denuo injungimus; rogando Pastores, ut Fideles opportune moneant de Indulgentiis, quas ea occasione lucrari possunt.

Antequam infans ex Ecclesia deferatur, & susceptores recesserint, eorum nomina, aliaque circa administratum Baptismum exacte nitideque describantur in ipso Registro Baptismali, manu propria ipsius Sacerdotis baptizantis, aut certe alterius ad hoc expresse a Parochis deputati, servatis, servandis. Ubi vero in casu aliquo necessitatis infans domi ab obstetrice, aliave persona baptizatus fuerit, id etiam a Pastore in Registro annotari volumus: hujuscemodi autem acta describi in charta aliqua volante, etsi brevi post in ipsum registrum referenda, sub gravi pœna prohibemus.

Librum baptismalem Pastor apud se, vel in Ecclesia sua servet, & diligentissime sub sera custodiat. Quoad exemplaria, sive copias authenticas cum registro baptismali, fidelissime exequatur, quæ desuper a Superioribus fuere ordinata.

Idem cum proportione fieri debebit circa registra Matrimoniorum & Sepulturæ; in quibus omnibus, ut etiam minimus defectus, qui maximus esset, majori studio & attentione caveatur, præcipimus, ut exinceps *Baptismi*, *Matrimonii*, & *Sepulturæ* actentur in registris sub formulis, quas hic ad calcem præscribemus: permittentes nihilominus, ut id fieri possit lingua latina vel vernacula, prout magis expediverit, & de quo in proxima Congregatione Pastorali, Pastores, præhabito advisamento sui Decani, inter se convenient & resolvent; ut saltem in unoquoque districtu perfecta uniformitas hic observetur.

LXIII.

(n) Stat. sub Rith. T. 12. c. 5. (o) Syn. Prov. II. T. 3. c. 4. Stat. sub Masio T. 9. c. 5.
(p) S. Chrysost. Hom. 21. in gen. S. Carol. Conc. Prov. 6. T. de Bapt.

LXIII.

Procurandæ & adhibendæ Obstetrices juratæ.

Redeundo ad obstetrices, de quibus supra verbum diximus; cum sæpius contingat, ab illis Baptismum administrari debere (quod tamen nonnisi in vera & urgenti necessitate attentare possunt, & de quo proinde a Pastoribus monendæ sunt, sed admodum prudenter, ne ipsæ aut vices earum gerentes, etiam in simili necessitatis casu infantes baptizare non audeant, aut cum majori periculo Baptismum differant) ideoque plurimum referat, ut, nonnisi probæ & in ea professione exercitatæ personæ assumantur; authoritate tam Synodi *Provincialis secundæ*, (q) quam Edicti Regii ad eamdem Synodum, (r) requirimus omnes Magistratus singulorum locorum, ne quampiam ad obstetricandum admittant, aut admitti sinant, nisi prius a Pastore loci, in quo commoratur, testimonium sinceræ & Catholicæ Fidei habeat; Professionem fidei coram Decano faciat; & ultra consuetum juramentum etiam juret, quod infantes a se suscipiendos quantocius baptizari sit curatura; quod quidem si forte obsistentibus parentibus vel amicis efficere nequeat, Pastorem loci admonere debebit. (s)

At, si in Pagis vel Parochiis singulis obstetrix jurata haberi nequeat, saltem modis omnibus Pastores agant apud Magistratus, ut sit una in vicinia, quæ, casu necessitatis exigente, adiri & secure adhiberi possit.

In locis, ubi obstetrices juramentum per Concilium *Provinciale* & Edictum Principum requisitum, nondum præstitisse constiterit, eas admonebunt Pastores, ut infra terminum trium mensium, id ipsum se fecisse doceant: si quæ vero defuerint, illas per Decanum Nobis denuntiabunt, quatenus tam nostra, quam Magistratuum authoritate, eas urgeamus, ut Ecclesiæ & Principum Mandatis obediant.

LXIV.

Obstetrices solicite debent instrui, & in quibus.

Præterea, quia experientia docet, obstetrices, aliasve mulieres infantes in necessitate baptizantes errare, quandoque etiam circa essentialia ipsius Baptismi; Pastoribus districte injungimus, ut frequenter tum in concione, tum in catechismo singula ad valide baptizandum requisita, clare ac distincte exponant, & doceant *quibus in casibus*, *qua*, *quantaque materia*, *qua forma & intentione* Baptismus conferri debeat; ipsas præcipue monendo, *ab una & eadem persona*, aquam infundi debere simul ac verba formæ proferuntur: quæ omnia his præsertim, quæ ad obstetricandum publice admissæ sunt, aut admitti volunt, inculcare debent; utpote quæ ad Fidei professionem & juramentum, de quibus supra, admittendæ non sunt, nisi sub testimonio Pastoris, quod circa prædicta omnia perfecte instructæ sint. (t)

LXV.

In mulierum purificatione, quæ observanda.

Quoad *Purificationem* mulierum post partum, cum generaliter constitutum sit in Diœcesi & Provincia nostra, ut nonnisi interveniente Benedictione Sacerdotis Ecclesiam ingrediantur; in omnibus Parochiis id observetur imposterum, secundum formam & ordinem in nostro Manuali præscriptum: in eum finem, puerperæ debito tempore ad Ecclesiam suam Parochialem se conferent; tum etiam, ut Deo gratias agant pro incolumitate sua & suscepta prole. Ubi vero contigerit, mulierem post partum ob diuturnam debilitatem, vel quia jam mortis periculum imminet, non posse in Ecclesiam introduci, permittimus, ut personæ hujuscemodi benedictionem in domo accipiant, modo serventur, quæ etiam in hoc casu servanda præscribit idem Manuale.

Laudabilem consuetudinem, qua mulieres post partum certo dierum nume-

(q) Tit. 3. c. 7. (r) Art. 8. (s) Stat. sub Rich. T. 12. c. 11. & sub Mas. T. 9 c. 11.
(t) Syn. Prov. II. ibid. Edict. eod. A. 8.

numero, ex reverentia & devotione, ab ingressu Ecclesiæ abstinent, ut ab Ecclesia approbatam, & tam in Statutis, quam in Rituali nostro commendatam, ubique religiose observari desideramus.

Conviviis puerperarum tam ruri, quam in civitatibus interesse, omnibus Sacerdotibus & Clericis prorsus interdicimus. (u)

LXVI.

Quid agere debeant Pastores, ut Sacramentum Confirmationis debite suscipiatur.

Sacramenti *Confirmationis* administratio licet spectet ad Episcopos, nihilominus Pastorum est, suos subditos sedulis adhortationibus ad salutarem ejus usum inducere, ac etiam instruere circa internam ejus virtutem, externosque ritus, sub quibus conferri solet: pro quo, præter ea, quæ in Manuali & Statutis proponuntur, eos ad Catechismum *Romanum* remittimus. (x)

Inter alia autem attente observent, & a suis observari faciant, quod licet hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo quis salvus esse non possit; a nemine tamen illud prætermitti debere; sed potius maxime cavendum, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam largiter impertiuntur, aliqua negligentia committatur: quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus singulari studio expetendum est. Quare, neque adultos, neque infantium parentes censemus a peccato mortali excusari posse, qui hoc Sacramentum suscipere, aut, ut suscipiatur suo tempore, notabiliter negligunt respective.

Et quamvis non semper certam ætatem in pueris expectare debeamus ad Sacramenti hujus susceptionem; cum tamen minus expediat id fieri, antequam aliqualem rationis usum habeant & instructionem: declaramus, nullos imposterum ad Confirmationem a Nobis admittendos (nisi in certis casibus judicaverimus aliud expedire) *minores septennio*; (y) quique, quantum eorum ætas & capacitas ferre potest, in fundamentis fidei, ac iis etiam, quæ hujus Sacramenti institutionem, gratiam & cæremonias spectare possunt, debite instructi fuerint, & prævia confessione ad illud digne suscipiendum sese præparaverint: de quibus omnibus Nobis constare debebit per testimonium Pastorum; super quo eorum conscientiam oneramus.

LXVII.

Quomodo fideles ad hoc Sacramentum disponendi.

Quapropter, mox ut Pastores præmoniti fuerint de die, quo administranda fuerit Confirmatio, sive in propria sua Ecclesia, sive in aliqua ex adjacentibus id fieri debeat; aliquot ante hebdomadibus (quod alias sæpius præstare debebunt, prout opportunum fuerit) eos, qui confirmandi sunt, instruant, & pridie ad Confessionem Sacramentalem admittant.

Illos vero, qui forte ætate provectiores erunt, multoties antea hortabuntur, ut etiam jejuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus sese præparent; maxime vero frequentiori oratione, ac sacrosancta Corporis Christi Communione, ipso die Confirmationis suscipienda, si jam primum ad sacram Synaxim fuerint admissi.

Dum autem hoc Sacramentum administrari debuerit, non modo qui illud suscepturi sunt, aut qui eos offerunt, seu ad Ecclesiam deducunt; sed quotquot præsentes S. illi Ministerio adfuerint, pie orent, ac summa animi intentione reputent dona cœlestia, quæ hoc Sacramento fidelibus conferuntur; serioque meditentur, quam in illis progressionem habeant; &, an vitam agant tanta charismatum ubertate dignam.

LXVIII.

(u) Syn. Prov. II. T. 3. c. 9. (x) Tit. de Confirmat.
(y) Catech. Rom. ibid. Stat. sub Rith. T. 13. c. 2. Sub Masio T. 16. c. 1.

LXVIII.

Alia pro Sacramento Confirmationis observanda.

Adsint quoque Sacerdotes aut Clerici sacris Ordinibus initiati, qui post unctionem Chrismatis, stupa, panne, aut purificatorio frontem confirmatorum abstergant; & præmoneantur confirmandi, ne ante illam absterfionem frontem sacro Chrismate delibutam, nequidem signi Crucis efformandi causa, leviter attingant. Stupa autem ad hunc usum adhibita, diligenter comburatur; purificatoria abluantur; & tam cineres hujus combustionis, quam aqua ablutionis in piscinam projiciantur.

Pastores denique moneant confirmandos, ut e loco Confirmationis non recedant, nisi ultima Benedictione Episcopi percepta: ac tandem nomina confirmatorum in libro ad hoc destinato fideliter describant.

Ubi de aliquo adultæ ætatis, rationabile dubium fuerit, an confirmatus sit, nec ne; caveat, ne Sacramentum Confirmationis expostulet, nisi prius Episcopo confirmanti dubium suum manifestaverit.

LXIX.

Sacramentum Eucharistiæ quam religiose tractari debeat.

Omnibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis religiose sanctèque tractandis magna ac diligens cura habenda est; sed præcipue, in administrando & suscipiendo sanctissimæ *Eucharistiæ* Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius & admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur præcipuum & maximum Dei donum, ac ipsemet omnis sanctitatis fons, authorque Christus Dominus. (z) Quare, Pastores imprimis summum studium in hoc ponere debent, tam ut ipsi Venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia ac debito cultu custodiant, tractent, & administrent; quam etiam, ut fideles illud religiose colant, & frequenter, sed digne, suscipiant.

Quod ad primum spectat, ante omnia soliciti sint Pastores, ut tabernaculum, in quo hoc Sacramentum asservatur, sit decentis structuræ; intus panno ad minus serico ex omni parte vestitum, ac de cætero pro cujusque Ecclesiæ facultatibus, intrinsecus & extrinsecus tam decenter & magnifice exornatum, ut & signum sit præclaræ fidei, devotionis, & pietatis illorum, qui illud curant; & earumdem virtutum incitamentum iis omnibus, qui adorationis causa ad illud conveniunt.

Sit mundum semper, etiam a minimo pulvere, ac omni alia re vacuum; nec umquam in eo deponantur Reliquiæ, sacra Olea, vel sanctum Chrisma; (a) quibus recondendis alium decentem locum aptari & destinari volumus.

Claves Tabernaculi, in Ecclesiis Parochialibus solus Pastor, ejusve Vicarii; in aliis autem Ecclesiis, earum Superiores, aut qui ab eis ad hoc designati sunt, diligenter custodiant; neque eas umquam in loco aperto, quantumvis secreto & ignoto, relinquant; curentque etiam, ut Tabernaculum semper sera clausum sit, ne ulla umquam Sacramento injuria aut profanatio fiat. Idem observetur quoad locum, in quo Reliquiæ Sanctorum, sacra Olea, aut S. Chrisma conserventur. (b)

LXX.

Lampas ardeat ante Venerabile Sacramentum. Ejusdem vasa sint pretiosa, & nitida.

In quacumque Ecclesia aut Sacello sacrosancta Eucharistia asservatur, ante illam diu noctuque lampas ardeat, (c) ut hoc signo constet, Christi Corporis Sacramentum ibidem esse repositum, & a Fidelibus adorandum. Ubi forte fabricarum reditus ad hoc non sufficerent, ad actum tam religiosum Fidelium eleemosynæ exposcantur. (d)

Omnia sacra vasa, quæ ad ostensionem, deportationem, aut custodiam sanctæ Eucharistiæ deserviunt, ut sunt Ostensoria, Ciboria, Monstrantiæ, Arculæ,

(z) Rit. Rom. T. de Eucharist. Sacram.

(a) S. Cong. Episc. 3. Maji 1693. Stat. sub Georg. an. 1629. T. de Sacram. A. 27.

(b) Ibid. & A. 28.

(c) S. R. C. 22. Aug. 1695. post Rit. Rom.

(d) Stat. sub Rith. T. 14. c. 6.

culæ, Calices & pyxides, (quæ omnia ad minus argentea esse debent, ac intus decenter deaurata) quotannis semel ad minimum, idque circa festum Paschæ, intrinsecus & extrinsecus mundentur, & splendori suo restituantur. (e)

Ciborio, Monstrantiæ, seu cuicumque alii vasculo, in quo Eucharistia asservatur, tam in Tabernaculo cui includitur, quam dum ad excitandam populi devotionem super altare exponitur, semper consecratum ac mundum corporale sit substratum.

Hostiæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum, aliorumque fidelium Communioni sufficere possit, perpetuo & decenter asserventur; & post quindecim dies, ut summum, (quod in locis humidis, præsertim pluvioso aut hiemali tempore frequentius fieri debet) una cum minutissimis fragmentorum particulis, quæ in Ciborio remanserunt, a Sacerdote consumantur, & in ipsum Ciborium aut pyxidem, ab illis fragmentis & particulis mundatam, novæ Hostiæ consecratæ reponantur; nec umquam illæ recentes cum his vetustioribus misceantur.

LXXI.

Quando, & quomodo Processiones Venerabilis Sacramenti fieri debeant.

Et quamquam ad nutriendam augendamque postremis hisce sæculis in cordibus Fidelium pietatem erga Divinam Eucharistiam, eam publice exponi permiserit Ecclesia, pieque ac religiose admodum inductum fuerit, ut singulis annis, certisque diebus, in processionibus per vias & loca publica circumferatur, (f) quod tamen extra festum Corporis Christi, ejusque Octavam, rarius, & nonnisi in arduis & publicis causis ab Ordinario approbandis, fieri oportet; hinc, ne per nimiam hujusmodi frequentiam populi devotio & reverentia erga hoc Venerabile Sacramentum defervescat, omnes, ad quos spectat, monemus, eisque districte injungimus.

Ut præter jam usitatas aut concessas *Processiones* cum dicto Venerabili Sacramento, aliæ nullæ tam in Sæcularium, quam Regularium Ecclesiis subintroducantur impolterum, sine licentia nostra: (g) quæ processiones tam institutæ, quam forte instituendæ, numquam fiant, nisi eo Religionis apparatu, quo & debitus honor illi Divinissimo Mysterio exhibeatur, & populi devotio erga idem Sacramentum accendatur. In eum finem, omnem quoque solicitudinem Pastores exhibebunt, ne in processionibus illis admisceatur aliquid, quod debitum cultum hujus Sacramenti imminuat, vel ab intima profundaque ejus adoratione Fidelium mentem avocare possit. Curent denique, ne Venerabile hoc Sacramentum in ejusmodi processionibus tam longi itineris circuitu circumgestetur, ut, aut populi devotio languescat; aut etiam compotationibus, aliisque id genus insolentiis ulla occasio præbeatur. (h)

LXXII.

Moderanda nimia frequentia in expositionibus Venerabilis Sacramenti.

Ut nimia frequentia, quæ circa *publicas Expositiones* Venerabilis Sacramenti indies magis invalescit, debite reformari valeat, prout illam reformare intendimus; prævie requirimus, ut tam Regularium, quam aliarum Ecclesiarum Superiores aut Rectores, infra bimestre a data harum, in scriptis doceant & Nobis exponant, quoties in anno, quo titulo, & quam ob causam vel rationem sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in suis respective Ecclesiis exponi soleat; ut si in aliquo ejusmodi expositiones deordinatas, aut aliter abusivas recognoverimus, ipsis modum imponamus juxta intentionem Ecclesiæ, & regulas, quas desuper sacrarum Congregationum Decreta præscribunt.

LXXIII.

(e) Stat. sub Georg. sup. A. 26. (f) Trid. Seff. 13. c. 5. de Euchar.
(g) S. Cong. Episcop. 10. Decemb. 1602. & 17. Aug. 1630. S. R. C. 26. Februar. 1628. S. C. Trid. 16. Mart. 1626. (h) Syn. Prov. II. T. 14. c. 5.

LXXIII.

Quid obſervandum circa Benedictiones.

Quoad *Benedictiones*, quæ cum eodem Ss. Sacramento fieri conſueverunt, ne & illarum uſus immoderátior, ejus honorem & reverentiam minuat, quod ſemper & ubique ſummopere intendimus præcavere; prohibemus, ne impoſterum hujusmodi Benedictiones fiant in Miſſis privatis, *niſi ante & poſt primam ac ultimam Miſſam ſingulo die*; idque in iis tantum Eccleſiis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, in quibus ſimilis uſus jam dudum invaluit. De cætero, omnibus Sacerdotibus commendamus, ut ſacram illam actionem faciant tractim, cum religioſa gravitate, ſummaque modeſtia, ac toto corporis habitu ad devotionem compoſito; nihil omittentes eorum, quæ fidem vivam de tantæ Majeſtatis præſentia in populo excitare valeant. Quapropter inſuper injungimus, ut in præfatis Benedictionibus ſemper & ubique thuris incenſatio exinceps adhibeatur, per Miniſtrum toga & ſuperpelliceo indutum. Sed quam juſte indignaremur, ſi qui eo temeritatis procederent, ut ritum tam ſacrum & auguſtum, accepto ſtipendio, quaſi pretio venalem habere non erubeſcerent! Quod nihilominus, ne fiat, graviſſime prohibemus, & prohiberi voluit S. Trid. Congreg. (*i*)

LXXIV.

Quo habitu & ritu S. Viaticum deferri debeat.

Dum Ss. Euchariſtiæ Sacramentum quandocumque ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domos per modum Viatici deferendum erit, Paſtor, ſeu quivis alius Sacerdos, pyxidem ſacram ſeu Ciborium non occulte (niſi forte dum puerperis periclitantibus adminiſtrari debet) ſed illam manifeſte portet ad pectus cum omni reverentia; neque aliter quam ſuperpelliceo & ſtola indutus, præeunte Cuſtode ſimiliter cum ſuperpelliceo, lumine & nola ſonante, per quam populus illam audiens ad reverentiam & devotionem excitetur. (*k*) Ubi tamen ruri longius excurrendum erit, & ſuperpelliceum adhiberi non poterit, deſideramus equidem, ut nonniſi in illo habitu Eccleſiæ fiat Sacramenti hujus adminiſtratio in domo infirmi. Hoſtiam quoque duplicatam tunc habeat Sacerdos, ut abſoluta adminiſtratione, reliquam cum ſimili reverentia ad Eccleſiam referat. Quæ omnia, ut cum majori cultu & ædificatione peragantur, intime commendamus poſt Rituale *Romanum*, (ubi id etiam præſcribitur) ut in civitatibus & oppidis ſacrum Viaticum ſemper deferatur *ſub Umbella*, ſeu Baldachino; niſi forte ob gravius aliquod incommodum aliter fieri conveniat; quod zelo & judicio ipſorum Paſtorum relinquimus.

LXXV.

Quid hic obſervent Vicarii & Regulares.

Vicarii numquam Viaticum cuiquam adminiſtrent, niſi præmonito ſuo Paſtore; quod etiam obſervari volumus, dum per illos Extremæ Unctionis Sacramentum adminiſtrari debuerit.

Nullus Sacerdos tam Sæcularis, quam Regularis Euchariſtiæ Sacramentum ad ullum ægrotum deferat vel ſola devotionis cauſa, niſi de licentia ipſius Paſtoris, etiamſi id occulte & ſummo mane fieri deberet: monemus tamen, ut etiam tunc ea decentia & veneratione hoc Venerabile Sacramentum tractetur, quam ſanctitas illius requirit, attentis loci & temporis circumſtantiis.

Si Parochi & Confeſſarii etiam Regulares "addit INNOCENTIUS XI. " (*l*) aut quicumque alii Sacerdotes, " ſecus egerint, ſciant ſe DEO Optimo " rationem reddituros eſſe; neque defuturam Epiſcoporum & Ordinariorum juſtam & rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares; facultate ipſis & Ordinariis " per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa."

LXXVI.

(*i*) 15. Maji 1728. Iprenſ. hoc loco.

(*k*) Syn. Prov. II. T. 7. c. 3. Stat. ſub Rith. T. 14. c. 8. Man.

(*l*) Decret. circa Commun. quotid. 12. Febr. 1679.

LXXVI.

Fideles monendi, ut S. Viaticum comitentur.

Cum autem admodum indecens sit, quod solus Pastor cum Custode suo præeunte, ut plurimum, ad ægris deferendum hoc Sacramentum incedat, aut nonnisi pauci ex populo sequantur; Pastores subditos suos sæpe moneant, ut frequentius hoc Ss. Sacramentum comitentur etiam cum tædis ardentibus; maxime ii, qui Confratres sunt Sodalitatum Corporis Christi, quales optaremus in singulis Parochiis erigi & institui.

Ea occasione, Pastores populum meminisse faciant, Prædecessorem nostrum CAROLUM MASIUM, (m) ad hanc Fidelium devotionem religiosius promovendam, iis omnibus, qui ex charitatis affectu Venerabile Sacramentum tunc comitati fuerint, præter Indulgentias a Summis Pontificibus concessas (de quibus Fideles, ex præscripto Manualis nostri, in singulis administrationibus monendi sunt) alios 40. *dies Indulgentiarum* concessisse: cæteris vero, qui impediti domi oraverint pro salute ægri, item 20. *dies:* quas indulgentias, in quantum opus est, per præsentes innovamus; commendantes Pastoribus, ut illas quoque populo sæpius annuntient.

Quandocumque sacrum Viaticum ruri ad certam distantiam de nocte administrandum erit; quo id fiat, nedum majori decentia, sed etiam securitate, adsint duæ ad minus personæ de familia aut vicinia illius, ad quem Sacramentum deferri debet, qui Pastorem aut Vicarium cum Custode tam in exitu, quam reditu comitari debeant. Idem observetur, dum in simili casu Extrema Unctio ad infirmum deferri debuerit.

LXXVII.

Varia alia, quæ Devotio & Religio hic requirit.

Quotquot Sacerdotem sacrum Viaticum deferentem comitabuntur, tam eundo, quam redeundo a fabulationibus, omnique alia indecentia abstineant; sed Creatorem suum, qui Sacerdotis manibus defertur, devota mente adorent, & pro salute infirmi deprecentur; ipse quoque Sacerdos intelligibili voce cum suo Custode, aut etiam aliis de Clero comitantibus, *Psalmum* 50, vel alterum convenientem devote recitet, cum Collecta *pro infirmis*, aliasque Orationes pro cujusque Sacerdotis devotione; (n) præsertim dum longiori via incedendum erit.

In administrando hoc Sacramento, Pastores religiose observent præterea Regulas & Ordinem in Manuali nostro præscriptas; & tam infirmum, quam circumstantes tunc temporis, moneant & instruant, ut ibidem injungitur. (o)

Quod si æger, sumpto Viatico, diutius supervixerit, & iterato communicare voluerit, si nihil aliunde obstet, pio ejus desiderio Pastor non deerit; quin etiam ipsum hortabitur, ut sacram Communionem accipiat, etiamsi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat; maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat. (p)

Addimus ex Rituali *Romano*, quatenus curent Pastores, ut ægri cubiculum, præcipue dum ad pauperiores S. Eucharistia erit deferenda, ab omni prius sorde mundetur; & mensa, si non nitida mappa, saltem linteo mundo, ac cruce, luminaribus, & vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, in qua Ciborium seu pyxis sacra deponi possit: quod ut Parochiani omnes qua poterunt majori decentia exequantur, eos sæpius Pastores tum publice, tum privatim, ad hoc monere & hortari non omittant.

LXXVIII.

Præter infirmos, etiam alii Fideles ad frequentem Communionem excitandi.

Verum, quemadmodum summo studio ac diligentia curare debent Pastores, ut Sacramentum Corporis Domini opportuno tempore ægrotantibus administretur, ne contingat eos

(m) Tit. 12. c. 1.
(n) Stat. sub Rith. T. 14. c. 10. Man. Iprens.
(o) Stat. ibid. c. 11.
(p) Rituale Roman. & Past. Mechlin.

tanto bono eorum incuria privari; ita quoque soliciti esse debent, ut cæteri Fideles suæ curæ commissi illud sanctè frequenterque suscipiant: "Quis enim "dubitet, inquit S. *Basilius*, quin vitæ "continenter esse participem, non sit "aliud quam multiplici ratione vive- "re?" Hinc primævi Christi fideles, qui se immaculatos custodiebant ab hoc sæculo, etiam quotidie aut sæpissime communicabant; quem pium illum temporis Ecclesiæ morem restitui & renovari exoptabat S. Tridentina Synodus: (q) cujus votis utinam consimiles essent Christianorum hujus ætatis mores!

Quod si talem tantumque de ipsis fervorem sperare non liceat, eos nihilominus ad eam vitæ integritatem hortentur Pastores, qua, si non quotidie, sæpius saltem hunc cœlestem cibum mereantur accipere; (r) si quidem ejus institutioni congruat frequens ipsius manducatio: (s) & sicut perniciosum est, impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere; ita periculosum iis, qui sufficienter sunt dispositi aut disponi possunt, prolixiori tempore abstinere: (t) "Cibus est, quo non gu- "stato arescit anima & deficit." (u)

LXXIX.

Quædam regulæ generales circa Communionem Fidelium.

Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis, rariusve aut crebrius Mensam Eucharisticam frequentare expediat, quia certa & una regula omnibus præscribi non potest, in hoc potissimum Pastorum & Confessariorum diligentia invigilet, ut unusquisque digne pro devotionis & præparationis modo, illam quo potest sæpius accedat; hortando omnes, ut saltem in præcipuis anni solemnitatibus se sacra Communione reficiant.

Eam quoque consuetudinem Pastores in Parochia sua introducere conentur, ut quoties quis iter longum vel periculosum, aut rem arduam & difficilem aggreditur, Ss. Mysteriis debita cum præparatione participet: quod item sæpius commendari debet afflictis, tribulatis & tentatis, si aliunde sint dispositi. Curent etiam quam maxime, ut mulieres prægnantes imminente partu se Sacramentis muniant.

Si quos invenerint, quibus frequentius communicare permittendum judicabunt, quales inveniri etiam in pagis haud rarum est; moneantur, eo majori sanctimonia eos ornatos esse debere, quo sæpius Christum, omnis sanctitatis fontem, in se suscipiunt: utque Pastores quoad illos securius procedere valeant, seque in sano ac tuto medio contineant, inter noxii nimirum rigoris & perversæ laxitatis metam, regulis inhæreant, quas de frequenti Communione præscripsit S. *Franciscus Salesius*, (x) in dirigendis ad salutem & perfectionem animabus peritissimus.

LXXX.

Quomodo Fideles ad Communionem Paschalem movendi & disponendi.

Quod si aliis temporibus Fideles piis tantum cohortationibus ad frequentanda sacra Mysteria incitandi sint; in *Paschate* ad cœlestis Patrisfamilias convivium non solum vocandi sunt, sed compellendi intrare: (y) qui ergo tunc digni non sunt, dignos se faciant oportet, (z) ne eo intrent non habentes *vestem nuptialem.* (a)

Et ut ii, qui forte hactenus indigni fuere, ad hanc Cœnam magnam admitti, digni fiant; qui vero minus digni, digniores efficiantur; Pastores initio *Quadragesimæ* (b) commissam sibi plebem hortentur, ut peccata sua confiteri incipiat; quo nempe cum Deo gratiora facit sua inchoata jejunia, circa Paschale tempus cum majori reverentia & mundiori corde, iterata confessione, sacrosanctum Corpus Domini suscipiat. (c)

In eumdem finem, sub *Quadragesimæ* decur-

(q) Sess. 22. c. 6. de Sacrif. Miss. (r) Ibid. Sess. 13. c. 8. de Euchar. (s) Jois 6. 50. (t) Catech. Rom. de Euchar. Sacr. A. 57. (u) Conc. Aquisgran. (x) Introd. ad vit. devot. P. 2. c. 20. (y) Lucæ 14. 23. (z) S. Chrysost. (a) Matt. 22. 12. (b) Trid. Sess. 14. c. 5. de Pœnitent. in fine. (c) Stat. sub Rith. T. 16. c. 5.

decursu Pastores certis diebus per hebdomadam populum suum, præcipue vero pueros, servos, & ancillas, aliosque minus instructos, & qui communicare debent, familiariter, paternaque cum charitate per se, vel per alium Sacerdotem idoneum, dum impediti fuerint, nunc concione, nunc catechismo edocebit ea, quæ tum ad Sacramentum Pœnitentiæ, tum ad Eucharistiæ institutionem, excellentiam ac dignam sumptionem pertinent; omnes fortiter suaviterque monendo, ut intra tempus præscriptum, Ecclesiæ præcepto satisfacere non differant; seque ad hoc per religionis & pœnitentiæ opera studiose præparent.

Moneant quoque parentes, ut liberos suos postquam ad competentem ætatem & discretionis usum devenerint, ad hujus Divini Sacramenti susceptionem pie inducant, Ecclesiæ offerant, efficiantque, ut Catechismis & Instructionibus, quæ pro pueris digne ad primam Communionem disponendis institui solent, assidue intersint.

Sed quia non ignoramus inveniri parentes, qui proles suas a receptione Ss. Eucharistiæ retardant, prætextu quod ad annos discretionis non pervenerint, revera tamen, ut jura Exequiarum non solvant, si illas ante susceptam in Paschate Eucharistiam, e vivis discedere contingat; (dum tamen prima Communio a solius Pastoris judicio dependere debet) tametsi in Statutis Synodalibus ordinatum fuerit, (*d*) ut omnes, qui completo duodecimo ætatis anno moriuntur, ad jura exequiarum teneantur, licet nondum communicaverint; Pastoribus tamen suademus, ut in juribus hujusmodi exigendis agant indulgentius, ne ullo prætextu parentes hac in re obligationi suæ satisfacere differant.

LXXXI.

Alia circa Communionem Paschalem præscribuntur.

Denique, ut omnibus & singulis Christi fidelibus gravis obligatio tum confitendi semel in anno, tum communicandi in Paschate, efficacius inculcari valeat, mandamus, ut Pastores quotannis in *Dominica Passionis* e suggestu legant & publicent lingua vernacula Constitutionem Concilii *Lateranensis* sub INNOCENTIO III. *Omnis utriusque sexus*, quamque hic ad calcem adscribi curavimus.

Hanc Communionem Paschalem in propria Ecclesia Parochiali fieri debere, Synodorum Decreta uno sensu declarant; (*e*) eamque mentem esse prælaudati *Lateranensis* Concilii evidenter supponunt, ac ipsa moderna Ecclesiæ praxis abunde demonstrat.

Si qui vero tam salutari Ecclesiæ præcepto non obediverint (nisi forte de consilio Parochi, vel Confessarii ob aliquam rationabilem causam a Communione Paschali ad tempus duxerint abstinendum) eos Pastores omni charitate admoneant, ut memores salutis suæ, ei exinceps obedire non detrectent. Quos si hortando, obsecrando, increpando superare non potuerint, eos Nobis denuntiabunt, nec ulterius procedent.

Ægrotis quoque Parochianis, etiamsi extra præscriptos dies Paschales Communionem sumpserint, sub tempore tamen Paschali illam Pastor denuo deferet & administrabit omnibus, (*f*) eodem & designato die, saltem in urbibus & oppidis; invitando Clerum & populum, ut cum cantu & tædis Venerabile Sacramentum solemniter comitentur, prout in singulis Parochiis hujus civitatis cum plurima ædificatione fieri consuevit.

Præter hanc Communionem Paschalem, curabunt Pastores in locis de quibus supra, ut sacra Communio simili ritu & solemnitate, præmonito Clero & populo, quater in anno deferatur ad ægrotos; videlicet, die altero-ve post Festa solemnia *Nativitatis Domini*, *Pentecostes*, *Sanctorum omnium*, & *Assumptionis* B. MARIÆ Virginis.

LXXXII.

(*d*) Sub Georgio an. 1631. Art. 11. Syn. Provinc. II. T. 7. c. 15.

(*e*) Stat. Syn. an. 1630. de Sacram. A. 7. post

(*f*) Rit. Roman. & Pastor. Mechlin.

LXXXII.

Qua singulari reverentia Missæ Sacrificium peragi debeat.

At, si alias & semper tam singulari reverentia Augustissimum Altaris Sacramentum ab unoquoque tractandum sit; quæ cura adhiberi non debet, ut sacrosanctum *Missæ Sacrificium* omni religionis cultu ac veneratione celebretur? Quivis id facile existimare poterit, si præter antedicta, etiam cogitaverit *maledictum* in sacris literis vocari eum, *qui facit Opus Domini fraudulenter.* (g) Si enim necessario fateamur, nullum aliud *Opus* adeo Sanctum ac Divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Sacrificium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; apparere debet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & pietate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. (h)

LXXXIII.

Quam graviter hic delinquant nonnulli Sacerdotes.

Et tamen quis dissimulare poterit, etiam hodie hinc inde committi, quod merito *uberrimis lacrymis* deflendum ajebat non minus pius, quam doctus Cardinalis BELLARMINUS; (i) videlicet, " ob nonnullorum Sacerdotum incuriam sacrosancta Mysteria tam indecore tractari, ut qui illa tractant, videantur non credere Majestatem Domini esse præsentem: sic enim aliqui sine spiritu, sine timore & tremore, festinatione incredibili Sacrum perficere dicuntur, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent." Verendum certe, ne sint ex illorum numero etiam illi, qui non exiguam temporis partem otio, vel inanibus colloquiis, aut negotiis eorum dignitati incongruis conterunt, donec celebrandi tempus advenerit; qui tunc ad Sacristiam convolant, ac statim sacris vestibus festinanter induti, ad Altare properant, Missaque absoluta, Sacristiam repetunt; & depositis sacris indumentis, præcipitanter & scandalose unde venerant, revertuntur.

LXXXIV.

Quid in hac parte curare & præstare debeant Episcopi.

Hæc, aliaque a tam sublimis Sacrificii dignitate prorsus aliena, cum sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate sensim irrepere videamus; decreveritque sacrosancta Synodus *Tridentina*, (k) ut ordinarii locorum Episcopi, non solum hic omnem impediant irreverentiam, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest; sed quæcumque alia, quæ huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a S. Synodo potestate, & ut Sedis Apostolicæ Delegati prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda etiam Censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis eorum arbitrio constituendis compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque: omnibus & singulis Christi Sacerdotibus Diœcesis nostræ præcipimus *in virtute sanctæ obedientiæ*, eisque injungimus sub gravi pœna arbitraria contra refractarios (quos per Decanos, aliosque Ecclesiarum quarumcumque Rectores aut Superiores, stricte observari & Nobis denuntiari mandamus) ut hic in omnibus se gerant ea morum puritate, gravitate & decentia, quam Ecclesiæ Decreta, ipsaque Fides & Religio requirunt.

LXXXV.

Rubricæ & Ritus Ss. in Missæ Sacrificio religiosissime debent observari.

Idcirco & imprimis, omnes religiosissime observent Rubricas, Ritusque sacros tam generales, quam particulares, quæ circa Missæ celebrationem solemnem & privatam in Missali præscribuntur, quas sæpius attente legant &

[g] Jerem. 48. 10. [h] Trid. Sess. 22. Decret. de Sacrific. Miss.
[i] De Gemit. Columb. L. 2. c. 5. [k] Ead. Sess. & Decret. sup.

& addiſcant, prout etiam ea omnia, quæ ibidem *de defectibus* in Miſſæ celebratione occurrentibus exponuntur; reflectentes præterea, quæ deſuper, & conformiter ad Statuta Synodalia (*l*) monuit & innovavit Prædeceſſor noſter RR. DD. GUILIELMUS DELVAULX in ſuo Decreto ſæpius laudato, (*m*) quoad *Exequias & Anniverſaria* non celebranda diebus Dominicis & Feſtivis, aut cæteroquin prohibitis; quæ omnia hic pro inſertis haberi volumus. Ne vero tam ſana & religioſa Decreta illudantur, celebrando pro libitu Exequias diebus prohibitis cum Miſſa & paramentis, quæ Officio diei conveniunt, prout jam in nonnullis Parochiis invaluit; id impoſterum fieri hic expreſſe prohibemus. Optamus etiam & commendamus, ut ornamenta, quemadmodum pro Sacerdote celebrante, ita etiam pro *Altaribus* varientur ſecundum differentiam Officii juxta præſcriptum Rubricarum; quod Paſtores diligentia ſua conabuntur procurare, ne id fruſtra ab Eccleſia ordinatum fuiſſe videatur.

LXXXVI.

Sacerdotes quomodo ſe mundent & præparent ad Miſſæ Sacrificium.

Et ut præter exteriorem cultum & obſervantiam, etiam omni qua fieri poteſt interiori munditia & præparatione hoc tremendum Sacrificium a Sacerdotibus Deo offeratur; frequenter conſcientias ſuas, & ad minus ſemel in hebdomada, (*n*) per Sacramentalem Confeſſionem expurgent, etiamſi gravioris delicti reos ſe eſſe non ſentiant: " Sed numquam ad Celebrationem procedant conſcii ſibi alicujus mortalis peccati, quantumvis contriti, absque Sacramentali Confeſſione, modo non deſit illis copia Confeſſarii. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos absque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur. (*o*) *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos.* (*p*)

Dein, ad excitandam majorem devotionem, Miſſam celebraturi (Horis Canonicis devote uſque ad Primam perlectis) mentali Orationi aliquantulum vacent, (*q*) pieque recogitent tum Myſterii quod tractaturi ſunt altitudinem & excellentiam, immenſum quoque Chriſti erga nos amorem ac charitatem, quæ in Sacramento illo mirabiliter elucet; tum etiam propriam ſuam miſeriam, vilitatem & ingratitudinem, de qua humiliter doleant & confundantur: ac tandem, ea qua par eſt animi devotione, recitent Pſalmos & Preces, quæ pro præparatione e Miſſali deſumptæ paſſim in Sacriſtiis exponuntur, & exponi mandamus ad uſum & commoditatem Celebrantium; præter alias devotiſſimas Orationes, quas in eum finem quisque ſeligere poteſt, aut etiam pro data ſibi gratia ex proprio ſuo affectu efformare. Utilisſimum fuerit, illis addere actus Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis.

LXXXVII.

Quæ intentio, & quanta mora temporis hic adhiberi debeat.

In dirigenda intentione, obſervent præcipue, ne ex humana conſideratione, aut avaritiæ vel conſuetudinis motivo, ſed ex mera pietate, ad gloriam Dei & Eccleſiæ utilitatem Miſſam celebrent. Dein proponant & intendant, pro iis potiſſimum precari, pro quibus ſive ex accepta eleemoſyna, ſive ex Beneficii obligatione celebrare tenentur. Meminerint quoque Eccleſiæ neceſſitatum; Superiorum ſuorum tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium; & præ cæteris, animarum Fidelium defunctorum.

Dum veſtes ſacras induunt, ſe intime recolligant, & earum myſticam ſignificationem alte recogitent, attente recitantes preces, quæ Sacerdotibus, dum ſe induunt, ab Eccleſia præſcribuntur; quas propterea exacte memoriter addiſcent & retinebunt. Idem cum proportione, obſervent Diaconi &

[*l*] Sub Maſ. T. 5. c. 7. Sub Georg. an. 1630. T. de Offic. Divin. A. 4. [*m*] Art. 19.
[*n*] Stat. ſub Rithov. T. 15. c. 1. [*o*] Trid. Seſſ. 13. c. 7. de Euchariſt.
[*p*] Exod. 19. 22. [*q*] Miſſale Roman.

& Subdiaconi in Missa solemni administraturi.

Inter celebrandum, eam temporis moram huic sacræ actioni impendant, quæ necessaria est, ut rite & devote peragatur: quæ licet horæ dimidium excedere non debeat, saltem ex unanimi Scriptorum opinione, teste Ss. D. BENEDICTO XIV. ad tertiam horæ partem pertingere debet; eoque facile pertinget, si cum omni qua decet attentione, gravitate, animi & corporis compositione singula, quæ ad sacrum Missæ Sacrificium pertinent, legantur & perficiantur; eaque ratione, qua devotionem non modo sibi, sed etiam adstantibus concilient.

LXXXVIII.

Quid agendum, peracto Missæ Sacrificio, & quales Ministri adhibendi.

Peracto denique Missæ Sacrificio, quisque in silentio & summa animi recollectione, nisi forte urgens charitatis officium, aliave res gravis momenti, quæ moram non patitur, eum alio faciat properare, aliquamdiu pro summo beneficii munere Deo gratias agat vel in Sacristiis, vel in ipso Templo; ubi inter alia devote legat preces hic iterum ab Ecclesia adaptatas; ac secum meditetur, *quis*, *quid* egerit; *qua devotione*, *quo fine*, quove fructu idipsum peregerit? Serio attendens, Laicos, qui hac in parte religiosiores sese exhibent, non leviter scandalizari, dum vident Sacerdotes, peracto Missæ Sacrificio, continuo in plateas prodire. Christum ergo Summum Sacerdotem, ejusque sanctos Apostolos hic imitemur, qui e cœnaculo, Divinis Mysteriis ibi peractis, non *exierunt in montem Oliveti*, nisi *Hymno dicto*. (r) Solus *Judas*, *filius perditionis* (s) ante exivit, & *introivit in eum Sathanas*. (t)

Tandem, cum indignum merito censendum sit, Mysterio adeo sublimi in Ministros adhiberi quosvis pueros, etiam vilissimos & ineptissimos, qui nullam hujus functionis sacræ ideam habentes, sine ullo pietatis sensu, gesticulando & balbutiendo omnia perficiunt: ut hunc abusum, quo sacrosanctum Missæ Sacrificium etiam hæreticorum risui objicitur, quantum in Nobis est, impediamus; volumus, ut Ecclesiarum Rectores invigilent, ne imposterum Sacerdoti deserviant in Altari (ubi alii decentiores ministri inveniri non potuerint) nisi pueri ob honestatem morum & pietatem commendabiles; quique antea modum Sacro inserviendi, & Sacerdoti celebranti respondendi perfecte didicerint, ac sufficienter fuerint instructi de actionis sanctitate, ad quam assumuntur.

Fœminas autem, quantumvis religiosas ministrare Celebrantibus, meminerint semper & ubique prohibitum. (u)

LXXXIX.

Præter alia hic observanda, vestes & ornamenta sint munda & decentia.

Quoad locum, horam, colorem indumentorum, Missæ qualitatem, aliaque, quæ in Rubricis Missalis & Directorio Diœcesis, aut proprio cujusque Ordinis pro debita & uniformi Missæ celebratione ex intentione Ecclesiæ requiruntur, ea omnia exacte & in minimis curent observare. Ad hæc commendamus Pastoribus, aliisque, ad quos pertinet, quatenus soliciti sint, ut corporalia, purificatoria, albæ, & reliquæ vestes Sacerdotales, omniaque Altaris paramenta semper sint integra & munda, decenterque custodita, conformiter ad Constitutionem Synodalem, qua injungitur, " ut ornamenta Divino cultui dicata, sive linea, " sive lanea, vel ex pretiosiori materia, " ita in Sacristiæ scriniis vel cistis decenter complicata serventur, ut nec " rugas, nec maculas ex indecenti projectione contrahant. Superior Altaris mappa seu tobalia (*additur ibid.*) " finita Missa, tegatur panno lineo vel " corio, renoveturque singulis mensibus; inferiores, quater in anno; & " ubi plures sunt Celebrantes, corporalia & albæ singulis mensibus; purifica-

[r] Matt. 26. 30. [s] Jois 17. 12. [t] Ibid. 13. 27.
[u] Stat. sub Rith. T. 15. c. 2.

" rificatoria & amictus, singulis quindenis mutentur; superpellicea, manutergia & similia, toties quoties necesse erit, modo semper nitida habeantur." (x)

XC.

Quid observandum circa Sacerdotes vagos; & extenditur cum præcedentibus ad Regulares.

Circa vagos aut ignotos Sacerdotes, qui in Diœcesi nostra se offerunt ad Missam celebrandam, observentur etiam a Regularibus, quæ alias & nominatim in Decreto R. D. DELVAULX ex dispositione ipsius Synodi *Tridentinæ* (y) ordinata fuerunt.

Et ut omnia & singula, quæ hic ad cultum & decorem Divini Missæ Sacrificii observari intendimus, nedum a Sæcularibus, sed etiam a Regularibus quibuscumque inviolate custodiantur; requirimus, ut Regularium Superiores quoad subditos suos, prædictorum omnium fideli exactæque executioni invigilent, eamque tum verbis, tum exemplis, aliisque mediis juvent & promoveant; ne alias potestate Nobis hic specialiter attributa, uti cogamur in Sacerdotes ipsis subditos: *Subditi ergo estote Deo* (z) *in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram.* (a)

XCI.

Commendatur, ut Sacerdotes frequenter celebrent, cavendo omnem Simoniam & avaritiæ speciem.

Quoties autem Sacerdos Missam celebrare teneatur, ne in vacuum gratiam ordinationis suæ acceperit, nostrum non est definire. Nequaquam tamen dubitandum quin quotidiana, aut certe quam frequentissima, sed digna Missæ celebratio, cum Ecclesiæ sensu magis conveniat, (b) ad quam proinde omnes Sacerdotes exhortamur; eis nihilominus, Concilii *Tridentini* authoritatem secuti, præcipientes, " ut saltem diebus Dominicis & " Festis, nisi jure impediantur; si au" tem curam habuerint animarum, tam " frequenter, ut suo muneri satisfa" ciant, Missas celebrent." (c)

Quod si in omni Ministerio Ecclesiastico Dei Ministri a minima Simoniæ, aut avaritiæ specie quam maxime alienos esse oporteat; merito hic omnibus Sacerdotibus sub gravi pœna prohibemus cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, nec non importunas & illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe non longe absunt, aut turpis quæstus cupiditatem certe demonstrant. (d) Quisquis igitur modeste exigat & recipiat honorarium quod lege, seu probata consuetudine legitime taxatum censeri debet.

XCII.

Missarum intentiones debent prompte & fideliter exonerari.

Caveant etiam Sacerdotes tot Missarum stipendia congerere, quibus nonnisi post diuturnum tempus satisfacere valeant; ne dum justo diutius suffragium, aut emolumentum spirituale petentis differunt sine causa, tam contra justitiam, quam charitatem graviter delinquant. Quare & conformiter ad Decretum S. R. Congreg. (e) prohibemus singulis Sacerdotibus, ne manuales eleemosynas pro novis Missis accipiant, donec jam ante susceptis satisfecerint, aut omnibus intra modicum tempus (quod ex communi Theologorum sententia ultra bimestre circiter extendi nequit) possint satisfacere; nisi forte qui Missæ stipendia tribuunt, in longiorem moram expresse aut virtualiter consenserint; prout consentire censendi sunt, qui ab uno determinato Sacerdote notabiliorem Missarum numerum celebrari postulant.

Curent

[x] Stat. sub Georg. an. 1629. T. de Sacrament. A. 32. [y] Sess. 22. Decret. de observ. &c. in celebrat. Missæ. Syn. Prov. II. T. 12. c. 15. [z] Jacobi 4. 7. [a] 2. Cor. 8. 19. [b] Bened. XIV. de Sacrif. Sect. 2. A. 9. [c] Trid. Sess. 23. c. 14. de Ref. [d] Trid. Sess. 22. Decret. de observ. &c. in celebrat. Miss. [e] De 21. Jun. 1625.

Curent quoque Paſtores, ut Miſſas, Anniverſaria, aliasque pias fundationes, pro ſui & Succeſſorum ſuorum memoria, in libro Parochiali fideliter & exacte quoad omnia onera illis annexa deſcriptas habeant; quas inſuper in tabella notari volumus, & in Sacriſtia appendi, ne alias inadvertentia, oblivione, vel alia quavis occaſione contingat eos ſuo tempore non impleri.

Denique, cum ex *Tridentina* Synodo non liceat Sacerdotibus quacumque ex cauſa Miſſas celebrandas privata authoritate reducere, vel alia onera Beneficiis aut fundationibus impoſita immutare, ſed id, quoad Eccleſias Sæcularium, ſpectet ad Epiſcopos, "qui, re " diligenter perſpecta, poſſint pro ſua " conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas " hac proviſione indigere cognove- " rint, circa hæc ſtatuere," quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem conferre debeat; (*f*) injungimus, ut omnes quos tangit, ſe huic Conſtitutioni *Tridentinæ* conformando, fundationes ſuas, & beneficiorum ſuorum inſtitutionem, quam poſſint diligentiſſime examinent, & ſi minora onera, aut pauciores Miſſas ſe perſolvere deprehenderint, quam primæva ipſorum beneficiorum aut fundationum erectio requirit, neque conſtiterit de eorum reductione legitima authoritate facta, intra trimeſtre a data harum, de omnibus rationem reddant ſuo Decano reſpective; ut dein præhabito ejus adviſamento, deſuper ſtatuamus prout juris.

XCIII.

Paſtores debent eſſe ſoliciti de nitore Eccleſiarum & Cæmeteriorum.

Dum præſentem materiam de adminiſtratione ac cultu Venerabilis Altaris Sacramenti, cæterisque hunc & illam concernentibus, jam abſolvere intendebamus, aliud occurrit eo merito referendum, quodque poſt Statuta Synodalia Paſtoribus ſummopere commendari debeat; ut nimirum cum omni ſolicitudine Eccleſiarum nitorem & ornatum procurare & augere ſtudeant, nihilque in eis patiantur, quod domum Dei, & *locum habitationis gloriæ* (*g*) ejus dedeceat. Quare " imprimis Eccleſiam totam, ſi opus " fuerit, interius ſemel nitide dealbari, " & a ſolo uſque ad faſtigium ſub tecto " incluſive, ſingulis annis ſcopis bene " purgari; parietes ad altitudinem fe- " neſtrarum, ipſasque feneſtras bis in " anno mundari; pavimentum ſingulis " hebdomadibus verri; ter vero in an- " no, ſi lutum adhæſerit, eradi; vaſa " ænea ſuavi ſpongia, candelabra pan- " no laneo ſemel in hebdomada, accu- " ratiori vero fricatione ter in anno, " argentea etiam deaurata ſexto quo- " que menſe aqua tepida ablui; lam- " pades, thuribula, emunctoria ſemel " in menſe convenienti purgatione ex- " tergi ſolicite curabunt." (*h*)

Cum vero pleraque ex illis, quæ ad munditiem nitoremque Eccleſiarum pertinent, Cuſtodibus incumbant; eos Paſtores ſæpius monebunt & diligenter inſtruent in iis, quæ ſui ſunt muneris in hac parte; illos hortando, ut ea omnia religioſe impleant, curentque præcipue, ut ſacram ſupellectilem ſibi concreditam, mundam, nitidam, & bene compoſitam habeant, ac quæque ſuo loco indies deponant. Neque Paſtores aut Vicarii hic dedignentur, quod tantopere laudavit S. *Hieronymus* in ſuo *Nepotiano*; (*i*) quin potius ſoliciti ſint, ut non ſolum, quæ hic requirimus, magna ſedulitate obſerventur, ſed etiam ſua opera & induſtria inferiores Eccleſiæ Miniſtros in eo adjuvent & exſtimulent.

Denique, cum *Cæmeteria* ſint loca benedicta, in quibus Chriſti fideles in ſpem reſurrectionis quieſcunt, & eatenus, ut ad ipſas Eccleſias proxime ſpectantia conſiderari debeant; eorum quoque & merito magna ratio habenda eſt. Curent itaque Paſtores, ut quidquid horum locorum ſanctitatem dedecet, ſolicite amoveatur; eaque muris, foſſis aut ſæpibus, ubi ulla ratione fieri poterit, ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, ovibus, aliisque ſimilibus

(*f*) Trid. Seſſ. 25. c. 4. de Refor. T. de Sacrament. A. 31.

(*g*) Pſ. 28. 8.

(*h*) Stat. ſub Georg. an. 1629.

(*i*) Epiſt. 3. ad Heliodor.

libus animalibus majoribus & immundis nullus ad ea pateat ingressus. (k)

XCIV.

De Sacramento Pœnitentiæ: quam solicite debeat administrari.

Sanctum *Pœnitentiæ* Sacramentum ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos a Christo Domino institutum, eo diligentius & majori cum cautela administrandum est, quo frequentior est ejus usus, & quo plura requiruntur ad illud recte digneque tractandum & suscipiendum. Ne quis igitur in tanti ponderis negotio, cum sui & aliorum periculo indebite procedat; id, quod summopere timendum est multis, cum de tanto numero Confessariorum & confitentium, tam exiguum fructum videamus in iis, qui toties, totque annis continuis hoc Sacramentum frequentarunt: per viscera misericordiæ CHRISTI JESU Pastores & Confessarios omnes obtestamur & adhortamur, ut quemadmodum eorum officium & vocatio requirit, hoc sacro ministerio digne ac fructuose defungantur.

Quomodo, & qualiter id præstare debeant, præter ea, quæ in Statutis & Manuali Diœcesano latius exponuntur, idipsum quoque succincte exhibent Instructiones editæ pro Confessariis hujus Diœcesis, ad quas remittimus; mandantes omnibus & singulis Confessariis, ut illas assidue legant, memoriter retineant, & fidelissime in omnibus sequantur: parati imposterum ad singula respondere, dum eos in Examine Consistoriali super his probari & examinari continget.

Nihilominus, ut puncta magis præcipua, quæ in præfatis Instructionibus continentur, hic resumamus, additis nonnullis aliis, quæ pro ministerio confessionis dignius implendo inservire possunt, & a Confessariis hujus Diœcesis item observari oportet, ut populus fidelis, quem Dominus nobis regendum & custodiendum tradidit, in viam salutis æternæ securius dirigatur:

XCV.

Confessariis necessaria vitæ puritas, & perfectio.

In primis monemus & commendamus Confessariis, ut serio reflectant, curentque, ut confessiones audituri non accedant absque illa conscientiæ puritate, eaque animi & corporis præparatione, quam tanti mysterii dignitas requirit; utpote in quo non hominis, sed Dei exercetur judicium, idque in animas Christi Sanguine redemptas. (l)

Neque id satis sibi habere debet Confessarius, si nulli peccato mortali obnoxius foro pœnitentiali præsideat; sed meminisse debet, se etiam populo probitatis & integritatis exemplo prælucere debere. Cum enim aliis virtutis studium & amorem inspirare debeat, primum ipse totus perfectionis suæ amore ferveat necesse est; atque in iis virtutibus acquirendis omnem operam ponat, quibus cum suo merito & pœnitentium suorum profectu, illorum animarum directioni præesse valeat.

Quoad Regulares vero, qui confessionibus audiendis præficiuntur, cum de eorum vitæ probitate Superiores Nobis testari debeant; eos requirimus ut advertant, ne in eo testimonii genere aliquid testificando admittant, quod religiosæ conscientiæ suæ fraudi sit, vel labem inferat etiam cum aliorum salutis detrimento. Meminerint igitur, & a Deo, & ab Ecclesia sibi gravissime prohiberi, alios pro audiendis confessionibus Nobis offerre, quam quos vita & moribus tales probaverint, quibus animarum curam & salutem tuto & merito confidamus.

XCVI.

Confessariis commendatur vitæ & morum castimonia.

Quicumque igitur ad confessionis ministerium deputantur, cum non tam præesse, quam prodesse debeant, idque haud verbis tantum, sed & factis præcipue; hinc eos omnes & singu-

(k) Stat. sub Mas. T. 5 c. 20. Sub Georg. an. 1629. T. de Sacrament. A. 58.
(l) Instruct. Confessar. A. 21

ſingulos iterato monemus, & in Domino obſecramus, ut *Exemplum ſint Fidelium, in verbo, in converſatione . . . . in caſtitate*; (*m*) caventes ſedulo *ab omni ſpecie mala*, (*n*) aut ſiniſtræ ſuſpicionis ingerendæ periculo. Quare, extra caſum neceſſitatis, "nonniſi in Eccleſia, atque " in loco claro, & non abdito aut circumcluſo, confeſſiones audiant, ita " ut ad minus confitentes ab omnibus " videri poſſint. (*o*) Si tenebræ ſint, " lumen habeant apud ſe ad tollendam " omnem ſuſpicionem." (*p*) Confeſſiones fœminarum, etiam Sanctimonialium, audire extra confeſſionalia, ipſoſque cancellos, ceſſante vera neceſſitate, nemo præſumat, ſub pœna arbitraria: (*q*) quod potiori jure omnino fieri prohibemus, à parte anteriori confeſſionalis, prout alias adhuc prohibitum fuit. (*r*) Et ut omnis prætextus evitetur audiendi confeſſiones mulierum extra confeſſionale cancellatum, injungimus Paſtoribus, aliiſque Eccleſiarum Rectoribus, ut quamprimum hujuſmodi confeſſionale in Sacriſtiis conſtrui curent pro commoditate illarum, quæ præ ſenio, infirmitate, auditus impedimento, aut alia quacumque cauſa, in loco ſeparato audiri debuerint.

XCVII.

Monentur Confeſſarii de Conſtitutione GREGORII XV. & BENEDICTI XIV.

Ad hæc monemus Confeſſarios, ut non tantum parce, caſte, cauteque interrogent circa peccata carnis, ſeu cælibes ſeu conjugatos; ſed etiam, ut ſedulo advertant tum ad Conſtitutionem GREGORII XV. *Univerſi Dominici gregis*, & alteram BENEDICTI XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ*, in quibus graviſſime animadvertitur in Confeſſarios *ſolicitantes ad turpia*, aut *abſolventes complicem*; tum ad id, quod hic ſpecialiter Statutis Diœceſanis inſeritur; (*s*) ut nempe, tam qui complicem peccati carnalis abſolvere attentaverit, quam qui pœnitentem ad turpia ſolicitaverit, *ipſo facto* incurrant excommunicationis pœnam ordinario reſervatam. Quæ hic a Confeſſariis ulterius obſervari debent, videant in noſtris Inſtructionibus Confeſſariorum. (*t*)

XCVIII.

Limitationes & conditiones Admiſſionis ſedulo obſervandæ.

Sacerdotes ad confeſſiones audiendas a Nobis approbati & admiſſi, cum definita temporis, loci, aut certarum perſonarum limitatione, videant ne poteſtatis ſibi conceſſæ limites ullo modo excedant.

Cumque in Inſtructionibus Confeſſariorum expreſſe caveatur, ne quis cum præjudicio Paſtorum, facultatibus ſibi conceſſis aut concedendis, uti poſſit; ideoque injungatur, ut iisdem *Paſtores hanc ſuam Admiſſionem oſtendere debeant, dum in eorum Parochiis ea uti volent*; quod tamen hoc tempore negligi a nonnullis, merito Paſtores conqueruntur: declaramus noſtram intentionem eſſe & voluntatem, ut omnes & ſinguli, ad quos ſpectat, ſe tam providæ Ordinationi conforment impoſterum; inſuper requirentes, quod etiam per Statuta injungitur, "ut Regulares examinati " & approbati, antequam confeſſiones " Sæcularium excipiant, teneantur approbationis & admiſſionis noſtræ literas Decano loci præſentare, ut in " prima Paſtorum convocatione, aut " alias quando opportunum fuerit, per " eumdem Decanum nomina admiſſorum ad audiendum confeſſiones " publicentur." (*u*) Quod, ſi forte in certis caſibus id difficilioris executionis videri debeat, poterit ſufficere, ut literæ admiſſionis à Confeſſariis Paſtori loci exhibitæ, ab ipſo ſubſignentur, & eorum nomina ſtatim Decano transmittantur.

Quoad ipſos Paſtores vero, cum de jure non habeant jurisdictionem niſi pro ſua Parochia, aut Parochianis ſuis tan-

(*m*) 1. Tim. 4. 12. (*n*) 1. Theſſ. 5. 22. (*o*) Stat. ſub Rith. T. 16. c. 13. (*p*) Stat. ſub Maſ. T. 11. c. 16. Man. Ipr. Confeſſar. A. 4. (*q*) Syn. Prov. II. Tit. 5. c. 3. Inſtr. (*r*) Decret. RR. D. Delvaulx A. 13. (*s*) Sub Georgio an. 1631. Tit. Inſtr. Confeſſ. (*t*) A. 23. & 24. (*u*) Stat. ſub Rith. T. 16. c. 10.

tantum; eis expresse concedimus per præsentes, jurisdictionem delegatam pro tota Diœcesi nostra; in eum præcipue finem, ut Pastores nostri se mutuo ad audiendas subditorum suorum confessiones invitare possint, dum opera eorum indiguerint. Ut autem Pastores ex confinio aliarum Diœcesium ad audiendas confessiones in Parochiis Diœcesis nostræ advocentur, non consentimus pro futuro, nisi specialem & expressam a Nobis ad hoc facultatem obtinuerint; idque non obstante quavis praxi aut consuetudine in contrarium. (x)

XCIX.

Extenditur Confessariorum potestas in favorem infirmorum.

" Magnopere certe ad Christianam " populi disciplinam pertinere, " ut atrociora quædam aut graviora " crimina, non a quibusvis, sed a " Summis dumtaxat Sacerdotibus ab- " solverentur," (y) merito quovis tempore censuit sancta Dei Ecclesia; utpote, qua reservatione efficiatur, ut cognita certorum peccatorum gravitate, ea Fideles præ timore & pudore diligentius præcaveant & devitent; vel si illa admiserint, condigniorem de iis agant pœnitentiam. Ne tamen potestas, *quam Dominus hic nobis dedit in ædificationem* omnium, in aliquorum cedat *destructionem*, (z) atque ut ipsorum etiam Confessariorum conscientiæ consulamus; concedimus omnibus Pastoribus & Vicariis Diœcesis nostræ, aliisque etiam Sacerdotibus a Nobis ad confessiones approbatis & admissis, ut infirmos, quibus sacri Viatici, aut Extremæ Unctionis Sacramenta administranda erunt, si casum aliquem, aut etiam plures ex quinque *Jure ordinario* Nobis reservatis, eos incurrisse deprehenderint, ab illis absolvere possint & valeant, in ordine ad præfata Sacramenta conjunctim vel divisim suscipienda.

C.

Præter Decanos, tres Pastores in quolibet Districtu possunt absolvere a peccatis reservatis.

Dein, considerata Diœcesis nostræ extensione, ob quam permulti etiam sani & benevalentes, qui reservationem hujusmodi incurrere potuissent, nonnisi admodum difficile, aut permagno suo incommodo ad Nos, vel Pœnitentiarium nostrum pro absolutione obtinenda possunt accedere: ut illorum quoque infirmitati condescendendo, eorum conversionem in Domino acceleremus; omnibus Decanis nostris facultatem concedimus, quosvis Christi fideles absolvendi, intra suos respective districtus, a casibus item *Jure ordinario*, ut supra, Nobis reservatis. Non tantum, sed pro singulari fiducia, quam in illis habemus, insuper permittimus, ut in proxima Ss. Oleorum distributione, quæ quotannis per præfatos Decanos fieri debet, præhabito Pastorum advisamento, tres ex illis pro suo districtu designent, Nobisque proponant, quibus similem potestatem absolvendi a reservatis concedamus; qua tamen nonnisi intra Parochiæ suæ limites uti poterunt.

CI.

Facultas hic concessa quomodo executioni mandanda.

Pro majori autem pœnitentium commoditate commendamus, quatenus in designandis tribus illis Pastoribus, certa quædam & æqualis ad ipsorum mutuas Parochias, ipsiusque districtus diversos limites, distantia & positio observetur, quantum potuerit; ut qui ad unum ex illis accedere debebunt, ex quavis parte districtus fuerit, faciliorem accessum ad eum habeant.

Interim Pastores ad hoc opus charitatis designandos, prout etiam Decanos, aliosque omnes Sacerdotes, qui hujusmodi facultatem alias a Nobis acceperunt, aut pro futuro accipient, monemus & requirimus, tum ut pœnitentes, qui ad eos pro conscientiæ suæ

(x) S. Conc. Congreg. 3. Decemb. 1707.
(y) Trid. Sess. 14. c. 7. de Pœnit.
(z) 2. Cor. 10. 8.

ſuæ levamine confugerint, quovis tempore paterne excipiant, & *confirment in eos charitatem. . . . . Ne forte abundantiori triſtitia abſorbeantur, qui hujusmodi ſunt*; (*a*) tum etiam, ut modis omnibus, Deo juvante, illorum ſeriæ converſioni allaborent; eosque inter alia moneant de fine reſervationis peccatorum ab Eccleſia intento; ac denique, ut vere contritis, & ad Sacramentalem Abſolutionem ſufficienter diſpoſitis, pro criminum menſura & gravitate ſalutarem & convenientem ſatisfactionem injungant.

CII.

Revocatur facultas quorumdam Paſtorum aſſumendi Confeſſ., niſi &c.

Declaramus præterea, nulli Paſtorum licere impoſterum, etiam prætextu quarumcumque Solemnitatum aut Octavarum, quæ in eorum Eccleſiis cum frequentiori populi concurſu celebrantur, alios Confeſſarios ſeu Sæculares, ſeu Regulares, in ſubſidium advocare, illisque nomine & authoritate noſtra permittere, ut etiam a caſibus reſervatis abſolvant, prout antea nonnullis Paſtoribus conceſſum fuerat, quam eos, qui a Nobis pro locis illis & caſibus, ut fertur, expreſſam jurisdictionem & facultatem ante obtinuerint. In quem finem, volumus ſufficere nihilominus, ut Paſtores, caſu occurrente, octiduo ante ſcripto Nobis exhibeant illorum Sacerdotum nomina & perſonas, quibus ejusmodi jurisdictionem & facultatem impetrare deſiderant; qui tamen antecedenter, in, aut pro Diœceſi noſtra approbati & admiſſi eſſe debebunt.

CIII.

Alia hic obſervanda a Confeſſariis.

Extra articulum mortis, aut præmiſſæ diſpoſitionis noſtræ circumſtantias, caveant Confeſſarii aliquid attentent circa caſus quomodocumque Nobis reſervatos; quod, cum proportione, obſervabunt quoad caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatos; reflectendo, ſub conceſſione, quamvis ampliſſima, abſolvendi a caſibus quibuscumque Summo Pontifici reſervatis, numquam comprehendi caſus reſervatos Epiſcopo, niſi prius Epiſcopi venia acceſſerit. (*b*) Ut enim S. Gregorius Magnus præclare dixit: "Si ſua unicuique Epiſcopo " jurisdictio non ſervatur, quid aliud " agitur, niſi ut per Nos, per quos " Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, " confundatur."

Monemus etiam, Confeſſarios habentes facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis Epiſcopo, non poſſe abſolvere a cenſuris itidem ipſi reſervatis, niſi exprimatur.

CIV.

Monentur Confeſſarii circa pœnitentes exterarum Diœceſium.

Et quamvis caſus reſervatus in alia Diœceſi, poſſit tam valide, quam licite abſolvi a Confeſſario ſeu ſæculari, ſeu Regulari alias non habente poteſtatem in reſervata, in Diœceſi, in qua non eſt reſervatus; id tamen intelligendum cum hac exceptione: "Niſi Con" feſſarii noverint eosdem pœnitentes " in fraudem reſervationis ad alienam " Diœceſim pro abſolutione obtinenda " migraſſe:" (*c*) De quo proinde Confeſſarii pœnitentes extraneos ſolicite interrogare debent, ut tam reverentiæ ipſius Sacramenti, quam pœnitentium ſaluti conſulant. Quapropter injungimus Paſtoribus, nominatim vero illarum Parochiarum, quæ alienis Diœceſibus adjacent, ut tam Parochianos ſuos, ſi forte in Diœceſi confini confiteri voluerint, quam Stationarios, ad quos ex alia Diœceſi pœnitentes accedunt, ſerio commoneant; illos, ne in fraudem reſervationis in aliam Diœceſim pro abſolutione obtinenda demigrent; iſtos vero, ne tales ad ſe venientes temere abſolvere attentent. Atque hinc patet, quam neceſſario Paſtores & Confeſſarii, de quibus agimus, ſcire debeant caſus, qui etiam in Diœceſibus conterminis, ſuis Epiſcopis reſervantur.

CV.

(*a*) 2. Cor. 2. 7. & 8. (*b*) Clemens X. & XIII. Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. L. 5. c. 5.
(*c*) Idem Clemens X. Bulla *Superni*, & Bened. XIV. ſup.

CV.

Confessarii, Pastores præcipue, sint prompti & faciles in confessionibus audiendis.

In audiendis confessionibus, quisque se promptum & facilem exhibeat, caveatque diligenter, ne signo, vel verbis ullis præ se ferat, ægre se, gravatoque animo optimum hoc & acceptabile Dei opus suscipere. "Dedit " nobis, inquit S. LEO, (d) majores " diligendi proximum causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens, " neminem despectat, dum docet neminem negligendum."

Quoad Pastores vero, nequaquam putandum est, eos tunc solum ad audiendas suorum confessiones teneri, quando ipsi ad confitendum obligantur; sed & alias sæpius, & quidem toties, quoties rationabiliter & opportune confiteri voluerint: quare curent solicite, ut se subditorum necessitati aut utilitati attemperantes, semper parati sint operam suam præbere confiteri volentibus; proposito sibi Salvatoris exemplo, qui nullam prætermisit occasionem, quoties de salute animarum agebatur.

Et ut Fideles ad pietatis & religionis exercitia diebus Dominicis & Festis magis alliciantur; maxime, cum ex multorum querelis intellexerimus, in nonnullis Parochiis Sacramenta rarius frequentari a populo, quod Confessarios, aut etiam, quod magis dolendum, ipsos Parochos ad hoc paratos non inveniant, & ab iis evocandis, timore aut verecundia deterreantur: mandamus Pastoribus & Vicariis, ut præfatis diebus, præsertim ruri, ante primum Sacrum in confessionali tempestive sedeant; utque nunc unus sub primo Sacro, nunc alter sub Summo ibidem permaneant, sicque opportunitatem præbeant Parochianis, ut quovis tempore ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere valeant, & sacræ Eucharistiæ sumendæ frequentius assuescant.

In urbibus, pagis, aut quibuscumque Parochiis, ubi numerosior est populus, vel frequentior Sacramentorum usus, etiam diebus *Sabbathi* & in *Vigiliis* majorum Festivitatum, mane, aut etiam a meridie, hora a Pastoribus statuenda, sese in confessionali, omnibus eorum opera uti volentibus, paratos offerant.

CVI.

Confessarii sint pro pauperibus æque ac divitibus soliciti.

Confessarius in hujus Sacramenti administratione, sic animi sui propositum ordinet, ac intentionem dirigat, ut eum nullus humanus intuitus eo pertrahat, sed sola Dei gloria, solumque animarum salutis desiderium, sine ulla personarum acceptione. Quoties proinde ad confessiones audiendas evocabitur, aut ad id sponte se conferet, totus in Deum erectus, mentis oculum ac cordis affectum in hunc finem conjiciat; diligenterque attendat, se eo pergere, ut animas peccati sordibus inquinatas, pretiosissimo Christi Sanguine abluat, mundet, ac Deo suo Creatori reconciliet.

In admittendis, instruendis, corripiendisque pœnitentibus, æqualiter pro paupere ac divite solicitus, id totum pari zelo omnibus & singulis præstare firmiter proponat, quod ad eorum profectum spiritualem pertinere, aut conducere judicaverit. Quod si personarum, quæ ad confitendum accedunt, status, qualitas, aut conditio interrogari, & considerari debeat; (e) certe, non ut alius alii præferatur, sed ut unusquisque prudenter & discrete tractetur, & prout visum fuerit ad eorum salutem animæque directionem magis expedire.

CVII.

Confessarii debent implere partes tum Medici, *tum* Judicis.

Ut autem in tractandis, dirigendisque animabus, Confessarius prudenter & discrete procedat, meminisse imprimis debet, se in sua qualitate, periti *Medici* spiritualis partes agere debere;

(d) Serm. 1. de Jejun. 10. Mens.

(e) Instruct. Confessar. A. 5.

bere; (*f*) cujus officium eſt, animæ vulnera, & ſpiritualem ægri complexionem, ſeu indolem examinare & attendere; ut iis rite expenſis, non unam eamdemque omnibus, diſparibusque animæ morbis, medicinam applicet; ſed ſingulis eam, quæ iis medendis apprime conveniat, aptaque ſit pœnitentem a recidiva præſervare.

Nec tantum *Medici*, ſive medentis officio, Confeſſarius hic fungi debet, ſed etiam *Judicis*; (*g*) " quem oportet, " ut ſciat cognoſcere & diſcernere, " quidquid debet judicare;" (*h*) unde merito infertur, quemvis Confeſſarium, qua Judicem, cognoſcere & diſtinguere debere qualitatem & gravitatem peccatorum, ac maxime ipſius pœnitentis diſpoſitionem; ut habita eorum ratione, ſolvat aut liget, pœnasque ſatisfactorias conſtituat & injungat,"quæ " non tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, " & infirmitatis medicinam; ſed etiam " ad præteritorum peccatorum vin " dictam & caſtigationem, inſervire " debent." (*i*)

Hinc, Confeſſarii ſtudioſe obſervent, quod monet Rituale *Romanum*; ut videlicet, " videant diligenter, quan- " do & quibus conferenda, vel ne- " ganda, vel differenda ſit abſolutio: " ne abſolvant eos, qui talis beneficii " ſunt incapaces; quales ſunt, qui " nulla dant ſigna doloris; qui odia, & " inimicitias deponere, aut aliena, ſi " poſſint, reſtituere, aut proximam " peccandi occaſionem deſerere, aut " alio modo peccata derelinquere, & " vitam in melius emendare nolunt; " aut, qui publicum ſcandalum dede- " runt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcan- " dalum tollant." (*k*)

CVIII.

Confeſſarii ſint benigni & manſueti erga peccatores obduratos, aliosque pœnitentes indiſpoſitos.

Nihilominus, ſive denegent, ſive differant abſolutionem Confeſſarii, ſemper in charitate & manſuetudine Chriſti hortentur pœnitentes, ut ipſum patienter ferant, illisque ſuavi ſermone cauſas denegatæ abſolutionis aperiant, oſtendantque ita expedire, ut eorum ſaluti bene & ſecure conſulatur. Dein, ut quantocius revertantur eos invitent; animosque addant, ut ante reditum ea omnia, quæ illis a Confeſſario fuerint præſcripta, rite, fideliterque perficiant. Ex quo fiet, ut hujusmodi pœnitentes, paterna Confeſſarii benignitate illecti, frequentius, & quaſi ſponte, ad lepræ ſuæ curationem oſtendant ſe Sacerdoti; ſicque paulatim a via iniquitatis reducantur, quos alioquin improba Confeſſarii ſeveritas, a frequentando tam ſalutari remedio deterruiſſet. Quod ſi Confeſſarius peccatores deprehenderit, quibus ſeveriori diſciplina & reprehenſione opus ſit, eam opportunius adhibebit, poſtquam procedente tempore, authoritatem ſimul & amorem apud illos ſibi conciliaverit. Dum autem Confeſſarius abſolutionem pœnitenti deferre debuerit, ipſi nihilominus benedictionem impertiat, antequam eum dimittat, ne adſtantes quidpiam ſuſpicari poſſint; dicatque de more, *Miſereatur &c.* & *Indulgentiam &c.* ſubmiſſiori tamen voce, ut alias ſemper, ne quis audiat, quod formam Abſolutionis Sacramentalis hic omittat.

Hanc manſuetudinem & paternum affectum, quem commendamus Confeſſariis erga omnes indiſtincte pœnitentes, ſingularius impendent rudibus, inveteratisque peccatoribus; quos præ cæteris, in viſceribus miſericordiæ & patientiæ excipere & amplecti debent, eorumque ignorantiam, tarditatem, aliasque imperfectiones tolerare; neque umquam ab iis quocumque modo juvandis averti, quamdiu ſpes aliqua emendationis affulget.

CIX.

Pœnitentes rudiores præ cæteris debent interrogari & inſtrui.

" Ubi autem ruditatem confiten- " tium deprehenderint Confeſ- " ſarii, addunt Statuta, illos doceant, ſi

(*f*) Ritual. Roman. (*g*) Idem Ritual. Roman. (*h*) Cap. 1. Diſt. 6. de Pœnit. (*i*) Trid. Seſſ. 14. c. 8. de Pœnit. (*k*) Inſtruct. Confeſſ. A. 16. poſt Ritual. Roman. eod. T. de Pœnit.

" si tempus suppetat, confitendi mo-
" dum, & circumstantias, quæ peccata
" aggravant, declarandas esse, absque
" tamen distincta designatione persona-
" rum, cum quibus peccaverunt. Ipsi
" quoque Confessarii ab ea inquisitio-
" ne, per quam in notitiam persona-
" rum, cum quibus peccata commissa
" sunt, devenire possent, abstineant;
" neque immisceant, dum confessiones
" audiunt, illa, quæ confessionem non
" concernunt, aut ad salutem subdito-
" rum non pertinent; neque ab ipsis
" confitentibus talia immisceri permit-
" tant." (*l*)

De quibus præterea rudiores interrogare debeat Confessarius, quomodo eos instruere, & ad absolutionem disponere, ulterius exponunt & inculcant nostræ Confessariorum Instructiones: (*m*) ubi etiam monentur Confessarii, ut serio reflectant, quomodo procedendum cum *Consuetudinariis*; quomodo cum *Recidivis* (qui tales sunt ex malitia) utpote, quorum conversionem difficilem admodum esse pro certo habere debeant, quæ proinde dilatione absolutionis ordinarie probanda est. (*n*) Additur ibidem, & merito, ut serio quoque attendat Confessarius, quod in hujusmodi casibus anteriores confessiones plerumque sint repetendæ, & consequenter Confessione generali emendandæ, prout alias sæpius; dum nempe infelici nimis experientia constat, negligentiam maximam in confessionibus rite instituendis a multis committi indies, idque præcipue ab iis, qui repudiato a se timore Dei, ad confessionem potius veniunt ex certa quadam agendi consuetudine, quam quod peccatorum suorum agnitione & dolore eo perducantur, vitamque in melius emendandi vera desideria susceperint.

CX.

Confessio Generalis, quam utilis, & persæpe necessaria.

Porro, *Generalis Confessio*, sive totius vitæ, sive aliquot annorum tantum, quæ variis pœnitentibus, ut plane necessaria injungenda est, aliis fere omnibus, saltem aliquoties in vita, ad minus suaderi debet ut utilissima. Et vero, tametsi & bene vivere, & Sacramenta nonnisi fructuose percipere satagat homo Christianus; quia tamen " necesse est, de mundano pulvere etiam " religiosa corda sordescere;" (*o*) fit ut sensim dilabatur in defectus & negligentias, si non in se damnabiles, certe tamen periculosas; quod nimirum fervorem minuant, & ad quasdam culpas, etiam graves, tandem conducant. Hinc, qui suæ saluti studiosius invigilant, præter frequentem & ordinariam peccatorum purgationem, authoribus vitæ spiritualis Magistris, identidem recogitantes annos suos in amaritudine animæ suæ, generaliores confessiones instituunt, ut vel levissimis præcedentibus defectibus medeantur, cognoscantque suum in virtute profectum: (*p*) " Hoc enim illud est, inquit S. *Fran-* " *ciscus Salesius*, quod nemo vir ingenuus " ante obitum negligit." (*q*) Semel autem facta totius vitæ generali confessione, quæ præcipue consulenda est iis, qui vitæ statum eligunt aut mutant, vel jam serio vitæ & morum conversionem meditantur; satis erit propriæ salutis amatoribus, si quotannis, data majoris devotionis occasione, culparum per annum admissarum accusationem illis permittat Confessarius; qui tamen sic se gerere debet erga timoratiores, ut scrupulosas in eorum conscientiis non nutriat anxietates; quibus, si facile eos stimulari adverterit, nequidem unius anni confessionem ipsis vix permittat; multo minus consulat, vel imperet.

CXI.

Pastores doceant Fideles circa Confessiones Generales.

Utque generalium confessionum usus & frequentior & facilior fiat, summopere Pastoribus commendamus, ut tam in Catechismis, quam concionibus, dum de Sacramento Pœnitentiæ tractandum est, aut alias sæpius,

(*l*) Sub Rith. T. 16. c. 13. (*m*) Instruct. Confess. A. 6. & 7. (*n*) Ibid. A. 18. (*o*) S. Leo. (*p*) S. Carol. Instr. Confess. (*q*) S. Franc. Sales Ep. ad Matronam Vid.

pius, populum diligenter instruant, doceantque, quibus confessio generalis sit necessaria; quibus vero, ad minus utilis & suadenda, & in quibus circumstantiis; quæ illius instituendæ methodus & regulæ; (r) qui denique, quantique fructus ex illa percipiantur; seque semper paratos offerant (quod a cæteris quoque Confessariis attendi volumus) ut volentes generaliter confiteri, benigne excipiant, paterne adjuvent, sicque saluti eorum cum charitate & zelo allaborare studeant; quam curam & officiositatem, infirmis & moribundis impendent diligentius.

CXII.

Nimia facilitas in danda Absolutione & Satisfactione imponenda, cavenda a Confessariis.

Cæterum, sive in confessionibus generalibus, sive in illis omnibus, quæ pluries in anno ab unoquoque solent institui, attendant præcipue Confessarii, an pœnitentes vere de peccatis doleant, & ex quo motivo; eosque piis considerationibus (quas semper paratas habere debent) conentur excitare (s) etiam ad actum contritionis ex Dei amore, quem tamquam summum bonum, ac finem ultimum amare debeant: & quem viderint carere serio de offensa Dei dolore, cum emendationis proposito, non absolvant. Terret nos, quod piissimus Cardinalis *Bellarminus* scriptum reliquit: " Non esset " hodie tanta facilitas peccandi, si non " esset tanta facilitas absolvendi. " (t)

Hinc reflectendum ulterius, quod tametsi pia Mater Ecclesia humanam commiserans infirmitatem, primævam disciplinæ suæ severitatem nonnihil emollierit, atque a Canonum pœnitentialium usu recesserit; " quandoquidem " defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora " ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus " manere censuram: " (u) haud ideo tamen licere Confessariis " Sacramentalem Satisfactionem temere aut pro " libitu imponere; sed hac in re justitiæ, prudentiæ, & æquitatis jura " una componere debere; " (x) insequentes saluberrimam ipsius Concilii *Tridentini* doctrinam, his verbis expressam, & omnium Confessariorum animis alte imprimendam: " Debent ergo " Sacerdotes Domini, quantum Dei " Spiritus & prudentia suggesserit, pro " qualitate & pœnitentium facultate, " salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis " conniveant, & indulgentius quam " par est, cum pœnitentibus agant, " levissima quædam opera pro gravissimis criminibus injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. " (y) Jure tamen, & merito additur in Instructionibus sæpe laudatis: (z) Ne Confessarii publicas pœnitentias imponant pro peccato occulto; quales, ne quidem pro peccatis publicis, aut pro publico scandalo reparando, absque nostra speciali licentia permittuntur, aut etiam permittimus; cum hic maxima cautela & prudentia adhiberi debeat, ne dum scandalo reparando intenditur, illud ipsum etiam potius augeatur. (a)

Ut autem ad acceptandam convenientem Satisfactionem, pœnitentes facilius inducantur, multum proderit Canonum Pœnitentialium notitia: (b) qui quamvis possint, & debeant secundum prudentis & timorati Confessarii arbitrium, mitigari & attemperari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, aut conditio, aliæque circumstantiæ exigere videntur; iis tamen uti debet, ut pœnarum, quæ olim pro peccatis hujusmodi infligebantur, mensuram explicet pœnitentibus; qui inde gravitatem suorum peccatorum agnoscentes, levius ferent pœnitentias minores sibi impositas, facta comparatione cum pœnis, quas pro iisdem criminibus subiissent, si remotiori ætate ad tribunal pœnitentiæ accessissent.

CXIII.

(r) S. Franc. Sales Introd. P. 1. c. 19.
(s) Instruct. Confess. A. 15. Manual. Ipresf.
(t) Conc. 4. in Domin. 4. Advent.
(u) Cap. *Confraternitat.* Dist. 34.
(x) Cat. Roman. T. de Pœnit.
(y) Trid. Sess. 14. c. 8. de Pœnit.
(z) Art. 20.
(a) Decret. Epp. Belg. an. 1697.
(b) S. Carol. Instruct. Confessar.

CXIII.

Qualia opera ſatisfactionis pœnitentibus imponi debeant.

Meminerint quoque, & obſervent Confeſſarii, ſatisfactionis opera, quæ pœnitentibus injungi debent, ad triplex pœnitentiarum genus revocari debere: *Orationem* nimirum, *Eleemoſynam*, & *Jejunium.* (c)

Sub *Jejunio*; comprehenditur univerſa corporis caſtigatio; ipſum nempe jejunium, non a cibis tantum, ſed & a deliciis & voluptatibus etiam licitis; carnis macerationes, vigiliæ, peregrinationes piæ, & his ſimilia. Sub *Eleemoſyna*; benevolentia & beneficentia vel dandi vel ignoſcendi; id eſt, Opera miſericordiæ, non corporalia modo, ut cura pauperum & infirmorum; ſed & ſpiritualia, ut condonatio injuriarum, dilectio inimicorum, inſtructio ignorantium, conſolatio afflictorum &c. Sub *Oratione*; omnes regulæ ſancti deſiderii, quales ſunt preces ſive vocales, ſive mentales; Eccleſiarum, & Divinorum Officiorum ſedula frequentatio, lectiones piæ, aliaque ſpiritualia exercitia.

CXIV.

Quid hic præterea obſervandum a Confeſſariis.

Et quoniam, ut ante refleximus ex *Tridentino*, opera ſatisfactoria, tam ad medicinam & novæ vitæ cuſtodiam, quam peccatorum caſtigationem inſervire debent; curent etiam Confeſſarii, " ut confitentibus injungant pœnitentias peccatis, quæ commiſerunt, quantum fieri poteſt, contrarias, & ſecundum pœnitentium contritionem magis, quam ſecundum peccatorum magnitudinem, ſemper etiam confitentium qualitate attenta: pro peccato luxuriæ, jejunium & abſtinentiam; pro avaritia, largitatem; pro ira, manſuetudinem; pro ſuperbia, humilitatem; pro furto aut detentione rei alienæ, primo reſtitutionem, dein orationes; pro peccatis ſpiritualibus, meditationes, orationes & ſimilia, prout viderint ſaluti confitentium expedire:" (d) his demum, qui rarius confitentur, vel in eadem peccata facile relabuntur, utiliſſime conſulent, ut frequentius ad ſacrum Pœnitentiæ tribunal redeant; idque, ut poterit, apud eumdem Confeſſarium.

Ægris vero, regulariter injungi non debet gravis & laborioſa Pœnitentia Sacramentalis, etiam pro gravioribus delictis; ſed levior, & quæ gravitati morbi, & qualitati pœnitentis ſit proportionata: talis eſſe poterit, brevis aliqua oratio, recitatio actuum Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis; patiens morbi & dolorum ſufferentia, cum reſignatione in Dei voluntate; eleemoſyna facultatibus accommodata, aut quid ſimile: curetque Confeſſarius pœnitentiam illam, ordinarie loquendo, ſe præſente adimpleri; ita tamen, ut præter illam levem pro ſtatu ægri impoſitam ſatisfactionem, aliquam inſuper condignam, & peccatis expiandis parem pro prudentia ſua illi injungat, ſi convaluerit peragendam.

CXV.

Confeſſarii caveant diligenter ab omni ſpecie turpis lucri.

Quod ſi Eccleſiæ Miniſter, ſemper & in omnibus functionibus Eccleſiaſticis, ab omni ſpecie aut ſuſpicione turpis lucri abeſſe debeant; cavendum maxime Confeſſariis, ne quæ commoda temporalia ſibi, ſuisve confeſſionis occaſione aucupentur; non modo petant, ſed nec ſe velle ſignificent aliquod temporale lucrum, pro munere & labore in confeſſionibus audiendis ſuſcepto; quinimo tam verbis, quam factis ab his omnibus ſe abhorrere demonſtrent: *Munera enim excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* (e) Hinc, filii *Samuelis* declinantes *poſt avaritiam, & munera accipientes, perverterunt judicium.* (f)

Et licet dubitari non debeat, quin poſſit Confeſſarius injungere pœnitentibus, ut pro peccatorum ſatisfactione Miſſæ Sacrificium celebrari faciant, eosve

(c) Tob. 12. 8. Catech. Roman. loco cit.
(d) Stat. ſub Rith. T. 16. c. 14.
(e) Deut. 16. 19. (f) 1. Reg. 8. 3.

eosve ad id laudabiliter, modo circumſpecte, adhortari: ne tamen hac etiam occaſione, aliqua ſuboriatur avaritiæ ſuſpicio, monemus & requirimus, ne Confeſſarii quicumque ab ullo pœnitente, cui hujusmodi Miſſarum celebrationem injunxerint, eleemoſynam accipiant, ut vel ipſi eas Miſſas celebrent, vel a ſua forte communitate celebrari faciant. (*g*)

CXVI.

Quomodo danda Abſolutio.

Denique, in danda abſolutione, omnes modum formulamque ſequantur, quæ in Manuali noſtro præſcribitur, devote preces adhibendo, quæ ibidem Sacramentalem Abſolutionem præcedere & ſubſequi debent; quas caveant Confeſſarii, ne absque ſufficienti ratione omittant; utpote quæ ab Eccleſia religioſe præſcriptæ, etiam plurimum fructum & meritum ipſi pœnitenti conferunt.

In confeſſionibus frequentioribus & brevioribus, occaſione magni populi concurſus, omitti poteſt " inquit " Rituale *Roman.*, *Miſereatur &c.* ſatisque " erit dicere: *Dominus noſter &c.* uſque " ad illud: *Paſſio Domini &c.* Urgente " vero gravi aliqua neceſſitate, ut ſi " quis ſubito moriturus appareat, Con- " feſſarii breviter dicere poterunt: *Ego* " *te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis,* " *in nomine Patris &c.*" (*h*)

Additur: *Ab omnibus Cenſuris*, puta, tam reſervatis, quam non reſervatis; quia in articulo mortis, quilibet Sacerdos ab omnibus cenſuris & peccatis, quantumvis reſervatis, etiam Summo Pontifici, abſolvere poteſt, ſi non adſit is, a quo pœnitens alias eſſet abſolvendus; " cum pie admodum in Eccleſia " ſemper cuſtoditum fuerit, ut in eo " caſu nulla ſit reſervatio, ne hac oc- " caſione aliquis pereat." (*i*)

Interim, qui in extremis ſic abſolutus eſt a cenſuris reſervatis, per Sacerdotem, qui alias ab eis abſolvere non potuiſſet; ſi convaluerit, cum primum poteſt Superiori, a quo, ſecluſo neceſſitatis caſu abſolvendus erat, ſe ſiſtere tenetur, ut mandatis ejus pareat; de quo proinde a Confeſſario monendus eſt, ſi præſens ſibi ſit, & ſpes convaleſcendi affulgeat; peccata tamen, quamvis reſervata, quibus cenſura annexa non erat, non ſunt denuo confitenda.

CXVII.

Strictiſſima Sigilli Confeſſionis obligatio.

Quamvis vero Sigillum Confeſſionis, ſeu ſtrictiſſima illa obligatio, quam habet Confeſſarius tenendi confeſſionem ſecretam, nullo prorſus caſu, nullamque ob cauſam, violandum ſit, & quidem ſub graviſſimo ſacrilegii peccato, tametſi id quod revelatur, levis appareat materia; monemus omnes Confeſſarios, ut in re tanti momenti, omni ſtudio attendant atque obſervent, quæ deſuper in Confeſſariorum Inſtructione injunguntur. (*k*)

Ponat ergo Confeſſarius *Cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labiis ſuis,* (*l*) ut non erumpant ei verba præcipitationis: ac inſuper reflectat, non ad ſola peccata ſeſe extendere confeſſionis arcanum; ſed etiam, licet minus directe, ad pœnitentis virtutes ſpeciales, ad negotia ſæcularia, quæ in confeſſione commemorata ſunt, & ad ejus peccata quamdam habent relationem; aut etiam ad defectus naturales, quos ex confeſſione detexit. Sic, nec ſibi quoque licitum putare debet, quæ dedit pœnitenti monita aut conſilia, ea cuiquam expreſſe recenſere; multo minus addere, ſe alicui abſolutionem diſtuliſſe, aut recuſaſſe; vel conſuluiſſe, ut ſe a S. Communione abſtineat.

CXVIII.

Quid colligendum, & timendum ex ante dictis.

Hæc omnia ſi ſedulo & attente, ut debent, conſiderentur, ſtatim apparebit, tanti, tamque difficilis ſuſcepti muneris partes non implere, imo vero

(*g*) S. Carol. apud Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. L. 5. C. 9. n. 6.
(*h*) Ritual. Roman. T. Abſolutionis forma. A. 5.
(*i*) Trid. Seſſ. 14. c. 7. de Pœnit.
(*k*) A. 12. 13. & 14.
(*l*) Pſalm. 140. 3.

vero gravioris criminis reos esse, eos omnes; qui, cum in sacro Pœnitentiæ tribunali assideant nulla tacti solicitudine, pœnitentes suos non monent, non interrogant, non instruunt aut assistunt, sed expleta qualicumque peccatorum enumeratione, modo licet imperfectissimo, statim indiscriminate absolvunt; levissima sæpe, & fere eadem semper imposita Satisfactione Sacramentali, quæ nullam cum peccatorum qualitate vel quantitate, aut cum ipsorum pœnitentium statu & conditione habet convenientiam, aut proportionem. Sed, quid non timendum, si insuper consideremus, quot, quantæque difficillimæ quæstiones, præcipue in quibus agitur de damno tertii, de valore Matrimonii, contractuum &c. in tribunali confessionis exponi soleant, quæque a nonnullis Confessariis sine examine & discussione, tam temerarie, quam perfunctorie, & quasi in instanti solvuntur, si forte vel obiter ad eas reflexerint?

CXIX.

Corripitur, & exstimulatur quorumdam Confessariorum incuria & negligentia.

Ut igitur abusui tam enormi, maloque gravissimo, quod sensim invalescit, cum magna & in pœnitentibus, & in ipsismet Confessariis animarum strage, pro pastorali nostra solicitudine medeamur; omnibus & singulis Confessariis præcipimus & mandamus, etiam sub interminatione pœnæ suspensionis, ut iis omnibus, quæ tam in Statutis & Instructionibus Confessariorum hujus Diœcesis, quam in hac nostra Pastorali, ad dignam Confessariorum institutionem, ac ministerii eorum debitam executionem requiruntur, sese perfecte conformare studeant; omnemque operam ac laborem impendant, quo solertis *Medici* & prudentis *Judicis* partes hic implere valeant. Hinc, præter scientiam, prudentiam ac vitæ sanctimoniam, quam tum assiduis precibus, tum ex probatis Authoribus, præsertim Catechismo *Romano* & prudenti consilio Peritorum comparare sibi debent, (m) eos insuper adhortamur, ut numquam se confessionis ministerio exponant, quin prius brevi aliqua oratione, prout res feret, lumen & gratiam a Domino ardenter, humiliterque implorent; ut non tantum in nullam reprehensionem vel errorem incidant; verum, & alienarum inquinamenta fœditatum, quas sæpe necesse est audire Confessarios, sic mundent & abstergant, ut ipsi nullatenus propriam animam polluant atque inficiant.

CXX.

De Sacramento Extremæ Unctionis quantum intersit, ut ab infirmis suscipiatur.

Quo magis languescit humanæ infirmitatis virtus, & unusquisque moriens, ad ingrediendas sibi ignotas futuri sæculi vias, ob peccatorum suorum conscientiam & judiciorum Dei abyssum, magis percellitur, magisque horret; eo amplius solicita esse debet Pastorum & Sacerdotum charitas, ut Christianus quisque in extremo illo agone, contra omnes Satanæ insultus bene armatus sit, & in spem Divinæ misericordiæ fidenter erigatur. Ad quem effectum operandum, præter corporalem sanitatem, si ægrotantis saluti conducat, cum S. *Extremæ Unctionis* Sacramentum a Christo Domino institutum sit; nequaquam dubitandum, quin Pastores omni studio ac diligentia curare debeant, ut periculose ægrotantibus administretur, & eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens & ratio viget; ut ad uberiorem Sacramenti gratiam suscipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro Oleo liniuntur.

CXXI.

S. Extrema Unctio tempestive administrari debet.

„Quamvis igitur hoc Sacramentum non in quavis infirmitate, „sed in gravi dumtaxat, possit „administrari; quando videlicet humano judicio de infirmantium morte „metuitur, & infirmi morti quasi appropinquare videntur;" (n) cavendum

(m) Ritual. Roman.

(n) Stat. sub Rith. T. 17. c. 5.

dum tamen, ne, dum administratio differtur usque dum verisimile mortis periculum apparet, interim infirmus aut moriatur, aut usu rationis privetur. Quocirca, in visitandis infirmis omnem diligentiam & sedulitatem adhibeant Pastores, ut per eos tempestive, & quo potest majori fructu hoc Sacramentum suscipiatur. Ubi autem infirmum resciverint, de quo merito timent, ne forte negligentia propinquorum aut domesticorum, sacro Oleo non munitus e vita decedat; sciant se graviter obligari, ut nullo habito humano respectu, etiam non vocati infirmum adeant, eumque solicite, sed prudenter, ad suscipiendum hoc Sacramentum inducant. Quod haud minus certe obtinere debet pro aliis morientium Sacramentis. Addit Catechismus *Roman.*: " eos gravissime peccare, qui illud " tempus ægroti ungendi servare so- " lent, cum jam omni salutis spe amissa, " vita & sensibus carere incipiunt." (o)

CXXII.

Quomodo Extrema Unctio administrari debeat.

Hoc autem Sacramentum semper administretur publice, cum pulsu campanæ e campanili; item in superpelliceo, & cum stola violacei coloris, præcedente Custode cum superpelliceo & lumine. (p) Consuetudinem alicubi receptam, administrandi illud occulte, aut absque exteriori ritu ab Ecclesia præscripto, non tantum jure & merito reprobamus, sed etiam omnibus interdicimus, sub pœna pro voluntate nostra statuenda.

Ubi ad ægrotum Sacerdos pervenerit, præmissa suavi piaque salutatione, naturam & effectus hujus Sacramenti breviter, ejusque infirmitati & dispositioni accommodata Oratione exponat; eum consoletur, atque a curis & amore hujus sæculi, in spem & desiderium vitæ æternæ erigat: nequaquam vero, (ut imprudentes faciunt, ignorantes officium Sacerdotum ad populum, aut scire nolentes) eum vana longioris vitæ expectatione fallat; sed contra potius, ad contemnendam hanc miseram vitam, mortemque pacato & magno animo acceptandam ita componat, ut nihil præter Deum esuriat & sitiat; illum solum in corde, solum in ore habeat; dissolvi propter eum cupiat; ab illius beatifica visione diutius abesse summam miseriam ducat; atque ita vivere, Christianum esse; sic mori, Christiano maxime necessarium, persuadeat.

Et quamvis hoc Sacramentum suscepturus, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta pia solicitudine præmiserit, eum roget tamen Sacerdos, antequam sacram Unctionem impendere incipiat, an aliquem adhuc conscientiæ remorsum sentiat; & si opus fuerit, ejus confessionem prius audiat, & absolvat.

CXXIII.

Populus Extremam Unctionem devote comitetur, & moneatur de Indulgentiis.

In Sacramenti hujus administratione, etiam tam eundo, quam redeundo, a confabulationibus omnes abstineant, devote fundendis Deo precibus pro salute infirmi intenti. Sacerdos vero eundo, recitet Psalmum *Miserere*, aliosvè ex Pœnitentialibus, vel Psalmum *Beati immaculati &c.* ut, quo sic ferventius orationi instatur, tanto uberiorem fructum ex hoc Sacramento infirmus accipiat. (q)

Cum autem Prædecessor noster RR. D. MASIUS omnibus Christi fidelibus, qui sacrum Oleum, cum ad infirmos defertur, comitati fuerint, eundo *decem*, & redeundo, totidem dies Indulgentiarum elargitus sit; iis vero, qui id de nocte fecerint, eundo *viginti*, & totidem redeundo; quibus etiam tam hujus Sacramenti, quam Ss. Eucharistiæ Ministros gaudere voluit: (r) ut hoc Sacramentum majori pietate & ædificatione administretur imposterum, præfatas Indulgentias sub eodem tenore, in quantum opus est, innovamus; injungentes Pastoribus, ut & de his pro opportunitate, populum moneant, & ad eas pio affectu lucrandas frequentius adhortentur.

CXXIV.

(o) Tit. de Extrema Unct.
(p) Ritual. Roman. Statut. sub Mas. T. 13. c. 1.
(q) Pastoral. Mechlin.
(r) Stat. sub Mas. Tit. 13. c. 4.

CXXIV.

Hoc Sacramentum etiam pueris debet administrari.

Extremæ Unctionis Sacramentum pueris ægrotantibus, post decimum quartum ætatis annum; aut etiam iis omnibus, qui ea sunt capacitate & ætate, qua ipsis prima Communio concedi solet, posse & debere administrari, dubitandum non est; utpote, quorum unum in Statutis, (*s*) alterum in Manuali nostro diserte præscribitur: quo tamen minime censendum est, sacram Unctionem administrandam non esse pueris, qui alias peccati mortalis & confessionis capaces sunt, seu sufficientem ad hoc rationis usum habere judicandi sunt, licet sint solum septem, octo, aut novem annorum; adeoque, quamvis nondum communicaverint, aut proxime communicandi sint: quin, tales omnes inungendos esse, supponunt, aut etiam injungunt passim cætera Ritualia, ac nominatim Pastorale *Mechliniense;* quod proinde, ut etiam in Diœcesi nostra imposterum & uniformiter observetur, præcipimus; ita tamen, ut si eos mori contigerit, eorum parentes ad Exequias more adultorum nullatenus sint urgendi.

CXXV.

Cura & visitatio infirmorum, singularius commendatur Pastoribus.

De cætero, Pastores omnes, aliosque Sacerdotes, ad quos cura & visitatio infirmorum spectare debet, solicite adhortamur, ut quæ præterea in Manuali nostro, tam ad visitandos infirmos, iisque subveniendum; quam ad opem ferendam morientibus, pie admodum præscribuntur, observare studeant. Præ cæteris vero summopere commendamus, ut infirmis, qui periculosius laborant, aut humanis auxiliis destituti, benigni & providi Pastoris charitatem & operam requirunt, tam ante, quam post administrata Sacramenta, sæpius visitent, consolentur, omnique solicitudine salutis eorum causam agant; nullis laboribus parcentes, ne ovis manibus suis eripiatur, & in æternæ damnationis periculum deveniat.

Hortentur quoque Parochianos suos tum publice, tum privatim, ut se admonere non differant, dum quis in Parochia ægrotaverit, maxime si morbus gravis appareat. Periculo morbi ingravescente, moneant quoque domesticos, se tempestive vocari velle, ut morienti præsto sint. Neque enim committere debent Pastores, ut, quantum fieri potest, huic supremo erga subditum charitatis officio desint, tametsi ad aliud subinde non esset, quam ut præsentes *Commendationis animæ* preces persolverent. Si ita se gesserint, continget, ut præter Divinam mercedem, hac sedula opera sibi singularem suorum amorem & affectum reconciliaturi sint, & uberrimos fructus in animarum regimine Deo allaturi: *Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis,* inquit Ecclesiasticus. (*t*)

CXXVI.

De quo Pastores & Confessarii adhuc debent esse soliciti erga infirmos.

Porro inter varia, quæ Pastores circa infirmos periculose decumbentes præstare debent, annumerandum est, ut illis suadeant, (quod etiam eorum Confessarii curare debent) quatenus integra mente disponant domui suæ; res suas omnes constituant; & per testamentum, hostiam placationis, quæ illis in Domino placuerit, pro animæ suæ refrigerio Deo offerant. Sed hæc suggerendo, ut optime addit Rituale *Romanum,* (*u*) omnis avaritiæ nota caveatur; evitando nimirum, ne se, suosve, aut etiam Ecclesiam suam ad legata, aut fundationes, quæ in sui lucrum cedant, quomodocunque commendare videantur.

Et quoniam Episcopi, de jure, & ex officio, omnium piarum dispositionum executioni intendere & invigilare debent; (*x*) commendamus, ut omnes, qui ad executionem testamentariam

(*s*) Stat. sub Rith. T. 17. c. 3.
(*t*) Cap. 7. 39.
(*u*) T. de cura & visit. infirm.
(*x*) Trid. Sess. 22. c. 8.

riam ſunt deſignati, aut impoſterum deſignabuntur, prompte & fideliter pia legata, quæ ex diſpoſitione defunctorum, ſervatis ſervandis, fuerunt injuncta, impleant; aut per eos, ad quos ſpectat, impleri curent; in eum finem requirentes præterea, ut, caſu occurrente, Paſtores tum publice, tum privatim eos moneant de hac ſua obligatione; ac de piis diſpoſitionibus, quas in ipſorum Parochiis fieri contigerit, ſi juſto diutius earum executio differatur, informent Decanum, qui in ſuis viſitationibus, aut alias prout opportunum fuerit, illarum curam gerat ut juris, & conformiter ad intentionem noſtram. (y)

CXXVII.

Succurrendum infirmis per Benedictionem Papalem.

Denique, ne Paſtores in ullo ſuis ſubditis infirmis deſint, hortamur eos, quemadmodum & cæteros omnes ad hunc effectum deputatos aut deputandos, ut iis in mortis articulo conſtitutis, poſt adminiſtrata Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta, niſi urgente neceſſitate aliter fieri debuerit, ſedulo ſuccurrant per *Benedictionem Apoſtolicam*, cum Indulgentia plenaria, quam omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus conceſſit, & ipſis impertiri indulſit Ss. D. BENEDICTUS XIV. per Conſtitutionem ſuam, *Pia Mater*, datam Nonis Aprilis 1747., & a Prædeceſſore noſtro per Diœceſim publicatam; mandantes, ut juxta intentionem præfati Pontificis, ritum & formam ibidem præſcriptam pro dicta Benedictione & Indulgentia impetranda, aut applicanda, religioſe obſervent, ipſamque Bullam Pontificiam ſæpe e cathedra populo annuntient & exponant; atque reflectant, pium hujusmodi opus (quod, ut fieri poteſt, infirmis impendi debet, dum adhuc ſunt ſanæ mentis & integris ſenſibus, quo certius, aut abundantius Indulgentiæ fructum conſequi valeant) "non erga " Nobiles dumtaxat, & Potentes hu" jus ſæculi; ſed erga pauperes quo" que, & abjectæ ſortis homines præ" ſtandum eſſe; imitando nimirum mi" rabilem, atque cœleſtem amantiſſimi " Redemptoris noſtri agendi rationem, " qui *Joan.* 4. ad inviſendum ægrotan" tem Reguli Filium invitatus, ire ab" nuit; ad Centurionis ſervum, nec " invitatus, iturum ſe promiſit." (z) Notent etiam Paſtores & Sacerdotes, moribundos Fideles tunc excitandos eſſe, "præſertim, ad ipſam mortem æ" quo ac lubenti animo de manu Do" mini ſuſcipiendam, tamquam opus, " quod in hujusmodi articulo conſti" tutis, præcipue imponit & injungit " Summus Pontifex, quo ſe ad plena" riæ Indulgentiæ fructum conſequen" dum præparent atque diſponant." (a)

CXXVIII.

Monitum ad Medicos.

Tandem Medicis atque Chirurgis itidem Paſtores ſæpius exponant obligationem, quæ illis incumbit, monendi tum Parochum de infirmorum ſtatu & periculo; tum ipſos infirmos lecto decumbentes, ut Eccleſiæ Sacramenta tempeſtive, illud vero pœnitentiæ, etiam ab initio ægritudinis, percipiant. Cum enim infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem ſanaverat: *Ecce, ſanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat;* (b) Sic etiam fiet, ut poſtquam fuerit de ſalute animarum proviſum, ad corporale medicinæ remedium ſalubrius procedatur; cum ceſſante cauſa, ceſſet effectus. (c)

CXXIX.

Paſtor, quam curam gerat ſuorum defunctorum.

Cum autem Paſtores ſuorum omnium, non in vita tantum, ſed etiam poſt mortem curam habere, illorumque perſonam gerere debeant; videant, ut qua par eſt pietate & devotione, non vero perfunctorie & negligenter, *Exequiæ* pro cujusque Eccleſiæ, ſeu Parochiæ more, & perſonarum quali-

(y) Syn. Prov. II. T. 17. c. 9. (z) Bull. *Pia Mater.* (a) Ibid.
(b) Joan. 5. 14. (c) Conc. Lateran. III.

qualitate persolvantur; ne alias ad quæstum potius, quam ad defunctorum honorem & salutem promovendam, sacri illi & antiqui Ecclesiæ ritus adhiberi videantur.

Corpora Fidelium defunctorum, etiam pauperum, mendicorum, aut illorum, qui in Xenodochiis moriuntur, ad locum sepulturæ non deferantur, nisi cruce præcedente, & uno ad minus Sacerdote, cum Custode. (*d*) Et quia item antiquissimi instituti est, ut præsente corpore defuncti, saltem Missa legatur, antequam sepulturæ mandetur; idipsum per Pastores observari commendamus pro omnibus suis Parochianis, etiam pauperibus & mendicis; (*e*) cujus petantiam solvat mensa pauperum, ubi sic fieri consuevit, & ut fiat in omnibus Parochiis, vehementer desideramus: sin minus, moveat Pastores ad hoc opus religionis & misericordiæ, quod non pro vivis tantum, sed etiam pro defunctis suis Parochianis, tum ex charitate, tum ex justitia orare & Sacrificium offerre teneantur; præterquam, quod etiam in finem illum a Fidelibus eleemosynæ colligi possint, quæ Sacerdotis stipendio inserviant. (*f*)

CXXX.

Pastor tractare debet de Sacramento Ordinis, & quare?

Dum aliorum novæ Legis Sacramentorum natura & ratio diligenter consideratur, facile perspicitur, ea omnia ab *Ordinis Sacramento* ita pendere, ut fine illo, partim confici & administrari nullo modo queant; partim, solemni cæremonia, & religioso quodam ritu ac cultu carere videantur: quare necesse est, ut Pastores, institutam Sacramentorum doctrinam persequentes, eo diligentius de Ordinis Sacramento sibi quoque agendum arbitrentur. Proderit autem maxime hæc explicatio, inquit Catechismus *Romanus*, illis ipsis; dein aliis, qui Ecclesiasticæ vitæ rationem ingressi sunt; postremo, etiam fideli populo: ipsis quidem (Pastoribus nimirum) quod dum in hujus argumenti tractatione versantur, ad eam gratiam excitandam, quam hoc Sacramento adepti sunt, magis commoventur; aliis, qui in sortem Domini vocati sunt, partim, ut eodem pietatis studio afficiantur; partim vero, ut earum rerum cognitionem percipiant; quibus instructi, viam sibi ad ulteriores gradus facilius munire possint; reliquis autem Fidelibus, primum quidem, ut intelligant, quo honore digni sint Ecclesiæ Ministri, qui hodie nihilominus tam contemptibiles facti sunt; dein, quoniam sæpe contingit, ut multi adsint, vel qui spe liberos suos adhuc infantes Ecclesiæ Ministerio destinare contendunt; vel, qui sua sponte & voluntate, illud vitæ genus sequi volunt; quos certe minime ignorare æquum est, quæ præcipue ad hanc vivendi rationem pertinent. (*g*)

Ut autem Pastores hanc materiam cum dignitate & utilitate tractare valeant, adeant ipsius Catechismi *Romani*, de *Ordinis* Sacramento doctrinam & expositionem; ubi, ac etiam tum ex Concilio *Tridentino*, & Synodis Provincialibus; tum ex Statutis & Ordinatis Prædecessorum nostrorum, varia de ætate, qualitate, bono testimonio, proclamationibus, ac titulis promovendorum ad sacros Ordines, præter ea, quæ supra (*h*) circa Ordinatos & Ordinandos requisivimus, facile inveniri & depromi possunt.

CXXXI.

De Sacramento Matrimonii; qua animi præparatione suscipi debeat.

Quo plures ob pravitatem hominum irrepserunt abusus circa Sacramentum *Matrimonii*, eo diligentior adhiberi debet cura, ut ea qua decet sanctitate & reverentia, servatisque omnibus, quæ a sacris Canonibus & particularibus Statutis aut Decretis præcipiuntur, rite celebretur. Solet enim nequissimus humani generis hostis

(*d*) Stat. sub Mas. T. 7. c. 1. & 3. (*e*) Stat. ibid. c. 2. S. Congreg. 12. Julii 1628. & Ritual. Roman. (*f*) Bened. XIV. de Sacrif. Sect. 2. A. 204.
(*g*) Catech. Roman. T. de Sacram. Ordinis. (*h*) A. 13. 14. & 15.

ſtis diabolus præſertim conari, ut his ſanctis Chriſtianæ Religionis inſtitutis, fallaciæ & laquei adjungantur, quibus humana fragilitas, in carnalibus deſideriis potius, quam in ſpiritualibus fructibus colligendis occupetur. Ea de cauſa, & ut tot aliæ, maximæque calamitates & detrimenta, quæ ex ignorata, aut neglecta Sacramenti hujus ſanctitate, in Eccleſiam Dei redundare ſolent, magis ſolicite caveantur; Paſtores doceant Fideles diligenter, quo animo eos affectos eſſe oporteat, qua devotione & pietate, dum hoc Sacramentum ſuſcipiunt, aut ad illud ſuſcipiendum ſeſe diſponunt. Neque enim ſe rem quamdam humanam aggredi, ſed Divinam, putare debent; in qua ſingularem mentis integritatem & pietatem adhibendam eſſe, Patrum veteris Legis exempla ſatis oſtendunt; quorum Matrimonia, tametſi Sacramenti dignitate prædita non eſſent, ea tamen maxima ſemper cum religione & ſanctimonia colenda eſſe exiſtimarunt. (*i*) " Præ cæteris vero, eos moneri convenit, quanta neceſſitate fidem, quam ſibi mutuo dederunt, integram ſervare debeant; dum qui fidem frangit, aut quacumque alia ſanctiſſimæ Societatis fœdera contaminat, non in hominem tantum, ſed in ipſum Deum, Matrimonii Authorem, injurius eſſe dignoſcitur." (*k*)

CXXXII.

Quæ hic præcipue doceri, & inculcari debeant.

Cum varia itaque hic tractanda ſint, ne *hoc magnum Sacramentum in Chriſto & in Eccleſia*, (*l*) illicite, multo magis, invalide ſuſcipiatur, aut modis aliis indigne prophanetur; Paſtoribus injungimus, ut ſæpius in ſuis concionibus, præcipue vero, a Dominica ſecunda poſt *Epiphaniam*, uſque ad *Septuageſimam*, ſingulari ſtudio fideli populo exponant:

1. Quis hujus Sacramenti *Author*; quod ejus *objectum*; quis *finis*?

2. Quæ obſervanda ſint, ut Contractus matrimonialis tum *Sacramentaliter*, tum *Civiliter* ſubſiſtere valeat, ac debite celebretur? & conſequenter

3. Quot, & quæ ſint Matrimonii *impedimenta*, tum dirimentia, tum prohibentia tantum; agendo nominatim, cum debita tamen cautela, de his quæ ſolent occurrere frequentius, aut præ cæteris ignorari. Explicent hic etiam, quare nuptiæ inter conſanguineos & affines fuerint, ſintque prohibitæ?

4. Doceant ſpecialiter, quid interdictum Eccleſiæ, quod *tempus clauſum* vocari ſolet; quis finis illius; quæ mens Eccleſiæ, ut ab omnibus Matrimonium inire volentibus, religioſe obſervetur? Unde inferri jubeant, neminem, niſi gravibus de cauſis aut rationibus, quæ veritate nitantur, ſuper illo diſpenſationem quærere debere: quod proinde, quomodo etiam ad alia impedimenta, cum proportione, extendendum ſit, exponere & inculcare debebunt.

5. Quid in conjugis electione præcipue attendere debeant ii, qui Matrimonium inire meditantur; puta, non tam divitias, dotes corporales, aliasve humanas qualitates; quam morum honeſtatem, prudentiam, vitæ ſanctimoniam &c.

6. Denique ſubjungant, quæ ſint tum *Sponſorum*, tum *Conjugum* obligationes; de quibus Fideles, dum ſe ad Sponſalia, aut Matrimonium celebrandum offerunt, etiam particularius inſtrui, & moneri debent: ſic tamen, ut in tractanda hac materia, Paſtores quovis tempore caveant omnino, ne ullum eis verbum excidat, quod Fidelium auribus indignum eſſe videatur, aut pias mentes lædere, vel riſum movere queat: ut enim *Eloquia Domini, eloquia caſta* ſunt; (*m*) ita etiam maxime decet Chriſtiani populi Doctorem, ſemper ejusmodi orationis genere uti, quod ſingularem quamdam gravitatem & mentis integritatem præ ſe ferat.

CXXXIII.

De quibus, tum Parentes, tum filii hic inſtruendi ſint.

Præter jam dicta, ſunt haud dubie multa alia, de quibus Paſtores ſuos ſubdi-

(*i*) Catech. Roman. T. de Sacram. Matrimon. (*k*) Manual. Ipren.
(*l*) Epheſ. 5. 32. (*m*) Pſalm. 11. 7.

ſubditos hic monere, & in concionibus ſuis inſtruere debent, ut ex mox dicendis patebit. Unum hoc loco adjicimus, & commendamus, de quo ſedulo & expreſſe tum filios, tum parentes monere debent: illos quidem, quamvis liberum eſſe debeat Matrimonium, ne parentibus, quos Divina lege revereri jubentur, inconſultis, magis autem, iis repugnantibus, illud contrahere audeant: hos econtra, ne humano aliquo aut naturali intuitu, prolem quampiam ad matrimonialem, aut alium vitæ ſtatum determinent, urgeantque, ad quem eam a Deo vocatam eſſe non apparet; aut cui ipſamet reluctatur. Ipſis etiam ob oculos ponatur, quod hic monet Spiritus Sanctus: *Domus & divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie Uxor fidelis.* (n)

CXXXIV.

Sponſalia ordinarie celebranda ante Bannorum proclamationem, quando differri poſſint.

Sponſalia, quæ Matrimonii Sacramentum juſtas ob cauſas ex Eccleſiæ conſuetudine præcedere debent, (o) uniformiter, quantum fieri poteſt, celebrari volumus ante factam Bannorum proclamationem, juxta Statutorum Diœceſis noſtræ laudabilem Ordinationem in Manuali expreſſam, & ab immediato noſtro Prædeceſſore innovatam. (p)

Paſtorum tamen diſcretioni relinquimus, ut in certis quibusdam circumſtantiis, & ob urgentem rationem, Sponſalia celebrari poſſint immediate ante ipſam Matrimonii celebrationem; ſic tamen, ut non faciliores ſe reddant ad hanc dilationem ex parte noſtra toleratam, & Nos informent intra octiduum de Sponſalibus ſic contractis; ut præcaveamus, ne ex antiquæ Ordinationis temperamento, etſi pro quibusdam caſibus tantum & circumſtantiis judicio Paſtorum expendendis, praxis & conſuetudo in Diœceſi noſtra recepta, ſenſim deficiat: tantum abeſt, ut quis eam pro arbitratu ſuo differat, vel omittat.

CXXXV.

In celebrandis Sponſalibus, quid Paſtor obſervare debeat, tam pro ſe, quam pro ſuis ſubditis.

Paſtor, vel quilibet alius Sacerdos Sponſalia celebraturus, ſit ſemper ſuperpelliceo & ſtola indutus, ut Manualia paſſim præſcribunt, (q) & obſervari convenit pro cultu cæremoniæ ſacræ, quæ etiam ad ipſum Matrimonii Sacramentum eſt præparatoria; quamque propterea etiam in loco tantum ſacro, aut ad minus, in honeſtis ædibus celebrari permittimus. (r)

Nulli ad Sponſalia admittantur, niſi noverint generalia Fidei & Religionis principia; nominatim vero, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Dei & Eccleſiæ Præcepta; præter alia, quæ de neceſſitate medii, aut præcepti, expreſſius ſcire tenentur; quos proinde a Paſtoribus deſuper examinari volumus. (s) Quod ſi eos omnino rudes invenerint, diligenter doceant, nec ad bannorum proclamationem procedant, niſi ſe inſtrui patiantur, ſufficienterque inſtructi fuerint, etiam diſpenſative ad contrahenda Sponſalia ſint recepti.

CXXXVI.

Quam cautelam hic convenit adhiberi.

Et ut quæ decet cautela & prudentia hic adhibeatur, neve aliquis ob ignorantiam præfatam, cum rubore & reluctatione a contrahendis Sponſalibus prohiberi debeat; requirimus a Paſtoribus, ut prima opportunitate, populo ſuo anteriores Conſtitutiones Synodales hic emanatas, earumque innovationem per Nos factam, e ſuggeſtu publicari curent; omnes adhortando & monendo, ne ad Sponſalia aut Matrimonium contrahendum ſe impoſterum ſiſtant, niſi Paſtori ſuo circa Fidei & Religionis principia eos interroganti, reſpondere & ſatisfacere parati ſint: quæ interrogationes præcipue locum habere debebunt reſpectu illorum, de quibus dubitandi ratio ſub-

(n) Prov. 19. 14. (o) Man. Iprenſ. (p) R. D. Delvaulx in ſuo Decret. A. 15.
(q) Paſtor. Mechlin. (r) Stat. ſub Rith. T. 9. c. 1. (s) Ibid. c. 3. & 14. R. D. Delvaulx ſup. Stat. ſub Georgio an. 1729. T. de Sacram. A. 41.

ſubfuerit, an ſufficienter inſtructi ſint; prout communiter ſubeſt in iis, qui in frequentandis concionibus & ſuſcipiendis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis negligentiores inveniuntur. (t)

Ut tamen rudiores ſe promptiori animo huic examini ſubjiciant, ad illud etiam inducantur, qui notorie ſciunt ea, de quibus hic interrogare oportet.

CXXXVII.

Deſponſandi ſint confirmati; & obſervent, quæ in Manuali & Principum Edictis præſcribuntur.

Deſponſandi Extracto baptiſmali inſtructi ſint, ac etiam interrogentur, an ſint confirmati: (u) quod ſi nondum fuerint, & ſine notabili incommodo confirmari poſſint, volumus hoc ipſis a Paſtoribus injungi, antequam ad Matrimonium contrahendum procedant: neque enim decet, ut alios Chriſtianos genituri & educaturi, ipſimet non ſint niſi imperfecte Chriſtiani. Quod ad Nos ſpectat, nihil ſic deſideramus, quam ut chariſſimi noſtri Diœceſani experiantur, quam parati ſimus, & tunc, & alias frequentiſſime, operam & obſequium noſtrum ipſis impendere, dum illud a Nobis requiſiverint.

Quod in Manuali præſcribitur, ut Paſtor inquirat, " an contracturi tam " Sponſalia, quam ipſum Matrimonium, " non ſciant intereſſe aliquod impedi- " mentum canonicum; utque ſuper " illo juramentum recipiat, & quæ ſint " impedimenta ipſis proponat;" exacte impoſterum obſervari requirimus, ad obviandum ſequelis gravioribus & difficillimis, quas novimus ex providæ hujus Ordinationis neglectu ſæpius eveniſſe, imo indies evenire.

Si qui hujusmodi juramentum præſtare recuſaverint, aut aliquod impedimentum ultro faſſi fuerint, a Sponſalibus prohibeantur; etiamſi dicerent ſe diſpenſationem procuraturos, donec illam reipſa obtinuerint.

CXXXVIII.

Quid obſervandum circa viduos aut viduas, & vagos.

Cum ex longa conjugis abſentia non reſultet certitudo de ejus obitu, & mors non præſumatur, ſed probanda ſit; nullus ad ſecundas nuptias admittatur, niſi ſub certo & claro teſtimonio de morte prioris conjugis, etiamſi non decem, vel duodecim; ſed etiam viginti, triginta & plures annos eum abfuiſſe conſtiterit: quæ cautela præcipue adhiberi debet quoad uxores militum, captivorum & peregrinorum. (x)

Caveant præterea Paſtores, ne *vagos* & errabundos homines, qui fixum certumque non habent domicilium, Matrimonio conjungant Nobis inconſultis, quacumque etiam ab illis allegata cauſa; (y) cum ſæpe contingat hujuscemodi homines, prima uxore relicta, aliam ipſa vivente, imo plures diverſis in locis, non ſine ingenti ſcandalo, & maxima ipſius Sacramenti injuria, ducere. (z) Quare, dum nuptialem benedictionem hujusmodi homines expoſtulabunt, Parochi, facta prius diligenti inquiſitione de eorum patria, religione, ætate, conditione &c. rem totam ad Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem deferent; ut quod judicatum & mandatum fuerit, ſedulo exequantur, ſub pœna gravioris correctionis, aliave pro arbitrio noſtro infligenda.

CXXXIX.

Quomodo agant Paſtores in caſu oppoſitionis, aut denuntiationis impedimenti.

In caſu factæ *oppoſitionis* ne ad celebrationem Matrimonii procedatur, quæ quidem conſideratis ejus motivis, aliisque circumſtantiis, aliquam attentionem mereatur, moneat Paſtor opponentem, ut cauſas & rationes ſuæ oppoſitionis exponant D. Officiali ad effectum, ut intra terminum decem dierum ab eo procuret, ac intimari faciat proviſionalem ſuſpenſionem; quod ſi non

(t) Decret. R. D. Delvaulx ibid.
(u) Stat. ſub Rith. ſup. Man. Iprenſ.
(x) Rit. Roman. & Stat. ſub Rith. ſup. c. 3.
(y) Trid. Seſſ. 24. c. 4. de Ref. Matrim.
(z) Idem Rit. Roman. & Man. Iprenſ.

si non fecerit, se processurum declaret ad Matrimonii celebrationem.

Dum vero aliquod impedimentum seu canonicum, seu civile Pastori denuntiatur, de quo, facta debita perquisitione, certo constet Pastori; de eo moneat desponsandos, neque ulterius procedat, donec legitima authoritate cum illis fuerit dispensatum.

CXL.

Quando, & ubi denuntiationes fieri debeant.

Antequam desponsi ad Matrimonii solemnizationem admittantur, ter a proprio contrahentium Pastore, seu alio per eum deputato, tribus *Dominicis* aut *Festivis diebus* (*a*) publice in Ecclesia, & *nonnisi intra Missarum solemnia*, seu, Missam Parochialem proprie dictam, denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quod deinceps, & imposterum, ad Synodi *Tridentinæ*, (*b*) & Statutorum nostrorum (*c*) intentionem, in omnibus Ecclesiis Diœcesis nostræ observari mandamus, non obstante quovis usu, vel consuetudine in contrarium: commendantes Decanis, ut horum executioni serio attendant, & invigilent; ita tamen, ut Nos infra bimestre ad summum, certiores faciant de observantia hujus nostræ Ordinationis.

In quibus locis seu Parochiis hujusmodi denuntiationes fieri debeant, illorum causa, qui ex alia Parochia, aut etiam Diœcesi non ita pridem advenerunt, sufficienter colligitur ex Decreto R. D. DELVAULX, (*d*) & Diœcesis nostræ praxi, quibus adhæremus. In ordine tamen ad Matrimonia, quæ a minoribus contrahentur imposterum, insuper injungimus, ut eorum proclamationes semper fiant etiam in Parochiis, in quibus habitant eorum parentes vel tutores, aut curatores, etiamsi horum domicilium, illasve Parochias a longo tempore deseruerint.

Quoties autem faciendæ fuerint aliquæ proclamationes in locis Diœcesis nostræ, ubi sponsi aut sponsæ non habitant; ratione proclamationis simul & testimonii desuper expediti, nihil exigatur ultra solidum monetæ currentis; ne alias Leges Ecclesiæ, quæ cederent in gravamen Fidelium, ad Ministrorum ejus quæstum constitutæ videantur.

Plura alia, quæ circa bannorum proclamationes, aut pro petendis dispensationibus in præfato Decreto Prædecessoris nostri laudabiliter præscripta sunt, curent Pastores observare quam diligentissime; ac populo aliquoties explicent, quanta sit impedimenta denuntiandi obligatio, quam etiam sub pœna excommunicationis demandat Ecclesia.

CXLI.

De quibus Sponsi a Pastoribus moneri debeant.

Sponsos, antequam Matrimonium contrahant, monendos esse, ut peccata sua confiteantur, & sacram Eucharistiam suscipiant, aut saltem ad eam suscipiendam se præparent, omnia passim Manualia inculcant: at *Iprense* prudentissime exigit, ut *triduo* ante solemnizationem Matrimonii sua peccata confiteantur; (*e*) quo nempe, inter alias rationes, despicere possit Confessarius, num conjugandi dispositi sint, ut Sacramentum Matrimonii cum fructu suscipiant; vel, ad hoc saltem disponi, & quoad varia, quæ occurrere possent, præparari, & expediri valeant. Quare, Pastores exhortamur, ut tam salutarem Ordinationem in praxim reducant, & ab omnibus uniformiter observari curent.

Ex quo autem sponsi sibi mutuo ineundi Matrimonii fidem dederunt, orent sæpissime, ut voluntatem Dei certius cognoscant, & obtinere mereantur ea gratiæ auxilia, quæ ipsis in illo statu sunt necessaria. Moneantur vero præcipue, ut nihil sibi invicem contra Dei & Ecclesiæ leges permittant. In eadem domo, ante celebratum Matrimonium, non cohabitent; (*f*) piis, ac sibi

(*a*) Stat. sub Mas. T. 15. c. 6. (*b*) Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.
(*c*) Sub Rith. T. 19. c. 6. Rit. Roman. (*d*) A. 13. (*e*) Man. Iprens. post Pastor. Mechlin. & Stat. sub Rith. sup. c. 14. (*f*) Stat. sub Rith. ibid. c. 4.

ſibi congruis devotionis operibus incumbant; eleemoſynas pro facultate ſua largiantur &c.; & ſi ipſo die celebrationis Matrimonii, lethalis peccati certi aut dubii ſe conſcios eſſe meminerint, illud Sacramentali Confeſſione expiare non negligant, priusquam ad nuptiarum Benedictionem accedant.

CXLII.

Cavendum, ne qui a contractis Sponſalibus temere reſiliant.

Non conſentiant Paſtores, imo ſedulo prohibeant, ut illi, qui in ætate legitima conſtituti, publice, & coram Miniſtro Eccleſiæ Sponſalia contraxerunt, ſe mutuo ab ejusmodi promiſſione propria authoritate abſolvant; ſed illos, ſi moniti intra conſtitutum terminum ad Contractum Matrimonii procedere recuſent, Curiæ noſtræ ſpirituali denuntient; ut cauſa per Nos, aut Officialem noſtrum diſcuſſa, ſi ea ſecundum juris diſpoſitionem legitima ſit, ab ejusmodi promiſſione authoritate noſtra abſoluti declarentur: decet enim, ut quibus Eccleſia ſemel manum appoſuit, nihil circa ea ſe inconſulta fieri permittat; dum etiam hoc medio impeditur quorumdam levitas, quæ alias facile in re tam gravi interveniret. (g)

CXLIII.

Matrimonium celebrari debet intra Miſſarum ſolemnia, & in Eccleſia Parochiali.

Et quia nedum Diœceſis noſtræ, ſed & Provinciæ Ordinationes obtinent, ut Matrimonia intra Miſſarum ſolemnia, adeoque in ipſa Eccleſia contrahantur, qualem conſuetudinem ſacra *Tridentina* Synodus vehementer optat retineri; (h) non tantum præcipimus, ne quis ei contravenire audeat; ſed inſuper injungimus, ut exinceps (ceſſante juſta & rationabili cauſa in contrarium, de qua judicium Nobis reſervamus) Matrimonia celebrentur in ipſa Eccleſia Parochiali, quæ proprie Sacramentorum locus eſt, idque publice, & mane hora competenti; quod numquam fieri concedimus ante horam *quintam* hyeme, & *quartam* æſtate. Commendamus autem Paſtoribus, ut uſui contrario quoad prædicta, quem abuſum merito vocamus, ſine perſonarum acceptione ſuaviter fortiterque reſiſtant.

CXLIV.

Nuptiarum feſtivitas & convivia ſint honeſta. Quid Clerici hic caveant.

Cum autem S. *Tridentina* Synodus mandet Epiſcopis, (i) quatenus curent, ut nuptiæ ea, qua decet, modeſtia & honeſtate fiant; monemus, ut ubi in ſignum lætitiæ propinqui & amici ad convivium invitantur, ſic ſe gerant, ut Chriſtianos decet: nihil proinde indecens, aut profanum in eo audiatur; ſuperfluum veſtium ſumptum, & ciborum apparatum ſponſi evitent; tripudia & ſymphonias, ſemper a Ss. Patribus improbatas, multo magis ebrietatem, aliosque exceſſus & inſolentias, quæ in pudoris contemptum quibusdam in locis exerceri ſolent, diligentiſſime effugiant: quibus abuſibus exterminandis, requirimus, ut Paſtores modis omnibus invigilare ſatagant.

Conviviis nuptialibus quantumvis honeſtiſſimis, *ipſo nuptiarum die* intereſſe, etiam prætextu conſanguinitatis, affinitatis &c. cum iis, qui Matrimonium inierunt, Clericis omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus prohibemus: cætera vero hujusmodi convivia, in quibus choreæ & tripudia ducuntur, aut id genus aliæ diſſolutiones fieri ſolent, quovis loco & tempore ſolicite effugiant; ne videlicet, ſua præſentia approbare videantur, quod modis omnibus improbare, & cohibere debent.

CXLV.

Matrimonia, quomodo in Regiſtro deſcribenda.

Poſt celebratum Matrimonium, factasque monitiones in Manuali præſcriptas, per quas de variis obligationibus novos conjuges inſtrui, & modeſte

(g) Stat. loco cit. c. 11. Man. Iprenſ.
(i) Ibid. c. 10.
(h) Trid. Seſſ. 24. c. 1. de Refor. Matrim.

modeste moneri convenit, ut ante præmisimus; Pastores statim in libro Matrimoniorum, quem item diligenter custodiant, & recludant, conjugum & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii &c., exacte nitideque describant, vel describi curent, servatis, cum proportione, quæ diximus agendo de Baptismo, *Art. LXII.*; idque etiam, licet alius Sacerdos vel ab ipso Pastore, vel a Nobis, aut Officiali nostro delegatus Matrimonium celebraverit: quo tamen casu, tum alterius Sacerdotis nomen, tum illius, cujus facultate Matrimonio adstiterit, in eodem itidem Registro fideliter describatur, sequendo in omnibus formulam, quam infra subjiciemus, ut ibidem præmonuimus.

Proles ante Matrimonium genitæ, cum per subsequens Matrimonium legitimentur, modo ex adulterio non sint natæ, plurimumque referat, aut referre possit, ut de hujusmodi legitimatione in forma probante constet; injungimus Pastoribus, ut casu occurrente, formulæ ordinariæ inscriptionis Matrimonii addant, sponsos sibi declarasse, quod pro suo, vel sua infante a seipsis genito, vel genita, agnoscant *N. natum, vel natam die..... mensis..... anni..... & baptizatum, vel baptizatam, in Parochia N.* Quodque petiverint hanc suam declarationem ad calcem actus sui matrimonialis registro inscribi, & propria manu subsignaverint: quæ omnia etiam ab ipso Pastore subsignari debebunt, expressis die, anno &c.

CXLVI.

Pastores nullos patiantur propria authoritate divortium attentare.

Denique, quia nonnulli tam viri, quam mulieres, Matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, ad suggestionem diaboli (qui non cessat in hoc mundo ac infelici nostro ævo seminare discordias, Christique fideles ab unitate fidei matrimonialis separare) sua authoritate, aut propria potius temeritate, absque Ecclesiæ judicio, contra præceptum Domini, & Ecclesiasticas seu Apostolicas Sanctiones, ab invicem se dividunt & separant, aliisque diversi sexus personis damnabiliter quandoque conjungunt: Nos, tantis in Ecclesia Dei scandalis, tantisque animarum periculis, quantum in Nobis est, quantumque tenemur ex Pastorali nostro Officio, providere cupientes; injungimus omnibus Diœcesis nostræ Pastoribus, ut tam viros, quam mulieres, suæ Parochiæ subditos, qui absque Ecclesiæ judicio ab invicem cum scandalo sese separarunt, aut imposterum separabunt, inter se divortii faciendi causa, nomine & authoritate nostra moneant, urgeant, & inducant, ut ad mutuum consortium & obsequium redeant, & si obtemperare recusent, Officiali nostro denuntient; aut saltem, post sæpius tentata reconciliationis media, ipsis persuadeant, ut in mutuam thori & habitationis separationem sub æquis conditionibus consentiant: quorum consensum & declarationem, una cum allegatis motivis & declarationibus, Pastor scripto excipiat, & ab utroque subsignari curet; ad effectum, ut actam illam Domino Officiali exhibeat, ab illo approbandam & confirmandam, si sic illi videbitur.

Confidimus autem, quod etiam per viscera misericordiæ Dei commendamus, ut Curiæ nostræ spiritualis Administri, operam suam & auxilium etiam pauperibus, qui tunc, aut alias semper ad eos confugerint, cum multa patientia & charitate impendant; amplam mercedem & retributionem recepturi ab eo, qui dixit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* (k)

CXLVII.

Nedum Ecclesiæ, sed etiam Principum Ordinationes hic observandæ.

Quoad varia alia, quæ spectant ordinem, ritum, formam, & honestatem, sub quibus sive Sponsalia, sive ipsum Matrimonium celebrandum est, cum tam in Statutis, & Prædecessorum nostrorum Decretis, quam, & præcipue, in Manuali nostro suffi-

(k) Matt. 25. 40.

ſufficienter expoſita inveniantur; hortamur Paſtores, aliosque, ad quos ſpectare poteſt, ut ea aſſidue legant & imitentur.

Præterea ſolicite obſervent, & obſervari faciant ea omnia, quæ pro feliciori Matrimoniorum ſucceſſu per Principum noſtrorum Ordinationes & Edicta, reſpective injunguntur.

CXLVIII.

Quanta ſcientia &c. Sacramentorum Miniſtri debeant eſſe inſtructi.

Cæterum, ex his quæ hactenus, brevius licet, de Sacramentorum adminiſtratione diximus, omnes & ſinguli, quibus animarum cura incumbit, attente reflectant, quod licet oporteat illos inſtructos eſſe in omni ſcientia & ſanctitate, ut digne impleant miniſterium ſuum; nihilominus, eos debere ſingulari elucere eruditione in his, quæ Sacramenta, eorumque diſpenſationem concernunt: periculoſiſſime ſi quidem, tanta Myſteria tractari ab imperitis Miniſtris quis ambigat? Quam timendum, & merito, ne tales, perſæpe indignos ad Sacramentorum participationem admittant; aut dignos, ab illa imprudenter repellant! Quid vero, ſi ignorent, vel negligant, quæ ab Eccleſia ad Sacramenta digne tractanda præſcripta ſunt, & ſub peccato gravi obſervari præcepta? Quid tandem, ſi eos errare contingat circa ea, a quibus valida eorum adminiſtratio ex Chriſti inſtitutione dependet? *Fili hominis, pone igitur cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor, de univerſis Cæremoniis domus Domini, & de cunctis Legibus ejus; & pones cor tuum in viis Templi, per omnes exitus Sanctuarii.* (l)

CXLIX.

Paſtores oves paſcere debent etiam bono exemplo.

Neque ſufficere putandum eſt, ſi Paſtores, aliive, quibus animarum cura commiſſa eſt, verbi Divini prædicatione, & Sacramentorum debita adminiſtratione oves ſuas paſcant; ſed, idipſum quoque *omnium bonorum operum exemplo* præſtare & efficere debent, (m) cum ſalus gregis, ſit integritas Paſtoris. (n) Quare, ſæpius recogitent, in perſona Apoſtolorum ſibi a Chriſto Domino dictum eſſe: *Vos eſtis Lux mundi &c.; vos eſtis Sal terræ; quod ſi ſal evanuerit, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras.* (o) "Hinc, etiam teſte S. " *Gregorio Magno*, nullum ab aliis ma- " jus præjudicium, quam a Sacerdo- " tibus tolerat Deus, quando eos, quos " ad aliorum correctionem poſuit, da- " re de ſe exempla pravitatis cernit; " quando ipſi peccamus, qui compe- " ſcere peccata debuimus."

In quibus vero Paſtores præ cæteris, aliique Sacerdotes cum proportione, ſeſe *Exemplum bonorum operum* præbere debeant, audiant ex Apoſtolo: *In doctrina*, inquit, *in integritate, in gravitate; verbum ſanum, irreprehenſibile; ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* (p)

CL.

Laudatur & commendatur Schema vitæ Paſtoralis.

Quæ autem hic ſummatim monet Apoſtolus, latius deducit & exponit *Schema vitæ Paſtoralis*, Statutis Synodalibus ſub Prædeceſſore noſtro GEORGIO inſertum, quod merito auream Perfectionis Paſtoralis Synopſim appellaverimus; utpote in qua omnes virtutes, obligationesque Paſtoribus propriæ, mediaque ad eas acquirendas opportuna, eleganti & mirabili ordine depinguntur; cujus proinde lectionem ſedulam, & imitationem omnibus animarum curam habentibus enixe commendamus: certoque ſibi perſuadeant, eo melius ſe officio ſuo ſatisfacere, ac vitæ exemplo ſuis prælucere, quo diligentius & exactius illud in omnibus ſtuduerint obſervare. (q)

CLI.

Utiliſſimum quotannis vacare Exercitiis ſpiritualibus.

At, cum diuturna experientia compertum ſit, ad retinendam, conſervan-

(l) Ezech. 44. 5. (m) Trid. Seſſ. 23. c. 1. (n) Concl. Burdigal.
(o) Matt. 5. 13. (p) Ad Tit. 2. 7. (q) Stat. ſub Georg. an. 1631. A. ult.

ſervandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem ac ſanctimoniam, & ad officia, muniaque eis injuncta, fructuoſe & exemplariter adimplenda, ſummopere conducere, "ut Viri Eccleſiaſtici ſingulis annis, per aliquot ſaltem dies, ex directione viri alicujus intelligentis, operam dent ſpiritualibus Exercitiis;" (r) quibus, quidquid de mundano pulvere contractum eſt, commode detergitur, Eccleſiaſticus Spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem attollitur, recte ſancteque vivendi norma vel inſtituitur, vel roboratur: inhærentes præterea, tum Summorum Pontificum (s) literis & monitis, tum etiam hujusmet Diœceſis noſtræ Synodalibus Conſtitutionibus, & Prædeceſſorum Decretis, quibus hujusmodi *Exercitia ſpiritualia* commendantur, & præſcribuntur; omnes Paſtores, Vicarios, aliosque Sacerdotes & Clericos Nobis ſubjectos obſecramus & adhortamur, ut in finem prædictum, ſinguli quotannis tam ſalutari operi incumbant; ita tamen, ubi de Paſtoribus agitur aut Vicariis, ut eo tempore Divina Officia, curaque animarum in ſuis Eccleſiis aut Parochiis non negligantur.

Cumque præter plenarias Indulgentias, quas Summi Pontifices omnibus & ſingulis hoc pium inſtitutum ſequentibus, liberaliter impertiuntur, etiam concedant, ut Paſtores, cæterique Beneficiati, conſuetos fructus & diſtributiones percipiant illorum dierum ſpatio, quod hujusmodi exercitiis in receſſu aliquo, ſemel in anno inſtituendo, conſecrabunt; confidimus, ut tam provida ac benigna Summorum Pontificum diſpoſitio, omnes ad quos ſpectat, moveat & inducat, ut tanto promptiori animo huic noſtræ, & ipſorum intentioni obſequantur.

CLII.

Quo tempore & loco, annuum hunc Receſſum inſtituere conveniat.

Nulli tamen Paſtori aut Vicario licitum erit, etiam prætextu horum ſpiritualium Exercitiorum, abeſſe a ſua Parochia, niſi præhabita licentia, de qua ſupra *Art. XXIV.*; quæ licet in finem tam ſalutarem omnibus facile concedi debeat, eam nihilominus nec peti, nec obtineri volumus a Paſtoribus, ſub *Adventu*, *Quadrageſima*, & *ſolemniorum Feſtivitatum* decurſu; utpote, quibus diebus oves refici maxime in Domino, & gaudere debent Paſtoris ſui præſentia. (t)

Quo autem hujusmodi ſpiritualia Exercitia feliciori ſucceſſu, modoque ad intentionem Summorum Pontificum magis conformi, ab unoquoque inſtituantur; in eum finem, omnibus Presbyteris noſtris ſæcularibus offerimus & deſignamus, ad prædictum effectum, Seminarium noſtrum Epiſcopale, ad quod etiam Vicarii & Sacellani, qui volent, gratis admittentur. Si qui tamen inter Paſtores pro majori ſua commoditate, in domo propria, aut certe in aliquo vicino Religioſorum Monaſterio prædicta Exercitia obire maluerint; conſulimus & rogamus, ut ſaltem identidem ea in præfato Seminario noſtro reſumant; ubi dum junioribus noſtris Clericis exemplo fuerint & ædificationi, etiam Rectorum monitis & inſtructionibus ad vitam Paſtoralem, aut Sacerdotalem inſtituendam, vel emendandam, opportunius juvari & animari poterunt.

Vicarii, aliive Sacerdotes, qui ſpiritualibus Exercitiis vacare debuerint, uti præfertur, ſiſtent ſe quotannis in Seminario, alii, initio hebdomadæ poſt Dominicam *Lætare* in Quadrageſima; alii, hebdomadæ *Quatuor temporum* menſis *Septembris*, prout ſibi magis opportunum fuerit, ut una cum ordinandis, & ſub eadem D. Præſidis directione, ad pietatem & vitæ Clericalis inſtitutum exerceantur. Paſtoribus vero, aſſignamus hebdomadam penultimam menſis *Auguſti*; quo tempore, dum ruri ſaltem, plerique ſubditorum in meſſe colligenda occupantur, etiam plerique Paſtores cum gregis ſui minori incommodo a Parochiis abeſſe poſſunt: ita tamen, ut tam hi, quam quivis alii, qui

(r) Schema prælaudat. (s) Clemens X. XII. & Bened. XIV.
(t) Clemens XI. poſt Trid.

qui hujusmodi Exercitiis in Seminario ſtatutis temporibus vacare intenderint, ad minus octiduo præcedenti, intentionem ſuam R. D. Præſidi manifeſtent.

Et ut omnibus magis conſtet, quam ſincere deſideremus, ut hoc perfectionis & ſalutis medium in Diœceſi noſtra adhibeatur & promoveatur; requirimus Decanos noſtros, quos, prout alias ſemper, hic quoque, cæteris Sacerdotibus exemplo futuros confidimus, ut in ſuis viſitationibus, Paſtores, aliosque de Clero, non tantum moneant & excitent, ut annue Exercitia præfata inſtituant; ſed etiam in actis viſitationum notent, Nobisque referant eorum nomina, qui pio deſiderio noſtro obtemperaverint: ut dum illorum novimus, probamusque diligentiam, aliorum deſidiam monitis ſalutaribus extimulemus.

CLIII.

Paſtores, curam paternam gerant pauperum.

Aliud inſuper, quod Paſtoribus, cæterisque animarum curam habentibus, hic maxime incumbit, eſt, ut *pauperum & miſerabilium perſonarum curam paternam* gerant: (*u*) ſicut enim in grege, afflictæ oves majorem impenſioremque opem a Paſtore ſuo exigunt; ita in Parochiis, perſonæ miſerabiles, cujusmodi ſunt pauperes, præſertim infirmi, viduæ, pupilli, orphani, incarcerati, aliique auxilio deſtituti homines, a Paſtoribus ſuis opem, operamque peculiarem depoſcunt, ac ſingulari jure expectant: adeo proinde, ut omnibus animarum curam habentibus, Noſocomia, Xenodochia, Orphanotrophia, carceres, aut id genus alia loca, in quibus pauperes, aut miſerabiles detinentur, etiam ſpeciali modo commendata eſſe debeant.

Curent vero præcipue, quantum ad eos ſpectaverit, ut prædicta loca debite adminiſtrentur, piorumque Fundatorum intentiones adimpleantur; noſtram etiam, & Magiſtratuum authoritatem, ſi opus fuerit, ad hoc implorando. Bonorum vero *Menſæ S. Spiritus*, aliarumve eleemoſynarum liberas diſtributiones, " deſideramus ſemper " fieri conſcio Paſtore; qui eas, non ex " humano affectu, aut cum acceptione " perſonarum, ſed omnibus indifferenter " vere pauperibus, & probis " honeſtisque, vel ipſe diſtribuat, vel " diſtribui curet." (*x*)

CLIV.

Quæ cura habenda circa adminiſtrationem Menſæ S. Spiritus.

Cumque multum interſit, ut ſemper probi & fideles menſæ pauperum Adminiſtratores conſtituantur; viderint proinde, qui alios, ac negligentes creant, vel admittunt, num actionum ſimilium iniquarum coram Deo participes eſſe velint. Quare, tam Magiſtratibus, quam Paſtoribus commendamus, prout etiam illis omnibus, ad quos hæc directio quomodocumque ſpectare poteſt, ut communicatis conſiliis, menſæ pauperum præficiantur Magiſtri & Gubernatores, non tantum probatæ vitæ, ſed & humani, affabiles, & erga pauperes benigni, ac alias, ad communia bona pauperum conſervanda, & pro eorum neceſſitatibus fideliter diſpenſanda, idonei & ſufficientes: " Quique nihilominus, ad bonorum " adminiſtrationem prius admittendi " non ſunt, quam mediis ſuis juramentis " promiſerint, quod bona pauperum " conſervabunt; & pro eorum " neceſſitatibus fideliter diſpenſabunt: " quodque pro bonorum hujusmodi " conſervatione, & fideli diſpenſatione, " non minorem, ſed, (ſi fieri poſſit) " majorem operam & curam impendent, " quam pro rebus propriis."(*y*)

Conſiderantes præterea, quod in qualitate noſtra, tam ex Eccleſiæ, quam Principum noſtrorum intentione, ſedulo attendere debeamus, ut bonorum hujusmodi adminiſtrationes in omnibus ſecure & provide inſtituantur; quodque Edicto eorumdem Principum ſtatuatur, (*z*) " ut Epiſcopi, vel per ſe, " vel per Commiſſarios, cum interventione " Patronorum fundationum, vel alio-

[*u*] Trid. Seſſ. 23. c. 1. de Reform.
[*x*] Stat. ſub Maſ. T. 20 c. 16. & 17.
[*y*] Stat. ſub Rithov. T. 28. c. 2.
[*z*] Edict. ad Syn. II. Prov. A. 23.

" aliorum, qui hactenus curam habuerunt; alioquin, primarii Officialis, certum perpetuumque diem præfigant, quo Administratores rationem, seu computum quotannis reddant:" Requirimus Decanos nostros, quos hac in re Commissarios nostros constituimus, ut conformiter ad Principum Mandatum & intentionem nostram, diem redditionis computus opportune designari curent, servatis, quæ supra; invigilentque specialiter, ut cætera omnia, quæ tam in præfato Edicto, quam in Statutis quoad computuum hujusmodi redditionem provide admodum constituta sunt, constanter & uniformiter observentur; nisi, ubi forte constiterit de antiqua, & hactenus non interrupta consuetudine, & possessione in contrarium; de quo tamen Nos admonere debebunt.

Magistratus vero, cæterosve mensarum pauperum administrationi superintendentes, monemus & rogamus, ut hic fideliter exequantur, quod ipsis injunctum est; seque in omnibus cum debita subordinatione, Ecclesiæ & Principum suorum Ordinationi studeant conformare: quæ omnia, cum proportione, ad Magistros, seu Directores bonorum fabricæ extendimus.

CLV.

Exorcismi non temere adhibendi.

Inter personas *miserabiles*, quarum curam paternam Pastoribus commendavimus, merito recensentur, quæ per infestationes dœmonum, aut incantationum maleficia divexantur. Etenim, id nonnunquam fieri; licet multo rarius quam a vulgo apprehenditur, nimis compertum est, magno quidem humani generis malo; sed & bono aliquo, quo nempe *Athei* revincuntur.

Hinc, inter cætera, quibus Christus Ecclesiam suam ornare voluit, est potestas ejiciendi dœmones e corporibus hominum, eorumque vim noxiam reprimendi, juxta illud *Lucæ* 10. 19. *Ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

Verum, quia seu ab improba quorumdam hominum fictione, seu a levi aliorum credulitate, multæ hic intervenire solent fraudes & deceptiones; quo etiam fieri videmus, ut sacri Ecclesiæ *Exorcismi* ludibrio passim exponantur; maxime, dum etiam inveniuntur, qui cupiditate acti, temere sese omnino exorcizandi officio ingerunt, ideoque diverso longe successu, quam qui sperandus esset, si ea intentione & observantia, eaque animi præparatione, quam requirit & præscribit Ecclesia, hoc negotium tractaretur; quales exorcistas deterrere deberet, quod de filiis *Scevæ* Judæis, Apostolorum Acta commemorant: (a) hinc merito, tam in *Provincialibus*, (b) quam Diœcesanis Constitutionibus (c) sæpius statutum & ordinatum fuit, ut nullus omnino exorcizare præsumat, *sine licentia Ordinarii in scriptis obtenta*: quas providas Ordinationes Prædecessores nostri, nominatim vero, GUILIELMUS DELVAULX, sub pœnis gravissimis innovarunt, & observari mandarunt; adeo quidem, ut non sine indignatione audiverimus, nonnullos inveniri, qui tot iteratis Mandatis, pœnisque & censuris non obstantibus, ausu temerario exorcismos, aut benedictiones similiter prohibitas, saltem furtive adhibere attentaverint, aut etiam attentent; quosque dubium non est pœnas incurrisse, quas laudatus Prædecessor noster in hujusmodi refractarios statuit & inflixit; de quo proinde monitos hic eos volumus.

CLVI.

Exorcismos adhibere sine Ordinarii licentia, prohibetur sub pœnis gravissimis.

Ut autem Ecclesiæ intentioni nos conformando, huic malo, ex quo tot alia consequuntur, efficacius provideamus; non tantum iterato prohibemus omnibus & singulis de Clero nostro tam Sæculari, quam Regulari, sub *pœna suspensionis ipso facto, Nobis reservatæ*; *ac insuper, revocationis admissionum ad confessiones, si quas habeant*, ne quis in Diœcesi nostra exorcismos aut benedictiones qualescumque, quæ exorcismi appa-

[a] Act. 19. 17. Manual. Ipres. [b] Syn. Prov. II. T. 15. c. 14. [c] Sub Mas. T. 1. c. 19.

apparent, & tamquam tales a vulgo apprehenduntur, audeat adhibere absque facultate nostra in scriptis obtenta, quamque Pastori loci *sub eadem pœna* ostendere debebit, antequam ea uti possit; (*d*) verum etiam districte injungimus omnibus Regularium Superioribus, quatenus curent & invigilent, ut in hoc puncto, prout & in cæteris omnibus, quæ eos concernere possunt & debent, hæc nostra Ordinatio a suis subditis inviolabiliter custodiatur.

Interim, ne, dum Diœcesanorum nostrorum veræ necessitati paterne subvenire intendimus, temere aut abusive Ecclesiæ exorcismos adhiberi concedamus; nulli imposterum exorcizandi facultatem Nos concessuros declaramus, nisi sub attestatione in scriptis a Pastore loci Nobis exhibita, quo fidem faciat ex signis, suo, Medicorum, aliorumque peritorum prudenti judicio examinatis, moraliter constare de dæmonum infestatione, aut incantationum maleficiis.

CLVII.

Quæ, Decanis hic injungantur & permittantur.

Utque prædicta omnia fidelissime observentur, mandamus Decanis & Pastoribus, ut pro suis respective Districtibus & Parochiis, eorum omnium executioni vigilanter intendant, & si quem, vel prima vice, inobedientem deprehenderint, Nobis eum statim denuncient; ut hujusmodi excessibus modum, finemque imponamus.

Permittimus tamen Christianitatis Decanis, si aliqua urgens occurrerit necessitas, aliave justa ratio, ut Benedictiones, sed *simplices* dumtaxat, & in Manuali nostro contentas, pro sua prudentia & discretione, intra suum districtum adhibere possint; cum facultate, ad eas deputandi ad aliquot vices, Pastorem loci, in quo benedictiones hujusmodi adhiberi debuerint; vel, ipso impedito, ejus Vicarium, modo ea licentia ipsis in scriptis detur.

Ne quis vero hujusmodi Ecclesiæ ministerium, quod nonnisi ex mera charitate & Religionis affectu impendendum est, forte ex avaritia, aut turpi quæstu exerceat, aut exercere videatur; sub arbitraria pœna prohibemus, ne umquam vel directe, vel indirecte eleemosynam, aut quamcumque aliam retributionem sibi, suisve ea occasione exigat, vel accipiat.

Quid autem, aut qualiter Exorcista pro suo officio agere debeat, tam quoad propriam personam, quam quoad exorcizandos; item, quænam exorcismorum, aut benedictionum formulæ, pro varia casuum exigentia adhibendæ sint, in Manuali nostro reperient.

CLVIII.

Pastores populum doceant, sibi cavere ab omni superstitione.

Et quoniam maleficiorum prætextu, sæpe rudis populus ex ignorantia potius, quam malitia, variis *Superstitionibus* deditus esse soleat; monemus Pastores, ut subditos suos diligenter instruant & doceant, superstitiosum esse expectare qualemcumque effectum, a quacumque re, quam res illa nec ex natura sua, nec ex institutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest: proindeque pro superstitioso inter alia habendum, v. g. quod desponsi nolint suas proclamationes antenuptiales audire; quod illas fieri velint potius diebus Dominicis, quam Festivis; quod mulieres feriis sextis purificari nolint, aut ancillæ feriis secundis suum servitium inchoare; quod abundantiam fructuum polliceantur ex certis observantiis, & cætera hujusmodi. (*e*)

Si qui vero eo impietatis devenirent, ut malis artibus & remediis superstitiosis, morbos aut vulnera tam hominum, quam animalium curare attentarent; in rebus deperditis, divinatores consulerent; ligaturis Matrimonii actum impedire intenderent; alta, seu magica nomina gestarent, aut aliis gestanda concederent &c. Qualem malitiam & perversitatem vix credimus, Deo propitio, hoc tempore in Diœcesi nostra inveniri; eis Pastores criminum suo-

(*d*) Decret. R.D. Delvaulx A. 9.

(*e*) Statut. sub Georg. an. 1631. A. 18.

ſuorum gravitatem exponant, & ab actibus illis, Deo adeo injurioſis, tum monitis, tum minis ab Eccleſia & Principibus intentatis, (f) illos deterreant; ſique in malo obſtinati fuerint, ad Nos deferant arbitrarie puniendos, etiam adhibitis cenſuris a Prædeceſſoribus noſtris quondam conſtitutis: (g) quas nihilominus mitigantes, declaramus eas impoſterum nonniſi poſt latam ſententiam incurri debere.

CLIX.

Obligationes Decanorum propriæ.

Poſt recenſitas præcipuas Paſtorum obligationes, ad eas Nos modo convertimus, quæ ipſorum Chriſtianitatis Decanorum magis ſunt propriæ.

Cum igitur, Decanos *Paſtorum Paſtores* eſſe tam ipſorum commiſſio, quam Synodalia Decreta manifeſte ſupponant; eos monemus imprimis, ut ſeſe graviter obligari meminerint ad curandum aſſidue, non ſolum, ut Sacerdotes omnes & Clerici ſui diſtrictus vitam agant ſua vocatione dignam; ſed etiam, & ſpecialiter, ut Paſtores in omni functione ſui Paſtoralis Officii recte diligenterque verſentur; ipſos ad hoc, quando opus fuerit, viſitando, monendo, corripiendo, conſolando, conſilio adjuvando; ac veri Paſtoris officium erga eos ſanos & ægrotos, fideliter obeundo.

Neque tantum Presbyteris, aut Eccleſiarum Parochialium Miniſtris, Decanos præfici intelligimus; ſed univerſo populo. Ita nimirum, ut etiam Laici in ſuis difficultatibus, quas forte cauſa negotiorum Eccleſiæ, aut alias quomodocumque inter ſe, vel cum Paſtoribus ſuis habent, poſſint libere ad ſuos Decanos recurrere, eorumque conſilium & auxilium implorare: neque Decani umquam ſic requiſiti, ipſis officium & operam ſuam ſubſtrahant aut denegent; quin potius, intellectis illorum differentiis, etſi a nemine requirantur, quantum poterunt, ex æquo & bono eas componere ſatagant: ſic tamen, ut ipſi Paſtores in componendis Parochianorum ſuorum diſſidiis, Decanos ſuos prævenire debeant, & ſi opus fuerit, eorum auxilium & authoritatem implorare.

CLX.

Decani, quando & quomodo viſitent Parochias ſui diſtrictus.

Utque Decani tam præfata, quam varia alia, quæ eorum dignitatis & officii ſunt, exactius & accuratius exequantur, atque in omnibus conſcientiam ſuam exonerent; hoc *primo triennio* ſingulis annis, (h) dein vero *ad minus ſingulis bienniis*, ſedulo & in timore Domini omnium ſui diſtrictus Parochiarum viſitationem inſtituent, qua mediante, poſſint integrum cujusque Parochiæ ſtatum plene cognoſcere, eumque Nobis (copia ejus apud ſe retenta) fideliter referre; ut hac pleniori habita notitia, intelligere & ſtatuere valeamus, quæ pro bono Diœceſis noſtræ regimine exinde occurrerint ordinanda.

Hanc viſitationem Decani ſinguli inſtituent prima, aut certe ſecunda hebdomada poſt Dominicam *in Albis*; quam infra menſem non tantum abſolvent; ſed etiam ante Feſtum *Pentecoſtes* proxime ſequens, ad Nos transmittent Acta illius, nitide ſervatoque ordine deſcripta; compendioſe ad ejus calcem redigendo puncta illa, quæ pro ſingulis Parochiis, examen & attentionem noſtram ſpecialius requirere videbuntur. Si vero, ob rationes particulares hic longiori mora opus fuerit, aut per Decanum aliquem tempore præfixo viſitatio hæc fieri nequiverit, cauſas, rationesque Nobis exponet, ut de illarum ſufficientia judicemus; & ſi legitime impeditus fuerit, per alium a Nobis deputandum ſuppleri ſatagamus.

CLXI.

Decani honorandi: quibus gaudeant facultatibus & præeminentiis.

Ut autem hujusmodi viſitationes majori cum fructu Decani inſtituant,

(f) Edict. ad Syn. Prov. II. A. 13. & 14. c. 11. Sub Georg. an. 1631. A. 19. Seſſ. 24. c. 3. de Reform.

(g) Stat. ſub Maſ. Tit. 1. c. 22. ibid. T. 15.

(h) Statuta Synodal. ſæpius, poſt Trid.

tuant, aliquam Parochialem Ecclesiam visitaturi, diem & horam visitationis suæ Pastori illius Ecclesiæ præsignificari tempestive curent, qui eam de suggestu populo annuntiabit, monendo, nominatim Sacellanum, Custodem, nec non Administratores fabricæ & mensæ pauperum, cum notabilioribus personis Parochiæ, ut secum in Ecclesiam conveniant Visitatorem expectaturi, quem cum debita veneratione, & pulsu saltem unius campanæ, intra Missarum solemnia excipient. Neque tantum dum Parochias visitabunt, sed quovis alio loco & tempore, Pastores, alique de Clero & populo, Decanorum authoritatem, dignitatem, & superioritatem agnoscant, eisque honorem & reverentiam exhibeant.

In eum finem, & ut majori zelo functiones suas persolvant Decani, ultra facultates per præsentes ipsis a Nobis concessas, eisdem innovamus præterea, & sub eodem tenore, alias omnes & singulas in sæpius laudato ultimi Prædecessoris nostri Decreto comprehensas, nominatim *Art. II.* prohibentes, ne quis imposterum præter præfatos Decanos, ornamenta, aut sacram supellectilem quamcumque benedicat, nisi ad hoc specialem facultatem a Nobis *in scriptis* obtinuerit, tametsi hujusmodi facultas ipsis alias quomodocumq; fuisset concessa; quam ex nunc cessare, & revocari per præsentes declaramus.

CLXII.

Decani, quid præcipue in suis visitationibus inquirere debeant.

Decani in sua visitatione præ cæteris, sed provide & circumspecte, inquirant de *Pastoribus*, (i) si sint bonæ conversationis, & exemplaris vitæ; si debita inter eos & Parochianos sit concordia; si officio suo, & piis fundationibus satisfaciant; si in administrandis Sacramentis & visitandis infirmis, omnem diligentiam & solicitudinem adhibeant, & servent honestatem; si denique Scholarum & juventutis instituendæ curam gerant? Inter alia, eos tunc maxime moneant & hortentur, quatenus vitam suam ita componere studeant, ut nullum tempus otio diffluere sinant: "In quem finem (addebat olim " R. Prædecessor noster GEORGIUS) " poterunt ab illis exigere rationem " & distributionem temporis; qualiter " scilicet, illud transigant, & in quibus se exerceant, an, & quos libros " spirituales legant; an singulis diebus " aliquod tempus orationi mentali impendant; an conscientiam suam statuto tempore examinent; cui, & quoties confiteantur; an, & quibus studiis vacent? Inspectisque illorum " libris, non erit inutile aliquando his " de rebus familiares sermones instituere, ut & profectum illorum intelligere, & Nos suo tempore debite " valeant informare." (k)

CLXIII.

Quibus libris Pastores & Vicarii debeant esse instructi.

Curent proinde Decani, moneantque Pastores, ut habeant, aut sibi quamprimum comparent (quod etiam ipsis mandamus, & injungimus) præter Scripturam sacram, & aliquem Commentarium in illam; 1. Concilium Tridentinum, ejusque Catechismum. 2. Synodum primam & secundam Provincialem, si commode inveniri possint, cum Statutis & Decretis Diœcesanis; ac nominatim hanc nostram Instructionem Pastoralem. 3. Unam aut alteram probati Authoris Theologiam moralem; & 4. aliquot libros pios & asceticos, qui quotidianæ Meditationi & lectioni spirituali ipsis inservire possint & debeant: præ cæteris vero ipsis hic commendamus & consulimus, præter libellum *de imitatione Christi*, opuscula S. *Francisci Salesii*, *Ludovici Granatensis*, & *Alphonsi Rodriguez*, Acta Ecclesiæ *Mediolanensis* sub S. *Carolo*, ejusdem Instructiones, ac opera minora Ss. D. *Benedicti XIV*.

CLXIV.

Varia alia, de quibus Decani in sua visitatione debent inquirere.

Quoad *Sacellanos* vero, seu Vicarios, quibus pariter injungimus, ut præ-

(i) Stat. sub Rith. T. 7. c. 17.

(k) Stat. sub eod. Georg. an. 1630. T. 1. A. 4.

præfatos libros sibi quamprimum comparare curent, inquirent Decani, si sint honestæ vitæ; si oneribus suæ Capellaniæ ex fundatione, vel contractu in omnibus satisfaciant; si in iis, quæ Pastoralis Officii sunt, Pastori subsint, & obediant, eique debitum honorem & obsequium præstent? Sic tamen, ut simul commendent Pastoribus, ne Vicarios suos, quos ut cooperatores in vinea Domini coram Deo & populo vicissim honorare debent, in aliquo despiciant, molestia afficiant; aut in illos, ut servos suos vel mercenarios, *pondus diei & æstus* excutiant, ut ipsi otio & torpori indulgeant.

Ubi nihilominus contigerit, Vicarium aliquem seu Sacellanum plus æquo gravari a suo Pastore, aut quamcumque cum eo habere differentiam, seu difficultatem; volumus, ut in hujusmodi casibus, quos raro aut numquam evenire confidimus, provisionaliter Pastori suo, in his quæ illi injunxerit, subjaceat & obedire teneatur; donec per Decanum (ad quem sive intra, sive extra visitationem, hujusmodi causæ quamprimum exortæ fuerint, deferri debebunt) ordinatum & statutum fuerit prout juris; aut, si forte acquiescere recusaverint, res tota per Nosipsos judicata & terminata fuerit.

Circa *Custodes*, qui simul Ludimagistri esse solent, inquirat Decanus, si sint bonæ vitæ & conversationis; si semper parati & præsto sint in impendendo suo ministerio Ecclesiæ & Pastori; si ornamentorum & supellectilis Ecclesiæ diligentem curam habeant; si juventutem in literis, bonis moribus & fidei rudimentis sufficienter instruant; si pueros modum doceant ad inserviendum Sacerdoti celebranti; quos libros ab illis discendos subministrent?

Circa *Magistros fabricæ & mensæ pauperum*, inquirant, si boni sint & fideles in sua administratione; si piis fundationibus, earumque oneribus quoad omnia satisfaciant, & satisfieri procurent; si studiose observent, quæ per Statuta & Principum Edicta pro fabricarum & mensarum pauperum indemnitate nedum, sed & pro ipsarum provida & utiliori administratione ipsis injunguntur? (*l*)

Pastores quoque moneantur, ut si quas difficultates præsciant vel prævideant movendas circa computus fabricæ aut mensæ pauperum, quibus Decanos interesse oportuerit, illos desuper tempestive præveniant & informent, quatenus, si opus fuerit, consilium a Nobis, aut ulteriorem instructionem petere valeant.

Denique circa *Stationarios*, qui certis temporibus ad prædicandum verbum Dei, aut Fidelium confessiones audiendas ad Parochiales Ecclesias, ruri præsertim, mitti solent, inquirant Decani a Pastoribus & Vicariis, de eorum vita & moribus; ac etiam, quo zelo & fructu in sacris illis ministeriis sese exerceant?

CLXV.

Munimenta Ecclesiarum & Fundationum diligenter conservanda.

Et quia sæpe contingit, Ecclesiarum & piarum fundationum munimenta deperdi, aut a defunctorum Pastorum hæredibus auferri, non sine magno illarum præjudicio: non solum mandamus Pastoribus, ut in illis fideliter integreque asservandis sint soliciti (de quo etiam per Decanos in suis visitationibus eos serio moneri volumus) sed insuper injungimus, ut Decani, mortuo aliquo Pastore sui districtus, etiamsi Regularis fuerit, statim omnia Munimenta fabricæ vel mensæ pauperum, si quæ fuerint; item quæ ad Pastoratum, aut fundationes pias quomodocumque spectabunt, ac speciatim *Manuale* defuncti, in quo redituum a se perceptorum rationes describebat, sub inventario secum deferant, Successori, dum fuerit institutus, sub attestatione de receptis, tradenda. Quod si hæredes, aut quivis alii hujusmodi munimenta requisiverint, quod iis forte ad executionem testamenti, aut aliter re vera indigeant; dabunt extractum, seu copiam istius documenti, quo se indigere asserent, & nihil ultra.

CLXVI.

(*l*) Stat. sub Rith. T. 7. c. 17.

CLXVI.

Decani, quid curare & observare debent circa Sodalitia & Ss. Reliquias.

Cum multum referat, ut Sodalitia, seu piæ Confraternitates in Ecclesiis Parochialibus canonice erectæ, in vigore permaneant, atque in eum finem Bullæ illarum, munimenta & privilegia solicite conserventur; injungimus Decanis, ut in proxima sua visitatione & deinceps sæpius 1. Inquirant in singulis Parochiis, an, & quæ Confraternitates in earum Ecclesiis sint erectæ. 2. Ut Bullas earum & munimenta produci faciant, ex quibus perspiciant, non tantum an canonice, servatisque servandis erectæ existant; sed etiam, an Pastor, aut quivis alii, ad quos spectare potest, indulgentias ejusmodi Confratribus concessas, suo tempore innovari curent. Ac 3. ut de illis omnibus notam teneant in actibus suis, Nosque exactissime informent; quæque, cum proportione, ad curam & visitationem Ss. Reliquiarum, quæ in præfatis Ecclesiis existunt, qualesque in singulis haberi desideramus, merito extendenda sunt, atque extendi volumus.

CLXVII.

Præter extraordinarias Congregationes Pastorales, una quotannis regulariter instituenda.

Additur in Statutis; (*m*) Decanis licere, quoties expedire videbitur, omnes Pastores sui Decanatus ad aliquam Parochialem Ecclesiam convocare, atque cum illis communiter & divisim, consilia de Pastorali Officio, & pro uniformi executione & observatione Statutorum tractare: volumus tamen, ut ejusmodi convocationes numquam fiant, nisi de consensu nostro, & ex causa per Nos approbata.

Verum, præter has extraordinarias & incidentes *Pastorum Congregationes,* volunt Synodi nostræ (*n*) post S. *Caroli*, & tot aliorum Episcoporum Ordinationes & Decreta, ut ejusmodi Congregationes seu Capitula, singuli Decani regulariter, & ad minus semel quotannis celebrent eo tempore, ac die, quo Ordinarius statuerit; quas nihilominus non sine disciplinæ Ecclesiasticæ relaxatione, damnoque animarum intermissas, neglectasque videmus hoc tempore.

Ut igitur medium tam opportunum, aut etiam necessarium, quo variis abusibus, vitiisque efficaciter occurri & provideri potest, in Diœcesi nostra quamprimum restituatur; Decanis nostris præcipimus, ut singuli exinceps & imposterum, quolibet anno sub mense *Septembri*, hujusmodi Congregationem Pastoralem indicant, & curent celebrari, die tum ipsis, tum Pastoribus suis magis opportuno, quem tamen quindena præcedente Nobis significare debebunt; ut ita, si expedire judicaverimus, vel personaliter, aut per Deputatum nostrum illi adesse; vel saltem, quæ ordinanda aut insinuanda habuerimus, ipsis Decanis tempestive communicare & commendare valeamus.

CLXVIII.

Quomodo, & ad quid Congregationes hujusmodi sint celebrandæ.

Sic autem Congregationes illæ celebrentur, ut non ad compotandum aut exspatiandum dumtaxat, sed ad tractandum de rebus seriis, quæque ad Ecclesiæ nostræ utilitatem conferre debent, eas indictas esse omnibus innotescat. Hinc, post Missam *de S. Spiritu*, vel aliam diei conformem, si Rubricæ id exigant, per unum e Pastoribus decantatam, & prælecta puncta aliquot ex hac nostra Pastorali Instructione (illa præcipue, quæ magis singularem attentionem & observantiam requirunt, tametsi nullum quoque ex cæteris omitti, minus vero negligi possit) Decanus serio pieque Pastores suos alloquetur & exhortabitur, quatenus se totos, suaque munia Ordinationibus nostris, Statutis, & Manualis præscriptionibus studeant conformare; maxime vero in his, quæ eo tempore ex præfata Instructione prælecta & tractanda fuerint.

Dein,

(*m*) Sub Rith. T. 7. c. 3. (*n*) Prov. II. T. 17. c. 14. Stat. sub Rith. T. 7. c. 4. Sub Georg. an. 1630. T. 1. A. 5. & 6.

Dein, si quæ ex parte nostra Congregationi fuerint communicanda, ea Decani fideliter exponent, & pariter ab omnibus observari curabunt.

Tandem singuli Pastorum, si quas difficultates habeant, aut casus resolvendos, eos in medium adferant, & data cuique libertate sensa pandendi, cuncta æqua charitatis & justitiæ lance examinentur & dirimantur. Nemo contentionis studia misceat, sed omnes in unitate spiritus, animisque societatis in eumdem scopum, in salutem nempe animarum, & Dei gloriam collimare intendant. Si quid nihilominus dissidii aut controversiæ inter eos subortum fuerit, ipsos ad mutuam benevolentiam atque concordiam Decani adducere conabuntur. Sin minus, volumus, ut in casu hujusmodi, re tota, de qua controvertitur, in deliberationem posita, ac secundum cujusque sincerum judicium & conscientiæ testimonium mature discussa, singuli resolutioni majoris partis adhærere teneantur; donec saltem, si res ardua fuerit, aut notabilis præjudicii, per Nosipsos, quid statuendum & sequendum sit, declaratum fuerit.

CLXIX.

Quæ, in Congregationibus circa prandium servari debent.

P*randium*, quod ex communi symbolo parabitur in domo Decani aut Pastoris, apud quem eo anno Congregationem institui contigerit, semper *frugale sit & moderatum*, (o) ne quis sumptibus vel potu gravetur, quod omnino caveri volumus; in eum finem mandantes, ne cujusque prandii taxa aut contributio excedat quatuor solidos cambiales; quorum habita proportione, Decanus semel pro semper, cibi potusque quantitatem tunc apponendam determinabit, & ab unoquoque, apud quem prandium institui debuerit, exacte & sub mulcta observari faciet; impedietque, ne ultra duas horas refectio protrahatur.

Et ut omnia majori cum ædificatione hic fiant; Decanus ipse dicet in mensa *Benedictionem*, & *Gratiarum actionem*, sequendo ritum Clericis in Breviario præscriptum. Ante comestionem, junior Pastorum tractim & devote prælleget unum Caput, vel ejus dimidium, ex *Novo Testamento*, cujus lectionem terminabit his verbis Apostoli: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (p) Post comestionem vero, idem prælleget Caput ex libello *de Imitatione Christi*: ac tandem omnia concludet Decanus, recitando Psalm. *De profundis*, pro Pastoribus & Sacerdotibus Diœcesanis, qui in decursu anni ex hac vita migrarunt. Hic Nobis opportune occurrit *Canon* 7. Concilii *Tolet. III.*: "Pro reverentia Dei Sacerdotum, id universa sancta constituit Synodus; ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum Divinarum misceatur: per hoc enim & animæ ædificantur in bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur."

Omnes extranei, etiam Ecclesiastici aut Religiosi cujuscumque qualitatis aut conditionis, præter eos, qui a Nobis ad hujusmodi Congregationem mitti aut deputari possent, ab hisce conviviis prorsus excludantur; ut sic majori cum fructu & libertate liceat Pastoribus de rebus Ecclesiæ & Ministerii sui inter se agere & conferre.

Ad dictorum prandiorum sumptus, Pastores absentes etiam legitime impediti, perinde ac præsentes æqualiter contribuere teneantur; (q) dum nihilominus, omnibus & singulis Pastoribus cujusque districtus injungimus, ut præfatis Congregationibus personaliter intersint sub mulcta *sex Florenorum* pauperibus eroganda; nisi gravi justoque detineantur impedimento, de quo scripto, aut nuntio, Decano suo certam fidem fecerint.

CLXX.

Quæ observanda in convocatione Pastorum pro Ss. Oleorum distributione.

Quæ hic quoad prandii dispositionem, Pastorum præsentiam, conferen-

(o) Stat. sub Rith. ibid. c. 5. (p) 1. Cor. 10. 31. (q) Sub eod. Rith. sup. c. 5.

ferentiam inter ſe habendam, aliaque, quæ in Congregationibus præfatis tam a Decanis, quam Paſtoribus obſervari injungimus, ea cum proportione obſervabunt quoque, dum quotannis convenient ad *Ss. Oleorum diſtributionem:* quam cæremoniam maxime optamus etiam in Diœceſi noſtra, quemadmodum in variis aliis injungi & obſervari non ignoramus, fieri in una aut alia Eccleſia Parochiali, & cum Miſſarum ſolemniis, per Decanum, aut aliquem ex Paſtoribus decantandis; eaque decentia & apparatu quoad cætera, ut debitam reverentiam erga *Ss. Olea*, ipſaque Sacramenta, ad quæ ordinantur, tam Clero, quam populo conciliare poſſint: quæ omnia, an, & quomodo executioni mandari valeant, requirimus, ut in proxima Congregatione Decani & Paſtores pro zelo ſuo examinent, & ad Nos referant.

CLXXI.

Singulis bienniis fiet Congregatio Decanorum.

Ut autem Paſtorales Congregationes majori non ſolum ſucceſſu & uniformitate, ſed etiam animorum concordia, debitaque erga Nos ſubordinatione perficiantur & continuentur; inſuper exigimus, ut omnes Decani ſingulis bienniis in menſe *Septembri* (alternis tamen ab iis, quibus diſtrictus ſui viſitationem inſtituent) die & hora a Nobis præfigendis, ſe ſiſtant una cum D. Archipresbytero Civitatenſi, in Palatio noſtro Epiſcopali, ubi de ſtatu Eccleſiæ noſtræ mature conferamus, mediaque proponamus, quibus ſtatus & diſciplina Eccleſiæ noſtræ promoveri, & vitiorum zizania, ſi quæ ſeu in Clero, ſeu in populo ſubnata ſint, ſedulo & tempeſtive evelli & deſtrui valeant. (*r*)

Cumque fraterna charitas poſtulet, ut quos habuimus in vita laborum ſocios, eisdem poſt mortem Chriſtianæ pietatis officium impendamus; mortuo aliquo Paſtore, cæteri ejusdem diſtrictus tam Sæculares, quam Regulares per Decanum moniti, prima commoditate Miſſam pro ipſius animæ refrigerio celebrabunt: pro Decano vero, non ſolum ſinguli Paſtores illius diſtrictus, ſed omnes quoque Diœceſis Decani idipſum præſtare non omittent.

Omnes Decani librum habeant, in quo fideliter deſcribant, & Succeſſoribus ſuis tranſmittant, quæ a ſe & in ſua qualitate geſta ſunt, & ad ſuum officium principaliter ſpectant aut referri debent: ut ſunt imprimis, acta & reſolutiones Congregationum Decanalium & Paſtoralium; viſitationes Decanales; dies poſſeſſionum & obitus Paſtorum, Vicariorum, & Sacellanorum; Literæ & Mandata ipſis in eadem ſua qualitate a Nobis directa &c.

CLXXII.

Concordia & ſubordinatio utrique Clero commendatur.

Unum tandem ſupereſt, de quo præ cæteris omnes & ſingulos, qui Clerum noſtrum ſæcularem conſtituunt, finaliter admonemus; ut videlicet *providentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus,* (s) *Charitate fraternitatis* invicem diligant, & honore præveniant: (*t*) Sint *unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati ſunt in una ſpe vocationis ſuæ:* (u) *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi quæ ſocietas ſpiritus..... Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes.* (x)

Verum, cum Cura noſtra Epiſcopalis tam Clerum Regularem, quam Sæcularem complecti debeat; & ad feliciorem Diœceſis noſtræ gubernationem omnino referat, ut inter utrumque debita ſubordinatio, ac animorum conſenſio habeatur & conſervetur, dum omnes eidem militiæ nomen dedimus, & eamdem omnes cauſam agimus; hinc merito etiam exigimus, ut religioſæ Familiæ, quas tamquam manum ſubſidiariam ad bellanda bella Domini Divino conſilio datam, honorare & amare debemus, honoramus & amamus, arcto cum Clero noſtro ſæculari pacis & laboris vinculo conjungantur.

In

(*r*) Stat. ſub Georg. an. 1630. T. 1. A. 1. (*s*) Rom. 12. 18. (*t*) Ibid. ℣. 10.
(*u*) Epheſ. 4. 4. (*x*) Philip. 2. 1. & 2.

In eum finem, Parochos omnes & Vicarios præ cæteris rogamus & requirimus, ut Religiosos omnes, illos vero maxime, qui peregre adveniunt, debito hospitalitatis affectu excipiant, humaniterque ac benigne tractent, suppeditatis rebus ad eorum victum, hospitiumque necessariis, aut etiam data eleemosyna ex fructibus Beneficiorum, (y) quando nempe id eorum conditio aut temporum circumstantiæ permittunt; tantum absit, ut quis eos despiciat, fastidiat, aut vilipendat.

Verum, Religiosi vicissim Clerum sæcularem suspiciant, in honore habeant, & in omnibus, prout juris, ei subordinati sint: illius authoritatem non minuant, ne detrahant potestati: a Pastoribus requisiti, semper parati sint ipsis in Parochialibus functionibus & obsequiis officiose subvenire: curent etiam, ut tam in audiendis confessionibus, quam prædicando verbo Dei, se tum Parochorum praxi & intentioni, tum subditorum necessitati accommodent; ac denique quantum possunt singulos inducant, ut debito honore & reverentia suos Pastores prosequantur, eisque subjaceant.

CLXXIII.

Monentur omnes & singuli, ad quos spectat, ut præmissis Ordinationibus obediant.

Hæc sunt, Fratres Charissimi; quæ vobis præscribere & ordinare proposuimus, ne ex negligentia nostra *portemus iniquitatem Sanctuarii* (z) in die illa tremenda, qua *rationem villicationis* nostræ nos reddere oportebit, (a) ac Dominus *gregem suum de manibus nostris requiret.* (b)

Monemus autem & declaramus, omnes & singulos tam Sæculares, quam Regulares Diœcesis nostræ, *post elapsum mensem ab harum* publicatione, seu intimatione facienda per Decanos nostros, teneri & obligari, ad se præmissis Ordinationibus nostris in omnibus conformandum, sub censuris aut pœnis ibidem contentis, aliisque pro qualitate transgressionis arbitrariis.

Ne quis vero aliqualem ignorantiam hic prætexere valeat; præcipimus omnibus Pastoribus, Vicariis, Presbyteris, aliisque Clericis nostris sæcularibus, ut *intra tres septimanas* post harum publicationem per Decanos ut supra, hanc nostram Instructionem Pastoralem sibi comparent, & ad exhibendam iis, ad quos spectat, semper paratam habeant. Superioribus vero Regularium cujusvis Ordinis & Instituti semper injungimus, ut *intra eumdem terminum*, illam suis subditis prælegant, seu prælegi faciant, & quoad omnia, quæ illos concernunt, observari curent; de quo eos, prout cæteros omnes, quorum interest, quamprimum per Decanos in suo cujusque districtu, moneri volumus, & ut moneantur, injungimus.

Et quia hic varia continentur, quæ etiam populum ipsum spectare dignoscuntur, nominatim vero Articulis XXVIII, XXIX, XXX, XXXIII, XXXIX, LXXVII, CXXIII, CXXXI, CXXXIII, CXXXV, CXXXVII, CXXXVIII, CXLIII, CXLIV, CXLVI, CLVIII; Pastores, quantocius potuerint (quod deinceps semel in anno præstare debebunt) ea e suggestu publicent, diligenter exponant, utque se illis conformet, moneant & adhortentur.

Superest, ut præmissa omnia, ea qua decet reverentia & submissione excipiatis, ac pari fidelitate observetis, *non declinantes ab eis nec ad dexteram, nec ad sinistram*; (c) memores illius, quod unumquemque monet Apostolus: *Obedite Præpositis vestris & subjacete iis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant & non gementes; hoc enim non expedit vobis.* (d)

Datum Ipris in Palatio nostro Episcopali sub signo nostro, Secretariique nostri chyrographo, 7. Januarii 1768.

† FELIX Episcopus
Iprensis.

De Mandato Illmi ac Rmi Dni Episcopi

DELVAULX.

(y) S. Carol. (z) Num. 18. 1. (a) Lucæ 16. 2. (b) Ezech. 34. 10.
(c) Deut. 28. 14. (d) Heb. 13. 17.

Ex iis, quæ Instructionem hanc Pastoralem illico excipiunt typis edita, hæc selegimus:

I.

VARIA PUNCTA STATUTORUM SYNODALIUM DIOECESIS IPRENSIS,

Quorum alia, ob non usum, aut consuetudinem contrariam, debent pro abrogatis haberi; alia, observari cum temperamento, quod tempori conveniat.

Sub Rmo D. RYTHOVIO: *Tit. VII. Cap. III. & IV.*; quoad convocationes & congregationes Pastorum, observetur, quod in hac Instructione Pastorali præscribitur Art. CLXVII.

Cap. XI. & XX., ubi de Honorariis Decanorum; permittitur, & statuitur, ut imposterum Decani honorarium exigant & accipiant, dum Parochiarum visitationem instituunt, quod hodierno usu aut consuetudine receptum est in suo Districtu respective.

Tit. XI. Cap. V. ubi ordinatur, ut nullus Sacerdos extra limites suæ Parochiæ, aut etiam in sua Parochia, alienis Parochianis Sacramenta administret absque *proprii Pastoris* consensu, aut *Episcopi* speciali licentia; fieri permittitur, quod hodie consuevit, servato moderamine, prout juris.

Tit. XIII. Cap. VI. de *Fasciis* confirmatorum; agant Pastores pro prudentia: præterquam, quod obvietur inconvenientiis ex hac parte, per Art. LXVIII. Instructionis Pastoralis.

Tit. XV. Cap. V. quæ ibi dicuntur generaliter, de non admittendis Sacerdotibus ad Celebrandum, qui veniunt ex *alia Diœcesi*, nisi &c. moderantur tam per Decretum Rmi D. DELVAULX Art. VIII., quam per Instructionem Pastoralem, Art. XC.

Tit. XVIII. Cap. X. observetur, quod ibidem præscribitur, sublata *pœna suspensionis.*

Tit. XIX. Cap. XVII. omittendum quod ibi dicitur, de Virginibus non admittendis ad Matrimonium, nisi *aperto capite, pendentibus crinibus &c.*

Tit. eod. Cap. XVIII. circa Matrimonium in casu & circumstantiis ibidem expositis, nihil poterit attentari imposterum, nisi de consensu vel dispositione Episcopi, aut ejus Vicarii Generalis.

Tit. XXV. ubi requiritur, ut assumendi ad *Officium Custodis*, sint *Tonsurati*; patet, id tempori nostro non congruere.

Tit. XXVI. Cap. VI. & VII. quæ hoc loco prohibita sunt, quoad *Elocationem* &c. fructuum Beneficiorum; ea prohibentur pro futuro, sublata *suspensionis pœna*, de qua cit. Cap. VI.

Tit. eod. Cap. VIII. declaratio & specificatio fructuum Beneficiorum, de qua ibid. in fine, tradatur Decano intra annum post adeptam pacificam possessionem; qui illius notam tenebit tam in Actis visitationis sui Districtus, quam in suo Registro Decanali.

Sub Rmo D. CAROLO MASIO: *Tit. I. Cap. IX.*, ubi agitur de venientibus ex partibus hæreticorum; ab illis exigatur per Pastores Professio fidei. Reliqua, sublata *pœna suspensionis*, relinquuntur zelo & discretioni Pastorum, modo serventur Edicta Principum.

Tit. VII. Cap. VIII.: Taxa *Jurium Parochialium & Funeralium* servetur, quæ vel a Prædecessore nostro immediato fuit disposita; vel quæ usu & consuetudine jam approbata censeri debet, donec aliter ordinetur.

Sub Rmo D. GEORGIO CHAMBERLAIN an. 1629.: *Tit. de Sacramentis &c. Art. XIV.*, quod hic statuitur quoad *Erectionem Altarium*, observetur: quoad Imagines vero, & sedilia &c. dum non petita & obtenta fuerit approbatio Decani, quæ per Statuta requiritur; facta eorum visitatione, si Decanus aliquid difforme in illis invenerit, deferat ad Episcopum.

Ibid.

Ibid. Art. XV. conſtat omittendam eſſe Proceſſionem, de qua hic mentio.

Item Tit. de Decanis, Art. XIX., quoad *Sanctimoniales* hoſpitio non excipiendas, agant hic Paſtores juxta regulas Chriſtianæ honeſtatis.

II.

Sequitur Inſtructio Paſtoralis S. CAROLI BORROMÆI lingua vernacula reimpreſſa.

III.

ORDINATIO *Revmi Domini, circa Inſtructionem Catechiſticam, ejus mandato editam anno* 1766. *Per omnes & ſingulos Paſtores hujus Diœceſis obſervanda impoſterum, & quamprimum e ſuggeſtu publicanda, ut cæteri quoque, ad quos ſpectat, ſe illi conforment ; de qua in Inſtructione Paſtorali* Art. XLVI.

FELIX JOSEPHUS HUBERTUS DE WAVRANS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS IPRENSIS, RR. DOMINIS PASTORIBUS, VICARIIS, CÆTERISQUE OMNIBUS, QUIBUS OBLIGATIO VEL MUNUS EXPONENDI CHRISTIANAM DOCTRINAM INCUMBIT, SALUTEM ET BENEDICTIONEM.

" Cum diverſitas libellorum Doctrinæ Chriſtianæ, magnam in diſcendo & docendo pariat difficultatem ; merito mandavit tum prima, (*Tit. de Decanis &c. C.*9.) tum ſecunda (*T.* 11. *C.* 5.) Synodus noſtra Provincialis, ut Parochi, aliique omnes, ad quos ſpectat, unum & eumdem modum in docendo & diſcendo Doctrinam Chriſtianam ubique teneant."

Hanc ſalutarem Ordinationem etiam innovavit Prædeceſſor noſter GEORGIUS CHAMBERLAIN, in ſuis *Statutis & Ordinatis* de anno 1629. *Tit.* 1. §. 10. "injungendo Decanis, ut pro ſuis reſpective Diſtrictibus, certam & uniformem methodum conciperent, & referrent, ut deſuper aliquid communi conſilio ſtatueretur:" In quem finem prodiit interea hujusmodi methodus uniformis & generalis, ſub titulo *Catechiſmi Mechlinienſis*, quem ſtatim & deinceps omnes Provinciæ hujus Epiſcopi ſuis reſpective Paſtoribus, aliisque omnibus, ad quos ſpectaret, ſemper, & in omnibus ſequendum eſſe mandarunt; utpote qui ab authoritate, doctrinæ præcellentia & præciſione, ac facili utilique docendi ſtylo, quem omnes in eo agnoſcunt, etiam ab omnibus probari & laudari meruit.

Verum, cum ſub volumine tam compendioſo vix, aut ne vix quidem ea omnia comprehendi valeant, quæ tam ad incipientium, quam proficientium plenam, aut etiam ſufficientem Chriſtianam inſtitutionem requiri ſolent ; hinc idem GEORGIUS inter alias Ordinationes de anno 1630. (*Tit. de Scholis & Catechiſmo* §. 25.) mandat Catechiſtis, " ut Lectiones ex prælaudato Catechiſmo recitandas, ſeu diſcendas, *paulo fuſius explicent*, proponendo ſibi ipſis breviſſimas quæſtiunculas *ad illius clariorem intelligentiam .... quas proponant capacioribus pueris, ut ad illas reſpondeant.*"

Et quidem, præter tot alia, quæ pro feliciſſimo Diœceſis hujus Regimine præſtitit GUILIELMUS DELVAULX bonæ & recentis memoriæ, labori etiam hujusmodi & ipſe operam ſuam impendere voluit, & impendit utiliſſime, per addititiam inſtructionem ad præfatum *Catechiſmum Mechlinienſem*, editam anno 1750. ; intendendo præcipue, ut diverſis aliis Doctrinæ Chriſtianæ libellis prætermiſſis, Domini Paſtores, aliique per Diœceſim, ſolum *Catechiſmum illum, cum modernis Additamentis* ſequerentur.

Nihilominus, cum multorum judicio & experientia probaretur, aliud Supplementum deſiderari tam pro ipſius *Catechiſmi*, quam ejus *Appendicis* ampliori captu & intelligentia ; factum intelligimus, ut eo prætextu alia iterum libellorum, & doctrinæ methodi diverſitas exorta ſit in Diœceſi noſtra, ubi, quot Scholæ & Catecheſeos inſtitutiones, propemodum tot variæ docendi & diſcendi formulæ inveniuntur.

Hinc varii Paſtores, gravi adeo & nocivæ confuſioni pro zelo ſuo medelam

lam afferre intendentes, Nobis reverenter expoſuerunt, oportere omnino, ut pro deſiderata & neceſſaria hac Doctrinæ uniformitate reinducenda, communis aliqua Inſtructionis Chriſtianæ formula concipiatur, & adaptetur, quæ quidem in omnibus quæſtionibus & reſponſis, ut fieri potuerit, *Catechiſmo Provinciali*, ejusque *Additamentis* (de quibus ſupra) ſcrupuloſe & ad literam inhæreat; niſi quod quædam majoris dumtaxat expoſitionis gratia adjungerentur; quo fieret nihilominus, ut qui *Catechiſmum Mechlinienſem* cum *Appendice* addiſcunt, lectionesque ex eo pro more hebdomadatim recitant (quod ſemper & ubique fieri volumus) nihil illis contrarium audituri ſint, nihil etiam diverſum; ac cæteri omnes, qui ubivis per Diœceſim Doctrina Chriſtiana inſtituendi erunt.

Præterea, cum præfati Domini Paſtores pro ſua in Nos reverentia & ſubmiſſione, inſuper ſupplicaverint, ut prærequiſita formula catechiſtica, ſi daretur, authoritate noſtra firmata, publici juris fieret, aliis quibusvis id genus libellis, qui ſparſim circumferuntur, a Nobis prohibitis & interdictis: Nos, præfatis omnibus mature conſideratis, ſerioque attendentes, nihil æque deſiderari poſſe, & intendi debere pro Chriſtiana juventutis inſtructione promovenda, quam illa doctrinæ & methodi uniformitas, quam & Domini Paſtores hic requirunt, & Ordinationes tum Provinciales, tum Diœceſanæ introduci, & obſervari præſcribunt; *Epitomen Doctrinæ Chriſtianæ*, a Nobis editam (quamque per ad hoc deputatos examinari curavimus, & novimus fini intento reſpondere) non tantum comprobando adoptavimus, & prælo mandari permiſimus; ſed inſuper ſtatuimus & mandamus, ut in futurum, præter *Catechiſmum Mechlinienſem*, cum *Additamentis*, uti præfertur, (& quem tam in Scholis, quam quibusvis ſeu publicis, ſeu privatis inſtructionibus, etiam diſci & doceri requirimus) in tota Diœceſi noſtra nulla alia formula ſeu methodus pro exponendo vel ampliando Doctrinam Chriſtianam, adhibeatur, quam quæ in prælaudata *Epitome* a Nobis præſcribitur: commendantes omnibus & ſingulis Paſtoribus, ut hoc noſtrum *Mandatum*, pro prima opportunitate annuntient e ſuggeſtu ſuis reſpective Parochianis, curentque & invigilent, ut in omnibus, & per omnes, ad quos quomodocumque ſpectare poterit, fideliter obſervetur, cum expreſſa injunctione ex parte noſtra, ut pro docendis & diſponendis pueris ad Confirmationem & primam Communionem, tam Paſtores ipſi, quam quivis alii in Diœceſi noſtra, ſolam præfatam Inſtructionem noſtram adhibeant, & curent adhiberi; de quibus omnibus RR. Domini Decani in ſuis viſitationibus ſerio & ubique requirent, & rationem Nobis reddent ſuo tempore. Sit igitur *terra labii unius, & ſermonum eorumdem.* Gen. 11. v. 1. Datum Ipris in Palatio noſtro Epiſcopali die 12. Decembris 1766. &c.

IV.

Ordinatio & Diſpoſitio ejusdem

Revmi Domini Epiſcopi Iprenſis, pro Prima Communione puerorum, & Votorum Baptiſmalium innovatione; Cujus obſervatio denuo commendatur & injungitur per Inſtructionem Paſtoralem Art. L. & LXII. *reſpective.*

FELIX JOSEPHUS &c.

Supremo Paſtori rationem reddituri, de animabus ſingulis, quas emptas ſuo Sanguine pretioſo, Nobis, licet immeritis, immenſa charitate commendavit; ſtatim a ſuſcepto Epiſcopatus onere, inter alias graviſſimas curas, etiam ad hoc noſtram ſolicitudinem intendimus, *ut Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, quo nihil dignius, nihil ſanctius, & nihil admirabilius habet Eccleſia Dei*, ut monet Rituale *Romanum*, (*) omni qua par eſt pietate & præparatione ſuſcipiatur, ab illis præcipue, qui ad ſacram Communionem primum acceſſuri ſunt; utpote quæ quidem in omnibus, at in ipſis maxime, non tantum eſt omnium actionum ſanctiſſima, ſed & periculoſiſſima; ob tremendas & ſæpe irreparabi-

(*) Tit. de Ss. Euchar. Sacram.

parabiles ſequelas, quas indigna NEO-COMMUNIO etiam ex Ss. PP. & DD. ſententia afferre ſolet.

Ut autem tam animarum ſaluti, quam Sanctitati SACRAMENTI, in hac parte pro munere noſtro conſulamus; requirimus, ut *prima puerorum Communio*, in omnibus Diœceſis noſtræ Parochiis deinceps eo inſtituatur devotionis cultu & ſolemnitate, quæ tam ipſis *Communicantibus*, quam adſtanti populo Divini Myſterii excellentiam demonſtrent, devotionem foveant, amorem & deſiderium accendant.

Et quidem in obſequendo huic piæ voluntati noſtræ, exemplari zelo præivere ab anno ſuperiori Domini Paſtores hujus civitatis; ubi ſtatim apparuit, quam utile, quam ſalutare meditaremur propoſitum; dum neque ad pietatem ipſorum *Communicantium*, neque ad populi Iprenſis ædificationem, neque etiam ad conſolationem noſtram (in veritate dicimus) plus aliquid a Nobis hic potuit deſiderari: implebitur gaudium noſtrum, ſi, quod Deo præveniente in hac urbe auſpicati ſumus, hoc, ipſo adjuvante, pari zelo ac fructu per totam Diœceſim obſervetur.

In hunc finem, & ut omnia *ſecundum ordinem fiant*, ſervata uniformitate quoad modum, cæteraque, quæ tum ad devotionem, tum etiam ad ſolemnitatem hic præcipue juvare poſſunt; præſcribimus, & impoſterum obſervari mandamus ſequentia:

1. Ut pueri *primam Communionem* ſimul inſtituant *Dominica in Albis* (niſi forte pro certis locis & ob rationes Nobis exponendas, eam in alium diem differri conſentiamus) (*) nec alibi, quam in ſua *Eccleſia Parochiali*; quo fiat, ut & ipſi præcepto Eccleſiæ de annua Communione, ad quod tenentur, in omnibus ſatisfaciant.

2. Nemo ad *primam Communionem* admittatur, niſi, poſt ſufficientem inſtructionem (quam diligentiæ DD. Paſtorum intenſe commendamus) etiam prævie *Confeſſionem generalem* inſtituerit, ſervatis ſervandis; utpote, quæ in illa ætate & circumſtantiis ex vario capite, nedum utilis tantum judicari debet, ſed & neceſſaria.

3. DD. Paſtores diem *primæ Communionis* populo annuntient e ſuggeſtu octiduo præcedente, eum hortando, præ cæteris vero, ipſorum *Primo-Communicantium* parentes & propinquos, ut tam pro honore & veneratione hujus Divini Myſterii, quam, pro ſui, ſuorumque ædificatione, ſolemni illi ac ſacræ actioni curent intervenire; de quo eos inſuper moneri volumus pulſu majorum campanarum cujusque Eccleſiæ Parochialis reſpective, tam pridie, quam ipſo die Solemnitatis, ea hora, qua DD. Paſtores pro facti ratione magis expedire judicaverint.

4. Dum dies & hora *ſacræ Communionis* advenerit, (quam intendimus, ſub directione cujusque Paſtoris, intra Miſſarum ſolemnia inſtitui) in id incumbet Paſtor præcipue, ut exhortando *Primo-Communicantes*, nunc ante, tunc poſt ſuſceptam Communionem, quo *pietatis*, quo etiam *amoris* & *gratitudinis* affectu in Chriſtum moveri debeant, doceat adſtantes, qua animi diſpoſitione ipſi quoque hanc menſam cœleſtem frequentent impoſterum.

5. "Et quia religioſi inſtituti eſt, " uti obſervat S. Carolus, diem *Baptiſmi* quotannis a Fidelibus celebrari; " quæ ſane inſtitutio (ut addit) ad pietatis Chriſtianæ cultum, piamque " morum diſciplinam non parum adjumenti adferre poteſt;" idcirco *Baptiſmalem Profeſſionem*, quam quisque in ſacro lavacro per Sponſores Deo & Eccleſiæ ſolemniter edidit, ſub recurrente annua puerorum *prima Communione*, & quidem præparatorie ad illam, Paſtor innovabit, tam ipſorum *Communicantium*, quam aliorum præſentium nomine, *alte*, *diſtincte*, & *devote* prælegendo formulam, quam huic piæ cæremoniæ adaptavimus, & cujus exemplar infra ſubjungimus.

Ut vero prærequiſita, abundantiori animarum fructu pro intimo deſiderio noſtro perficiantur, placuit Ss. Patri, ac Domino D. CLEMENTI Divi-

(*) Vid. Inſtruct. Paſtoral. A. L.

Divina providentiâ Papæ XIII. ad supplices preces nostras benigne concedere PLENARIAM INDULGENTIAM, omnibus & singulis Diœcesis nostræ utriusque sexus Christi fidelibus, tam qui *prima Communione* imposterum solemniter, uti præfertur, reficiendi, *pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione &c.* pias ad Deum preces effuderint; quam cæteris omnibus, qui confessi & sacra Communione refecti, in uno die per Ordinarium designando (pro quo designamus per præsentes, ipsum diem *primæ Communionis* annue) pia attentione & devoto affectu, *Promissionem Baptismalem* in sua respective Ecclesia Parochiali item confirmaverint, & oraverint ut supra; prout latius continetur in ipso Brevi Apostolico, quod hic adnectimus, & quotannis ab omnibus Pastoribus publicari mandamus lingua vernacula, ipso die, quo de instanti *prima Communione & innovatione Baptismi*, populum monere debuerint.

Denique, quia summopere optandum, ut hujusmodi *Baptismalis Professio* alias sæpius innovetur; concedimus præterea *Quadraginta dies* de vera Indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta, omnibus & singulis, qui *die anniversario* regenerationis suæ per Baptismum, seu ante, seu post Communionem in Ecclesia sua Parochiali præfatam formulam devote legerint; aut si legere nequeant, ibidem in eam intentionem & effectum recitaverint quinies *Pater, Ave, & Credo*: enixe commendantes, ut DD. Pastores *pro multa fiducia & gloriatione, quæ nobis est ad illos*, se præsenti Ordinationi nostræ in omnibus studeant conformare, ejusque memoriam faciant in suis Registris. Interea, vota nostra & orationes conjunctis animis Deo offeramus, ut, qui dives in misericordia, consilia, actusque nostros ad Nominis sui gloriam prosequatur. Datum IPRIS in Palatio nostro Episcopali die 24. Martii 1766. &c.

Breve Apostolicum Ss. Patris, ac Dni, D. CLEMENTIS, Papæ XIII. *de quo in præcedenti Ordinatione.*

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

" Ad augendam Fidelium &c.

V.

Constitutio Concilii Lateranensis:

Omnis utriusque sexus, *exinceps lingua vernacula e suggestu publicanda per Pastores, in* Dominica Passionis; *conformiter ad id, quod injungitur per Instructionem Pastoralem* Art. LXXXI.

VI.

Indulgentia plenaria cum solemni

Expositione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, pro remedio adversus graviores abusus, qui Bacchanalium tempore admitti consueverunt; cujus fit mentio in Instructione Pastorali Art. XVIII.

BREVE APOSTOLICUM.

" Cum alias sanct. mem. BENEDICTUS XIV. ad frequentes " Episcoporum Pontificiæ Ditionis querelas, gravioribus abusibus, qui " Bacchanalium tempore irrepserant, " opportuno remedio occurrere concupiverit; perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositionem per tres dies, " sive in hebdomada Septuagesimæ, " sive in altera Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ ante diem Cinerum, *ad hoc præcipue, ut Fideles tempore tentationis a via Domini recederent, & in prædictis Ecclesiis pie orantes, Divina impetrarent auxilia*; universis utriusque " sexus Christi fidelibus confessis, & " sacra Communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis expositio sive in uno, sive in singulis prædictis triduis fieret, devote " visitarent, INDULGENTIAM PLENARIAM misericorditer concessit & indulsit: hinc Ssmus Dnus N. CLEMENS Divina providentia PP. XIII. " sedulo recogitans præfatam Augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse, ac " deinceps fore profuturam; eamdem " Plenariam Indulgentiam ad quascumque Catholici Orbis Ecclesias " ubicumque locorum existentes, ubi " Venerabilis expositio, sive in hebdomada Septuagesimæ, sive Sexagesimæ,

" mæ, aut Quinquagesimæ, sive in " singulis prædictis hebdomadibus per " tres dies, atque etiamsi tantummodo " in feria quinta infra hebdomadam " Sexagesimæ peragatur, ex uberi Pon- " tificiæ charitatis fonte benignissime " extendit.

" Datum Romæ ex Secretaria sa- " cræ Congregationis Indulgentiarum, " die 23. Julii 1765. *Signatum* N. Card. " ANTONELLUS *Præfectus.* & S. BORGIA " *Sac. Congreg. Indulgentiarum Secret.*

Publicatio præfatæ Indulgentiæ, facta per REVERENDISSIMUM DOMINUM, cum dispositione quoad Cultum & Ritum, quo celebrari debet in Diœcesi IPRENSI.

FELIX JOSEPHUS &c.

Breve Apostolicum Sanctissimi in Christo Patris & D. CLEMENTIS Papæ XIII. supra impressum, quo pro sua Pastorali solicitudine de procuranda in Ecclesia Dei totius Catholici gregis salute, *Indulgentiam Plenariam & perpetuam* pro triduo expositionis Ssmi Eucharistiæ Sacramenti in hebdomada Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, ad universas Orbis Ecclesias misericorditer extendit, pro remedio adversus graviores abusus, qui Bacchanalium tempore admitti consueverunt, quosque in locis nonnullis etiam per Diœcesim nostram grassari summopere dolemus; non tantum eo, quo debuimus, reverentiæ & gratitudinis affectu excepimus, sed etiam quamprimum ad Nos usque pervenit, in Ecclesia nostra Cathedrali, pro triduo hebdomadæ Quinquagesimæ publicari permisimus de consilio RR. Adm. ac Venerabil. DD. Decani & Capituli præfatæ nostræ Ecclesiæ: qui insuper pro zelo suo & exemplari pietate voluere unanimiter, prædictam sanctissimi Sacramenti expositionem in Choro Cathedrali institui, & solemnizari eo apparatu Religionis, quo majorem desiderare non potuimus.

Ut autem hujusmodi expositio cum *Plenaria Indulgentia*, uti præfertur, pro piissimo desiderio præmemorati Ssmi Dni (cui ex parte nostra modis omnibus obsecundare intendimus) etiam in aliis Diœcesis nostræ Ecclesiis, ad majorem Dei gloriam & animarum salutem similiter promoveatur; enixe commendamus RR. DD. Pastoribus, quatenus æmulando efficiant, tum ut prærequisita Venerabilis Sacramenti expositio & adoratio cum *Plenaria Indulgentia*, in omnibus locis, in quibus hanc publicari Nobis visum fuerit expedire, fiat singulari cultu & reverentia, servata ubique uniformitate, quoad ea saltem, quæ infra præscribimus; tum etiam, ut per se, aliosque verbi Divini Præcones ad hanc solemnem adorationem & lucrandam Indulgentiam, populum invitent & adhortentur; ei præcipue exponendo, illam a Summo Pontifice peculiariter institutam fuisse (quod ab omnibus & singulis serio reflecti volumus, & merito) *ad impetranda Divina auxilia contra Bacchanalium abusus: &, ne Fideles tempore tentationis a via Domini recedant.* (*)

Quæ pro triduo illo expositionis Ssmi Eucharistiæ Sacramenti in singulis Ecclesiis respective requirimus observari, sunt sequentia:

Imprimis, ut Altare rite & debite ornetur.

2. Ut pridie & toto triduo, ad Officia Divina, prout in similibus convenit, pulsetur.
3. Ut Venerabile Sacramentum a mane usque ad Vesperam exponatur.
4. Ut pro adoratoribus subsellia debito loco aptentur.
5. Ut ante vel post Missam Conventualem aut Parochialem, saltem prima aut altera die instituatur Processio, sub qua cantetur *Psalmus XXX.* cum Versiculis & Orationibus infra positis *N. III.*, & ex *Missali Romano* desumptis.
6. Demum, ut sub Laudibus vespertinis cantetur
   I. Hymnus *Pange lingua.* &c.
   ℣. *Panem de Cœlo* &c. cum Collecta:

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili &c.

II.

(*) Idem Brev. sup.

II. Ana. *Salve Regina Mater misericordiæ &c.*

℣. *Ora pro nobis &c.* cum Collecta: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Gloriosæ Virginis Mariæ corporis & animam &c.*

III. Psalmus 50. *Miserere mei Deus.* Sexti Toni, quo finito, Officians ad pedem Altaris dicat:

℣. *Deus refugium nostrum & virtus.*
℟. *Adjutor in tribulationibus &c.*
℣. *Salvos fac servos tuos Domine.*
℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis.*
℟. *Miserere nobis.*
℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster.*
℟. *Et propter gloriam Nominis tui Domine libera nos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Deus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majestatem tuam suppliciter deprecamur: ut famulos tuos de tua misericordia confidentes, cœlesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves; ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus a te separentur.

Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quæsumus, corda nostra gratiæ tuæ splendore; ut digna ac placita Majestati tuæ cogitare semper, & te sincere diligere valeamus. Per D. N. J. C.

QUARTA ORATIO, ultimo die addenda.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auditum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Domin.

Optaremus tandem, ut Confratres & Consorores Confraternitatum, maxime illius, quæ sub titulo Venerabilis Sacramenti, in plurimis nostræ Diœcesis Ecclesiis erecta est, *ad annuum hunc adorationis cultum pro zelo suo promovendum* invitarentur & animarentur.

Datum IPRIS in Palatio nostro Episcopali die 28. Februarii 1766. &c.

VII.

FORMULÆ pro describendis in Registris Actis BAPTISMORUM, MATRIMONIORUM & SEPULTURARUM, observandæ in omnibus Ecclesiis Parochialibus hujus Diœcesis, in quibus aliæ hujusmodi Formulæ non sunt præscriptæ a Prædecessoribus nostris juxta Principum Edicta. Videat. Instructio Pastor. Art. LXII. & CXLV.

FORMULA PRO DESCRIBENDIS ACTIS BAPTISMORUM.

Anno Domini.... die.... mensis.... Ego infrascriptus Pastor (*vel* Vicarius) hujus Parochiæ, baptizavi N. filium (*vel* filiam) legitimum (*vel* legitimam) NN. (*nomen & cognomen Patris*) ex hac Parochia (*vel* Parochia N.) & NN. (*nomen & cognomen Matris*) ex hac Parochia (*vel* Parochia N.) conjugum, natum (*vel* natam) hodie, (*vel* heri) hora...... Susceptores NN. & NN.; qui mecum subsignarunt.

Si Pater sit præsens, etiam ipse signabit; si absens vero, fiat mentio de ejus absentia. Si Pater, vel unus, aut alter Susceptorum scribere nesciat, addatur inscriptioni, quod declaraverit se nescire signaturam apponere.

Signaturæ ponantur hoc ordine: NN. Patrinus. NN. Matrina. NN. Pater.

Ultimo loco: NN. Parochus, *vel* Vicarius.

Si in necessitate, vel alia de causa proles domi baptizata fuerit, omissis Cæremoniis Ecclesiæ, fiet hujus mentio in eadem Formula; (*) quam subsignabit cum Ministro, qui impleverit Ecclesiæ cæremonias, obstetrix, vel ille, aut illa, quæ prolem baptizavit. Si in aliquo casu Baptismus conferri debuerit sub conditione, illud etiam exprimendum erit. (**)

Si vero proles baptizata sit illegitima; omisso nomine patris, scribatur..... Baptizavi NN., Patris incogniti; *nisi ipse pater adsit, & prolem baptizatam pro sua agnoscat, ac formulam subsignet; vel juridice, aut*

(*) Instruct. Pastor. Art. LXII. (**) Ibidem Art. LX. & LXI.

aut aliter certo de eo constet. Cæterum serio attendant Pastores, ut in casibus hujusmodi, omnem infamiam, aut ejus suspicionem, pro sua prudentia devitent.

FORMULA PRO DESCRIBENDIS ACTIS MATRIMONIORUM.

Anno Domini... die... mensis... præmissis Sponsalibus, & proclamatis tribus bannis (*vel* proclamatis duobus, *aut* uno banno, obtenta dispensatione super uno, aut duobus) inter NN. (*nomen & cognomen Sponsi*) ex hac Parochia (*vel* ex Parochia N.) juvenem (*vel* viduum NN.) (*nomen & cognomen defunctæ Conjugis*) filium NN. (*nomen & cognomen Patris*) ex hac Parochia, (*vel* ex Parochia N.) & NN. (*nomen & cognomen Matris*) ex hac Parochia (*vel* ex Parochia N.) ex una parte: & NN. (*nomen & cognomen Sponsæ*) ex hac Parochia (*vel* ex Parochia N.) puellam, (*vel* viduam NN. *nomen & cognomen defuncti Conjugis*) filiam NN. (*nomen & cognomen Patris*) ex hac Parochia (*vel* ex Parochia N.) & NN. (*nomen & cognomen Matris*) ex hac Parochia (*vel, &c.*) ex altera; habito consensu requisito eorum, quorum interest, nulloque detecto impedimento; Ego infrascriptus Parochiæ hujus Pastor (*vel* Vicarius, *aut* NN. Sacerdos, ex commissione R. D. Pastoris) eos Matrimonio junxi in Domino; præsentibus Testibus NN. ex hac Parochia (*vel* ex Parochia N.) & NN. ex hac Parochia (*vel &c.*) *exprimendo nomen, cognomen & locum domicilii Testium, juxta numerum per Edicta Principum requisitum*] qui mecum, sicut & ipsi contrahentes, subsignarunt.

Si Testes sint consanguinei aut affines ipsis contrahentibus, exprimatur quo gradu se contingant. In apponenda signatura; aut si quis contrahentium vel testium nesciat illam adscribere, observent hic Pastores cum proportione, quæ diximus supra circa subscriptionem in Baptismo.

Si Contrahentes cognatione spirituali sibi juncti sint, aut consanguinei, vel affines in aliquo gradu prohibito, & dispensationem desuper obtinuerint, prout debebant, a Summo Pontifice, vel Episcopo; fiat mentio in Acto Matrimoniali tam de obtenta dispensatione, & a quo; quam de impedimento, seu gradu consanguinitatis & affinitatis, super quo dispensatum fuit.

In casu vero, quo prolem illegitimam per subsequens contractum Matrimonium legitimari contingat, observent Pastores, quæ dicta sunt in Instructione Pastorali Art. CXLV.

FORMULA PRO DESCRIBENDIS SEPULTURIS.

Anno Domini.... die.... mensis.... obiit in Domino NN. (*nomen, cognomen, & conditio personæ*) omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus (*vel* munita, *aut* munitus, *vel* munita sola Extrema Unctione; *vel* subito) in hac Parochia; ætatis.... filius, (*vel* filia) NN. & NN. (*nomen & cognomen Patris & Matris*) cœlebs (*vel* Matrimonio junctus, *vel* juncta cum NN., *nomen & cognomen Conjugis*; *vel* viduus, *aut* vidua NN. *nomen & cognomen defuncti, vel defunctæ Conjugis.*) In hac Ecclesia Parochiali, (*vel* in cœmeterio hujus Parochiæ) sepultus, (*vel* sepulta) hodie, per me Pastorem (*vel* Vicarium) Parochiæ: Testibus N. N. & N. N. (*nomen & cognomen Testium*) qui mecum subsignarunt, (*vel,*) qui declaraverunt, se nescire scribere, &c. *ut dictum est de subscriptione in Baptismo, & Matrimonio.*

In hac Formula, dum dicitur, Matrimonio junctus, *aut* juncta, cum NN. *etiam exprimatur nomen & cognomen Conjugis ex secundis nuptiis, si fuerint. Idem observetur cum proportione, ubi in describendis tam Matrimoniis, quam Sepulturis, dicitur,* viduus, *aut* vidua NN.

INDULGENTIÆ concessæ a Ss. Dno BENEDICTO XIV. Pont. Max. pie, devote, & ex corde recitantibus Actus Virtutum Theologicarum FIDEI, SPEI, & CHARITATIS, *de quibus in Instructione Pastorali* Art. XLVIII.

" Animadvertens Ss. D. N. BENE-
" DICTUS PP. XIV. quam uti-
" les, quin imo necessarii sint ad æter-
" nam salutem Theologicarum Virtu-
" tum actus, FIDEI videlicet, SPEI
" & CHARITATIS; ut omnes utrius-
" que sexus Christi fideles, ad illorum
" exercitium excitaret, audito voto
" sacræ Congregationis Indulgentiis
" sacrisque Reliquiis præpositæ, IN-
" DULGENTIAS pro iisdem Actibus
" a S. Mem. BENEDICTO XIII. die

" 15. Jan. 1728. concessas, benigne " confirmavit; PLENARIAM nimirum " cum facultate eam Fidelium defun- " ctorum animabus applicandi, semel " in mense lucrandam ab iis, qui quo- " tidie per mensem præfatos actus, pie, " devote, & ex corde peregerint, die " nempe ab unoquoque eligenda, in " qua vere pœnitentes, confessi ac sa- " crâ Communione refecti *pro Christia-* " *norum Principum concordia, hæresum ex-* " *tirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatio-* " *ne*, ut decet, oraverint: necnon ali- " am similiter *Plenariam* in mortis arti- " culo. Ut autem commissas sibi oves " ad frequentiorem hujusmodi Actu- " um usum alliceret Sanctitas sua, *In-* " *dulgentiam septem annorum, totidemque* " *Quadragenarum* cum eadem applicatio- " nis facultate, quæ juxta ejusdem sui " Prædecessoris concessionem semel " tantum in die consequi poterat, ad " quamlibet antedictorum Actuum " piam &c. ut supra recitationem cle- " menter extendit.

" Declaravit insuper sua Sanctitas, " præfatas omnes Indulgentias addictas " minime esse certis, determinatisque " verbis, propterea unumquemque " uti posse in recitatione dictorum " Actuum qualibet formula, dummo- " do in ea singularium virtutum Theo- " logicarum specialia motiva expri- " mantur. Datum Romæ die 26. Jan. " 1756. &c."

IPRIS, *apud Thomam Franciscum Walwein, Typographum Illmi D. Episcopi.*

Exemplar communicavit A. R. Clque Dnus D. JACOBUS GOYERS, *Pastor in Hümelghem, Vir de hac Collect. CC. multum sane meritus.*

NOTA.

FELIX JOSEPHUS HUBERTUS DE WAUVRANS, superstes hodie Iprarum XVII Episcopus, Tornaci Nerviorum in Flandria natus est die 10 Augusti a. 1715, patre *Jacobo Josepho* e nobili claraque per Arthesiam familia oriundo, cujus tamen progenitores ducentis circiter abhinc annis Flandriam petierunt, & matre *Maria Carolina Hudsabaut*, ex honorata item ac prænobili apud Tornacenses stirpe. Lutetiam Parisiorum a. 1731 profectus, Philosophicis ibidem & Theologicis studiis operam dedit. Gradu Licentiæ in U. J. eum ornavit circa a. 1739 Lovaniensis Universitas; sacra vero in Theologia a. 1742 Sorbona. Factus a. 1759 in Comitiis Ordinum Tornacensium vicarius pro Episcopo Præses; a. 1741 inter Ecclesiæ Cathedralis Tornac. Canonicos adlectus; datus eidem Ecclesiæ a. 1760 Archidiaconus & a. 1762 Vicarius Generalis. Tandem a Majestate C. R. A. MARIA THERESIA ad Episcopatum Iprensem nominatur mense Januario ejusd. anni 1762, mox Romæ in Consistorio ab ipsomet Ss. Domino CLEMENTE XIII P. M. dotibus ad id officii requisitis declaratur instructus, atque in Metropolitana Mechliniensi per Excellmum & Revmum Comitem in *Franckenberg* hujus Ecclesiæ Archiepiscopum, adsistentibus Excellmo Domino in *Salm* Tornacensi & Illmo Domino *Van Gameren* Antverpiensi Episcopis, more Majorum, in festo Præsentationis B. M. V. consecratur.

Læta in Iprenses muros invectione ad diem 23 Dec. a. 1768 celebrata, *Instructionem* quam hic dedimus *Pastoralem*, monitis saluberrimis ad Cleri perinde ac populi utilitatem ut plurimum conferentibus plenam edidit.

Egit plura alia, quorum ad calcem istiusmet Instructionis fit mentio, pro Diœcesis suæ bono utiliter. Anno 1770 solemni instituit adparatu in eadem sua Diœcesi Confraternitatem adorationis perpetuæ Ss. Altaris Sacramenti. Ad singulas Congregationes Pastorales, quæ quolibet in Districtu Decanali bis per annum fiunt, mittere amat encyclicam, in qua ad casus dubiave proposita respondetur, varia commendantur puncta disciplinæ, ac sui Pastores officii admonentur.

In Seminario quotannis voluit, pioque sancivit edicto publicam Festa Præsentationis B. M. V. luce fieri votorum clericalium innovationem, cum plenariis Indulgentiis a Ss. Dno CLEMENTE XIII, immortalis recordationis P. M. concessis.

Similes Indulgentias pro omnibus Presbyteris secularibus, qui saluti animarum dant operam, modo confessi & Missa celebrata, aliquod e Parochialibus templum visitaverint, ad festum S. Vincentii a Paulo impetravit. Regimen Præsuli dignissimo quam longum, tam fortunatum, inter vota Q. Q. Mult. XX. ex animo precamur.

SUPPLE-



SUPPLEMENTUM BREVE
CONCILIORUM GERMANIÆ

vel omiſſorum in Tomis præcedentibus, vel corrigendorum, quæ poſtmodum detexit, ferme omnia,
JOSEPHUS HARTZHEIM P. M. SACERDOS
E SOCIETATE JESU,
ac ſequentem digeſta in ordinem cuſaque in formam reliquit.

SYNODUS COLONIENSIS
Anno Chriſti CMXLVIII. Agapeti II. PP. III. Ottonis I. Reg. XII.

a WICHFRIDO, (*) *Colonienſi Archiepiſcopo,*
CELEBRATA,
Fragmento Tom. II. pag. 621 *impreſſo plenior.*

Wichfridus, Archiep. Colon. confirmat limites Eccleſiæ S. Severini, eamque dotat
IN SYNODALI CONVENTU CUM COEPISCOPIS,
& translatione Corporis ex veteri tumba in novam.

IN NOMINE STÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

Notum ſit omnibus Fidelibus tam præſentibus, quam futuris, Eccleſiæ filiis, quorum (*a*) Ego WICHFRIDUS, Stæ Colon. Eccleſiæ ſcilicet indignus Archiepiſcopus, paſtorali cura impulſus ac divinitus in viſionibus perſæpe præmonitus, in Monaſterio, quod Dominus meus ſcilicet ſanctus Chriſti Confeſſor SEVERINUS ipſe a fundamentis erexit, & ſub honore Ss. Martyrum CORNELII & CYPRIANI dedicavit, Oratorium conſtruxit, ac in quantum potui, in ipſius honorem ſpecialiter perornavi ad remedium animæ meæ, & omnium meorum (*b*) ſibique ſecundum Deum procurandorum, quia nulla pars negligentia meorum Anteceſſorum ipſius templi dedicata erat ſibi,

(*) Wichfridus Eccleſiæ Colonienſis XXXIII Epiſcopus & ab S. Agilolpho, primo ut nonnulli contra Hartzhemium volunt, ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo, XIImus ſedit ab anno Chriſti 925 uſque ad 953, quo obiit 7 Julii.

(*a*) *Gelenius excerpſit p.* 272 *de Col. U. Magnit.* (*b*) mihi *pro* meorum. *Gelen.*

ſibi, in cujus Oratorii dedicatione cum forte adeſſet ſub veræ charitatis pignore BERENGERUS *Virdunenſis Civitatis Epiſcopus*, & religioſus *Cameracenſis Eccleſiæ* JOANNES *Epiſcopus*, (*c*) etiam, ut ſupradictum eſt, Divino monitu perterritus Reliquias Beatiſſimi Confeſſoris mutavimus de ſcrinio jam carie conſumpto, in ſcrinium ut tunc temporis humano ingenio melius potuit eſſe firmatum. Aſt Ego, meique Coepiſcopi cordis compunctione attacti, quoniam talem theſaurum Corporis tam ſanctiſſimi Militis Chriſti, ac fratres tantæ religionis in eo loco inveni, quales in alio non habui, prædictorum Confratrum, aliorumque multorum religioſorum Virorum inſtinctu (*d*) permonitus, tam ſanctiſſimas, priusquam ſcrinio ſigillum imprimerem, dotavi Reliquias, & quasdam res meæ proprietatis, pago in ipſo ſitas ſcilicet in villa (*e*) *Everich* dicta, id eſt fiſcalia manſa duo cum vinea, quam (*f*) emi erga militem meum Salagonem XXVI. libris argenti, & iterum in villa quæ dicta (*g*) *Beina* duo ſervilia manſa, ac in villa *Thiedenhoven* nominata unum, quæ III. erga militem (*h*) *Odthelhardum* precario acquiſivi, S. Severino ac fratribus ſibi tam inceſſanter famulantibus contradidi. Inſuper cum communi conſenſu tam Clericorum, quam Laicorum donavi de Eccleſiæ rebus ad ſuſtentandam inopiam illorum, Eccleſiam ſub ipſius ſanctiſſimi Confeſſoris honore fundatam *Immendorp* dictam, quo melius proficiant in orationibus, perpetualiter poſſidendam, cum omni termino ibi ad noſtrum opus habito, quo in Dei ſervitio diu noctuque perſiſtant absque ullo victus impedimento. (*i*) Hæc dum agerentur, Fraterculi ejusdem Monaſterii cum illorum (*k*) Propoſito noſtris genibus ſuppliciter advoluti nimium quærentes, ut terminus, quem Beatiſſimus SEVERINUS ut antiquitus dein eſſet cum ſuo banno ad præfatum Monaſterium CORNELII & CYPRIANI terminaſſet, ac quem meus Prædeceſſor HERMANNUS videlicet totius Eccleſiæ defenſor, poſtea iterum probabilium hominum teſtimonio, atque ſuo banno firmaſſet, undique a circummanentibus popularetur, & illorum vires non ſufficerent illum a lupis rapacibus defendere. Poſtulantes, ut per merita tam Sti Patroni facerem, & illum lite ſolverem, nil cupientes in eo retinere, niſi quod jure debuiſſent habere: Ergo (*l*) conſiderans curam atque pondus meæ diſpenſationis, ac curam commiſſi ovilis, non auſus fui petita præterire, ſed juſſi *in Synodali Conventu*, quem tunc proxime *in Cœna Domini* collectum habui *ſeptem ſapientes Clericos & totidem idoneos circummanentes Laicos* ſuper capſam S. Petri jurare, quo publice recitarent, ut veracius ſcirent; & poſthæc ſic circumducerent, ut (*m*) in æternum absque lite ſtaret omnis ille terminus pertinens ad præfatum S. Severini Monaſterium, unde factum eſt, ut condixerant, primum omnem (*n*) Salaciciam terram pertinentem ad curtem juxta Monaſterium ubicunque (*o*) jacerent locorum, & ſic terminum ducebant ab urbis porta quam vulgus nominat *Altam* per illam plateam uſque ad S. Joannis Eccleſiam, & per ſeptem & decem jurnales in alia parte plateæ jacentes: ab Eccleſia autem per viam, quæ eſt dicta (*p*) *Burchſtrazza*, uſque ad villam, quæ eſt dicta *Thiedenhoven*, cum omnibus, quæ pertinent ad illam, hincque uſque iterum ad villam, quæ nominatur (*q*) *Holuichen*, ac quidquid pertinet ad illam, inde vero ad ſylvam, quæ vocatur *Dierlo*, & hinc ad (*r*) *Gungenforſt*, inde per viam, quæ dicitur *Vorſtweegh* uſque ad Rhenum, & ſic per littus iterum uſque ad Civitatis foſſam, ut nemo quid juris vel poteſtatis aut termi-

(*c*) *Notavit Joan. Gelenius* Fulbertum eo anno fuiſſe Cameracenſem Epiſcopum, *non* Joannem. (*d*) præmonitus. *Gelen.* (*e*) Cunricha. *Gelen.*
(*f*) quæ *pro* quam. *Gelen.* (*g*) dicitur. *Gelen.* (*h*) Gothelhardum. *Gelen.*
(*i*) *hactenus Gelen. excerptum abrumpit.* (*k*) Præpoſito *forſitan.*
(*l*) *ab hac voce*: conſiderans curam atque pondus, *excerpſit Gelenius pag.* 272. *de Colon. U. Magn.* (*m*) uſque *addit Copiar. S. Severini.* (*n*) Salariciam. *idem Cop. S. Sev.*
(*o*) jaceret. *Copiar. S. Sever.* (*p*) Burchſtraſſe. (*q*) Holnchen. *Cop. S. Sev.* Hoinchen canicula. (*r*) Intgenforſt, Jungenvorſt. *Copiar. S. Sever.*

termini, ac saltem Senatus inter habeat, nec aliquis Decanus, aut Advocatus illorum, juramento meo & communi consensu tam Clericorum, quam Laicorum tunc astantium, nisi præfati Monasterii Præpositus exceptis XX. domibus, quæ pertinent ad Ecclesiam secus Rhenum, sub honore sanctæ Dei Genitricis fundatam.

Hinc quo prædicta traditio firmior staret, atque terminus esset sine lite, jussi hanc chartam scribere & stipulatione subnectere, atque mox in ipso Senatu cum meo banno & omnium præsentium Presbyterorum firmavi, similiter in Cœna Domini in Epanado, atque in ipso die sancto Paschæ feci, ut si quis meorum Successorum aut quælibet apposita persona contra hanc traditionem venire tentaverit, vel terminum quolibet modo infringere, aut in eo aliquid errare vel demere voluerit, fiat ei sicut Ammonitæ & Moabitæ, iram Omnipotentis Dei incurrat, lingua faucibus ejus adhæreat. Cum judicatur exeat condemnatus, Diabolus stet semper a dexteris ejus, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ efficiatur extraneus, in die examinis fiat deputatus æternis suppliciis, oculi ejus non videant lumen in sæcula sæculorum Amen.

Quo autem firmior sit hæc charta, placuit Testium astantium assignari nomina: S. *Gudefridi* Comitis S. Gereonis Presbyteri, S. *Wichardi* Presbyteri, S. *Rudberti* Præpositi, S. *Vnargigi*, S. *Marewardi*, S. *Azzonis*, S. *Marfridi*, S. *Foleberti*, S. *Linbeberti*, S. *Salaclonis*, S. *Alveridi*, S. *Jeni*, S. *Friderici*, S. *Adalgeri* Advocati, S. *Erkengeri* Presbyteri, S. *Seliradi* Presbyteri, S. *Hildebaldi* Præpositi, S. *Geroldi*, S. *Landtfridi*, S. *Razzonis*, S. *Megengeri*, S. *Hugbrahti*, S. *Everbardi*, S. *Sandradi*, S. *Ruotgeri*, S. *Marici*, S. *Sbiezonis*. Actum est publice anno Dominicæ Incarnationis CMXLVIII. Indictione VI. atque VII. anno Serenissimi Regis OTTONIS regnantis, XII. Præsulatus Venerabilis Archiepiscopi WICHFRIDI feliciter Amen.

Ex Copiarum libro Archivii S. Severini communicavit Revdissimus & Perillustris D. FRANC. GERARDUS AB HERRESTORFF, *Insignis Collegiatæ S. Severinianæ Canonicus & Decanus, nec non & Bonnensis Archidiaconalis Ss. Cassii & Florentii Canonicus*

Rediit hoc pacto in ordinem Diploma singulare ex Volumine IV. Farrag. Gelen. pagg. 178 *&* 179.

SYNODUS MOGUNTINA
Anno Christi MXLIX. Leonis IX. PP. I. Henrici III. Regis XI.
Sub BARDONE, (*) *Archiepiscopo & Electore Mog.*
CELEBRATA.

Habetur impressa Tom. CC. III, a pag. 112.

NOTANDA
AD §. ILLIUS VII.

EXTRACTUS
Ex impresso Moguntino sub rubro Jus Metropoliticum Mogunt. 1754.
circa Exemptionis Monasticæ materiam,

Ad dijudicandum, an in Concilio Moguntino anni 1049. Abbati Fuldensi, ejusque in Spiritualibus Vicario jurisdicundi facultas in locis exemptis, quæ sibi &c. *fuerit concessa.*

In addendis pag. XCVIII & XCIX hæc habentur.

P A R A L L E L A

ASSERTORUM FULDENSIUM & DOCTRINÆ SUMMI PONTIFICIS BENEDICTI XIV.

A S S E R T A
Pro Abbatia Fuldensi.

IV. Fuldenſes Patroni narraverunt, jam a Zacharia P. a Sæculo VIII. ejusque Succeſſoribus datam Monaſterio Fuldenſi non tantum exemptionem paſſivam, ſed activam, etiam in Clerum & populum locorum omnium a Fuldenſi Abbate acquiſitorum & acquirendorum, eique ut Principi ſubjectorum, & quidem jurisdictionem ſoli S. Sedi immediate ſubjectam. *Specim.* §. 10. §. 13. §. 16. *ſeq. & paſſim.*

D O C T R I N A
S. D. N. Benedicti XIV.
ante & in Summo Pontificatu.

S. D. N. non tantum hæc omnia rejecit tanquam Herbipolenſis olim cauſæ Patronus, non tantum tanquam S. Congregationi Concilii particulari a. 1721. a ſecretis hunc Fuldenſis præſcriptionis titulum aſſertum in illis Pontificum privilegiis repoſitum tanquam nullum, invalidum, inſubſiſtentem explodit.

In cit. Diſcurſu num. 10. 16. *& paſſim.*

Sed etiam qua Pontifex in Bullario ſuo exactiſſimo ſapientiſſime obſervat, *necdum tempore* Alexandri III. ſcilicet ſæculo XII. circa annum 1159. *exempla recenſeri activæ jurisdictionis, tributæ Monachis in Clerum & populum.*

Tom. I. Bullarii Conſtit. XXVI. §. II.

Multo minus igitur tempore Zachariæ, Stephani III. ante annum 800. Gregorii IV. & aliorum ante annum 900. uſque ad ultimum Fuldenſium privilegium Anastasii IV. Alexandri III. Anteceſſoris.

V. Fuldenſes aſſertum illud ſuum probare volunt ex privilegiorum dictorum formula: Præfatum MONASTERIUM . . . . ſub jurisdictione ſanctæ noſtræ, cui Dno Authore deſervimus, Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ jurisdictionibus ſubmittatur. . . & . . . cujuslibet

S. D. N. *illationem a MONASTERIO exempto ad jurisdictionem activam in Clerum & populum a Canonicis Sanctionibus nimium abſonam & repellendam eſſe* rectiſſime docet

Tom. I. Bullarii Conſtit. LXXVI. §. 10. in fine.

Et

(*) S. BARDO ex nobili familia de *Opershoven* in Veteravia oriundus, qua etiam Giſelæ Conradi II Regis conjugis propinquus exſtitit, ſub Erchenbaldo Abbate Fuldenſi monaſticam vitam amplexus eſt, tanto ſui bono, ut poſtquam Majoris Decani ac primi loci hujus S. Andreæ Præpoſiti munia condigne obiviſſet, ad Infulas Hersfeldenſes ac ſimul Werthinenſes promotus fuerit, Vir contemptu ſæculi & doctrinæ ſcientia inſignis, hoc forſan culpandus, quod anno 1031 vacantem Moguntinum Archiepiſcopatum, ſuo quondam Abbati Fuldenſi Richardo, cui tunc ex privilegio ſuæ Eccleſiæ debebatur, præripuit. *Hæc Cl. Schannat. in Opere:* Diœceſis & Hierarchia Fuldenſis, *pag.* 84. Doctiſſimum verbi Divini eccleſiaſten, qui multos ad Chriſti fidem eloquio ſuo perduxit, cujusque per multa ſeſe miracula prodidit ſanctimonia, Bardonem vocat Doctiſſ. *Laurent. Beyerlinck* in Magno Theatro vitæ humanæ *Tom. III. pag.* 167. A Bucelino *Germ. ſacr.* & Schatenio *Annal. Paderb. P. I. ad a.* 1031 ævi ſui Chryſoſtomus adpellatur. Obiit A. Chriſti 1050, poſtquam Baſilicæ Metropolitanæ ab *Erbone*, ſeu *Aribone*, Anteceſſore ſuo cœptæ coronidem impoſuit.

libet Ecclesiæ Sacerdotem IN PRÆFATO MONASTERIO ditionem quamlibet habere, aut authoritatem præter Sedem Apostolicam prohibemus. &c.

VI. Fuldenses dicunt, ex iis privilegii verbis MONASTERIUM inconcusse DOTATUM permaneat, locis & rebus tam eis, quas moderno tempore tenet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius Monasterii Divina pietas voluerit augere ex donis & oblationibus, decimisque fidelium, firmitate perpetua perfruatur sequi, quod omnia loca postmodum a Fuldensibus Principibus acquisita, cum Clero ac populo ejus jurisdictioni Ecclesiasticæ, & quidem exemptæ, fuerint submissa §. 16. *& alibi.*

Et verba: *immediatæ subjectioni S. Romanæ Sedi, soli congruere exemptioni passivæ, non autem juri activo, & separationi territorii*, addit

In eadem Constit. §. 16.

Sicut hæc verba suapte natura solum protectorium involvunt, ita plane Summus Pontifex ait, ad ductum clari textus *in cap. Ex parte.* 18. *de Privilegiis.* clausulam illam *sub B. Petri & S. Sedis protectione nequidem inferre exemptionem passivam.*

Tom. II. Bullar. Constit. XL. pag. 346.

Aliasque plures, & multo liberaliores formulas rejecit tanquam insufficientes ad jurisdictionem exemptam quasi-Episcopalem.

Tom. I. Bullar. Constit. LXXVI. §. 6. 7. 16.

Tom. II. Bullar. Constit. XXXIII. eodem Tom. II. Constit. XL.

AD SYNODUM MOGUNT. DE A. MXLIX.

CHRONICON PARVUM

De Monasterio Ss. Simonis & Judæ Goslariæ, *quod* Leuckfeld *ex* Originali membranaceo *se fideliter edidisse scribit*:

Apud eundem *Leuckfeld* P. II. *Antiquitat. Abbatiæ Walckenriedensis* pag. 198. ita habet.

" Suis etiam temporibus Papa LEO " post hujus Templi solemnem " Dedicationem *Concilium in Maguntia* " celebravit, ubi hanc Ecclesiam mul" tis privilegiis & libertatibus honora" vit ob ipsius Imperatoris præsen" tiam.

Bullam autem hujus S. Pontificis pro hac Goslariensi Ecclesia, dedit idem Auctor *Leuckfeldius* P. I. *Antiquitat. Abbat. Walckenriedens.* hoc tenore pag. itidem 198.

" LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVO" RUM DEI, omnibus Christi fi" delibus. Sancti propositi votum " non solum Divino effectu impletur, " sed etiam humano suffragio adjuva" tur. Sit autem notum omnibus san" ctæ Ecclesiæ filiis, tam præsentibus, " quam futuris. Quia filius noster ca" rissimus secundus HEINRICUS " Imperator Augustus, quandam Ec" clesiam a se funditus constructam in " honore sanctæ Dei Genitricis Domi" næ nostræ Virginis MARIÆ & bea" torum Apostolorum SIMONIS & " JUDÆ positam loco *Goslariæ*, ubi " fratres sunt sub canonica degentes " regula, quibus præposuit quendam " Presbyterum nomine *Rumaldum*, tam " pro animæ suæ, suæque Conjugis " Augustæ filiæ nostræ *Agnetis* remedio, " quam pro salute etiam parentum suo" rum *Conradi & Gislæ*, divinæ (*) me" moriæ, pio affectu, piaque intentio" ne, sancto Petro ejusque Apostolicæ " Sedi per scripturam propria manu " signatam penitus concessit, per ma" nus

(*) *Videtur error transcriptoris pro* Divæ.

" nus noſtras, ſcilicet indigni Vicarii, " *cum eſſemus cum eo Moguntiæ ibique Synodum haberemus*, ut ipſa Eccleſia poſita " ſub Apoſtolico jure & Dominio, ab " omni læſione & moleſtia, ſuam integritatem habens in omnibus rebus " & facultatibus, quas modo habet in " prædicta *Goslaria* in *Egelen* & *Urſelib* " & in *Scemenſtede* & in *Gerſtede* & in " *Valentio* juxta Rhenum ſito, aliisque " locis & villis, & quæcunque in perpetuum habitura eſt, ſive ſint mobilia, ſive immobilia, quod donum " de manibus prædicti chariſſimi Filii " noſtri Auguſti ſuſcipientes, decrevimus per hoc noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis privilegium omne munimen, omne robur Apoſtolicum eidem Eccleſiæ S. MARIÆ, & Ss. " Apoſtolorum SIMONIS & JUDÆ contribuere & condonare, ut integra in " ſuis rebus, ſuisque poſſeſſionibus in " ſecula conſtans, nullum metuat vel " ab Imperatore, vel a Rege, vel ab " aliqua perſona publica vel privata " diſpendium ac detrimentum. Dignum tamen duximus eidem cariſſimo Filio noſtro Auguſto, ejusque " Succeſſoribus advocationem ipſius " ſacri loci ea ratione relinquere, ut " ſemper in poteſtate habeant ibi Præpoſitos ſecundum Deum ordinare, " non autem ex bonis ipſis aliquid alicui in proprium dare, ſive in beneficium tribuere. At ſi contra prohibitionem noſtram quisquam eorum temptaverit agere, liberum jubemus eſſe Præpoſito & Canonicis, " qui ibi pro tempore fuerint, ſic omni modo ad Romanam Eccleſiam deinceps reſpicere, ut nihil metuant, " de Imperiali & Regia conditione, " Epiſcopus autem, in cujus Diœceſi " iſtius Eccleſiæ conſtructum eſt Monaſterium, nihil in eo habeat juris aut " poteſtatis, præter Eccleſiaſticum regimen, & ſecundum Canonica inſtituta Epiſcopalem poteſtatem.

" Statuimus igitur Apoſtolica cenſura ſub Divini judicii obteſtatione, " ut nulla poteſtas Imperialis vel Regia, Eccleſiaſtica vel ſecularis, vel " quævis hominum perſona, magna " vel parva, cujuscunque ſit ſexus & " ætatis, contra hæc noſtræ Apoſtolicæ " corroborationis privilegium venire " pertemptet. Quisquis vero, quæ, " quæve, quod abſit, fuerit, (*) Uſque " ad dignam ſatisfactionem noſtri Apoſtolici anathematis vulnere ſauciatus " exiſtat, qui vero ab hic prohibitis " ſe cuſtodierit, & quicquid hic legitur, illibate obſervaverit, plenam " habeat a Nobis benedictionem, & " adeo (**) ſempiternam ſalutem.

" Dat. III. Kal. Novembr. per manus PETRI Diaconi, Bibliothecarii " & Cancellarii ſanctæ Apoſtolicæ Sedis. Anno Domini LEONIS Papæ " I. Indictione III.

† S. LEO P. PLENA EST TERRA MISERICORDIÆ DOMINI.



SYNO-

(*) *Aliquod verbum omiſſum videtur.*
(**) *Ex ſtylo Pontificibus Romanis conſueto debet poni* a Deo.

SYNODUS TORNACENSIS

Anno Christi MXC. Urbani II. PP. III. Henrici IV. Reg. XXXV. Imp. VII.

CELEBRATA

RADBODO, (*) Tornaci & Noviomi Episcopo, PRÆSIDENTE.

SUMMA: RADBODUS Torn. & Noviom. Episcopus, & WALTERUS Insulensis Præpositus, Canonicis Ecclesiæ S. Petri Insulensis donant personatum Verviaci *vulgo* Wervike.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. EGO RADBODUS, DEI GRATIA NOVIOMENSIUM SEU TORNACENSIUM EPISCOPUS, OMNIBUS DEUM DEVOTE TIMENTIBUS, PERPETUO GAUDERE CUM GAUDENTIBUS.

Sicut Fratres cariſſimi, Divinorum nos hortatur pagina præceptorum, Deo militantibus ſolicita conſideratione neceſſaria convenienter ſubſidia non negare; ita eadem nos admonet, deſiderium, quod ad religioſum prpoſitum monſtratur pertinere, absque ulla dilatione, Deo auctore, complere. Ait enim B. *Gregorius*, quoties ea, quæ honrari nos convenit, poſtulamur, moras ad concedendum facere non debemus; ne differre bona deſideria, quæ magis fovenda ſunt, videamur.

Proinde notum fere volumus, quod WALTERUS, Tornacenſis Eccleſiæ Archidiaconus, atque Islenſis Eccleſiæ Præpoſitus, cum quibusdam ejusdem Islenſis Eccleſiæ fratribus noſtram adierit præſentiam, obſecrans, ut Altare *de Wervy*, quod ſub perſonatu tenebat, eidem Eccleſiæ, ad uſus ſupradictorum fratrum, perpetuo ſub perſonatu tenendum concederemus: quorum quidem petitioni; quia jam me in ſua ſocietate ſuſceperant, atque mihi, meis quoque ſucceſſoribus Epiſcopis præbendam in eadem Eccleſia gratanter conceſſerant, dignum duxi condeſcendere, atque quod petebant, concedere.

Conceſſimus itaque, EGO ſcilicet, & WALTERUS Archidiaconus prædictum Altare Islenſis Eccleſiæ Fratribus tam futuris, quam præſentibus, perpetuo ſub perſonatu tenendum, tali videlicet conditione, quod anniverſariam noſtri faciant commemorationem, mei ſcilicet & ipſius *Walteri*; hoc adjecto, quod in anniverſario ejusdem *Walteri* (qui hujus rei apud Nos fidelis Orator extitit, & idem Altare, quod tenebat, eis libenter conceſſit) plenariam habeant refectionem, & in feſto Ss. *Simonis & Judæ*, ejusdem Altaris perſona

 Epi-

(*) RADBODUS II vir ſummæ eruditionis & ſanctitatis, qui reſtauravit Abbatiam S. Martini Tornaci, everſam furore Normannorum; magnusque animarum zelator fuit. Cumque gravi morbo populus affligeretur anno 1092, preces aliaque opera pietatis inſtituit, quibus Dei iram placavit, & annalis proceſſionis, quæ Tornaci in die Exaltationis S. Crucis celebratur, auctor fuit. Moritur ſub annum 1095. *Beyerlinck cit. pag.* 233.
Eum Brugis fœdo mortis genere, quod perjurii attribuunt crimini, quo ſe volens obſtrinxerat abſtergendæ Simoniacæ labis gratia, vivis ereptum eſſe anno 1098, narrat ex *Buzelini* Annal. ad a. 1097 & 1098 *de Caſtillion* in ſacr. Belg. Chronol. P. II. pag. 402. De eodem Epiſcopo plura apud *Jacobum le Groux* cap. 24 in Summa Statutorum Synod. edit. Inſulis 1726 a pag. LVII.

Episcopo, seu ejus Vicario decem solidos solvat; persona vero morte, seu quacumque occasione a personatu decedente, alia subrogetur persona, quæ in sua restitutione decem similiter solidos solvat.

Quarto quoque anno Archidiaconus, infra Parochiam illam Synodalia jura exercens, debitam, sicut ante, habeat impensam. Quod ut ratum futuris temporibus maneat, manu propria firmavi, atque Clericorum nostrorum testimonio corroborari feci.

Signum RADBODI EPISCOPI.
S. WALTERI ARCHIDIACONI.

Signa Tornacensium Canonicorum.

Henrici Decani, *Hermanni* Præpositi, *Sigerii* Cantoris, *Odonis* Scholastici, *Lietberti*, *Hietberti*, *Balduini*, *Gildulfi*, *Bernuini*, *Elberti*.

Signa Islensium Canonicorum.

Engelberti Decani, *Raimberti*, *Lamberti*, *Walteri*, *Elbodii*, *Lamberti*, *Balduini*, *Stephani*.

Signa Decanorum.

Balduini, *Frederici*, *Gunzelini*, *Lamberti*, *Berfridi*, *Sallefridi*, *Godeschalsii*, *Hunrardi*, *Willelmi*, *Fulcardi*.

Actum Tornaco, in Ecclesia S. MARIÆ Domno RADBODO in Synodo Præsidente, XI. Kalend. Martii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo, Indictione decima tertia, Domno RADBODO Episcopante anno vicesimo tertio, regnante Rege PHILIPPO anno tricesimo secundo.

EGO WIDO CANCELLARIUS *subterfirmavi.*

Ex Aubert. Miræ. Donat. Belg. pag. 361. *Tomo I, editionis Lovaniensis novissimæ a.* 1723.

SYNODUS ATREBATENSIS

Anno Christi MXCVII. Urbani II. PP. X. Henrici IV. Reg. XLII. Imp. XIV.

CELEBRATA
DIE 21 OCTOBRIS

Sub LAMBERTO, (*) I. Atrebatensis Ecclesiæ a Cameracensi avulsæ, ac pristinam in dignitatem circa A.C. 1095 restitutæ Episcopo.

Extat Tom. CC. III. pag. 222.
Addenda:

SUMMA: LAMBERTUS Episcopus Confraternitatem instituit inter Canonicos suæ Cathedralis, & Monachos S. Amandi Elnonenses, variaque Altaria his olim concessa denuo confirmat.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

EGO LAMBERTUS, DEI miseratione Atrebatensis Episcopus, desideranti animo cupiens eradicare omnem Simoniacam hæresim a nostra Dice-

Diœcesi, satisfaciens precibus Domni HUGONIS, Venerabilis Abbatis Elnonensis Cœnobii, de titulo beati Stephani Protomartyris, & gloriosi sancti Amandi, cæterorumque Fratrum ejusdem Ecclesiæ, hæc Altaria, scilicet de *Sealdino*, de *Lurico*, de *Ruotb*, & de *Bulcionolo*, & de *Dieraco*, quæ hactenus personaliter tenuerant, pro peccatorum nostrorum remissione, successorumque nostrorum Episcoporum prænominatæ Congregationi liberaliter possidenda, remota omni simoniaca exactione in perpetuum confirmamus; ea tamen conditione, ut defunctis Presbyteris, locorum illorum alii idonei ab Abbate ad Episcopum deducantur, eisque cura animarum ab Episcopo gratis impendatur.

Salvo in omnibus jure Atrebatensis Episcopi & reditibus ejus, & consuetudinibus Archidiaconi sui & Ministrorum ejus.

Si qui vero post hanc nostram definitionem prædictam hæresim eradicatam replantare præsumpserit, vel pro tali negotio pecuniam exegerit, dator & acceptor cum Simone hæretico anathema sit.

Prædictus autem Dominus HUGO Abbas, sed & omnis Elnonensis Cœnobii Successor ejus Abbas, si ad Synodum ab Atrebatensi Episcopo fuerit invitatus, adveniet. Et si talibus negotiis detentus & intentus fuerit, pro quibus advenire non potuerit, per quendam Monachorum suorum, nisi annuente Episcopo remanserit, causas, & Canonicæ & Synodalis excusationis transmittet.

Obedientiarius vero Altarium supradictorum Monachus Synodis semper intererit. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatensem & Elnonensem Ecclesiam inconvulsa stabilitate concedimus, quatenus Elnonenses, audito Episcopi obitu, exequias illius fraterne celebrare non differant, & Atrebatenses similiter de Abbate S. Amandi faciant.

Nos vero istius paginæ authoritatem ratam & inconvulsam permanere volentes, eam in præsentia subscriptorum testium consignavimus.

Signum Domni *Clarembaldi*, Ostrevandensis Archidiaconi.
S. D. *Johannis*, Archidiaconi Atrebatensis.
S. Domni *Odonis*, S. MARIÆ Præpositi.
S. Domni *Gisberti*, Decani.
S. Domni *Anastasii*, Cantoris.
S. Domni *Gualteri*, Custodis.
S. Domni *Roberti*, Magistri.

S.

(*) LAMBERTUS, Gisnensis genere, in templo S. Petri apud Insulanos Cantor, Archidiaconus Teruanensis, invitus reluctansque eligitur die 10 Julii a. 1093, & Romæ ab ipsomet Urbano II. P. M. in Ecclesia B. M. novæ ad diem 19 Martii a. 1094 consecratur; cum id facere recusaret favens plus æquo Cameracensium studiis, ut refert cit. *Beyerlinck* pag. 231, Rhemensis Archiepiscopus. Ex Urbe reversus, atque Legati per universam Rhemensem provinciam dignitate illustris, variis quoque privilegiis ab eodem Pontifice munitus, mirum est, quo plausu, quanta gratulatione, quibus populi lætitiis exceptus fuerit. Parœcias civitatis suæ mox divisit, atque ita suum administravit Episcopale munus, ut veluti Propheta e cœlo missus a Clero & populo haberetur, omniumque votis satis cumulatissime faceret. Obiit Præsul dignissimus die 16 Maji 1115, in æde Cathedrali sepultus, ubi hoc visitur ad lævam chori extans in marmore epitaphium:

Anno Domini M. C. XV. XVI. Kal. Junii,
Obiit beatæ memoriæ LAMBERTUS, hujus Atrebatensis Sedis Cardinalis Episcopus.

Per hunc restituta est dignitas hujus Episcopatus, quæ per multa tempora Cameracensi Episcopo fuerat commendata. Huic Episcopo & duobus joculatoribus *Itberio* & *Normanno*, beata MARIA in hac Ecclesia apparuit, dans eis candelam, per quam sanantur ardentes igne malo.

Vide præter Beyerlinck *& de* Castillion, *Bibliothecam Belgicam* Foppensii *Tom. II. pag.* 795. *ubi citatur* Cl. Stephanus Balusius, *qui acta* Lamberti *integra edidit Paris.* 1700 *apud* Franc. Muquet.

S. *Mascelini*, Atrebatensis Archipresbyteri.
S. *Amalrici*, Decani de Masten.
S. *Johannis*, de Duaco Decani.
S. Domni *Atoldi*, Venerabilis sancti Vedasti Abbatis.
S. Domni *Johannis*, de monte S. Eligii Abbatis.
S. Domni *Alberti*, Hasnoniensis Abbatis.
S. Domni *Richardi*, Marchianensis Abbatis.
S. Domni *Hamerici*, Aquicinensis Abbatis.
S. Domni *Raineri*, Cameracensis Abbatis de sancto Sepulchro.
S. Domni *Goiffridi*, Abbatis S. Andreæ de novo Castello Cameracensi.
S. Domni *Geroldi*, Hamensis Abbatis de territorio Taruanensi.

Ego LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, hoc libertatis donativum relegi, subscripsi, & † in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confirmavi.

Actum Atrebati *in Synodo* in Basilica beatæ MARIÆ semper Virginis Dominæ nostræ anno videlicet Dei Christi MXCVII. Indictione V. XII. Kal. Novemb., anno autem Pontificatus Domni LAMBERTI Atrebatensis Episcopi quarto.

Aubertus Miræus Tom. III. Diplomatum novæ collectionis per Foppens instituta a. 1734. *Bruxellis pag.* 312.

Hæc ex Miscellaneis Baluzii excerpsit D. Foppens. In iisdem Miscellaneis Tom. V. pag. 399. *extat Diploma alterum ejusdem Lamberti Atrebatensis Episcopi, datum a.* 1112. *quo eidem Abbatiæ S. Amandi concedit tria Altaria cum dotibus suis, nempe* Bulceng, Mastaing, *&* Stelemes *in Diœcesi sua Atrebatensi.*

SYNODUS ATREBATENSIS
Anno Christi MXCVIII. Urbani II. PP. XI. Henrici IV. Reg. XLIII. Imp. XV.
Sub eodem LAMBERTO, Atrebatensium Episcopo,
CELEBRATA
DIE 13 OCTOBRIS.

SUMMA: Confirmantur Abbatiæ S. Vedasti, Ord. S. Benedicti, omnia Altaria & statuitur mutua Confraternitas inter Cathedralem Atrebatensem & Vedastinam Ecclesias.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, UNIUS VERI AC SUMMI DEI. AMEN.

Cum inter cætera præceptorum Christianæ Religionis summopere commendetur ramus uterque charitatis, Dei videlicet amor & proximi, nisi proximum erigamus, & jumento salutis circumferamus ad exemplum illius Samaritani, non promerebimur gratiam hujus sanctæ dilectionis.

Merito siquidem caritas debet amplecti, quam Divina providentia tantopere commendare studuit.

Hæc namque per legem, per Prophetas mundo prius innotuit. Quam ut altius Dei Filius commendaret, in tempore gratiæ visibilis apparens in Sole tabernaculum suum posuit. Et quoniam caritas ait, *Omni petenti te da*, & viscera caritatis semper carent inopia, nos oportet elaborare petentibus hilariter administrare, prout ratio dictabit & æquitas.

Quare

Quare Ego LAMBERTUS, Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, ſæpe & multum imploratus, ſatisfacere volui dulciſſimis precibus Domni ALOLDI, Venerabilis Abbatis Atrebatenſis Cœnobii de titulo glorioſi Confeſſoris Chriſti Vedaſti, cæterorumque Fratrum ejusdem Eccleſiæ, ut Altaria, quæ perſonaliter tenuerant, firmaremus liberaliter, poſſidenda prædictæ Congregationi.

Unde cum Fidelibus noſtris communicato conſilio, tibi Reverendiſſime Frater, & Fili Abba ALOLDE, tuisque legitimis Succeſſoribus pro peccatorum noſtrorum redemptione, ſine aliqua turpis lucri exactione, ipſa Altaria non ſolum concedimus, verum etiam, qua præſidemus authoritate, liberaliter in perpetuum ea firmamus, ea tamen conditione, ut defunctis Presbyteris illorum locorum, alii idonei ab Abbate ad Epiſcopum deducantur, eisque cura animarum gratis ab Epiſcopo impendatur, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus, & Archidiaconi, Miniſtrorumque ejus.

Præterea promittente Nobis & profitente Abbate, ſicut primogenito filio noſtro, in privatis & publicis negotiis Eccleſiæ noſtræ, & in Capitulo, & extra fideliter & obedienter ſe deſerviturum, ſi vocetur ab Eccleſia.

Hæc autem ſunt nominatim Altaria: *Salgi*, *Florbacs*, *Laventies*, *Felcy*, *Vi*, *Conteban*, *Remchendencourt*, *Aſceel*, *Hadas*, *Mons*, *Novilelle*, *Pabule*, *Baſiliere*, *Bomvillers*, *Guarluſe*, *Fiſcau*, *Bairy*, *Fontenellis*, *Atejas*, *Gaurerle*, *Fuſcariis*, *Bertricurt*, *Bigartu*, *Hambleng*, *Fraſne*, *Noveville*, *Iſer*, *Tenluz*, *Monſlancs*, *Ymencurt*.

Si quis autem poſt hanc noſtram definitionem manu ſacrilega, cui, Deo diſponente, annuimus auferre, vel pecuniam exigere præſumpſerit, dator, & acceptor cum Simone hæretico anathema ſit.

Cujus rei gratia pignus hoc caritatis Nobis recompenſandum reduci volumus ad memoriam, quatenus audito obitu noſtro exequias & triceſimum noſtrum & anniverſarium tam præſentes Fratres & Abbates eorum perpetualiter celebrare procurent. Et quoniam *ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare*, ut a peccatis ſolvantur; rogamus te, Dilectiſſime Fili, & Venerabilis Abba, & omnes Succeſſores tuos in eo, quo es loco & ordine, futuros Abbates, quatenus in caritate Spiritus Sancti, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, quod nobis ſtatuimus fieri, hoc idem fiat ſucceſſoribus noſtris in Atrebatenſi Sede futuris Epiſcopis.

Sane quoniam in deterius deſluunt tempora, nec actiones humanæ poſſunt memorari, niſi per literas, hoc libertatis donativum conſignari libuit præſente pagina.

Quod ut inconvulſum & ſine refractione permaneat, in augmentum firmitatis teſtium ſubſcripſimus nomina.

S. Domni *Claremboldi*, Atrebatenſis Archidiaconi.

S. Domni *Johannis*, Abbatis de monte S. Eligii.

S. Domni *Alberti*, Abbatis Haſnonienſis.

S. Domni *Hamerici*, Abbatis Aquicinenſis.

S. Domni *Rayneri*, Abbatis de Cameraco.

S. Domni *Gaufridi*, Abbatis de novo Caſtello.

S. Domni *Adam*, Abbatis de S. Auberto.

S. Domni *Odonis*, S. Mariæ Præpoſiti.

S. Domni *Guiberti*, Decani.

S. *Anaſtaſii*, Cantoris.

S. *Roberti*, Magiſtri.

S. *Gualteri*, Cuſtodis.

S. *Maſcelini*, Archipresbyteri.

S. *Johannis*, Decani d'Aginville.

S. *Radulphi*, Decani.

S. *Aſconis*, Decani de Bethunia.

S. *Guarneri*, Decani.

S. *Balduini*, Decani de Bapalmis.

S. *Guagonis*, Decani.

S. *Johannis* de Duaco.

S. *Gualteri*, Decani P.P.

S. *Arnulphi* de Lens P.P.

S. *Barnardi*.

S. Domni *Cononis*, de Arida-Gamantia (*) de titulo ſanctæ Trinitatis.

S. Domni *Achardi.*

S. Domni *Drogonis.*

Ego LAMBERTUS, (**) Dei miseratione Atrebatenſis Epiſcopus, hoc libertatis donativum relegi, ſubſcripſi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti propria manu confirmavi.

Actum Atrebati *in Synodo* in Baſilica Beatæ MARIÆ ſemper Virginis Dominæ noſtræ, anno Dei Chriſti M. XC.VIII. Indictione VI. III. Idus Octobris, anno autem Pontificatus Domni LAMBERTI Atrebatenſis Epiſcopi quinto.

Miræus Tom. III. Diplomatum & editione ultima Foppenſi anno 1734. *pag.* 22 & 23.

Ex Archivio Abbatiæ Vedaſtanæ excerpta Synodus.

(*) *Aridagamantia*, hodie dicitur *Aroaſia*, Abbatia Canonicorum Regularium in Diœceſi Atrebatenſi.

(**) LAMBERTUS primus hic fuit Atrebatenſium Epiſcopus proprius, anno 1093 Romæ per Urbanum II. PP. conſecratus, & ſeparatus ab Eccleſia Cameracenſi authoritate Apoſtolica, cui per plura ſæcula conjunctus fuerat; duæ Diœceſes ſub uno Epiſcopo. *Vid. Miræi Diplom. & Spicilegium Domni Lucæ d'Achery.*

SYNODUS ATREBATENSIS
Anno Chriſti MCI. Paſchalis II. PP. II. Henrici IV. Reg. XLV. Imp. XVIII.
Sub eodem LAMBERTO, Atrebatenſium Epiſcopo, CELEBRATA DIE 16 OCTOBRIS.

SUMMA: LAMBERTUS Epiſcopus Odonem Presbyterum & Eremitam Aquarum curtarum Abbatiæ in Arteſia prope Aroaſiam inſtituit & confirmat.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

EGO LAMBERTUS, DEI miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, gaudens de religioſa converſatione & eremitica vita tua, Reverendiſſime Frater & Conpresbyter ODO, deſiderio deſideramus paci & quieti tuæ, tam præſentibus temporibus, quam & futuris providere.

Unde juſtas petitiones tuas & *Balduini* Decani noſtri pio affectu proſequentes, & te, & Succeſſores tuos, religioſe & canonice inibi victuros, hac donamus libertate, ut tantummodo Epiſcopo reſpondeatis, & in manu ejus, in libertate ſpiritus permaneatis.

Eccleſiam itaque illam, quam devotio tua ædificavit in loco ſolitudinis, qui dicitur (*a*) *Ajulcurtis*, tibi & Succeſſoribus tuis in propoſito religionis perſeverantibus, libere poſſidendam con-

(*a*) Ajulcurtis, *Eaucourt* vulgo nuncupant, id eſt, *aquarum curtarum*, primo lapide a Bapalma, via Ambianenſi in Diœceſi Atrebatenſi non procul ab Abbatia Aroaſienſi, ejusque Congregationi olim ſubjectum. Primi incolæ cœnobii Aquarum curtarum fuere Eremitæ. Ex ore Canonici regularis illius loci anno 1628 accepi, ibi nullam reſtare memoriam Odonis Fundatoris, ob monaſterium ſæpe exuſtum a Francis. Abbas *d'Eaucourt* eſt Comes de Courcelles (vulgo *Courcelles le Comte* apud *Eaucourt*) Dominus de *Ligny*, *Walencour* Præpoſitus & Dominus de Meerſſen (ſeu Marſana,) de qua *vide ſupra codic. Donat. Pier. Miræi Cap.* 37 & 97. *Glemmen*, *Beke*, &c.

contradimus, & curam animarum Fratrum tuorum Eremitarum tibi committimus, & decimam agri eidem Ecclesiæ circumjacentis, quam Fratres Eremitæ incolunt, annuimus.

Rogamus ergo in Domino tam præsentes Fratres nostros, quam & successores nostros Episcopos, & sanctorum Canonum authoritate interdicimus, & nostra, ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter hujus nostræ institutionis privilegium infregerit, excommunicationi subjaceat, quoad usque resipuerit, & Ecclesiæ Dei satisfecerit. Fiat, fiat, *a Synodo acclamatum.* (b)

Actum Atrebati in Synodo in Ecclesia B. MARIÆ semper Virginis, anno Dei Christi MCI. Indictione VII. (c) XVII. Kal. Novembr.

Aubertus Miræus inter Diplomata Belgica cap. 4. recusus a Cl. Foppens Bruxellis Tom. I. pag. 169.

(b) Hic inserta sunt & notata testium qua Archidiaconorum, qua Abbatum, qua Præpositorum, Decanorum, Canonicorum, aliorumque nomina.
(c) IX. habet, idque emendate Cl. *Baluzius* Miscellaneorum Tom. V. pag. 389.

SYNODUS CAMERACENSIS

Anno Christi MCXII. Paschalis II. PP. XIII. Henrici V. Reg. VII.

Sub ODONE (*), Cameracensi Episcopo XXXVIII, CELEBRATA DIE 13 MARTII.

SUMMA. ODO Episcopus, Bornhemiensis Abbatiæ fundationem ac dotationem a Wenemaro Castellano Gandensi circa A. 1100 factam, approbat.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. EGO ODO, CAMERACENSIS EPISCOPUS, CUNCTIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM.

Volo notum fieri tam futuris, quam præsentibus, quod WENEMARUS Gandensis Castellanus prævidens sibi & consulens, ob remedium animæ suæ, & suorum omnium fidelium defunctorum, dispergit terrestria, & metat cœlestia.

Terram enim jacentem in Parochia *Bucholt* viginti mensurarum, quæ erant Everboldi Presbyteri, & quatuordecim Admoti, & dimidiam Tredenodi, & mensuram unam, & dimidiam Boltronis, & tertiam partem allodii, quod vocatur *Mulnemerbolt*, in Parochia *Steenbussle*, ab omni exactione laica liberam, Ecclesiæ *Bornhem* (cujus ipse Fundator est) dedit. Eo tamen tenore, ut si aliquid rei inutilis ibidem acciderit discussione dignum, ipse *Wenemarus*, vel suus posterus cum Fratribus quasi Confrater suus, non cum Dominio, non cum potestate ad discussionem ejusdem rei, communi & caritativo consilio sedeat, & ejus rogatu anathematizetur, quicumque posterorum ultra hæc Dominium vel exactionem ullam fuerit ausus facere.

Hoc etiam Ego ODO Episcopus Ecclesiæ autenticavi, & sigilli mei impressione confirmavi. Addidi quoque, ut si quis bona ejusdem Ecclesiæ diripiens, pacem & instituta Ecclesiæ infregerit, gladio anathematis feriatur.

Si quis autem ejusmodi Ecclesiam intrare præsumpserit; Ecclesia a Dominico cesset Officio, donec exierit. Et si tota patria offensis aliquorum inbanniatur, remotis sæcularibus Laicis Ecclesia non cesset, sed sub silentio cantet. Hoc vero Subtersignatorum testimonio corroboravi.

Signum meimet ODONIS Episcopi.

S. *Radulphi*, ejusdem Altaris Archidiaconi.
S. *Anselli*, Archidiaconi.
S. *Theodorici*, Archidiaconi.
S. *Everardi*, Archidiaconi.
S. *Erleboldi*, Præpositi.
S. *Eliboldi*, Decani.

Signa Abbatum.

S. *Gilberti* de Eiham.
S. *Snellardi* de Geraldmont.
S. *Ansboldi* de Gandavo.
S. *Reineri* de sancto Sepulchro.
S. *Gofridi* de novo Castello.
S. *Tregdonis*, Decani ejusdem Altaris.
S. *Segardi*, Decani de Helles.
S. *Riberti*, Decani.
S. *Alexandri*, Decani de Hal.
S. *Bernardi*, Decani de Waisch, & *Fulcardi* fratris sui.
S. *Cunradi*, Decani de Gandavo.
S.S. *Meinardi*, *Tangradi*, *Gommari*.

Actum est hoc Cameraci in Synodo III. Idus Martii, anno Incarnati Verbi MCXII. Præsulatus vero mei VII.

Miræus *recusus a Cl. Foppens inter Donationes Belgicas cap.* 38. *Lovanii a.* 1723. *pag.* 371. De Castillion *in Belgii Chronol. P. II. pag.* 331.

(*) ODO, patria Aurelianensis, Tornacensis Scholasticus, atque Monasterii a S. Martino nuncupati primus, ut narrat de *Castillion* in Sac. Belg. Chronol. P. II. pag. 301, eadem in urbe Abbas (Instauratorem simul nominat Cl. *Foppens* Biblioth. Belg. P. II. pag. 930) ad Infulas Cameracenses anno 1108, vel quod verosimilius est, anno 1105 eligitur, consecratus illico, virgaque & annulo ab Ecclesia instructus. Res illi cum Henrico IV Imp. fuit, a quo, ut ipsemet scribit in libro de *blasphemia in Spiritum S.*, iterato accipere sacra illa Episcoporum insignia noluit. Functiones Episcopales, quas Tornacum reversus libere ubivis exercebat, Cameraci in sede propria non audebat initio, a *Gualtero* MANASSÆ Antecessoris sui æmulo impeditus. Henrico Imp. die 7 Augusti anno 1106 e vivis Leodii erepto, suam quidem ad Ecclesiam deducebatur a Roberto II. Flandriæ Comite, adversus Henricum V. defuncti IV. filium armis felicibus decertante: verum factione Imperatoris urbi adhucdum dominante, coactus discedere ODO, Aquicincti (*Anchim*) quod ejusdem instituti Benedictini cœnobium est, secundo a Duaco lapide situm, exul obiit circa annum 1113 (†) die 19 Junii, ibidemque honorifice tumulatus fuit. Collegii Teneramundani fundationem confirmavit a. 1108, cui altaria *d'Oywyck*, & *de Lebbeke* dedisse ferunt. Parochiam de *Maude* Abbatiæ S. Martini concessit, ut ex redditibus panes egenis distribuerentur. Aldenardæ templum B. MARIÆ anno 1110 consecravit; tandemque anno 1112 Wenemari donationem, de qua hic, approbavit. Vir fuit & scientia & meritis clarissimus. Scripsit Commentarium *in Canonem Missæ*, Dialogum *de mysterio Dominicæ Incarnationis contra* Leonem Judæum, *de peccato originali*, *de Blasphemia in Spiritum S.*, Homiliam *de Villico iniquitatis*, &c. opuscula, de quibus in Tom. XV. Biblioth. PP. edit. Colon.

De vita Odonis nostri & obitu amplam reliquit epistolam *Amandus*, Prior Aquicinctinus, ab *Arn. Raissio* in *Belgica Christiana* editam.

De Castillion cit. & Biblioth. Belg. Cl. Foppens P. II. pag. 930.

(†) Error typi apud Foppens l. c. ubi legitur: *anno* 1119, *aut paulo post.*

SYNO-

SYNODUS HALBERSTADENSIS
Anno Chriſti MCXX. Calliſti II. PP. II. Henrici V. Reg. XV. Imp. X.
Sub REINHARDO, (*) *Halberſtadenſi XV. Epiſcopo,* CELEBRATA DIE 16 APRILIS.

SUMMA. REINHARDUS, *Halberſtadenſis Epiſcopus, inſtituit Canonicos Regulares Eccleſiæ S. Joannis Evangeliſtæ in Caldenborn.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. REINHARDUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ANTISTES HALBERSTADENSIS.

Noverint omnes Fideles, tam futuri, quam preſentes, Virum nobilem WIGMANNUM, cognatum meum, predia ſua, pro remedio anime ſue, nec non dilecte conjugis, omniumque parentum ſuorum, cum omnibus utilitatibus, que modo vel a modo inde provenire poterint, Eccleſie noſtre principali, ad Altare Prothomartiris Steffani contuliſſe, eo videlicet tenore, ut de eodem predio in loco, qui dicitur *Caldenborn*, Apoſtolicam, ſcilicet communem & canonicam vitam, Deo opitulante, inſtituerem. Hec autem tam ſuo, quam earum Provinciarum jure, in quibus hec ſita ſunt, Saxonie ſcilicet & Thuringie, ipſemet ſtabilivit in legitimo placito, ſe comi-

(*) REINHARDUS (Non, ut quidam ſiniſtre, *Reingerus*, nec *Reinerus*,) XV Halberſtadenſis Epiſcopus, ex antiquiſſima, celeberrimaque per Diœceſim Halberſt. familia Comitum *Blanckenburgenſium* oriundus a Leuckfeldio *Antiquit. Halberſtad. pag.* 572 dicitur. Fuit a puero & ſtudiis & ſtatui eccleſiaſtico perquam addictus. Scientias hauſit Lutetiæ Pariſiorum, qua haud procul ab urbe apud patruum ſuum, Hugonem, comitem a locupletato iſtic loci magnifico Canonicorum S. Auguſtini Regularium cœnobio ad S. Victorem, clarum tantiſper moratus fuerat. E Præpoſito Halberſtadenſi, circa annum 1107 eligebatur Epiſcopus, moxque Aprili menſe ejusd. anni *Henricum* ab *Aslo* Magdeburgenſem Archiepiſcopum tunc defunctum, ad tumulum deducebat. Primus in *Chronico* Halberſtad. *Tom.* 2 *Leibnitz. pag.* 130 autor parensque habetur, qui Candidum illum Canonicorum Regul. S. Aug. Ordinem eas in plagas invexerit. Monaſterium *Oſterwicenſe* die 7 Aug. a. 1108 fundavit, translatum a. 1112 in *Hamersleben*, factum veluti inde Monaſteriorum omnium, quotquot ſub ejusd. S. Aug. regula per eos tractus vivebant, Seminarium. A. 1115 cum Lothario Saxoniæ Duce, Friderico Palatino Comite, Rudolpho Marchione, ceterisque fœderatis Henrico V. Imperatori late omnia vaſtanti ſeſe oppoſuit, quem & prælio ad *Catulanam* ſeu *Welfonis* ſilvam die 3 Februarii commiſſo fudit profligavitque, Hoyero Comite Mansfeldio, Cæſareanarum copiarum ductore inter primos occumbente. A. 1120 die 16 Aprilis & dotationem Canoniæ Caltenbornenſis, de qua agimus, probavit, & roboravit privilegia. Fundatio Monaſterii Schœningenſis ejusd. inſtituti eodem anno die 18 Octobris facta; & feſto S. Lucæ Evangeliſtæ anno ſequenti confirmatio. (*Tom. CC. III. a pag.* 279) Obiit Reinhardus die 2 Martii a. 1122, Epiſcopatus 15. atque in eccleſia Cathedrali Halberſt. ante aram S. Crucis quieſcit.

Crantz. *Metropolis Lib. VI. Cap. VI. pag.* 367. Scaten. *Annal. Paderb. L. VII. pag.* 682. *& præ aliis* Leuckfeld. *Antiq. Halberſt. A.* 1107 *ad* 1122 *a pag.* 571 *ad pag.* 610, *qui* citat pag. 606 opuſcul. *Antiquitates Kaltenbornenſes* edit. A. 1713.

comite pro tribunali sedente in *Bodelstede*, me presente, & Comitibus *Ludovico* & *Wigberto*, & utrorum filiis Comitibus, & *Sizzone* & *Berengario*, ceterisque suis conpatriotis. Similiter autem consummata, bannoque ADELBERTI, Moguntini Archiepiscopi, indissolubiliter firmata sunt in *Erphesphorde*, me presente, & Episcopo Spirense BRUNONE, omnibusque supradictis, presentibus quoque suis heredibus, & devote laudantibus, *Egberto* Clerico, *Herimanno* ac *Gunzelino* laicis. Hec sunt predia, in *Neumburgk* & *Chrauerestock* X. mansi & dimidius & vinea, in *Holdenstede* VIII. mansi & vinea, in *Helpede* V. mansi & vinea, in *Erhadesdorp* XI. mansi, in *Sutthardesdorp* II. in *Rouckesdorp* I. in *Panckendorp* III. in *Seeburg* dimidius, in *Rotdesdorp* I. in *Assleue* I. & dimidius, in *Luteckendorp* dimidius, in *Luffdegesdorff* dimidius, in *Dielnia* dimidius, in *Assendorp* I. in *Deusue* XXXVII. in *Ludesleue* XXXIII. mansi, exceptis aliis juribus, que supersunt & unum molendinum, in *Storquice* VII. mansi, in *Zorlitz* XIV. in *Namelickesdorp* XXX. in *Esekendorp* dimidius, in *Querenvorde* dimidius. Hec sita sunt in Episcopatu Halberstadensi & Comitatu Palatini Comitis FRIDERICI: in *Coscebode* VIII. mansi, in *Modeluice* V. in *nova villa* juxta illam VI. in *Dretis* I. in *Droganice* IV. in *Butine* XIV. in *Ruce*, *Schesece* XII. Hi L. mansi siti sunt in pago *Orla*: in *Lengefeld* VII. in *Durnevelt* IX. in alio *Durnevelt* I. in *Ruttdorph* VIII. in *Vurthern* I. in *Taubecke* X. & unum molendinum, in *Suegerstet* V. in *Vranckenhusen* II. *Panstadel*. Hec predia sita sunt in Episcopatu Moguntino in Thuringia. His igitur predictis prediis Ecclesia S. Johannis Evangeliste in *Caldenborn* primitus est dotata. Reliqua vero bonorum cum Clientibus Moguntino & nostre Halberstadensis Ecclesie contradidit, ad eam justitiam, qua meliores earundem Ecclesiarum fruuntur, nec non cognatis & amicis, quibus voluit. Prefate igitur Ecclesie omnimodam statuimus libertatem & quietem, quatenus inibi Deo famulantes a quibuslibet nulla prorsus gravamina patiantur. Decernimus etiam Dei famulis, ibidem regulariter viventibus, liberam electionem, quatenus quemcunque sanioris consilii Fratres de eodem, sive de alio Monasterio ejusdem Ordinis, sedem suam elegerint, Episcopi consensu statuatur. Super hunc ergo locum, & omnia eidem pertinentia, neminem Episcopus Advocatum constituat, nisi quem Prepositus petierit, nec idem preter statutum ab eadem Ecclesia quicquam exigat, nec advocatiam diutius obtineat, quam utilitas Ecclesie postulaverit, & Preposito placuerit. His omnibus, ut dictum est, oblatis, idem Vir nobilis dignius adhuc, immo holocaustum Domino dulcissimum, semetipsum obtulit, relictis, que possedit, omnibus, factus est egenus, egeni discipulus. Si quis igitur contra hoc Decretum, quod absit, temere venire temptaverit, & secundo tertiove commonitus non resipuerit, ipsum perpetuo anathemati deputamus. Ceterum prefato loco justa servantibus, beneficiisque ac defensione adstipulantibus, Divina retributio recompenset, ac celestis benedictio in presenti & futuro multiplicet. Amen. Hoc Statutum auctoritate Beati PETRI, Apostolorum Principis, & Domini Papæ CALIXTI, sicut ipse ante nos suo banno & privilegio Rhemensi stabilivit Concilio, & Nos stabilimus, ac nullo modo mutandum sub anathemate obligamus. Hanc vero cartam jam conscriptam Ego REINHARDUS manu propria corroboravi, meoque sigillo insigniri jussi. Data XVI. Kal. Maji, anno Dominice Incarnationis M. C. XX. Indictione XIII. anno autem Ordinationis Domini Episcopi REINHARDI XIV. Actum in Halberstad, *pleno Concilio*, *in Cœna Domini*, Papa CALIXTO II. Moguntino Archiepiscopo & Romane Sedis Legatu ADELBERTO, Halberstadensi Episcopo REINHARDO, primo Preposito DITMARO, & primo Advocato WIGBERTO, feliciter. Amen.

EJUS-

EJUSDEM SYNODI CONTINUATIO.

SUMMA. *Agitur de Præposito Caldenbornensis Ecclesiæ, cujus jurisdictio & facultates variæ declarantur.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.
REINHARDUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ANTISTES HALBERSTADENSIS.

Notum esse volumus universis Christi fidelibus, tam presentis temporis, quam futuri, Virum nobilem Deo devotum WIGMANNUM Comitem, cognatum meum, predia sue proprietatis, pro remedio anime sue, nec non & dilecte conjugis KONEGUNDIS, & patris sui BERNONIS Comitis, nec non & matris ejus ADELHEIDIS, omniumque parentum suorum, cum omnibus utilitatibus, que modo vel omnimodo inde provenire poterunt, Ecclesie nostre principali ad Altare Prothomartiris Steffani contulisse, eo videlicet tenore, ut de eisdem prediis in loco, qui dicitur *Caldenborn*, Apostolicam scilicet communem & canonicam vitam, Deo opitulante, instituеremus. Hec autem, quo jure stabiliverit, & in quibus sita sint locis, in aliis privilegiis plenius expressimus. In loco igitur memorato Canonicos Regulares instituimus, & ne, pro defectu Pastoris, inposterum universalis confusio inter eos nascatur, statuimus, ut secundum Statuta Canonum, de ipsa Ecclesia, vel de alia, si in ea non reperiatur idoneus, eligatur talis in Prepositum, qui non solum de animarum salute, verum etiam de extrinseca utilitate & cautela, sciat esse solicitus, qui etiam ex officio suscepto, non licentiam peccandi, sed necessitatem bene vivendi, se noverit assecutum, & ex tunc, non ex locorum vel generis excellentia, sed morum nobilitate innotescere debet, nec urbium dignitate, sed fidei puritate. Considerata itaque rationis equitate, laudabile desiderium cognati mei *Wigmanni* Comitis approbantes, ob honorem Domini mei JESU CHRISTI, cui omnia dedit Pater in manus, qui pro nostra salute pendens in cruce Matrem Discipulo, Patrono Caldenbornensis Ecclesie Venerabili, commendabat, qui sibi commissam accepit in sua, quasi matrem filius, & pro reverentia ejusdem Discipuli, jam dictam Ecclesiam & personas, Domino DEO, sanctoque JOHANNI famulantes in ipsa, semper in quibuscunque possumus, reverentius cupimus honorare, memoratam Ecclesiam in partem solicitudinis nostre trahentes, de consensu totius Capituli Halberstadensis Ecclesie, spirituali beneficio indulgemus eidem Ecclesie jurisdictionem per totum Archidiaconatum, quem limitem hactenus habuit, & semper eundem habere debet legitimum in *Wangen*, in *Unstrutb*, in ulteriori *Helmana*, & in *Lina*, & in fovea *Walbausen*, in fluvio *Wippere*, in *Willerbecke*, in *Horenberg*, in *Upbausen*, in *Widenbecke*, in *Kuckenburg*, eo specialiter annexo, ut baptismales Ecclesie & Capelle, si forte ipsarum limites ultra loca prescripta extendantur, in nullo priorum terminorum & reddituum diminutionem patiantur, sed in sua terminatione cum villis, silvis, agris, pratis, sicut hactenus limitate fuerint, consistant. Insuper statuimus, ut Prepositus Caldenbornensis de cetero, vice nostra & Successorum nostrorum, *Sinodo* presit, & quecunque terminanda occurrerint, ejus auctoritate decidantur, & tam in Capellis, quam in baptismalibus Ecclesiis jam constructis, vel in futurum, pro quacunque hominum oportunitate, in supradictis terminis ad laudem Dei de novo fundandis, quecunque juxta Canonum institutiones visa fuerint, ordinare atque disponere, habeat liberam, ex nostre auctoritatis permissione, licentiam, & ubi commodius atque utilius esse perspexerit, exequi visitationis officium, & que correctione & reformatione tam Laicorum, quam Clericorum sint digna, nulla valeat consuetudo impedire, plenamque

que poteſtatem ligandi atque ſolvendi, preter generale interdictum, quod Nobis, noſtrisque Succeſſoribus reſervamus, ipſi, ſuisque Succeſſoribus concedimus, quatinus ſollicita prudentique cura diſponatur, ut Divina Miſteria, Domino preſtante, in omnibus Eccleſiis ſui Archidiaconatus devotiſſime peragantur, & qui reperti fuerint inobedientes, Divinis legibus aut excommunicati fuerint, tam pecuniaria pœnâ, quam cenſura Eccleſiaſtica, ad emendationem compellantur, non tamen ex voto ultionis & odio perſequentis. Et milites, *qui annuatim bis ad Sinodum majorem Halberſtad. vel Caldenbornenſem venire contempſerint*, tanquam putridum membrum ab Eccleſia precidantur, uſque ad condignam ſatisfactionem, & ſi in extremis Corpore & Sanguine Domini non fuerint paſti, nec Oleo perunƈti, Sacerdotes ipſorum pro tali negligentia non punientur, ſed ipſi defunƈti aſininam ſepulturam habeant, & communione ſanƈte Matris Eccleſie careant. Preterea Prepoſitus attentius populo Dei tales eligat & preficiat & inſtituat Presbiteros, qui ſacris literis ſemper inſiſtant, nec tunc querant diſcere cum ex officio alios debent docere verbo pariter & exemplo, ſed qui canendis Pſalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam & corpus Deo auƈtore conſervent, & munde traƈtent mundi mundatorem, ſemper parati reddere rationem Omnipotenti Deo, pro animabus ſibi commiſſis, & tot Confeſſores Deum timentes, habentes ſcientiam diſcernentis intra lepram & lepram, ipſis Sacerdotibus preficiat, quod propter locorum diſtantiam viderit expedire. Ceterum conſilio multorum exquiſito decernimus, ut in obitu cujuscunque Sacerdotis, ante omnem debitorum ſolutionem, *Sinodalia, ſcilicet Equus melior, ſella, frenum, veſtes decentiores in feſtis ſuperpellitium*, pro remedio anime ſue, in teſtamentum omnimodo, *ſicut haƈtenus, Archidiacono exhibeantur*, ut in parte Sanƈtorum, quorum vicem gerebant ad horam in terris, aggregentur in cœlis, & pro hac meritorum prerogativa, & aliis bonis, que opitulante Domino fecerunt, pervenire mereantur ad ſocietatem Angelorum, & eis generaliter unus inſtituatur dies, quo in Vigiliis & Miſſa animarum ipſorum anniverſarius ſpecialiter celebretur. Verum, ne forte cum ſaluti aliorum intendimus, propriam negligamus, innoteſcimus univerſis, quod Nos ſepe diƈte Eccleſie Caldenbornenſi ſex manſos & ſilvam unam in *Rieſtede* devotiſſime contulimus, inſuper & decimam in villa *Erwinesroda*, ad Hoſpitale, quod Nos fundavimus in *Caldenborn*, tali conditionis argumento dedimus, quatenus ex ipſa annuatim in noſtro anniverſario fratribus celebrius miniſtretur, & pauperes plus ſolito recreentur. Quicquid etiam ex eruncatis fruteƈtis innovalia redegerint, omnem decimam inde provenientem juris ipſius Eccleſie eſſe conceſſimus. Eccleſias autem ſitas in pago *Urla*, in *Lodesleben*, in *Duſne*, in *Osneze*, cum omnibus ſuis attinentiis, a *Wichmanno* Comite ſibi collatas, ſeu alias, quas in futurum, largitione Regum, vel Pontificum, ſeu Principum, vel aliorum Nobilium, ſeu quorumcunque Fidelium donatione, Caldenbornenſem Eccleſiam adipiſci contigerit, dum vacaverint, Prepoſitus in ſuos redigat uſus, & ibidem Sacerdotes de ſuo Collegio inſtituat, & quod inſtitui poſſint & debeant. Auƈtoritate multarum Decretalium eis noſcitur indultum, quod etiam patet ex hoc, quia communis eſt benediƈtio Monachorum & Canonicorum Regularium & Clericorum, & ſicut in benediƈtione communem nanſciſcuntur poteſtatem, ita in inſtitutione communiter aſſequuntur pietatis executionem, nullumque fit divortium in ſanƈta Eccleſia ex eo, quod quidam, ut Monachi & Regulares Canonici, ſub imperio Jesu Christi propenſius militant. Nec eis prejudicare debet Religio, ſed potius ex ſanƈta converſatione ſua, ea que ad Sacerdotis officia pertinent, vel populi provide ac juſte agere debent, ipſoque jure & noſtre diſpenſationis auƈtoritate, habeant poteſtatem gubernandi populum, & Baptiſmum & predicationem & alia Chriſti Sacramenta miniſtrandi, ut in executione Sacerdotalis Officii nullam patiantur diminutionem, & in Eccleſiis, quibus aliter providendum

dum duxerit, propter nimiam locorum diſtantiam, ſicut honeſtius & utilius viſum fuerit, quos voluerit, inſtituat, eidemque Prepoſito, vel ab eo miſſis, etiam abſente Advocato, de omni cauſa in foro Eccleſiaſtico debet reſponderi, & de qualibet Capella, ſive Parochia, que ex inſtitutione Predeceſſoris noſtri, felicis memorie, BURCHARDI, quindecim habet jugera indecimata, ſingulis annis ipſi Archidiacono duo denarii exhibeantur, qui ad concinnanda luminaria majoris Eccleſie in feſto Luce Cuſtodi in Halberſtadt repreſententur. Quecunque etiam predia in preſentiarum poſſidet, vel inpoſterum, Deo propitiante, juſto titulo adipiſci poterit Eccleſia ſepedicta, ea banno noſtro ſtabilimus. Hanc igitur noſtre inſtitutionis paginam perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua refragatione, ſervare conſtituimus, nec a quoquam Pontificum eam qualibet occaſione convelli decernimus, vel mutari. Quod ſi qua Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, inſtinctu Diaboli, contra hoc noſtrum *Statutum, Sinodali ſententia promulgatum*, venire temptaverit, & Eccleſiam ſancti Johannis Apoſtoli & Evangeliſte, ſua preſumtione, aut quolibet ingenio confundere & perturbare, preſumſerit, & noſtre ſententie temerator extiterit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non reſurgunt in judicio, deputetur, Omnipotentis contra ſe iram ſentiat & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in hac vita & in futura, furorem ſentiat, orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei contraria, & omnium Sanctorum merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant. Obſervatores autem hujus noſtre inſtitutionis Omnipotentis DEI gratia protegat, & auctoritas beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Johannis Evangeliſte ab omni peccatorum vinculis abſolvat. Acta ſunt hec anno ab Incarnatione Domini M.C.XX. Indictione XIII. Concurrente IV. Epacta XVIII. Decennovenali Ciclo XIX. preſidente ſancte Romane Eccleſie Papa CALIXTO ſecundo, Moguntino Archiepiſcopo & Romane Sedis Legato ADELBERTO, Magdeburgenſi Archiepiſcopo ROCKERO, anno autem Ordinationis noſtre XIV. Datum in Halberſtadt, per manum *Peregrini*, Protonotarii noſtri, *pleno Concilio XVI. Kalend. Maji.* Coram hiis teſtibus: *Ottone* majore Prepoſito, *Hermanno* Decano, *Baldewino* Cuſtode, *Henrico* Scholaſtico, *Conrado* Camerario, *Rodolpho* Vicedomino & Prepoſito in Conradesburg, & Prepoſito ad ſanctum Bonifacium, *Elverico* Prepoſito ſancti Pauli, *Martino* Abbate in Ilſeneburg, *Milone* Abbate in Wimeneburg, *Gerhardo* Prepoſito in Hademersleve, *Gerhardo* Prepoſito ſancti Johannis Baptiſte in Halberſtad, *Tithmaro* primo Prepoſito in Caldenborn. Ex Laicorum quoque ordine *Lothario* Duce Saxonum, *Conrado* Duce Francorum orientalium, Palatino Comite *Friderico*, *Alberto* Comite de Ballenſtedt, *Annone* de Arnſtede, *Burchardo* de Valckenſtein, *Burchardo* de Quernforde, *Milone* de Vrackenleve, *Eſicone* de Bornſtede, *Brunone* de Hackenborn, *Eicone* de Meringen, *Burchardo* de Haſelendorff, *Hermanno* de Widesdorff, *Widekino* de Wegeleven, & aliis quam pluribus, tum Clericis, tum Laicis.

Exemplar, niſi me fallo, tranſmiſit Cl. D. AB ERATH, *Conſil. Naſſovico-Dillenburgenſis, Vir in regno, non animis Literatorum a.* 1773 *extinctus,*
felix ingenio, clarus ſcientia:
ſi & Fide noſter;
clarior multo, multo felicior.



SYNODUS MOGUNTINA

Anno Chrifti MCXXIV. Honorii II. PP. I. Henrici V. Reg. XIX. Imp. XIV.

ab ADALBERTO, (*) *Archiepifcopo XXV & Electore IX Moguntino,*

HABITA.

Veftigia hujus Synodi reperire eft Tom. CC. III. pag. 298. Joannis *ad* Schmidii *Differtat. de CC. Mogunt. Tomo novo Scriptor, Mogunt. pag.* 293. tradit de eadem Synodo feqq.

" Anno MCXXIV Moguntiæ ab " ADALBERTO I habitum " (Concilium). Quod cum omnes " alii, quod fciam, prætereant, nobis " memorat *Gebhardus* Comes Henneber- " genfis, *Ruggeri* in Epifcopatu Herbi- " polenfi obtinendo æmulus, quippe " qui in litteris, quas in codice epifto- " lari *Udalrici Babenbergenfis* n. CCCXXXV " reperire eft, col. 347 *Iterum*, inquit, " *Archiepifcopum adii ipfius confilio*, Conci- " lio, *quod in Moguntina Ecclefia tunc tem-* " *poris habuit, me una cum Eiftetenfi Electo* " *præfentavi, petens mifericordiam vel jufti-* " *tiam, & omnem obedientiam me ei &* " *Moguntinæ Ecclefiæ femper exhibuiffe ipfius* " *teftimonio in Synodo comprobavi. Om-* " *nium igitur fuffragiis pro me pulfantibus,* " *me de Epifcopali Confecratione certum fecit,* " *& diem Confecrationis & locum mihi* " *conftituit; ad quem veni & nihil profeci.*

" Quod autem anno MCXXIV " habitum fit, inde patet, quod *Geb-* " *hardus* diftincte narret, celebratum " effe, poftquam *Henricus V.* præfente " Cardinale *Prænestino*, Wormatiæ Co- " mitia habuerit; ante vero, quam fe- " rias ille Argentorati peregerit nata- " litias. Notum autem, quod anno " MCXXIV *circa mediam Quadragefimam* " illa Wormatiæ celebrarit, has vero " eodem hoc anno in Alfatis Argento- " rati. Teftantur id fane, præter alios, " *Annalifta Saxo & Abbas Urfpergenfis.* " *Ille* quidem *illud* ad h. a. col. 653, *hic* " ad h. a. p. 282; *Hoc* vero *ille* col. 655, " *hic* p. 283. Nec obftat, quod poftre- " mum hoc ad annum MCXXV refe- " rant. Cum enim uterque annum, " temporum illorum more, a luce " Chrifti incunabulis facra aufpicetur, " patet omnino *Henricum* feftum Chrifti " Servatoris e Virgine nafcentis me- " moriam, fecundum calculum nobis " hodie ufitatum, anno MCXXIV Ar- " gentorati recoluiffe."

(*) ADALBERTUS (aliis *Adelbertus*, *Albertus*, *Adalbero*) Saræpontanus e Lotharingiæ ortus Principibus, Henrico V Cæfari ita in amoribus erat, ut non modo Cancellarii fui, & primi inter primos præcordialis, (refert C. 14 L. 7 *Otho Frifingenfis*) Confiliarii eum dignitate ornaverit; verum etiam Moguntiæ in celebri Epifcoporum ac Principum congreffu Sedi illi ab Ruthardi obitu vacanti, a. 1111 impofuerit Archiepifcopum. Ifta, ut ut firma, inter eos amicitia haud diu ftetit. Adalbertus enim, quo oftenderet (verba funt Schateni *Annal. Paderb. L.* 7 *pag.* 683) alium oportere fe Epifcopum in Ecclefia Dei, quam Cancellarium agere in aula Cæfaris, cum Concilio (*Lateranenfi*) & Pafchali II Pontifice, Henrico inveftituras *per annulum & baculum,* non fine gravi jurium ecclefiafticorum vulnere fibi arroganti, intrepide fe oppofuit, in carcerem ideo, graviffimasque miferias a. 1112 ab irato Cæfare conjectus, donec cives Moguntini facta in Cæfarem tunc Moguntiæ præfentem feditione, eum repetierint; & fame confectum, umbræque hominis, quam homini fimiliorem incredibili cum lætitia a. 1115 exceperint. Affertus in libertatem, iter Coloniam, vetante licet Imperatore, inftituit, ubi a S. Ottone Bambergenfi Epifcopo feftis Chrifti natalitiis, juxta *Dodechinum* ipfo S. Stephani Protomartyris fefto a. 1116 confecratus fuit, confecrandus ab Apoftolicæ

Sedis

Sedis Legato Cardinale Theodorico, (al. *Dieterico*) nisi hunc in itinere mors obruisset. Tueri interim orthodoxorum partes gnaviter perrexit Moguntinus. Anno 1118 & in Synodo quam sacris Rogationum diebus Coloniæ celebrem habuit Cuno, Prænestinus Episcopus, Gelasii II Papæ Legatus, Imperatorem e cœtu Catholicorum proscripsit; & in altera ab eodem Cunone Fridslariam convocata, sententiam anathematis in Henricum Imp. & ejus idolum Mauritium Burdinum, Bracarensem Archiepiscopum, intrusum sub nomine *Gregorii VIII.* Pseudopontificem, repetitam confirmavit. Anno 1119 in Synodo Remensi, quo septem secum Episcopos, globo quingentorum militum stipatus, e Germania adduxerat, tam gravibus una cum Friderico Colon. & Conrado Salisburg. Archiepiscopis, contra Cæsarem querelis invehebatur, ut qui præsto ipse aderat, Papa Callistus II, parem anathematis sententiam, de qua mox, publice pronunciaverit. Anno 1120 Legati Apostolici munere functus est in Saxonia, & vacantibus illic Cathedris Pastores canonice electos, & ab se consecratos dedit. Anno 1121 adversus eundem Imp. Henricum, in obsidionem Moguntiæ ac ruinam intentum, omnem excitavit Saxoniam, atque ad defensionem totius Germaniæ Metropolis, animos omnium, catholicam obedientiam profitentium, accendit. Anno 1122, cum Erlongi Herbipolensis Episcopi Successorem Cæsar nominasset Gebehardum nobilem quidem, sed oppido juvenem, vix scholis egressum, adeoque tanto imparem oneri adolescentem; Clerus contra Ruggerum, virum maturi judicii, & suo in Collegio enutritum delegisset: hunc præ illo consecravit Adelbertus, sibique rursus ab Imperatore metuens, Aschaffenburgum, castrum a rivo alluente *Aschaff* dictum, probe celerique conatu munivit. Fuit porro hic annus felicior opinione complurium ac lætior: nam, Deo cor Regis immutante, bellum ipsos 50 in annos protractum pax & optata Ecclesiam inter & Imperium concordia excepit. (*Videsis Tom. CC. III. a pag.* 284.) Multa postmodum egit Adelbertus pro Gebehardi ad Cathedram Herbipolensem promotione, quem nihilominus cum Innocentio II P. M. sentiens rejecit: multa pro Spirensibus, quos Lotharii urbem dura obsidione prementis in gratiam restituit: multa pro civibus suis Moguntinis, quorum pietatem ac beneficia in se captivum collata privilegiis a. 1135 remunerari studuit. Obiit die 23 Junii a. Ch. 1137, Episcopatus 27, excelsi Vir animi, & præclare de Religione, de Imperio, de Lothario meritus. Jacet in Erbacensi Monasterio, quod hortante potissimum S. Bernardo exstruxerat, sepultus.

Serarius *Rer. Mogunt. Lib. V.* & Schaten. *Annal. Paderb. P. I. Lib. VII.* & alii.

SYNODUS TORNACENSIS

Anno Christi MCXXXV. Innocentii II. PP. VI. Lotharii Reg. XI.

Sub SIMONE, (*) *Tornaci & Noviomi Episcopo,*

CELEBRATA

DIE 12 MARTII.

SUMMA. *SIMON, Sedium unitarum Tornaci & Noviomi postremus Episcopus, constituit Canonicos Tornacenses ad personalem Residentiam sub jurejurando teneri.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

Propheta David per præscientiam Divini Spiritus intuens, quomodo fraterna cohabitatio statum Ecclesiæ conservat incolumem: quasi de animi

ratione & gaudio interiori prorumpit in laudem: *Ecce*, inquiens (*a*), *quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Quod enim plerumque dispositione fratrum Ecclesia desolatur, *Jeremias* (*b*) in eodem Spiritu conqueritur, dum, *sedere solam civitatem plenam populo*, *factam esse quasi viduam Dominam gentium*, lamentatur.

Sane hæc desolatio temporibus nostris non vastitate hostili, sed ambitione reprehensibili videtur fieri: dum qui *quærunt*, *quæ sua sunt*, *non quæ JESU CHRISTI*, alibi titulos Canonicorum suscipiunt, & alibi mansiones sibi constituunt.

Cujus rei periculum Ego SIMON, Dei gratia Tornacensis Ecclesiæ Minister, considerans ad nostrum spectare officium, monitus prece Fratrum & Abbatum consilio, illa qua fungor ordinante Domino Pontificis authoritate decerno, ut a die ista & deinceps neminem in Canonicum Tornacensis Ecclesiæ recipiat, nisi stabilitatem ejusdem loci, quamdiu Præbendam tenere voluerit, jurejurando promittat. Quod si transgressor hujus privilegii postea ad commanendum alias migraverit, Præbendæ suæ abrenuntiasse judicetur, & aliquando redeunti ad eam nullus aditus aperiatur.

Illud etiam præcipimus tam præsentibus, quam futuris Ecclesiæ nostræ Filiis, ut in fraternitatem suam neminem admittant, nisi prius juraverit in Conventu Fratrum, propter illud beneficium obtinendum, nec per interpositam personam aliquid muneris esse datum vel promissum.

Hoc igitur remedium Constitutionis nostræ, quo & præsentibus Fratribus succurrere, & futuris cogitamus occurrere, ut ratum & illibatum apud præsentes & posteros permaneat, literis annotavimus, sigillo nostro munivimus, transgressores perpetuo, nisi resipuerint, anathemate damnamus.

Signum *Goteri* Decani.
S. *Theodorici* Custodis.
S. *Hugonis* Cancellarii.
S. *Gualteri* Cantoris.
S. *Mainardi.*
S. *Gerrici.*
S. *Movini.*
S. *Letberti.*
S. *Balduini.*
S. *Heribrandi.*

S.

(*) Erat SIMON Hugonis magni Viromandiæ Comitis filius, Ludovico Crasso Franciæ Regi consanguineus, atque Carolo bono Flandriæ Comiti affinis. Eum, licet suscipiendis Sacerdotii Ordinibus, infulisque capessendis necdum per ætatem esset idoneus, præproperis tamen Noviomensium suffragiis Lamberto suffectum, Tornacenses, frustra, quod noverant, reluctaturi, Episcopum a. 1121 admiserunt: quem Radulphus, Remensium Archiepiscopus, obtenta Pontificis licentia, a. 1123 & Sacerdotem & Episcopum consecravit. Novus Antistes a. 1126 erexit Abbatiam S. Medardi, & Ogerum Montis S. Eligii Canonicum ei Abbatem præfecit. Eodem anno reditus fundavit in Ecclesia Tornacensi annuos, quas Canonico, qui Nosocomium B. MARIÆ a. 1112 fundatum administraret, pro pensione assignavit. Corpus Caroli boni Flandriæ Comitis levavit a. 1127 atque ex Ecclesia S. Christophori ad S. Donatiani transtulit. Corpus etiam S. Piati Seclinii in novam thecam reposuit a. 1143. Anno autem 1146, Ludovico VII regnante, Tornacensis Ecclesia, quæ per annos circiter sexcentos sub uno eodemque cum Noviomensibus Pastore steterat, felicibus S. Bernardi Clarævall. Abb. officiis, proprium ab Eugenio III P. M. recepit Episcopum, *Anselmum* nomine, datis Viterbi literis nono Kal. Aug. Indictione IX, (†) Pontif. D. Papæ a. II. Consensit eam in rem Simon, qui iter ad terram sanctam cum Theodorico Comite ingressus, obiit Seleuciæ in Asia a. 1148. Annuam defuncti Præsulis memoriam recolit Ecclesia Tornacensis & Abbatia S. Medardi ad diem 10 Februarii.

De Castillion Sacr. Belg. Chronol. P. II. pag. 403, & *Summa Statut. Synod. Tornac. Jac. le Groux edit. Insul. typis J. B. Brovellis* 1726.

(†) Jam citatus de Castillion erravit scribendo; *Romæ*, *octavo* Kal. & Indictione *XIX*.

(*a*) Psalm. 132. (*b*) Jeremias Threni c. 1.

S. *Absolonis* Abbatis. (c)
S. *Herimanni* Abbatis. (d)
S. *Ogeri* Abbatis. (e)
S. *Everardi* Abbatis S. Bavonis. (f)
S. *Theodorici* Abbatis S. Eligii. (g)
S. *Leonis* Abbatis Lobiensis.

Actum in Tornacensi Synodo anno ab Incarnatione Domini MCXXXV. IV. Idus Martii.

Miræus editione Foppens Tom. II. seu Supplementi Parte II. pag. 965. Bruxellis recusus a. 1723. Lovanii.

(c) Absolon, Abbas S. Amandi seu Elnonensis, post obitum Episcopi Arnonis postulatus primus Episcopus Tornacensium: rebus nondum confectis obiit a. 1145.
(d) Herimannus, Abbas Monasterii S. Martini in civitate Tornacensi.
(e) Ogerus, Abbas S. Medardi, nunc S. Nicolai de Pratis Tornaci.
(f) Everardus, Abbas S. Bavonis, olim Abbatiæ Benedictinæ Gandavi, nunc est Collegium Canonicorum.
(g) Theodoricus, Abbas S. Eligii Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini in urbe Noviomensi.

SYNODUS ATREBATENSIS

Anno Christi MCXXXVIII. Innocentii II. PP. IX. Conradi III. Reg. I.

Sub ALVISO, (*) Atrebatensi Episcopo, CELEBRATA DIE 27 SEPTEMBRIS.

SUMMA. *ALVISUS, Atrebatensis Episcopus, amotis Clericis sæcularibus, Regulares Canonicos instituit ex Ordine S. Augustini in Abbatia S. Amandi Mareolensi (vulgo* Marœul) *suæ Diœcesis.*

Quoniam Divinæ jussionis censura & Pastoralis solicitudinis cura permovemur &c. Eapropter beati *Amandi de Mareolio* Ecclesiam omni fere Religionis vigore destitutam, & inhabitantium Clericorum insolentia domus Dei vigore calcato pessumdatam, in Religionis statum & decorem debitum reformare curantes, Clericos Regulares in eam constituimus, Sæcularibus abjectis, ut secundum Instituta *B. Augustini* sine intermissione Deo deserviant; & pro Atrebatensium Episcoporum salute, omniumque Fidelium remissione debita vota persolvant.

Nos igitur carissime Frater BALDUINE, ibidem Deo authore Abbas constitute, paci & tranquillitati tuæ providere volentes, eandem Ecclesiam & ipsius custodiam, & omnia, quæ antiquitatis jure eidem Ecclesiæ attinere noscuntur, tibi, Successoribus-

(*) ALVISUS sive ALUISIUS, genere Flander, in Bertinensi Cœnobio Religiosus, inde in B. Vedasti Prior, postmodum Abbas Aquicinctensis, sacratur Episcopus Atrebatensis a. 1131, quo consecrationi Ecclesiæ majoris apud Bruxellenses Xenodochii interfuit. Dotavit a. 1141 Abbatiam Canonicorum Regularium Ord. Præmonstrat. quæ *Castellum* dicitur prope *Mortaniam*. Ejusdem quoque Ordinis Abbatiam Viconiensem prope Valencenas fundavit, in expeditione Hierosolymitana sub id temporis celebratissima extinctus a. 1148 & Philippis in Macedonia sepultus.

Hæc ex Sac. Belgii Chronolog. Castillionii P. II. pag. 364.

que tuis possidenda perpetuo concedimus.

Addimus etiam huic libertati mansum, qui dicitur Episcopalis, & redditus XII. curtiliorum &c......

Ut autem hujus nostræ institutionis pagina sigilli nostri impressione roborata, firma & inconvulsa perenniter maneat, fidelium testium præsentiam annotare curavimus.

Signum Domini *Hugonis*, Atrebatensis Archidiaconi.
Signum Domini *Roberti*, Ostrevandensis Archidiaconi.
Signum Domini *Petri*, Præpositi.
Signum Domini *Nicolai*, Decani.
Signum Domini *Thomæ*, Cantoris.
Signum Domini *Basilii*, Canonici & Presbyteri.
Signum Domini *Roberti*, filii *Theobaldi*, Canonici & Subdiaconi.
Signum Domini *Gozuini*, Aquisinensis Abbatis.
Signum Domini *Absalonis*, Abbatis S. Amandi.
Signum Domini *Hugonis*, Hasnoniensis Abbatis.
Signum *Ursionis*, Abbatis S. Dyonisii Remensis.
Signum Domini *Hugonis*, Abbatis S. Martini de Henin.

Ego ALVISUS, Dei miseratione Atrebatensis Episcopus, hoc libertatis donativum relegi, subscripsi, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti propria manu confirmavi.

Actum Atrebati in Synodo, in Basilica B. MARIÆ semper Virginis Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi M. C. XXXVIII. Indictione V. Kal. Octobris, anno autem Pontificatus Domini ALVISI Atrebatensis Episcopi VIII.

Foppens Tom. III. novæ Collectionis Diplomatum Parte II. pag. 330.

SYNODUS TERVANENSIS *Morinorum*
Anno Christi MCXLIV. Lucii II. PP. I. Conradi III. Reg. VII.
Sub MILONE, (*) *Morinensis Ecclesiæ Episcopo*, CELEBRATA.

SUMMA. MILO Episcopus, fundatum a Balduino, Ardensi Toparcha Canonicorum sæcularium Collegium per avum suum Arnulphum vertit in Canonicorum Regularium Ord. Præmonstrat. Abbatiam.

UNIVERSÆ SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ FILIIS BALDUINUS DEI PERMISSIONE HERES ET DOMINUS ARDEÆ, ECCLESIÆQUE S. AUDOMARI ARDENSIS DICTUS PRÆPOSITUS, SALUTEM IN PERPETUUM.

Quod ad cultum Dei & ad reverentiorem sanctæ Dei Ecclesiæ honorem convenire dignoscitur, omnimode executioni, in quantum sufficimus, promovere necessarium duximus & saluberrimum.

Unde cum Præpositura (**) Ardensis Ecclesiæ Nobis hereditario jure successit habenda; hinc Clericorum seu Canonicorum in eadem Ecclesia servientium considerantes negligentiam, hinc periculum, & æternum animæ pensantes excidium, eo quod Præpositura Ecclesiastica dispensanda & manu laicali disponenda (nisi Nos vani docuere Parentes) salutifere Nobis nullatenus

latenus accidere queat, quædam altiora ſuper Ardenſis Eccleſiæ ſtatu, altiore conſilio, deſtinavimus.

Accepto itaque ſuper ejusdem ordinatione Eccleſiæ Divino reſponſo, ſanoque conſilio a Domino MILONE, Morinenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & Abbatibus, & multis Eccleſiaſticis perſonis, & laicalibus Ardenſis oppidi, paribus & veteranis Morinenſis Eccleſiæ, non minus quam Ardenſi Capitulo annuente & benivolum aſſenſum præbente, conceſſimus, & in quietam poſſeſſionem dedimus Venerabili Abbati THEODORICO & Monachis S. MARIÆ *de Capella*, in villa antiquo nomine *Brugnam* dicta degentibus, & eorum Succeſſoribus, omnia jura, omnesque dignitates, quæ in Eccleſia S. Audomari Ardenſis Nobis hereditario jure ſucceſſerunt, totamque eandem Eccleſiam cum univerſis ejusdem Eccleſiæ rebus & poſſeſſionibus, & appendiciis, & pertinentiis perpetuo jure poſſidendis.

Hoc addito, quod mortuo uno jam dictæ Eccleſiæ Clerico, ſeu Canonico, ſuccedet ei Monachus, ſicque omnibus mortuis Canonicis, Monachi ſuccedent in locum Canonicorum, & libere obtinebunt Eccleſiam, & quodcunque demum Abbati placuerit, Monachi, in diſpoſitione Abbatis Eccleſiæ & poſſeſſiones Eccleſiæ diſpenſabunt.

Ut autem hæc donatio tractu temporis minime patiatur recidivam, nulliusque poſſit malitia vel odio turbari, moleſtari vel infirmari, præſentem chartam ſcribi, & teſtibus roborari, & ſigilli noſtri appenſione communiri fecimus, & Tervanæ, Remisque urbibus, & Romæ confirmandam miſimus, hujusque rei teſtes ſunt:

Dominus MILO, Morinenſis Epiſcopus, Præmonſtratenſis Ordinis Canonicus.
Philippus & *Arnulphus*, Archidiaconi, totumque Morinenſis Eccleſiæ Capitulum.
Dominus *Leo*, Abbas S. Bertini.
Dominus *Gufridus*, Abbas Andriæ.
Dominus *Henricus*, Abbas de Liskia.
Balduinus Mondulphus, Decanus.
Arnolphus, Cantor.
Magiſter *Richardus*, *Euſtachius* & *Robertus*, Canonici, totumque ejusdem Ardenſis videlicet Eccleſiæ Capitulum.
Hugo & *Bernardus* de Wiſſo de Bramis, Presbyteri.
Theodoricus, Comes Flandriæ, & *Philippus* & *Matthæus*, filii ejus.
Arnulphus, etiam Giſnenſis Comes, & *Balduinus*, filius ejus.

Arnul-

(*) MILO ex Eremita Abbas cœnobii Præmonſtratenſis, in quod eremum ſuam converterat, Morinorum (*a*) renuntiatur a. 1130 Epiſcopus, communibus Canonicorum ſuffragiis, qui contra electionem *Balduini* fratris Theodorici Comitis, Tervanenſibus a civibus peractam reclamaverant. Sacris porro Epiſcopalibus die 15 Febr. a. 1131 eſt initiatus, moxque anno inſequente Præmonſtratenſium monaſterium juxta Tervanam (*b*) fundavit. Obiit a. Chr. 1159 die 15 Julii, a. Epiſc. 28.

Hæc rurſum ex Sac. Belg. Chronologia Caſtillionii P. II. pag. 436.

(*a*) *Morini* Galliæ Belgicæ populi, quos extremos hominum Virgilius nuncupat. *Tervanæ Morinorum*, urbs olim erat Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Remenſi, a. 1552 funditus deleta, juſſu Caroli V Imp. Sedes cum parte prædiorum altera translata *Bononiam*; altera vero pars Epiſcopis *Audomarenſi* & *Iprenſi* eſt aſſignata. Teroanæ rudera ſpectantur in finibus Arteſiæ & vetus nomen retinent.

A. ert. Miræi Notitia Epiſcopatuum Lib. V. pag. 369 & 404.
Hartzheim Tom. CC. I. Præfat. Chorograph. & Hierarch. pag. 44.

(*b*) *Terouana*, urbs eſt ſolo æquata in Comitatu Arteſiæ ad Legiam amnem tertio ab urbe Audomaropoli lapide ſita, cujus nonniſi quædam domus hodie ſuperſunt. Erat olim civitas prænobilis & Epiſcopatu Remenſis Archiepiſcopi Suffraganeo conſpicua.

Joann. Hübner. Lexicon Reg. pag. 984.

(**) *Balduinus*, Arnulphi I eo nomine Ardenſis Domini ex filio Arnulpho nepos, obiit a. 1146 in terra ſancta, non relicta ſobole legitima, ut Lambertus Ardenſis *in Hiſtoria MS. Comitum Giſnenſium* & Mejerus *anno* 1144 memorant. *Foppens.*

Arnulphus, Marckifienfis Vicecomes, Sororius *Drogo Boteck*, *Walo de Ardea*.
Arnulphus Gobel, qui eft Caftellanus Ardeæ.
Elbodo de Norbout & *Paganus*, frater ejus.
Euftathius & *Balduinus de Balinghen*.
Balduinus Walameth, aliique multi Chriftianiffimi populi.

Facta eft autem hæc tranfactio in Ecclefia S. Audomari Ardenfis, & in plena Synodo Tervanæ folenniter recitata & approbata Dominicæ Incarnationis anno MCXLIV.

Miræus inter Diplomata Belgica cap. 59. recufus a Cl. Foppens Tom. I. Collectionis Diplomatum pag. 179. Bruxellis a. 1723.

SYNODUS MOGUNTINA

Anno Chrifti MCXLIX. Eugenii III. PP. V. Conradi III. Reg. XII.

Ab HENRICO, (*) Sedis Moguntinæ Archiepifcopo XXVIII. Electore XII.

CELEBRATA

DIE 16 MAJI.

Notificatoria Concilii Provincialis Erfordiæ acti.

H. (*Henricus I.*) DEI GRATIA MOGUNTINÆ SEDIS HUMILIS MINISTER, WILIBALDO, SPECIALI AMICO SUO, CORBEIENSIS ECCLESIÆ VENERABILI ABBATI, DILECTIONIS ET BENIGNITATIS AD OMNIA DEVOTAM ET PROMTAM EXHIBITIONEM.

Fideli admonitioni & piæ devotioni veftræ, quam in profectione noftra ad Dominum Papam nobis exhibuiftis, non folum gratias referimus, verum etiam fuo loco & tempore condigna operis exhibitione refpondere parati fumus. Juxta autem petitionem Legati veftri actionem quorundam negotiorum, quæ ex præcepto Domini Papæ *præfentibus Suffraganeis noftris Erfordiæ* tractavimus & terminavimus, innotefcere curamus.

Primum Capitulum erat de quodam Abbate *de Burgilin*, qui querimoniam habebat adverfus Comitem *Sizonem*, quod quædam bona Ecclefiæ fuæ violenter tuliffet, & pertinaciter teneret, quam a Domino Papa nobis injunctam, *confilio & auxilio Fratrum noftrorum* utrimque facta pace & concordia terminavimus. *Secun-*

(*) Vid. Tom. CC. Germ. III. pag. 373. *Addi poffunt hæc pauca*: Depofitus in Concilio Wormatienfi per infignem nequitiam ac palmarem injuriam HENRICUS, vir laudabilis, feceffit Embecam in Brunsvicenfi Ducatu, ibique eodem adhuc anno die 5 Septembris pie obiit. Epitaphiolum ipfius fepulcro illic adpofitum, tefte Brufchio, fic habet: *Anno Domini MCLIII. Nonis Septem. obiit Reverendus Pater, Henricus Archiepifcopus.* Familiare ejusdem dictum: *Fui dives Canonicus, pauper Præpofitus, mendicus Epifcopus.* De perverfis Judicibus binis Cardinalibus, qui ab Epifcopatu Henricum amoverant, quosque ipfe ad tribunal Chrifti citarat, Hübnerus *Quæftiuncularum ex Hift. polit. P. VII. Lib. I. pag.* 53 narrat, alterum in feceffu effudiffe cum vifceribus animam; alterum in rabiem actum digitos fibimet ipfi demordiffe. Utrumque eodem die factum, multosque tum dixiffe: *Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici injuriam jufte vindicavit.* Narrata ab Hübnero, an vera fint, nefcio. Silent Scriptores Moguntini, quos confului.

Schaten. P. I. Lib. VIII. Annal. Paderb. pag. 794.

Secundum erat de Comite H. qui uxorem ſuam dimiſerat & aliam ſuperduxerat. Hujus negotii talis erat actio. Dominus *Hildenesbemenſis* Epiſcopus aſſerebat, quod inter ipſum & priorem, quam pro uxore habebat, propter cognitionem canonica facta erat ſeparatio, ſed quod de inceſtu, quem cum nepte ſua commiſerat, pœnitentiam ſuſcepiſſet vel peregiſſet, non affirmabat. Unde Fratribus noſtris decernentibus, quod ante peractam pœnitentiam Matrimonium contrahere nec poſſet, nec deberet, *Moguntiam ad Synodum noſtram in feria ſecunda poſt Aſcenſionem Domini*, ad ſatisfactionem eum vocavimus.

Præterea *Hereveldenſem* Abbatem, quia inconſulta Eccleſia noſtra & absque verbo noſtro Fuldenſem ſuſcipiens Abbatiam, ab obedientia noſtra ſe alienarit, Fratribus noſtris ſanctientibus vocavimus.

Poſt hæc *multa erant*, quæ ſingula longum eſſet enumerare, ſed hæc vos magis ſcire conjecimus deſiderare.

NOTANDA ad hanc SYNODUM PROVINCIALEM.

Tam *Mauritius Gudenus*, quam *Joannis*, aliique Scriptores Moguntini hanc Synodum neſcivere. *Henricus a Falckenſtein* in Chronico Thuringiæ Lib. 2. pag. 507. eandem inſinuat ex *Schöttgen Spicilegio diplomatico Hiſtor. Saxoniæ ſuperioris* P. II. pag. 571, unde producit Diploma, ſeu litteras *Henrici* Moguntini ad *Willibaldum* Abbatem in Stablo & Corbeja, ita habentes:

" H. Dei gratia, &c. *ut ſupra pag.* 704.

Hæc *Falckenſteinius*, qui exiſtimavit hoc Concilium eſſe trahendum ad ann. 1143, deceptus forte, quod legerat a. 1143 habitam fuiſſe Moguntiæ Synodum. Moguntina a. 1143 Synodus in *Martio* habita eſt (*Tom. CC. III. pag.* 347.) Hoc igitur Erfordienſe Concilium ad hunc annum trahi non debet, eo quod *Provocatio* ad Synodum Moguntinam, *feria* 2 *poſt Aſcenſionem Domini* habendam, Martium deſignare nullatenus poſſit. Quare *Schöttgenus*, qui (ut *Falckenſtein l. cit. in Nota* advertit) a. 1149 hanc epiſtolam Archiepiſcopi attribuit, melius feciſſe videatur: eo enim anno Henricum noſtrum Erfordiæ degiſſe varia probant diplomata. Adde, quod Aſcenſio Domini illo anno in XII Maji inciderit. Feria igitur II. poſt illud feſtum erat 16 dies ejuſdem menſis.

Videri etiam hac ſuper re poterit Schannati *Hiſtoria Fuldenſis.*

SYNODUS MOGUNTINA

Anno Chriſti MCL. Eugenii III. PP. VI. Conradi III. Reg. XIII.

Sub eodem HENRICO, Sedis Moguntinæ Archiepiſcopo,

CELEBRATA.

SUMMA. *Confirmat* HENRICUS *donationem Præpoſituræ Numburgenſis, a Gunthero, Spirenſi Epiſcopo, Monaſterio Lindburgenſi factam.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.
HENRICUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA MAGUNTINE SEDIS ARCHIEPISCOPUS.

Notum ſit omnibus tam futuri, quam preſentis evi Chriſti fidelibus, qualiter nos Divine retribucionis intuitu, tacti dolore & miſeracione ſuper dilapidacione & deſolacione *Numburgenſis* Prepoſiture, in *fundo* quidem vene-

venerabilis fratris noftri *Guntheri*, *Spirenfis Epifcopi*, in *noftra autem Parochia* conftitute, tradicionem, quam jam dictus Frater nofter per eandem Prepofituram jure fundi *Lindburgenfi* fecit Monafterio, Nos falvo per omnia jure Metropolitani confirmavimus; Hortatu itaque *Guidonis*, venerabilis Cardinalis Diaconi, & Romane Sedis Legati, *prefente quoque Ecclefia mea & rogante in legitima Sinodo noftra* per hanc cartam impreffione figilli noftri infignitam factum roboravimus, & Apoftolica auctoritate, nec non noftra, fub banno confirmavimus, & noftre tuicioni affumpfimus. Hujus rei teftes funt:

Hartmannus Prepofitus de Domo, *Arnoldus* Prepofitus fancti Petri & Maguntine civitatis Camerarius, *Heinricus* Cuftos, & Prepofitus de Erpheffurt, *Gerlacus* Decanus de domo, & Prepofitus fancti Victoris, *Godefcalcus* Prepofitus fancte Marie de Campo, *Anshelmus* Prepofitus fancte Marie ad Gradus, *Hartmannus* Prepofitus S. Mauricii, *Willelmus* Magifter, *Hartwigus* Cantor, *Heinricus* Abbas S. Albani, *Luifridus* Abbas de Saliginftat, *Hildebrandus* Abbas de Hafungen, *Baldemarus* Abbas de Bl..denftat, *Anshelmus* Abbas de Bifcoffesberc. De Capellanis: *Gifelbertus* Presbiter, *Rudigerus*, *Kunradus*. De Laicis: *Hermannus* Palatinus, *Heinricus* Comes de Kazenellenbogen, *Emicho* Comes de Liningen, *Poppo* Comes de Richenbach, *Bertolfus* Comes de Nitahe. De Minifterialibus: *Megingerus* Vicedominus, *Luto* frater ejus, *Embrico* Comes Rheni, *Wernherus* Dapifer, *Kunradus* pincerna, *Kunradus* Marfcalcus, & alii quamplures tam Clerici, quam Laici. Hec Confirmacio facta eft in *fancta Sinodo* Maguntine Ecclefie anno Dominice Incarnacionis M.C.L. Indictione XIII. fub Eugenio Papa, Kunrado Rege, Rudberto Abbate exiftente, & hanc Confirmacionis cartam a Nobis fufcipiente.

Joannes Adamus Bernhard *Author antiquitatum Wetteraviæ, hanc nobis Synodum prodidit in fchediafmate* de Monafterio Naumburg, *Ord. S. Benedicti, hodie a Lutheranis everfo, in Wetteravia, pag.* 14 *Diploma recitat.*

SYNODUS *PROVINCIALIS* MOGUNTINA

circa Annum Chrifti MCLIII. vel MCLIV.

Ab ARNOLDO, (*) *Sedis Moguntinæ Archiepifcopo XXIX, Electore XIII* COACTA.

MENTIO SYNODI.

Summa. *Cleri emendatio, & Simoniacorum depofitio & exauctoratio. Proborum, doctorumque promotio.*

„ Improbos, flagitiisque contaminatos, omnibus coercebat modis, & cum Decefforum quorundam negligentia haud parum mundanæ contagionis, abufuum ac corruptelarum in mores Cleri irrepfiffet, id fane penfi habebat, ut in emendationem illorum incumberet. *Nec cunctatus, Epifcoporum, Abbatum ac Præpofitorum Sedi Moguntinæ fubjectorum Synodum coegit*, illorum ut ope confilioque ad rem tam arduam perficiendam uteretur. Quos dignitates muniaque Ecclefiaftica oblato pretio adiiffe comperit (quorum non parvus erat numerus, majoris etiam ordinis Clericorum) tum Officiis, tum Beneficiis privabat & exuebat: contra probos, doctos, frugi, vitæque inculpatæ præficiebat Ecclefiis. Præ-

" Præter hæc verò haud pauca ad Re-
" ligionis integritatem, ac disciplinæ
" Ecclesiasticæ vigorem, tum statue-
" bat."

NOTA ad hanc Synodum.

Alia certè ac prorsus diversa hæc Synodus fuit ab illa anni MCLIX tumultuaria & interturbata, de qua agit §. *XXX.* Author sat apertè innuit, hanc ad initium regiminis Archiepiscopalis susceptam fuisse, cum autem dies & tempus accuratum non fuerit additum, atque sciamus ex *Dodechino*, in *Pentecoste* anno MLIII Henrico I deposito surrogatum fuisse Arnoldum, hujus Concilii Epocham vel ad Autumnum anni MCLIII, vel circa Vernum tempus MCLIV ponendam existimavimus.

Hæc ad Hartzhemium l. m. scripta.

Libellus de cæde Arnoldi *Tom. II. Rer. Mogunt. editus* §. *VIII. Synodum ab* Arnoldo *Archiepiscopo indigitatam hisce insinuat.*

(*) ARNOLDUS, Nobilis de *Selehoven*, sapientia, ingenii acumine, facundia & humanitate perinsignis, Aquisgranensis Basilicæ Decanus, Collegii S. Petri Moguntiæ Præpositus & civitatis ejusdem Camerarius, & (quod extra dubium est) Friderici I Imp. Cancellarius in locum Henrici subrogatus fuit, quem Hermannus Palatinus Comes, aliique, cædibus, incendiis ac depopulationibus Diœcesim vastantes vehementer discruciarunt, ab Imperatore gravi portandorum canum supplicio a. 1155 eapropter adfecti. Romam Arnoldus a quibusdam appellatus a. 1156 Adrianum IV Papam adiit; exceptus ab illo perhonorifice, atque Apostolica donatus legatione Moguntiam repetiit. In Concilio aut impio potius Conciliabulo Papiensi a. 1160 celebrato, *de quo Tom. CC. Germ. III. pag.* 384, subscripsit seseque cum quatuordecim Suffraganeis *Victori V.* Pseudopontifici submisit his verbis: *Ego Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus cum XIV. Suffraganeis interfui & subscripsi.* Inde reversus, ipso Natali S. Joannis Baptistæ die a Moguntinis suis civibus, in Cœnobio S. Jacobi, inter Missarum solemnia trucidatur, quæsitus a Canonicorum Collegio, in urbem portatus, narrante Bruschio, & cum summo luctu terræ mandatus in D. Virginis Collegiata Ecclesia.

De Arnoldo hæc adfert e MS. min. *Serarius*: "Arnoldus pago Moguntino ex religio-
" sis nobilibusque parentibus extitit oriundus. Postquam diutina instantia sub
" Theologiæ disciplina ferula sudavit, factus est imperialis aulæ illustrissimus Can-
" cellarius, & quasi alter Imperator. Tempore ingruentis inopiæ, quæ totam
" Germaniam premebat, trecentos pauperes nutriebat, religionem arctius am-
" plectens, illius professionis viros, quorum jugiter fruebatur contubernio, tan-
" quam patres & fratres fovebat, manum solicitè tutaminis ipsis impertiens Eccle-
" sias beneficiis multis dotavit, diruta earum resarcire, dilapsa atque dispersa con-
" gregare, & ne religio penes eos tepesceret aut remitteretur, solicitus erat."

Extant etiam ejus ad S. Hildegardem, & hujus ad illum epistolæ. *Crantz. Schaten. Hanziz &c. Serarius Rer. Mogunt. Lib. V. a pag.* 817.



SYNODUS HALBERSTADENSIS *Magna*
Anno Christi MCLVII. Hadriani IV. PP. III. Friderici I. Reg. VI. Imp. III.
ab ODELRICO, (*) *Halberstadensi XVIII* (al. XIX) *Episcopo*,
CELEBRATA
DIE 18 OCTOBRIS

SUMMA. ODELRICUS confirmat donationes varias Monasterio Schœningensi Diœcesis Halberst. ab Ottone, Comite de Hildeslove, factas.

IN NOMINE DEI OMNIPOTENTIS. ODHELRICUS D.G. HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS.

Notificamus omnibus Ecclesiæ Fidelibus præsentis & futuri temporis, quod Nos rogatu dilecti fratris nostri BODONIS, Scheniggensis Ecclesiæ Præpositi & ejusdem Congregationis, pro declinandis multis injuriis, quas eadem Ecclesia sæpe sustinuit, quædam prædia Ecclesiæ illius, V. videl. mansos in *Geroldestorp* sitos, it. in *Dalwersleue* duos & dimidium, in villa quæ dicitur *Welle* cum areis & omnibus pertinentiis eorum, *Ottoni*, Comiti de Hildesloue, per nostram manum dedimus, & versa vice jure concambii alia prædia in usus prædictæ Scheniggensis Ecclesiæ ab eo recepimus, videl. XI. mansos simul omnes in villa, quæ *Heregrimesthrop* dicitur, sitos, cum areis & omnibus pertinentiis eorum. Sed quia hæc prædia plura erant & simul sita, pro duobus mansis & dimidio, qui superfuerunt in commutatione, & pomerio & aliis utilitatibus eorundem prædiorum præfatus Præpositus prædicto Comiti *Ottoni* de reditibus Ecclesiæ suæ XXX. & duas libras pro supplemento persolvit: Ecclesiam etiam unam ad eadem prædia pertinentem idem Comes cum consensu filiæ suæ pro remedio animæ suæ præfatæ Scheniggensi Ecclesiæ in Provinciali placito, in villa quæ *Valetborp* dicitur, una cum præscriptis prædiis perpetuo jure contradidit & regio banno confirmavit, ubi testes

(*) ODELRICUS (al. *Oudalricus* & *Ulricus*) Rudolphi, de quo pagg. 337 & 356 *Tom. III. Conc. Germ.*, Successor ab anno Christi 1149 exeunte ad annum 1182 Cathedræ Halberstadensi præfuit. De stirpe nihil certi apud Scriptores. Erat Collegiatæ B. M. V. Præpositus, cum a Canonicis Electoribus, ex Conradi III Imp. potissimum commendatione & authoritate, Episcopus crearetur. Anno 1150 donationem Decimæ in Eringeroth, (*Tom. CC. cit. pag.* 365) confirmavit. Anno 1152 interfuit Merseburgensi Principum Conventui, in quo diploma Friderici I Imp. jura Corbeiensis Abbatiæ ac privilegia Wiboldo Abbati instaurantis, ceu testis subscripsit. Anno 1160, quod Alexandro III legitimo Papæ adhæreret, submotus a Sede fuit, eidemque per Eberhardum Victoris Pseudopapæ Legatum Gero Cathedralis Ecclesiæ Halberstad. Præpositus, ab Hartwico Bremensi Archiepiscopo consecratus, pallii quoque usu ab eodem Pseudopontifice donatus, sufficiebatur: qui pro Episcopo illius Sedis ad annum 1177 se gessit; dum in dignitatem pristinam, juraque omnia rediret Odelricus verus & pius Episcopus. Exarsit subin hunc Præsulem inter & Henricum Leonem, Brunsvici Ducem, bellum tam sacro Præsuli, quam Halberstadio fatale. Anno enim 1179 Ducis copiæ interceperunt urbem, quæ, serpente longius casæ cujusdam incendio, tota conflagravit; & Episcopum, flammis ægre ereptum, interea cum multis civibus captivum abduxerunt. Obiit optimus senecio suæ restitutus libertati a. Chr. 1182, Episcop. 33.
Bucelin. Germania sacra P. I. pag. 23.
Lentzen Histor. Diplom. Halberstad. a pag. 82.

teſtes erant *T.* gener Comitis, *Marquardus* de Banethorp, *Benno* de Oluenſtide, *T. Gevebardus* & *Menbardus* Miniſteriales Comitis; *Brun* de Frixleue, *Hobethricus* de Hakkenthorp, *Fritbericus* de Dalwersleue, *Hawolfus* de Snardesleue, *Ericus* de Welle, *Brun* de Gersleue cum multis aliis. Hanc autem commutationem ut nulla moleſtia ſequeretur jure polium, jure fori ſæpe iterari ſæpe firmari fecimus, ſemel videl. coram Marchione *A.* & filio ejus *Ottone* Marchione, in villa quæ *Juenthorp* dicitur, ubi tunc præſentes aderant *Otto* Comes & *T.* gener ejus, *Adolfus* Comes, *Hugoldus* de Amfrithesleue, *Rutbericus*, *Thedericus* de Hakenſtede, & multa multitudo Fidelium. Secunda vice in præſentia noſtra *Taggeremunde*, ubi aderant junior Marchio & Comes *Otto*, *Thidericus* de Taggeremunde & *Burchardus*, *Marquardus* de Banenthorp cum multis aliis eadem actio iterata & confirmata eſt. Rurſus in civitate *Magdeburg A.* præfatus Marchio & filius ejus cum prædicto Comite *Ottone* rogante & monente prædicto fratre noſtro, *Bodone* Præpoſito, eandem actionem renovantes confirmaverunt. Iterum in Synodo noſtra hoc factum coram Eccleſia noſtra publice in *Gatbesleue* confirmavimus. Poſtremo, ut nullus unquam error hoc benefactum obnubilaret, & ne fratres præfatæ Scheniggenſis Eccleſiæ aliqua in futurum turbatio ſuper hoc facto offenderet, diligenter hæc omnia retractantes in aperta Synodo noſtra Halberſtad coram univerſitate Eccleſiæ noſtræ in feſto B. Lucæ, præſentibus & faventibus Marchione *A.* & *Ottone* Comite, Epiſcopali authoritate firmiſſime roboravimus. Quapropter ut nulla iniquitas & injuſtitia aliqua maligna ſurreptione hoc bonum opus fatigare præſumat, interpoſito anathemate & banno, auctoritate DEI Omnipotentis & B. Petri Apoſtoli confirmamus in perpetuum, Amen. Actum Halberſtad in publica Synodo XV. Kal. Novemb. anno Incarnationis Dominicæ M.C.LI. (*) Indict. XV. in magna Synodo in feſto B. Lucæ, præſidente univerſali Eccleſiæ Papa EUGENIO anno II. ODALRICI Epiſcopi venerabilis ſecundo Electionis & Ordinationis illius, feliciter, Amen.

(*) Cur annum 1157 huic Synodo tributum velit Hartzhemius, explorare non potui. Forte quod Diploma Synodicum a. 1151 Odelricus dabat, renovatum ab eodem & ſupremo confirmatum banno fuit a. 1157 ſed Ordinationis anno ſeptimo.

SYNODUS NUENBURGENSIS
SEU NAUMBURGENSIS
Anno Chriſti MCLXXIV. Alexandri III. PP. XVI. Friderici I. Reg. XXIII. Imp. XX.
Ab UDONE II, (*) *Naumburgenſi XV* (al. XIV) *Epiſcopo,*
CELEBRATA
DIE 20 MAJI.

SUMMA. UDO Epiſcopus probat, confirmatque traditionem duorum manſorum &c. ab Erneſto ad S. Mauritii Præpoſito factam & Bernardi Præpoſiti in Hugesdorf redemtionem.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.
UDO, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA SANCTE NUENBURGENSIS ECCLESIE EPISCOPUS.

Pontificalis Officii debito adſtringimur, & Divine inſtitutionis mandato commonemur, ita proximos noſtros, & maxime Viros religioſos in Deo

Deo diligere, ut justis eorum petitionibus & rationi consentaneis benignam aurem inclinemus, & sancto ac laudabili ipsorum proposito pii favoris auxilium pro posse nostro libenter exhibeamus. Eapropter noverit omnium Christi fidelium tam presentium, quam futurorum universitas, quod pro petitione dilecti nostri *Ernesti*, venerabilis Fratrum S. Mauricii Prepositi, presentis pagine attestationem Domino *Bernbardo*, Reverendo in Hugestorf Preposito animo volenti porreximus, & quod permissionis nostre auctoritate sub testimonio Ecclesie ab ipsis factum est, ne in oblivionem veniat, posterorum memorie transmittere curavimus. Prepositus etenim *Ernestus* beati Mauricii duos mansos & duas cortes in Episcopatu Moguntine Ecclesie, in Provincia Thuringorum in villa *Wikerstede* sitos, jam dicto Preposito in *Hugestorf* pro tredecim marcis & dimidia argenti, unanimi Fratrum suorum assensu, Advocato etiam *Godefrido* annuente, & a jure Advocati cedente, vendidit, & ejusdem argenti pretio alia bona Ecclesie sue utiliora & magis commoda comparavit. Ecclesiarum vero possessiones in meliorem statum venditione transferre, vel concambio permutari, in multis casibus, ubi ratio postulat licitum esse, judicamus, & certa auctoritate comprobamus. Pietatis namque intuitu, tempore famis ingravante pro alimonia pauperum licet Ecclesie res alienare, utilitatis quoque causa minus utiles possessiones Ecclesie licite in alienos possessores transferuntur. Rationabilem itaque prefati Prepositi B. Mauricii traditionem & alterius Prepositi, videlicet *Bernbardi*, redemtionem, usibus Christi pauperum, pro quorum sustentatione facta est, profuturam, in virtute Spiritus Sancti ratam & inviolatam esse constituimus, & ne inposterum ab aliquo Successorum sepe dicti Prepositi, vel a quoquam Fratrum S. Mauricii retractatione temeraria irritari valeat, auctoritate Omnipotentis DEI & Beati Petri, Principis Apostolorum, & nostro sub anathematis vinculo prohibemus. Hujus permissionis & Confirmationis testes sunt hi: *Rudegerus* Abbas de sancto Georgio, *Thegenbardus* Abbas de Burgelin, *Azzo* Abbas de Puzowe, *Cunradus* Prepositus de S. Stephano, in Cice (**) *Hildenbrandus* Prepositus de Lüsenitz. Canonici Nuenburgenses: *Gerboto* Decanus, *Adelbero*, *Hermannus*, *Hatto*, *Cunradus* Magister Scholarum. Laici: *Gozwinus* de Tucheren, *Tuto* de Pickene, *Hermannus* de Sconenberch, *Hugo* de Sconen. Actum Nuenburch *in plena Sinodo* XIII. Kal. Junii, anno Incarnationis Domini M.C.LXXIV. Indict. VII. anno V. Pontificatus nostri XIII.

(*) UDO vel UTHO ex matre sorore Udonis I. Thuringiæ Landgravii, laudatissimi in eadem Sede Episcopi præclarus nepos, sub quo celebris Naumburgi Conventus a Cæsare Friderico I habitus est, multa in Ecclesiam S. Mauritii beneficia contulit. Obiit a. Ch. 1186, Episcop. 25. Vir in pauperes liberalis, in calamitosos munificus.

Bucelin. in Germania sacra P. I. pag. 41.

Hübner in Quæstiunculis ex Hist. polit. P. VIII. L. III. pag. 758.

Historia ecclesiastica Episcopatuum Germaniæ ad annum 1724, *gallicè scripta edit. Bruxellis, Tom. II. pag.* 284.

Heic errat Autor, dum scribit Sedem Episcopatus illius fuisse translatam Citico Naumburgum ab Udone I mox laudato: hoc enim ante annos centum sub *Hildewardo* IV Citicensium Episcopo evenisse, ex *Bucelino* & *Hübnero* citatis habetur. *Langii* Chron. Numburg. *pag.* 10.

Factam esse anno MII. illam translationem, refert *Tom. I. CC. in Præfat. pag.* 41 Hartzhemius.

(**) *Ciza*, urbs Saxoniæ.

SYNO-

SYNODUS SUERINENSIS
VEL MEGAPOLITANA
Anno Christi MCLXXVII. Alexandri III. PP. XIX. Friderici I. Reg. XXVI. Imp. XXIII.
a BERNONE, (*) *Ill. Mecklebürgensi, I. Suerinensi Episcopo,*
CELEBRATA
DIE I FEBRUARII.

SUMMA. BERNO, *Magnapolitanus Episcopus, assignat Abbatiæ in Doberan prædia decimas adferentia.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.
BERNO, MAGNAPOLITANUS EPISCOPUS, OMNIBUS SUCCESSORIBUS SUIS ET OMNIBUS FIDELIBUS SALUTEM IN PERPETUUM.

Si pauperum Christi curam habuerimus, magne mercedis meritum Nobis per hoc apud Dominum conquirimus. Hinc est, quod Domino famulantes in *Doberan* pia largitate consolari dignum duximus, de quo, ne cui dubitationis scrupulus inposterum remaneat, precavere curavimus. Cum enim *Pribizlaus*, devotus Princeps Slavorum, instinctu nostro, Omnipotenti DEO & Beate MARIE predium in *Doberan*, & numerum terminumque prediorum vel possessionum ad usumfructum inibi Deo servientium circumquaque constituisset, quoniam ad Nos detinere spectabant; Nos pro voluntate Ducis *Henrici* cum consensu totius Ecclesie nostre in eisdem possessionibus & prediis decimas contulimus, quatinus omni molestia submota liberius Divinis inservirent laudibus; quodsi quicquid ex his prediis in futurum aliquo malo ingenio per sacrilegium Fratribus subtractum fuerit, de jure tamen nihilominus illis perpetuo permanebunt. Sunt autem hec nomina prediorum, in quibus decimas prenominatas Fratres in *Doberan* accipient: *Doberan*, *Parkantin*, villa Slavica *Doberan*, *Putelba*, *Stulve*, *Raduke*, *Crupelin*, *Wilene*, quatuor ville in *Cubanze*, scilicet villa *Brutze*, *Germari* & due ville *Bernonis*, & in terminis ad occidentem *Dobernimerigorta*, ad aquilonem vero terminat mare; Ecclesiarum autem dispositio infra loca predicta & Sacerdotum constitutio, vel Baptismus & Sepultura mortuorum, nec non & *Jus Sinodale*, *quod Bannum vocatur*, ad Abbatis curam pertinebit. Quisquis igitur his contraire temptaverit, sine ultione non inmerito suo jacebit. Hujus rei testes sunt: *Berno*, *Remigius*, *Gregorius*, *Herebertus*, *Guncelinus*, *Reinerus*, *Sigero*, *Samuel*, *Johannes*, & tres filii ejus *Henricus*, *Bertoldus* & *Johannes*. Acta sunt hec anno Incarnationis M.C.LXXVII. Indictione X. Kalend. Febr. *in generali Sinodo Zuerinensi* tempore ALEXANDRI P.P. regnante FRIDERICO Imperatore piissimo. Amen.

SYNO-

(*) BENNO sive BERNO, de quo *Præfat. Chorograph. & Hierarchica Tom. I. CC. Germ. pag.* 40, Suerinensis *primus*, antea *Magnapolitanus* dictus, Ordinis Cisterciensis ex Abbatia Amelungesbornensi Religiosus, ob labores apostolicos, quos Vandalicæ genti ad fidem convertendæ impenderat, felicemque in sacro hoc negotio progressum nominatus *Vandalorum Apostolus*. Obiit a. Ch. 1195. Episcop. 50.
Bucelin. Germ. sac. P. I. pag. 53.
Hübner Quæst. ex Hist. pol. Tom. VIII. pag. 1072.
Hist. Eccles. Germaniæ de Episcopatibus Tom. II. pag. 353, *unde hæc transcripsi.*

SYNODUS MOGUNTINA

Eodem anno Chrifti MCLXXVII.

Sub CHRISTIANO I, (*) *Sedis Moguntinæ Archiepifcopo XXXI, Electore XV,*

CELEBRATA.

MENTIO SYNODI,

Quæ colligitur ex Bernardi Peez Thef. anecdot. nov. T. III. P. III. ex *Viti Arnpeckhii*, Prioris Ebersbergenfis, Ord. S. Bened. *Chron. Bojar.* pag. 243, ubi hæc notantur:

" Anno Chrifti 1177. in *Concilio Moguntiæ* habito *Albertus*, (*a*) filius Regis Bohemiæ, Archiepifcopatum Salzburgenfem refignavit, quem prædictus *Conradus* (*b*) Schirenfis recepit & feptem annis rexit."

(*) Fuit CHRISTIANUS, Comes a *Buche*, patria Thuringus, a Friderico I Imperatore in locum *Conradi* ejusdemmet, de quo hic fcribimus & cujus conftantia eluxit in Conventu Norimbergenfi, (*Tom. CC. Germ. III. pagg.* 410 & 424) anno 1164 fuffectus. Princeps erat diverfis naturæ dotibus ad ftuporem confpicuus, linguarum Latinæ, Græcæ, Italicæ, Gallicæ & Belgicæ peritiffimus, neque facrarum literarum rudis. Scripfit vitam & gefta Friderici I Imp., epiftolas diverfas, orationes præftantes. Obiit in Italia haud procul ab Urbe anno Ch. 1180, Epifcop. 13, ab ipfomet legitimo Pontifice Alexandro III facro viatico inftructus.
Serarius cit. a pag. 823, *Bucelinus*, *Beyerlinck & alii.*

(*a*) De *Alberto* vide Tom. CC. Germ. III. pag. 420. (*b*) De *Conrado* pag. 424.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Chrifti MCLXXIX. Alexandri III. PP. XXI. Friderici I. Reg. XXVIII. Imp. XXV.

Sub ODELRICO, *Halberftadenfi Epifcopo,*

CELEBRATA

IN GATERSLEBEN

DIE II JUNII.

SUMMA. *Confirmat* ODELRICUS *bona & privilegia Ecclefiæ Kaldenburnenfis.*

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. ODELRICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ANTISTES HALBERSTADENSIS IN PERPETUUM.

Divinis precibus & Apoftolicis monitis incitamur, ut pro omnium Ecclefiarum ftatu, impigro vigilemus affectu, & fi quid invenitur reprehenfioni obnoxium, a præfumtionis ufurpatione revocemus, & periculum defidiæ, quantum poffumus, declinemus. Quod igitur falfis precibus & ad furreptionem non eft impetratum, effectui nolumus mancipari, & intemeratum & inviolatum cunctis decrevimus manere temporibus. Sacra igitur

tur annotatione innotescimus, quod Gloriosissimus LOTHARIUS Tertius Romanorum Imperator ex honorificencia Excellenciæ suæ *Kaldenburnensem* Ecclesiam specialius respexit oculis misericordiæ, concedendo ejusdem Ecclesiæ Præposito & Fratribus ibidem Domino & sancto Johanni famulantibus, ut si quas Domino largiente possint emere bonorum suorum advocacias, freti ejus auctoritate, emant, vel redimant, & si aliqui Advocatorum advocaciæ suæ super bona ipsorum renunciare voluerint, potestatem renunciandi & cedendi eis donavit, & quia ad ipsius spectant disposicionem instituciones advocaciarum, advocaciarum disposicionem Ecclesiæ Kaldenburnensis, sancto Stephano in Halverstat devotissime obtulit, ita tamen, ut Nos, nostrique Successores advocacias nulli porrigere valeamus, si vacaverint, sed ex imperiali benignitate & donatione, jam dicta Ecclesia perpetuo munere libertatis ex tunc gaudeat, ut homines ipsius Ecclesiæ nullis molestentur talliis, vel exactionibus. Indulsit etiam præfatæ Ecclesiæ, ut si quis beneficio gaudet imperiali ad ipsam vendere, vel pro dono eidem donare possit, & ejus auctoritate in omni Regno suo maneant immunes a theloneorum & pedagiorum exactionibus. Concessit præterea eidem Ecclesiæ excolendi novalia, quæ suo foresto adjacent, & prædia, quæ *Wigmannus* Fundator Ecclesiæ memoratæ cum consensu suorum heredum contulit, Regali potentia & Imperiali banno corroboravit, quæ hic intitulari jussimus, ut tam præsentibus, quam futuris, nostra circa ipsam Ecclesiam innotescat solertia. In *Lodesleuen* Ecclesiam XII. mansis dotatam, & pratis, & silvis, & duas Ecclesias, unam in *Orniz*, alteram in *Dusne*, quas Præpositus Kaldenburnensis ipso jure, quo Magedeburgensis Archiepiscopus porrigere debebit, ut Patronus, quia sic a *Wichmanno* Comite & suis cognatis noscitur institutum, cum multa devotione sæpedictæ Ecclesiæ contradidit. Insuper dedit in *Nienborg* & *Krauenestorp* decem mansos, & dimidium, & vineam. In *Holdenstede* VIII. mansos & vineam. In *Helpede* I. mansum & vineam. In *Erhardesdorp* XI. mansos. In *Suitthardestorp* II. mansos. In *Rouekestorp* I. mansum. In *Panekendorp* III. mansos. In *Seburch* dimidium mansum, & thoch, id est piscaturam in lacu ibidem adjacenti, eodem jure, quo Magedeburgensis possidet, tam in longitudine, quam in latitudine. In *Roldestorp* I. mansum. In *Asleue* I. & dimidium. In *Lutekentorp* dimidium. In *Liefdetzestorp* dimidium. In *Dielnice* dimidium. In *Alethorp* I. in *Dusne* XXXVII. mansos. In *Ludesleue* XXXIII. mansos cum aliis jugeribus, quæ supersunt, & unum molendinum. In *Storquiz* septem mansos, & unum geroris. In *Zoulice* XIV. & unum geroris. In *Namelikestorp* XXXII. mansos. In *Hesekestorp* dimidium mansum. In lacu *Reldestorp* ... mansos. In *Querenvorde* dimidium mansum. In villa *Doubeke* XI. mansos. In *Rotdorf* VIII. mansos & dimidium. In *Durnevelt* IX. mansos. In alio *Durnevelt* I. mansum. In *Rodigosdorf* I. mansum. In *Sufelt* I. mansum. In *Sarbunen* I. mansum. In *Wenthere* I. mansum. In *Schwegerstede* V. mansos. In *Vuranken-husen* II. *Panstadhel*. In *Ruskezez* XII. mansos & unum molendinum. In *Droganiz* IV. mansos. In *Buthene* VIII. mansos, & unum novale. In *Modelwiz* V. mansos. In *Kozzibut* octo mansos. In *Crap* II. mansos. In *Drest* I. mansum. Statuit præterea præfatus LOTHARIUS Romanorum Imperator Augustus, ut neminem Episcopus Advocatum constituat, nisi quem Præpositus postulaverit, & si is præter statutum quicquam exegerit, corripiatur ter, & si sic non resipuerit, sua imperiali auctoritate advocacia vacet, & Præpositus de cetero in causis Ecclesiæ, quem voluerit, mundibordum eligat, nec ille ex hoc aliquam sibi in advocacia usurpet justiciam.

Nos igitur hæc Statuta & Donationes auctoritate nostra & Episcopali banno, quæ privilegiis Domini LOTHARII Imperatoris & piæ memoriæ Prædecessorum nostrorum, REIN. & O. & R. disposita sunt, perpetua stabilitate, & sine aliqua constituimus refragacione servari, & nostris Successoribus injungimus, & exhortamur eos in Domino, ut quæ ad honorem Domini & sancti Johannis Apostoli & Evan-

Evangeliſtæ ab inviƈtiſſimo Romanorum Imperatore LOTHARIO, & a Comite *Wichmanno* & *Reinhardo* & *Ottone* & *Rodulfo* ad perpetuam ſunt ordinata ſalutem & utilitatem, & quæ pro quiete religioſæ conſervationis ſunt inſtituta, nulla commutacione niſi in melius ſinant variari, ut & ipſi tandem Nobiscum ad quietem perpetuam pervenire mereantur. Non igitur novum aliquid præſenti ſanƈtione inſtituimus, ſed illa quæ olim videntur indulta banno noſtro firmamus, & jurisdiƈtionem per Archidiaconatum intra fines Kaldenburnenſes Eccleſiæ conſtitutum, qui limitatus eſt per aquas in quibusdam terminis, ut in *Wippere*, in ulteriore *Helmana*, in *Lina*, in *Unſtrot*, in *Wangen*, in *Willerbeke*, & in villis, & in fovea *Walebuſen*, in *Horenberch*, in *Upbuſen*, in *Widenbeke*, in *Kukenburch*, præfatæ Eccleſiæ ſtabilimus, eo jure, quo ab Anteceſſore noſtro REINHARDO & Halberſtadenſis Capituli aſſenſu collatas eſſe dignoſcitur, eo addito, ut baptiſmales Eccleſiæ propter Capellas forte de novo fundandas, in terminis ſuis nullam paciantur diminucionem, niſi rationabiliter & de voluntate Epiſcopi Dioceſani & Kaldenburnenſis Præpoſiti & plebanorum conſenſu excipiantur.

Et ne inpoſterum in Eccleſia Halberſtadenſi controverſia poſſit oriri ſuper Statutis felicis memoriæ BURCHARDI Halberſtadenſis Antiſtitis & dubitatio, *ita in Synodo noſtra diffinivimus*, ut tantum de baptiſmalibus Eccleſiis ad luminaria concinnanda, in feſto Lucæ Evangeliſtæ, Cuſtodi majoris Eccleſiæ omni occaſione ſemota, duos nummos, de qualibet Parochia Præpoſitus Kaldenburnenſis, vel cui ipſe injunxerit, repræſentet. Si autem Sacerdotes habuerint Capellas dotatas, ſive ſint exemptæ a Parochiali Eccleſia, ſive non, & ſecundum Statuta, ipſius piiſſimi BURCHARDI habeant quindecim jugera indecimata, ad Capellas pertinentia, de ipſis jugeribus duos annuatim perſolvet denarios.

Statuimus præterea, ut per totum Archidiaconatum Kaldenburnenſem, de qualibet plena decima Kaldenburnenſi Præpoſito annuatim a Decimatore exhibeantur, una ſexagena tritici, & una ſexagena avenæ, & unus angnellus, & unus porcellus, & unus anſer, & duo pulli, & ad tollendam omnem tergiverſationem, ſi forte in una villa duo decimatores fuerint, nullus eorum per alium a decimatore abſolvitur, ſed uterque plene eam perſolvet, & decimator dum primo aſſumitur ad decimationem jurabit ſuper pignora Sanƈtorum, quod prorſus nulli aliquam faciat injuriam, nec pro odio vel amore, vel timore, perfidiæ dolum decimationibus immiſceat. Eo autem anno racione ſui officii urnam mellis dabit Archidiacono, vel ſummam æſtimationis ejus, & hæc non de novo, ſed ex antiqua conſuetudine ſunt inſtituta.

Item cum turpe ſit & inhoneſtum, emere vel vendere quod eſt annexum ſpiritali, tamen quia jus Patronatus, partim eſt temporale, & partim ſpiritale, & Laici nullo modo aliquam in ſpiritalibus ſorciantur poteſtatem, ſed tantum temporalium diſpoſitionem habeant, ad redimendas vexationes & ſervitutes, retentas a primis Fundatoribus, quarum occaſione oppido Clericis ſunt infeſti, liceat Præpoſito Kaldenburnenſi in noſtra Dioceſi Eccleſias a Laicis detentas, eximere, & de ſuo Collegio eis in perpetuum providere, cum plus juris habeat in inſtitucione Prælatus, quam in præſentacione Patronus, & eadem auƈtoritate decimas a Laicis detentas redimat, & ad præbendam Fratrum ſuorum redigat, plenamque ipſi poteſtatem ligandi & ſolvendi, & exequendi viſitaciônis officium ad reformacionem Clericorum, *& præſidendi Synodo*, ſuſpendendi Divina in Eccleſiis, non generali interdiƈto, quod Nobis reſervavimus, ſed ſpeciali, & ea relaxandi, & inhibendi ſepulturam mortuorum, & cetera Eccleſiaſtica Sacramenta, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, ei vice noſtra per aquam a Nobis exorciſatam, cymiteria reconciliandi *& percipiendi Sinodalia*, ipſi concedimus.

Noverint etiam omnes Fideles, quod mulier nobilis de Tudelburch, *Mechtildis*, partem prædii ſui, quod ſitum eſt prope locum *Wimechebureh*, om

nium

nium heredum ſuorum conſenſu, præcipue *Gotheſcalci*, filii ſui, & *Gerburgæ*, filiæ ſuæ, Eccleſiæ in Kaldenborne contulit, pro quo ob concambium, unum manſum in *Nemelikeſtorp*, cum ſilva, quæ dicitur *Eichenberch*, ejusdem Eccleſiæ Præpoſito *Godeſcalco*, ejusque Fratribus univerſaliter conſencientibus recepit. Verum licet horum heredum, & Epiſcopi RODOLFI & Marchionis *Adalberti*, ipſius loci Advocati conſenſu, ſatis firma ſint, ut ſolidius tamen roboretur, banno noſtro communiri decrevimus.

Præterea concambium, quod FRIDERICUS Imperator cum *Bernardo* Præpoſito, & Fratribus Eccleſiæ Kaldenburnenſis fecit, recipiendo ab eis redditus bonorum ad viginti quinque talenta, in pago *Orla*, & dando eis redditus XX. talentorum in villa *Winckele* de ſex manſis litonum, IV. talenta, & tres ſolidos. De novalibus VI. talenta, & VII. ſolidos, in *Varrenſtede*, de uno litonis manſo, & de uno flavi manſo & de aliis manſis famulorum quatuor talenta. In *Wulfferſtede*, de duobus manſis litonum, & de manſis famulorum, qui vocantur hygen, V. talenta & X. ſolidos auctoritate noſtra corroboramus. Conceſſit etiam idem FRIDERICUS Imperator Eccleſiæ præfatæ, ut ſi Advocatum ſuper eadem bona, quæ ſunt in *Winkele*, in *Varrenſtede*, in *Wulferſtede*, & quod plus eſt, ſuper omnia bona Eccleſiæ, poſſint emere, Majeſtatis ejus potencia, & ſuæ donationis Imperiali clementia emant Kaldenbornenſes, & quæ LOTHARIUS Imperator eis indulſit, & ſervanda inſtituit, ut plene ſuperius diſſeruimus, & ut in ejusdem LOTHARII privilegio continetur, ipſe confirmavit, & omnibus aſſenſum præbuit. Ideoque & Nos, cujus conſenſu præſcriptus concambii contractus conſummatus eſt, has donationes & commutaciones, Epiſcopali banno confirmamus.

Decernimus quoque, ut quicquid præfatæ Eccleſiæ Fratres de eruncatis fructetis in novalia redegerint, ſive quod in concambium receperint, ſive alii fideles eis contulerint, cum decimis eorundem novalium, quæ nunc & in futurum inde provenire potuerint, ipſorum juris ſit. Univerſa quoque, quæ a beatæ memoriæ *Wichmanno*, ſive a quibusque Fidelibus eidem loco tam in jugeribus, quam in villis, in ſilvis, in pratis, in vineis, in molendinis, cum ceteris commoditatibus, juſto jure collata ſunt, ſeu in poſterum conferri contigerit, auctoritate Apoſtolorum PETRI & PAULI, aliorum quoque ſacrorum Patrum, videlicet, Romanorum Pontificum KALIXTI, HONORII, INNOCENTII, EUGENII, Prædeceſſorum quoque noſtrorum piæ memoriæ REINHARDI, OTTONIS, RODULFI Halberſtadenſium Antiſtitum; quorum munitione firmata ſunt, EGO ODELRICUS Divina favente miſericordia Halberſtadenſis Epiſcopus, quatinus inconvulſa & illibata permaneant, præſentis paginæ ſcripto ſub anathemate corroboravi, meo quoque ſigillo inſigniri juſſi. Quod ſi quis hoc tenore cognito, temerarie infringere temptaverit hoc, & ſemel, & ſecundo, terciove commonitus, non reſipuerit, beatæ Dei Genitricis & Virginis MARIÆ, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ iram incurrat, & omnium Sanctorum digna ultione plectatur & perpetua excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non reſurgunt, in judicio deputetur, Amen. Hujus rei teſtes ſunt, *Martinus* majoris Domus Præpoſitus, *Erpo* Decanus, *Conradus* Camerarius, *Hermannus* Cuſtos, *Hinricus* Scolaſticus, *Rodolfus* Vicedominus, *Fridericus*, *Marquardus* Canonici, *Segebo* Abbas Hilſenebergenſis, *Echbertus* Husbergenſis, *Burchardus* Wimetchebergenſis, *Adelbertus* Conradesbergenſis, *Wulcwinus* in Sychem, Abbates. *Bernhardus* Præpoſitus in Kaldenborn, & alii plures. Ex Laicorum quoque ordine *Burchardus*, & filius ejus *Burchardus* de Valckenſtein, *Burchardus* de Querenvorde, *Eſicus* de Burnenſtede, *Eimo* de Meringe, *Bruno* de Haxeborne, & alii quamplurimi. *Acta ſunt hæc in Gatersleben pleno Concilio III. Idus Junii*, Anno Incarnationis Dominicæ M.C.LXXIX. Indictione XIII. Sed prius facta fuerant quædam de his, anno Incarnatio-

nis Dominicæ M.C.LI. Indictione XIV. coram testibus suprascriptis. Et nunc hæc alia omnia sunt confirmata anno Pontificatus nostri XXXI. & reditus nostri in Episcopatum, a quo tempore scismatis propter obedienciam Sedi Apostolicæ cessaremus annos XVII, anno III. coram his testibus, *Theodorico* majore Præposito, *Conrado* Præposito sanctæ Mariæ & Pauli, *Wernero* Præposito sancti Bonifacii, *Theodorico*, *Rudolpho*, *Gardolpho*, *Bernhardo* Præposito Caldenbornensi, *Theodorico* Marchione & fratre ejus Comite *Dedone*, *Burchardo* Burggravio Magdeburgensi, *Otthone* de Valckenstein, & aliis pluribus tam Clericis, quam Laicis.

NOTA ad Diploma hoc Synodale.

Tom. III. Conc. Germ. pag. 417 extat Diploma Odalrici nostri dat. 1178 & ex Leuckfeldii *Antiquitatibus Michaelsteinensibus* pag. 35 depromtum; contra quod nihil opponit *Lentzen in Historia Diplomat. Halberstad.* Igitur & hoc, quod ex ejusdem Scriptoris *Antiquitatibus Kaltenbornensibus* pag. 91 erutum communicamus, solido cum fundamento cur idem Halberstadensis Hist. autor pag. 90 arrodat, non video: maxime cum datum sit anno mox insequente, nec nisi quæ, bonam certe partem a. 1151 acta jam ante fuerant, coram testibus aliis corroboret, injecta ab Odalrico reditus sui in Episcopatum mentione.

SYNODUS MERSEBURGENSIS

Anno Christi MCLXXXII. Lucii III. PP. II. Friderici I. Reg. XXXI. Imp. XXVIII.

Sub EVERHARDO, (*) *Merseburgensi XX. Episcopo,* CELEBRATA DIE 24 MAJI.

SUMMA. EVERHARDUS ratam habet venditionem prædiorum a Fratribus Merseburg. Ecclesiæ Canonicis Præposito Kaldenbornensis Ecclesiæ factam.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. EVERARDUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ANTISTES MERSBURGENSIS.

Venditiones, commutationes & pacta, que inter mortales statuuntur, digne privilegiorum testimoniis roborantur, ne forte per lapsum temporis veniant in oblivionem, aut iniquorum dolis vel temeritate indignam incurrant permutationem. Noverint igitur omnes tam futuri, quam presentes, quod Fratres nostri Mersburgensis Ecclesie Canonici, cum consensu nostro *Bernhardo*, Kaldenbornensis Ecclesie Preposito & Fratribus ejus, predia quedam, pro XC. libris vendiderunt, ea videlicet ratione, ut de eadem pecunia Ecclesie nostre alia bona utiliora emerentur. Hec autem sunt predia & ville, in quibus ea sita sunt, in *Gerendorp* II. mansi, solventes XXX. soli-

(*) EVERARDUS XX. (*al.* XVIII.) Merseburgensis Episcopus, e Comitibus Bavaris de Seeburg ortus, a Capitulo eligebatur, a Friderico I Imperatore confirmabatur, atque a Wichmanno Magdeburgensi Archiepiscopo consecrabatur. Emit Merseburgense suburbium versus Lipsiam, quod pagus erat Nobilium de Werder, hodieque *Forum novum* adpellatur. Obiit a. Ch. 1205, Episcopatus 23.

ſolidos, in *Berkinſtede* III. manſi, ſolventes II. talenta & VI. ſolidos, in *Gortiz* unus manſus, ſolvens XIV. ſolidos. Ut ergo actio hujus venditionis omni evo rata & inconvulſa permaneat, paginam hanc inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione corroboramus, ac nunquam mutandam ſub anathemate obligamus. Actum Mersburc IX. Kl. Junii, *pleno Concilio*, anno Incarnationis Domini MCLXXXII. Indictione XV. Apoſtolico LUCIO, Magdeburgenſi Archiepiſcopo WIGMANNO, Mersburgenſi Epiſcopo EVERARDO. Hujus rei teſtes ſunt: *Ekelnus* Abbas Pigavienſis, *Regenbodo* Abbas de Aldenburc, *Heinricus* majoris Eccleſie Prepoſitus, *Chriſtianus* Decanus, & Canonici: *Reinboldus*, *Petrus*, *Arnoldus*, *Bertoldus*, *Conradus*, Magiſter *Wicbertus*, *Odelricus*, & Laici: *Carl* de Zuechin, *Ericus* de Dolzeke, *Ulricus* de Hornburc, *Didericus* de Wirben, *Heinricus* de Grifinhagen, *Heinricus* de Grifinberc, *Fridericus* de Saleke, *Didericus* de Lindinouwe, *Rudolfus* de Sala, *Adelbertus* de Azindorf.



SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Chriſti MCLXXXIV. Lucii III. PP. IV. Friderici I. Reg. XXXIII. Imp. XXX.

Sub THEODORICO, (*) *Halberſtadenſi XIX* (al. XX) *Epiſcopo*,

CELEBRATA

IN ASCHERSLEBEN.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.
THEODORICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA HALBERSTADENSIS ECCLESIE EPISCOPUS.

Pia decet Paſtorem in eos geſtare viſcera, quorum ſumma devotio eſt, de Paſtore promereri devotionem. Noverit igitur tam preſentium, quam futurorum Fidelium induſtria, quod ex intuitu retributionis Divine ſpecialique dilectione Caldenbornenſem Eccleſiam familiarius amplectentes, concilio, auxilio, prediorum quoque collatione, curavimus hactenus ampliare. Eapropter Fratrum inibi Deo famulantium utilitati ſimul & neceſſitati proſpicientes, predia quedam, que *Bevo*, Miniſterialis noſter, in villa *Eptzingen* a Nobis poſſederat, eo mortuo in perpetuum Eccleſie manſura donamus, & in teſtimonium hoc privilegium ſigilli noſtri impreſſione ſignamus, & hanc donationem, & quicquid a Predeceſſoribus noſtris, vel ab aliis quibuscunque Fidelibus predictà hucusque poſſedit Eccleſia, vel inpoſterum juſte eſt adeptura, auctoritate Dei Omnipotentis & noſtra confirmamus. Si qua autem Eccleſiaſtica vel ſecularis perſona hanc Confirmationis noſtre paginam infringere tentaverit, cum Angelis apoſtaticis anathema ſit. Hujus rei teſtes ſunt Canonici majoris Eccleſie: *Conradus* Decanus, *Anshelmus* Vice-

Xxxx 3 domi-

(*) THEODORICUS ex antiqua, celebri, & jam nunc apud Magdeburgenſes & Anhaltinos florente *Croſickiorum* familia, mox ab obitu Ulrici, electus quidam Epiſcopus; ſed non niſi a. 1184 a Conrado Moguntino Archiepiſcopo inauguratus fuit. Varia edidit in variorum per Diœceſin Monaſteriorum favores diplomata, quæ extant Tom. CC. III. pagg. 427, 437, & 448. Cœpit e cineribus novam excitare Cathedralem Eccleſiam, & arcem Langenſteinianam ſuis rurſum numeris abſolvit. Obiit a. Ch. 1193 (*al.* 1195) Epiſcop. 13, ante aram S. Crucis ſepultus. *Samuel Lentzen in Hiſtoria Diplom. Halberſt. a pag.* 90.

dominus, *Wernerus* Prepositus S. Bonifacii, *Fridericus* Canonicus, *Albertus* Magister, *Gevehardus* Canonicus, *Theodoricus* Abbas de Ilsineburg, *Rudolphus* Abbas de Winedeburg, *Arnoldus* de Merseburg, *Henricus* Prior in Hademarisleben, *Hermannus* Prepositus S. Johannis, *Jordan* Prepositus de Scheningen; Laici: Comes *Hoyer* de Leuenbergk, *Siffridus* de Arneburck, *Otto* Comes de Valkenstein, *Rudolphus* de Gersdorff, *Ludolphus* de Isleben, *Cæsareus*, *Heinricus*, *Meingotus*, *Conradus*. Acta sunt hec Aschersleben, *in Cœna Domini plena Synodo*, Anno Dominice Incarnationis M. C.LXXXIV. Indict. II.

SYNODUS BAMBERGENSIS

Anno Christi MCXCVI. Cœlestini III. PP. VI. Henrici VI. Reg. VII. Imp. VI.

Sub THIMONE, (*) *Bambergensi XIII Episcopo*,

CONVOCATA.

MENTIO SYNODI.

Postero anno, i. e. anno 1196 THIMO frequentem Abbatum Cleri & Comprovincialium Conventum *Bambergæ* advocavit & ad eos, de lapsa Ecclesia (fors *Ecclesiæ*) & reipublicæ disciplina, retulit.

Cl. Hoffmann Annal. Bamberg. Lib. IV. Edit. Ludewigian. Tom. I.

(*) THIMO, (al. *Tiemo*) Canonicus & Ecclesiæ S. Stephani Præpositus, Ottoni *Largo* a. 1192 successit, Vir egregius inprimis & justitiæ & integritatis laude præstans, qui altero post electionem anno singulare hoc a Papa Cœlestino privilegium tulit, ut ne aut Episcopus Bambergensis aut Clerus ad receptionem sive provisionem alicujus in beneficiis ecclesiasticis vel pensionibus compelli possit. Cum civibus suis tributum a. 1197 primus imponeret, multorum in se concitavit invidiam. Anno 1200 Innocentium III Pontificem, ad Cunegundem Augustam inter divos referendam, permovit. (*Tom. CC. Germ. III. pag.* 473.) Tandem contracto ex vigiliis morbo, vivere desiit XVII Cal. Nov. a. Ch. 1202, Episcopat. 10. Cadaver æquissimi Præsulis in Basilicam cathedralem delatum, ad truncum prope aram S. Cunegundis sepulturæ mandatum est.

Hoffmann. Annal. Bamberg. l. c.



SYNO-

SYNODUS LEODIENSIS
Eodem anno Christi MCXCVI.
Sub ALBERTO, (*) Leodiensi XXXV Episcopo, LEODII CELEBRATA.

SUMMA. ALBERTUS Episcopus donatum a Godefrido de Chaumont Abbati Bonæ spei Ord. Præmonstrat. in Hannonia Jus patronatus Ecclesiæ de Chaumont (hodie Divennomienensis) confirmat.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. ALBERTUS, DEI GRATIA LEODIENSIS EPISCOPUS, TAM FUTURIS, QUAM PRÆSENTIBUS IN PERPETUUM.

Quoniam ea, quæ fiunt ab hominibus diuturnitate temporis plerumque memoriam humanam subterfugiunt, nisi beneficio scripturæ in lucem revocentur;

Inde est, quod memoriæ tam futurorum, quam præsentium, præsentis scripti testimonio duximus imprimendum, nobilem virum *Godefridum de Calmont* (**) una cum filio suo *Jacobo* in suorum levamen peccaminum; Ecclesiam de Calmont cum suis appenditiis, cui de feodo (*feudo*) nostro jus donationis competebat, libere & absolute in manus nostras resignasse.

Nos quoque Divinæ miserationis intuitu ad nostræ salutem animæ præfatam Ecclesiam cum omni integritate sui juris ad devotam petitionem ipsius *Godefridi*, & filii sui *Jacobi*, *Monasterio Bonæ spei* liberaliter contulisse; eo tenore, ut Conventus dicti Monasterii unum de suis in Ecclesia de Calmont faciat investiri, qui curam ejusdem Ecclesiæ gerat, & debitum officium in ea administret, salvo jure Episcopi, & Archidiaconi, in cathedratico & obsoniis.

Hanc autem Ecclesiam de manu nostra suscepit Leodii *in Synodo nostra Generali*, *Joannes* tunc temporis Abbas Bonæ spei, ut ipsa Ecclesia Bonæ spei tam de cultis, quam incultis, dote, decimis, & omni proventu, cum omni integritate fructus percipiat.

Ut

(*) ALBERTUS *Cuickius*, rara vir animi fortitudine, constantia, prudentiaque clarus, ex illustri *Cuickiorum* Satraparum, olim Comitum gente, eligitur, Simone, Ducis Ardennæ filio, S. R. E. Cardinali, æmulo Romæ sublato, votis omnium Namurci in æde S. Albani congregatorum, a. 1195 ex Archidiacono Lambertiano Leodiensis Episcopus, a S. Huberto quintus & trigesimus; reversus ex Urbe a. 1196 festo Epiphaniæ in Ecclesia Coloniensi ab Adolpho Archiepiscopo consecratur, paucosque post dies Leodium veniens, insigni ordinum omnium gratulatione ac plausu excipitur. Obiit post regimen annorum duntaxat quatuor breve satis, idque simoniaca labe commaculatum a. Ch. 1200. Cal. Febr. & in æde sacra S. Lamberti ante chorum superiorem sepultus, Judicem expectat.

Cl. Joannes Chapeaville in Script. Episcoporum & Rerum Leodiens. Tom. II. a pag. 186.

R. P. Barthol. Fisen S. J. in Historia Ecclesiæ Leodiensis Lib. XI. a pag. 426.
Illmus de Castillion in sacra Belg. Chronol. P. II. pag. 232.

(**) *Calmont*, nunc vulgo *Chaumont*, Ecclesia S. Bavoni Gandavensium Patrono sacra, sita olim in Diœcesi Leodiensi, nunc vero in Namurcensi. Jus patronatus hoc diplomate obtinuit Abbas Bonæ spei, pro Pastore e Religiosis assumendo, licet hic locus undequaque situs sit in Brabantia, feudalitio tamen nexu dependet ab Episcopo Leodiensi: sed possidetur ab Abbate Bonæ spei titulo Baronatus. *V. Gallo-Brabantiam Baronis le Roy pag.* 153.

Ut autem hæc noſtra donatio ſtabilis maneat & illibata, & ne quis ſcrupulus quæſtionis inpoſterum poſſit emergere, præſentem paginam auctoritate noſtri ſigilli in facie & teſtimonio majoris Eccleſiæ Leodienſis, quæ hæc vidit & audivit, fecimus communiri.

Si quis autem contra hanc noſtram legitimam donationem aliquid attemptare præſumpſerit, auctoritate DEI Omnipotentis & noſtra uſque ad condignam ſatisfactionem vinculo anathematis ſe noverit innodatum.

Actum eſt Leodii in Eccleſia beati Petri Apoſtoli *in noſtra Synodo Generali*, anno Incarnationis Domini Milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto, Indictione decima tertia, anno Pontificatus noſtri primo.

Teſtes ſunt: *Otho*,
Radulphus, Archidiaconi.
Conradus major Decanus.
Herbertus Cellerarius & Eccleſiæ S. Pauli Præpoſitus.
Henricus de Marembais, Foſſenſis Præpoſitus.
Lambertus de Wahart.
Radulphus de Comblen.
Rogerus de Rivonge.
Mainerus de Werde, & alii plures majoris Eccleſiæ Canonici.
Garnerus, Abbas Prumienſis.
Wibertus, Abbas Bronienſis.
Albertus, Abbas Helencinenſis.
Gozuinus, Abbas montis Cornelii.
Sebaſtianus, Abbas Parcenſis.

De nobilibus Viris teſtes ſunt:

Walterus, Advocatus de Bar.
Winandus Dozen.
Faſtradus de Calmont.
Radulphus Boſius.
Maneſerus de Preele.

De Familia majoris Eccleſiæ:

Bodo de Hozenmont.
Reinerus de Lewege.
Arnulphus, frater ſuus.
Warnerus de Nivella.
Wedericus de Prato, & alii multi.

Aubertus Miræus Tom. III. Diplomatum novæ Collectionis pag. 577. edente Cl. Foppens Bruxellis a. 1734. pag. 577.

SYNODUS HALBERSTADENSIS
Anno Chriſti MCC. Innocentii III. PP. III. Ottonis IV. Reg. IV.
Sub GARDULPHO, (*) *Halberſtadenſi XX* (al. XXII) *Epiſcopo*, CELEBRATA.

SUMMA. GARDULPHUS ratam habet pro commutatione decimæ in Tenſtorp, donationem manſi unius Oſſendorpienſi Eccleſiæ factam.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. GARDOLPHUS, DEI GRACIA HALBERSTADENSIS EPISCOPUS, OMNIBUS, AD QUOS PRESENS SCRIPTUM DEVENERIT, IN PERPETUUM.

Pontificatus noſtri debitum & racio expoſtulat, ut, quecunque actiones ſive contractus in Eccleſia noſtre diſpenſacioni commiſſa canonice fuerint celebrate, ne ulla umquam improbitatis turbentur calumnia, omni, qua poſſumus, diligencia caveamus. Ea propter notum eſſe volumus tam preſentes.

(*) De Gardulpho *Tom. CC. German. III. pag.* 473.

ſentes, quam futuri temporis Fidelibus, quod Venerabiles Fratres de Valle beate MARIE dilecto Fratri noſtro, *Ottoni de Hertbecke* decem marcas argenti dederunt, ut ipſe manſum unum, in *Rodensleve* ſitum, quem jure hereditario poſſederat, Eccleſie in *Oſſendorp* pro commutacione decime in *Tenſtorp*, que ad ipſam pertinuerat, erogaret. Nos ergo eam ratam habentes commutacionem - - - Sacerdoti de *Oſſendorp* decimam ſupradictam ex conſenſu totius noſtri Capituli majoris Eccleſie in Valle beate MARIE in perpetuo contulimus perfruendam. Ad hujus autem rei, que geſta eſt, inviolabile firmamentum honeſtos viros & idoneos in teſtimonium adduximus, quorum hec ſunt nomina: *Conradus* noſtre majoris Eccleſie Prepoſitus. *Wernerus* Decanus. *Fridericus* Vicedecanus. *Geroldus* Cellarius. *Olricus* Scolaſticus. *Ludolphus* Archidiaconus. *Borgardus* Archidiaconus. *Conradus* Prepoſitus Erfordenſis, univerſumque noſtre majoris Eccleſie Capitulum. Abbates: *Hermannus* Aſſenebergus. (Ilſeneburgenſis) *Robertus* Huyesborch. *Sifridus* Wimodeberg. *Sifridus* Ballenſtad. Laici vero nobiles: *Ludolphus* major Advocatus. *Arnoldus* de Scherinbeke. *Otto* & *Hermannus*, fratres noſtri de Herbeke. Miniſteriales Eccleſie noſtre: *Cæſarius* & *Gevehardus* de Oſſchersleue. *Fredericus* & *Ludgerus*, fratres de Menhagen. *Bartoldus* & *Criſtianus* de Hordorp. *Teodericus* Advocatus de Rena, & alii quamplures, quos cauſa compendii ſubticemus. Acta autem ſunt hec *in noſtra ſolenni Sinodo* anno Incarnati Verbi MCC. Indictione III. Preſidente ſancte Romane Eccleſie INNOCENTIO Papa Tertio. Regnante Sereniſſimo Romanorum Rege PHILIPPO. Anno Ordinationis noſtre VII.

Ne igitur pretaxatam commutationem noſtramque donationem quis umquam infringere, vel iniqua attemptatione audeat infirmare; in virtute Spiritus Sancti *Banno noſtro Sinodali* communimus, & hanc paginam contra varios futurorum incurſus inde conſcriptam impreſſione noſtri ſigilli fecimus inſigniri.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Chriſti MCCV. Innocentii III. PP. VII. Ottonis IV. Reg. VII.

Sub CONRADO, (*) *Halberſtadenſi XX* (al. XXI) *Epiſcopo,* CELEBRATA.

SUMMA. *Donat* CONRADUS *Eccleſiæ cuidam Ciſtercienſis Ordinis, ſub debito jugis memoriæ in ea habendæ, locum quendam molendini.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. CONRADUS, DEI GRATIA HALBERSTADENSIS ECCLESIE EPISCOPUS, OMNIBUS CHRISTI FIDELIBUS, AD QUOS PRESENS PAGINA PERVENERIT, IN PERPETUUM.

Sicut Eccleſiis Nobis in Domino ſuffragantibus prona debemus ſollicitudine providere, propenſius quoque Fratribus Ciſtercienſis Ordinis noſtrum impendimus patrocinium, ut eos, contemplacioni vigilancius attendentes, de rebus temporalibus ſalubriter foveamus, & collata ipſis contra varios futurorum incurſus firmiori robore muniamus. Notum igitur eſſe volumus tam preſentis, quam futuri temporis Fidelibus, quod Venerabilis Abbas & Conventus ejusdem Eccleſie quendam miniſterialem Eccleſie noſtre,

ſtre, *Didericum* nomine de . . . . . ad hoc adduxerunt, quod ipſe locum quendam molendini in occidentali parte ville . . . . . ſuper fluvium . . . . . . ſitum, quem de manu noſtra in pheodo (*feudo*) tenuit, nobis reſignavit. Nos itaque benedictorum memoriam conparare Nobis volentes eundem locum Eccleſie in . . . . pro ſalute noſtra, & Venerabilium Anteceſſorum & Succeſſorum noſtrorum, Epiſcoporum, de connivencia tocius Capituli noſtri contulimus cum advocatia & omni jure, quo ipſum habuimus, habendum, poſſidendum & in perpetuum perfruendum. Ut & noſtra & Canonicorum noſtrorum majoris Eccleſie ex eo in prefata Eccleſia jugis memoria habeatur. Hujus rei teſtes ſunt: *Wernerus*, majoris Eccleſie noſtre Prepoſitus; *Burchardus*, Decanus; *Fridericus*, Vicedominus; *Geroldus*, ſancte Marie Prepoſitus; *Almarus*, ſancti Pauli Prepoſitus; *Arnoldus*, Scholaſticus, ceterique noſtre majoris Eccleſie Canonici. Nobiles viri: *Wernerus* de Amuorf; *Guntzelinus* de Croſne; *Hermannus* de Harbeke; *Arnoldus* de Schernbeke; *Hugoldus*, filius ejus; *Albero* de Byſenrode; *Conradus* de Schernbeke; *Sifridus* de Piſikendorp. Miniſteriales vero *Gevehardus* de Aluensleve; *Johannes* de Gaterſleve; *Fridericus* & *Lutgerus* fratres de Nigenhagen; *Hugoldus* de Quenſtede; *Theodericus* de Halberſtad, & alii quamplures. Acta autem ſunt hec anno Incarnationis Verbi M.CC.V. Indictione VII. preſidente ſancte Romane Eccleſie Domino Papa INNOCENCIO tercio, anno Ordinacionis noſtre quarto. Ne igitur hanc donacionem noſtram inprobitas alicujus infringere vel temeraria preſumpcione audeat infirmare, auctoritate Dei Omnipotentis & Apoſtolorum Principis, *Banno noſtro Sinodali* eam communientes, hanc paginam inde conſcriptam inpreſſione noſtri ſigilli fecimus inſigniri.

Ex Polycarpi Leyſeri Comm. de Contraſigillis medii ævi p. 13. *Edit. Helmſtad.* 1726. 4.

(*) *De* Contrado *vide Tom. III. CC. Germ. pag.* 484, & *adde:* CONRADUS, *Dedone* patre, Theodorici Epiſcopi ſupra nominati fratre, matre *Adelheide* genitus, literisque & arte rhetorica tinctus præclare, unanimibus & Cleri & populi ſuffragiis eligebatur a. 1201 menſ. Sept. e Præpoſito Epiſcopus, atque a *Ludolpho*, Magdeburgenſi Archiepiſcopo, (*velint alii, licet, ab* Eichſtättenſi *Epiſcopo*) Calendis Jan. a. 1202 conſecrabatur. E Palæſtina, quo circa annum 1203 abierat, Romam profectum, ingenti Pontifex cum honore excepit, dimiſitque non paucis Sanctorum reliquiis donatum a. 1205 in Germaniam. Redux Conradus altare erexit in Cathedrali novum, in Sanctorum honorem, quorum ſecum venerandas exuvias e Latio contulerat. Anno 1206 ereptum Diœceſi ſuæ a Ludolpho Magdeb. Archiepiſc. caſtrum *Aſchersleben* recuperavit. Anno 1207 templum S. Stephani, cui jam ante perinſignem ornatum dederat, ampliandum curavit novisque parergis illuſtrandum. Anno 1210 (*al.* 1209) abdicato Epiſcopatu, in *Sichem*, ſeu *Sittichenbach* Ciſtercienſe cœnobium ſe recepit, ubi transactis 15 annis vitam cum laude poſuit a. 1225, ubi etiam ſepultus.

Lentzen in Hiſtoria Diplom. Halberſt. a pag. 131, *caute legendus, utpote autor de ſacris lipſanis contemtim ſcriptitans.*



SYNO-

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Chriſti MCCVI. Innocentii III. PP. VIII. Ottonis IV. Reg. VIII.

Sub eodem CONRADO, *Halberſtadenſi Epiſcopo,*

CELEBRATA.

SUMMA. *Poſſeſſio Silvæ a Theodorico, Saxoniæ Comite, Eccleſiæ B. M. in . . . . donatæ confirmatur.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS.
CONRADUS, DIVINA PROVIDENTIA SANCTE HALBERSTADENSIS ECCLESIE EPISCOPUS IN PERPETUUM.

Juris vigor & ordo exigit rationis, ut, que ad Eccleſiarum commodum coram Nobis rationabiliter celebrantur, Nos, ea noſtre auctoritatis robore confirmantes, contra varios, etiam futurorum incurſus, ſolerti patrocinio muniamus. Notum igitur eſſe volumus univerſis Fidelibus, tam preſentis temporis, quam futuri, quod cum pie recordationis Dominus *Fredericus*, illuſtris Palatinus Comes Saxonie, ſilvam ville . . . . . adjacentem Eccleſie in . . . . . . pro anime ſue remedio contuliſſet, & ipſa Eccleſia ſine qualibet interruptione ipſam triginta annis & amplius in quiete libera poſſediſſet, cives de . . . . . aliquid in eadem ſilva juris ſibi temere vendicantes, ipſam invadere preſumpſerunt. Eccleſia igitur . . . . . ſuper tali injuria cives predictos ad noſtrum judicium pertrahendo, ſuum jus tantum fuit ſagaciter proſecuta, quod dictante ſententia ſupra dictam ſilvam ſeptima manu juſta preſcriptione ſe ſine interruptione obtinuit, libere poſſediſſe. Nos igitur tandem ſilvam Eccleſie ſancte Marie, ſicut per ſententiam ei adjudicata fuit, *Sinodali Banno noſtro* corroboravimus ſtatuentes, ut nullus deinceps ſuper eo ipſam inquietare aliquibus calumpniis audeat vel vexare. Acta ſunt hec anno Dominice Incarnationis M.CC.VI. Indictone VIII. anno Ordinationis noſtre V. Hujus rei teſtes ſunt majoris Eccleſie noſtre Domini: *Burchardus* Decanus, *Otto* Diaconus, *Arnoldus* Sacerdos, *Conradus* Sacerdos. Canonici vero Beate Virginis: *Hunoldus* Decanus, *Tidericus* Diaconus, *Reinoldus* Subdiaconus, *Olricus* & *Tidericus*, Notarii. Laici vero nobiles: Comes *Sifridus* de Aldenhuſen, *Arnoldus* de Scherenbike, *Otto* de Swanebike, *Arnoldus* de Meiendorp. Miniſteriales vero Eccleſie noſtre: *Gevehardus* Dapifer, *Johannes* de Gatersleve, *Heinricus* de Zheringe, *Gevehardus* de Holtdempna, & alii quamplures. Ne igitur, quod coram Nobis tam rationabiliter eſt peractum, alicujus inprobitas infringere audeat inpoſterum, vel quacunque preſumptione temeraria diſturbare, hanc paginam, inde conſcriptam, impreſſione noſtri ſigilli fecimus inſigniri.

Ex Polycarpi Leyſeri Comment. de Contragillis medii ævi cit. pag. 11.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Christi MCCVIII. Innocentii III. PP. X. Ottonis IV. Reg. X.

Sub eodem CONRADO, Halberstadensi Episcopo, CELEBRATA.

SUMMA. *Monachi de . . . . in possessione sex mansorum &c. roborantur.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. CONRADUS, DIVINA PROVIDENCIA SANCTE HALBERSTADENSIS ECCLESIE EPISCOPUS IN PERPETUUM.

Cum utilitati omnium Ecclesiarum, sub nostra jurisdictione degentium, intendere debeamus, specialius tamen eis, qui sub Ordine Cystercienfi Domino famulantur, nostrum duximus patrocinium impertiri, & si qua ad eorum commodum disponuntur, nostro ea firmitatis robore contra varios futurorum incursus inviolabiliter communire. Eapropter noverint universi, quod cum in obsequio sancte Crucis in transmarinis fuissemus partibus constituti, dilecti in Christo filii Monachi de . . . . . . VI. mansos in villa . . . . . . sitos, cum attinentiis eorundem, V. videlicet arcis, & silvula, que vocatur . . . . . nostre Ecclesie pertinentes, quos Comes . . . . de manu nostra jure tenuit feodali, (*feudali*) ab eo autem Ministeriales Ecclesie nostre *Cesarius* & *Heinricus* de . . . . tenuerunt, a Rege OTTONE sub nomine proprietatis ipsius rationabiliter, videlicet contractu congruo, compararunt. Cum autem in reditu nostro super hac emptione Monachos pulsaremus, cum predictis bonis nostro se per omnia consilio submiserunt, ad hoc antedictos Ministeriales nostros prece & precio inducentes, quod idem ministeriales Comiti, Comes vero Nobis ipsum feodum resignavit, & Nos alios sex mansos, in villa . . . . sitos, quos antedictus *Heinricus* de manu nostra tenuit, Comiti concessimus memorato, & ipse Comes de consensu *Cesarii* soli *Heinrico* concessit eosdem. Idem autem *Heinricus*, ut Nos commutacionem admitteremus antedictam IV. mansos proprietatis sue, duos . . . . . duos vero . . . . sitos, Ecclesie nostre contradidit, consensu heredum suorum per omnia consonante, & sic predicta bona in . . . . sita, Ecclesie in . . . . cum advocatia, & ab omni inpeticione libera, de connivencia Capituli nostri contulimus perpetualiter possidenda. Hujus rei testes sunt: *Burchardus* majoris Ecclesie nostre Decanus, *Fridericus* Vicedominus, *Conradus* sancte Marie Prepositus, & totum majoris Ecclesie nostre Capitulum. Laici vero nobiles: *Gunzelinus* de Crozue, *Wernerus* de Suseliz, *Hermannus* de Hartbike. Ministeriales: *Gevehardus* Dapifer, *Hugoldus* de Quenstide, *Teodericus* Marchalchus, & alii quamplures. Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis M. CC. VIII. Indictione X. anno Ordinacionis nostre VII. Ne igitur super hiis, in nostra presentia legitime celebratis, Ecclesiam in . . . . . aliquis inquietare presumat, Banno nostro Episcopali firmiter inhibemus, hanc paginam, sigilli nostri impressione signatam, ei in testimonium erogantes. Data per manum *Teoderici* Notarii.

Ex ejusdem Polycarpi Leyseri Comment. de Contrasigillis med. ævi pag. 14. *Communicavit Cl. D. ab Erath defunct.*

SYNO-



SYNODUS RATZEBURGENSIS *Major* Anno Chrifti MCCXVII. Honorii III. PP. I. Ottonis IV. Reg. XX. Imp. IX.

Sub HENRICO, (*) *Ratzeburgenfi V Epifcopo,* CELEBRATA DIE 24 MAJI.

SUMMA. Donationes Alberti, Raceburgenfis Comitis, factas Ecclefiæ in Bergerdorp, confirmat Henricus.

HENRICUS, DEI GRATIA RACEBURGENSIS EPISCOPUS, OMNIBUS, AD QUOS PRÆSENS PAGINA PERVENERIT, SALUTEM IN CHRISTO JESU, SALUTARE NOSTRO.

Humanum genus hoc fibi remedium adinvenit, ut facta fua commendet in fcriptis, ne per fucceffus temporis, qui memoriæ novercantur, ulla poffit oriri dubitatio; fed fcripturæ teftimonio facti veritas elucefcat. Conftare igitur volumus omnibus in Chrifto renatis & Deum timentibus, quod *Albertus* illuftris Comes Raceburgenfis Ecclefiæ in *Bergerdorp* fex manfos in villa *Burneffem* & duos in *Wenerdorp* & colonos in eis habitantes ab omni exactione & fervitio & jure, quod in ipfis habebat, abfolvit, & liberos effe perpetuo donavit, eo tamen in eis jure retento, quod ad munitionem caftri *Lowenburg* tantum plantas ducere, & non alia fervitia facere, & ad defenfionem terræ, quod vulgo *Landwere* dicitur, prædictorum manforum coloni fubfidia præbere tenebuntur. Præterea idem jam dictus Comes, cujus memoria fit cum Sanctis in gloria, ipfi Ecclefiæ noftræ in *Bergerdorp* rivum *Bilne* ad ædificandum in eo molendinum ad falarium Sacerdotum Deo inibi fervientium fua contulit liberalitate. Ut autem hæc tam conveniens & laudabilis donatio jam dictæ Ecclefiæ firma fit & ftabilis, ac ne quis poffit huic libertati contradicere, præfens fcriptum figilli noftri appenfione munivimus, eumque donationem banno noftro ligamus, & auctoritate, qua fungimur, ipfi Ecclefiæ confirmamus. Confirmamus etiam præterea & ftabilimus Ecclefiæ noftræ in *Bergerdorp* jam fæpius nominatæ, omnes pertinentias fuas, quas pertinere fecit prima Fundatorum fuorum inftitutio, vel legitima emtio, vel devota Fidelium oblatio, fecundum confirmationem piæ memoriæ Domini ISFRIDI & PHILIPPI, Epifcoporum Raceburgenfis Ecclefiæ, five fit in decimis, vel in manfis, vel in pratis, vel in pafcuis porcorum, vel fitu molendinarii commoditatis, ut Ecclefiæ prælibatæ in perpetuum firmæ fint & ftabiles. Si quis vero malignorum & Dominum non timentium huic donationi & firmationi contraire attentaverit, anathema fit & communione Sanctorum privetur æterna. Confirmata autem funt hæc *Molne, in majori Synodo noftro,* præfentibus tam Laicis, quam Clericis, *Wicmanno* Raceburgenfi Præpofito, *Henrico* Priore, *Godefcalco* Camerario, *Go-*

(*) HENRICUS vir infignis, poft Philippum Raceburgenfi ecclefiæ a. 1215 præficitur: nimirum ex fratribus, qui tum fervente nova religione & ipfi omni devotione fervebant. Sed facit temporum illorum incuria, quod non multa de præftantibus illis viris relata funt in literas. Obiit a. Ch. 1228. Epifcop. 13.

Crantz. in Metropoli ed. Colon. apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios 1574. *pag.* 471.

descalco Sacerdote, *Cunone* Sacerdote, Raceburgensis Ecclesiæ Canonicis; Laicis: *Ottone Albo*, *Nothelino* de Goldene, *Nicolao* de Below, *Werdago* de Molne, & aliis multis; anno Incarnationis Dominicæ MCCXVII. IX. Calend. Junii.

DECRETUM
IN EADEM SYNODO MAJORE,
de decima pullorum Arnoldo, Sacerdoti in Bergerdorp, persolvenda.

HENRICUS, DEI GRATIA RACEBURGENSIS EPISCOPUS.

Cum *Synodo in Ecclesia Bergerdorp* præsideremus; *Arnoldus* ejusdem Ecclesiæ Sacerdos pro decima pullorum, scilicet quod pullos non darent de areis, cum tamen de justitia dare deberent, contra inhabitantes jam dictam Parochiam querimoniam deposuit, & altercatione facta, pro sententia de eadem caussa dictanda Raceburgi *ad majorem Synodum*, quatenus justitia declaretur, partes citatæ sunt; *in majori etenim Synodo nostra* sententia dictavit, & a Clericis & a militibus & universis, qui aderant, approbata est, quod, qui darent decimam majorem in agro de manipulis & minutam de jumentis, dare tenerentur ex justitia & pullos de areis, quod vulgato *Robon* dicitur. Mandamus igitur districte præcipientes omnibus Parochianis de *Bergerdorpe*, ut decimam pullorum, scilicet unum de area, ejusdem loci Sacerdoti sine contradictione persolvant; si quis vero justitiæ contradixerit, & dare pullum noluerit, ipsum authoritate, qua fungimur, excommunicamus & supplicio damnamus æterno. Ut autem rata & inviolata permaneant, & ne quis contraire præsumat, præsentem paginam sigilli nostri appensione munivimus. Testes sunt: *Wicmannus* Raceburgensis Præpositus, *Wickerus* Sacerdos, *Godescalcus* Camerarius, *Ludovicus* Diaconus, Canonici Ecclesiæ Raceburgensis; *Hinricus* Pincerna, *Wilhelmus* de Zacharan, *Nicolaus* de Salem, *Volmarus* miles, *Procherus* miles, & alii quamplures. Facta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ MCCXVII.

FRIDERICI II. Augusti Constitutio
de regimine & potestate Civitatum Episcopalium, quæ Episcopi ex dono Imperialis culminis possident, typario suæ imaginis impressa divalis pagina & bulla aurea,

EDITA
RAVENNÆ
Anno Christi MCCXXXI.
MENSE JANUARIO, INDICT. V.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

FRIDERICUS SECUNDUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, JERUSALEM ET SICILIÆ REX.

Cum Romanæ Monarchiam dignitatis ipso Autore, per quem Reges regnant & Principes obtinent principatus, qui super gentes & regna constituit Sedem nostram, principaliter teneamus, & simus in potestatis plenitu-

nitudine constituti, imperatoriam condecet Majestatem, eos, per quos cepit, & in quibus consistit nostræ gloriæ celsitudo, qui & vocati sunt Nobiscum in partem solicitudinis cum a nostra celsitudine decus recipiant & decorem, non solum in suis antiquis juribus tueri, pariter ac fovere, imo quantum æquitas sinit, & permittit ratio, novis & honestis tam juris, quam gratiæ muneribus decenter & honorabiliter decorare. Sane cum ex neglectu juris pariter & defectu in partibus Alemaniæ adeo in usum redactæ sint quædam *consuetudines* detestandæ, ut boni speciem præferentes iniquitatem quodam falso pallient velamento, quibus & Principum Imperii juri detrahitur & honori, & imperialis nihilominus per consequens authoritas enervatur, nostræ incumbit solicitudini præcavendum, ne hujusmodi consuetudines, quas censemus potius *corruptelas*, in diuturniora tempora protrahantur. Volentes igitur, ut libertates & dona, quæ dilecti nostri & Imperii Principes ex dono nostri imperialis culminis nunc possident, & sunt pro tempore possessuri, latissima interpretatione gaudeant, & quieta omnimode ipsi Principes ea possideant libertate, hac nostra *edictali Sanctione* revocamus in irritum, & cassamus, in omni civitate vel oppido Alamanniæ, communia consilia, Magistros civium seu Rectores, vel alios quoslibet Officiales, qui ab universitate civium, sine Archiepiscoporum vel Episcoporum beneplacito statuuntur, quocunque pro diversitate locorum nomine censeantur. Irritamus nihilominus & cassamus cujuslibet artificii confraternitates seu societates quocunque nomine vulgariter appellentur. Item hac nostra *edictali Sanctione* placuit statuendum, ut in omni civitate, vel oppido, ubi moneta jure cuditur, nec mercimonia, nec victualia aliquo argenti pondere vendantur vel emantur, præterquam illis denariis, qui cuilibet civitati vel oppido sunt communes. Sicut enim temporibus retroactis ordinatio civitatum, & bonorum omnium, quæ ab imperiali Celsitudine conferuntur, ad Archiepiscopos & Episcopos pertinebat, sic eandem ordinationem ad ipsos & eorum Officiales, ab eis specialiter institutos, perpetuo volumus permanere, non obstante abusu aliquo, si quis in aliqua civitate forte contrarius extitisset, quod de facto potius, quam de jure censemus. Ut igitur talis omnino removeatur enormitas & abusus, nec authoritatis aliquo velamine pallietur, omnia privilegia, literas apertas & clausas, quas vel nostra pietas, vel Prædecessorum nostrorum, Archiepiscoporum etiam & Episcoporum super societatibus communibus seu consiliis in præjudicium Principum & Imperii, sive privatæ personæ dedit, sive cuilibet civitati, ab hac die in antea, in irritum revocamus, ac frivola penitus & inania judicamus: protestantes hanc nostræ constitutionis sive sanctionis seriem, exquisitam *ex Decreto Principum* & ex nostra certa scientia in forma judicii processisse.

Statuimus igitur & *imperiali* sancimus *Edicto*, quatenus nulla omnino alta vel humilis Ecclesiastica vel secularis persona huic nostræ constitutioni vel sanctioni ullo adveniente tempore, aliquatenus contraire vel obviare præsumat. Quod qui præsumpserit, præter indignationem nostri culminis, sciat se L. librarum auri puri pœna mulctandum, quas Fisco nostro volumus applicari. Ad hujus autem constitutionis & sanctionis nostræ memoriam & robur perpetuo valiturum, præsentem divalem paginam fieri & bulla aurea typario nostræ (*a*) imaginis impressa jussimus communiri. Hujus rei testes sunt: *B.* Patriarcha Aquilegiensis, *A.* Magdenburgensis . . . . Ravennas & *B.* Panormitanus Archiepiscopi, *F.* Babinbergensis, *H.* Wormaciensis, *P.* Ratisbonensis Episcopus, imperialis aulæ Cancellarius. Brixinensis, . . . Osemburgensis, *Reginus* Curiensis, Imolensis, Mutinensis & Faventinus Episcopi. (*b*) *A.* Dux Saxoniæ, *O.* Dux Meraniæ, & *B.* Dux Karinthiæ, Comes *H.* de Hortenburch, Comes *H.* de Nassawe, *C.* de Hoenloch,

(*a*) Majestatis. *Schannat.*

(*b*) Reginum *omittit, & ordinem transponit Schann.*

loch, Comes (c) *Stephanus* de Spanaym, *H.* frater ejus, Comes *L.* de Hohenſtat, *G.* de Arneſtein, ſacri Imperii in Italia Legatus, *Warnerius* de Bollandia, *Gunzelinus*, *Riccardus* imperialis aulæ Camerarius, & alii quamplures. Signum Domini FRIDERICI Secundi, Dei gratia invictiſſimi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Jeruſalem & Siciliæ Regis magnifici. Ego SIGFRIDUS Dei gratia Ratisbonenſis Epiſcopus, imperialis aulæ Cancellarius, vice Dompni *H.* Colonienſis Archiepiſcopi, in Italia Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXI. (*d*) menſe Januarii, V. Indictione, imperante Domino noſtro FRIDERICO, Dei gratia invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem & Siciliæ Rege, anno Imperii ejus XII. regni Jeruſalem VII. regni vero Siciliæ XXXIV. feliciter. Amen.

Datum Ravennæ anno, menſe & indictione præſcriptis.

Ex Collectione nova Conſtit. Imperii Parte II. pag. 16. *Collatum a me cum Senckenberg.* 1762. 9 *Julii.*
Ex Maderi Antiquitat. Brunſwicenſ. a Senckenbergio recuſa T. I. deren Reichs Abſchiede.

(c) *Simplici* S. *contentus eſt Schann.*

(d) MCCXXII. *habet Schann.*

SYNODUS MISNENSIS
Eodem anno Chriſti MCCXXXI.
Sub HENRICO, (*) *Miſnenſi XXII Epiſcopo,*
CELEBRATA
DIE 26 MAJI.

SUMMA. HENRICUS, Miſnenſis Epiſcopus, Abbatem in Buch & Conventum in agrorum quorundam poſſeſſione, contra Volcmarum & Heinricum fratres de Buch, Synodali ſententia confirmat.

HEINRICUS, DEI MISERATIONE MISNENSIS EPISCOPUS, UNIVERSIS PAGINAM HANC VISURIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Querelam *Volcmari* & *Heinrici* fratrum *de Buch* accepimus, continentem, quod dilectus Nobis in Chriſto *B.* Abbas *de Buch* & Conventus quosdam agros, ſitos in antiqua curia *Buch*, ad ipſos de jure ſpectantes, tenerent contra juſtitiam occupatos. Super quo partibus convocatis Miſnæ *ad noſtram Synodum generalem*, & utrisque in noſtra præſentia conſtitutis ibidem, fratres duo prædicti coram Nobis, Abbate præſente, ſuam querimoniam innovarunt. Ipſo etiam Abbate præſcriptionem agrorum prædictorum allegante atque dicente, eos ſine impetitione cujuslibet triginta annis & amplius juſto titulo poſſediſſe, audientes ſupradicti duo fratres contumaciter & indignanti animo receſſerunt. Sane Dominus Abbas de Buch poſtmodum præſcriptionem agrorum probavit rationabiliter coram Nobis. Quo facto, ſæpe dictum Abbatem nec non & Monaſterium in Buch ab impetitione fratrum abſolvimus præſcriptorum *Synodi ſententia ſic dictante.* Super quo dandum duximus præſentium teſtimonium literarum. Hujus rei teſtes ſunt: *Heidenricus* major Præpoſitus, *Petrus* Decanus, *Conradus* Wurcinenſis, *Nicolaus* Budeſinenſis, *Albertus* de Indagine, *Alexander* de Ryzowe, *Albertus* S. Afræ, *Wal*

terus S. Crucis, *Willelmus* de Schillene, Præpositi. *Heinricus* de Aquatico ca ſtro, *Sifridus* de Pigavia, *Everardus* Archidiaconus Luſicenſis, *Albertus* de Prethin, *Hermannus* de Liznik, Miſnenſes: *Sifridus* de Liznik & *Alberto*, frater ejus Burggravii, & alii quamplures.

Actum Miſnæ, anno gratiæ M. CC. XXXI. VII. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

(*) HENRICUS, Brunoni II a. 1230 Succeſſor datus, altero mox regiminis ſui anno Decimas Dobirlucenſi cœnobio confirmavit, ampliſſimumque a *Friderico* II Imp. privilegium, auri & argenti fodinas habendi atque monetam ex utroque cudendi, eccleſiæ ſuæ impetravit, (*Lunig. Spicileg. P. II. in Append. pag.* 98.) nominatus in diplomate *dilectus Princeps*. Magnum huic beneficio adjecit cumulum *Wenceslaus* Bohemiæ Rex, cum donationem pagi *Wolframsdorff*, ab *Ottone* Burggravio de *Donin*, eccleſiæ Miſnenſi perquam liberaliter factam, *Pragæ* Cal. Aug. e. a. roboraret. Anno 1233 *Coſſebude* pagum emit Henricus, & a. 1237 Brixiam ad Cæſarem Fridericum cum Epiſcopis ceteris ac Germaniæ Principibus, aut ferendi auxilii aut pacis inter partes ſanciendæ cauſa, iter ſuſcepit. Donavit ex novalibus ad *Elſtram* decimas *Sereni Montis* cœnobio, datis ea de re V. Cal. Octobres a. 1239 literis, anno ſequenti VIII Cal. Junii, ut habet Necrologium *Kemnicenſe*, defunctus. *P. Sigismund. Calles in Serie Miſnenſium Epiſcoporum a pag.* 163.

SYNODUS MOGUNTINA

Anno Chriſti MCCXXXIII. Gregorii IX. PP. VII. Friderici II. Reg. XVI.

Sub SIGEFRIDO III,(*) Mogunt. Sedis Archiepiſcopo,

CELEBRATA ERFORDIÆ.

Mauritius Gudenus Hiſtoria Erfurt. L. 1. §. 20. iſtam Synodum prodidit ſequentibus:

" Cleri mores & cura ſacrorum de- " fecerant, quibus corrigendis " *Provinciale Concilium*, convocatis ſuæ " Diœceſis Epiſcopis, Archipræſul (Si-

(*) SIGEFRIDUS III (al. *Junior*) Comes Eppenſteinius, Sigefridi II ſeu *Senioris*, Archiepiſcopi XXXII Moguntini, ex fratre nepos, archiepiſcopale pedum capeſſivit anno 1224, atque per annos quatuor & viginti magna cum laude & peramplo Sedis ſuæ emolumento tenuit. Vir magnorum operum, qui Eccleſiam ſuam honore ac rebus magnifice ampliavit & inter tot ævi ſui ac regiminis mala, tot bella, totque pericula, quibus Imperium nutabat, ſapientiſſime rexit, laudatur a Trithemio in *Hirſaug. Chron.* Habuit mox ab adito magiſtratu provinciale Concilium, ob celebritatem ſuam *Germanicum* adpellatum. (Tom. CC. Germ. III a pag. 520.) In Fridericum II Imp. quod promiſſis haud ſtaret de expeditione in terram ſanctam ſuſcipienda, anno 1227 ſententiam excommunicationis tulit juſſu Pontificis, per omnemque Germaniam denunciavit. Sub eo privilegium Reges Bohemiæ conſecrandi ad Sedis Moguntinæ Archiepiſcopum pertinere, teſtati ſunt, ac publice profeſſi a. 1228 Odocharus & Wenceslaus Reges. Bellum ipſi cum Conrado, Haſſiæ Landgravio, a. 1232 erat noxium Moguntinæ Eccleſiæ ac Fritzlarienſibus exitioſum; quod paucis tamen poſt annis quievit. Reliquias S. Eliſabethæ Landgraviæ circa annum 1236 levavit Marpurgi, ac perhonorifico collocavit in loculo. Reparavit a. 1239 Eccleſiam Moguntinenſem majorem, & mira cum ſolemnitate, & incredibili populorum frequentia conſecravit. (Tom. CC. III. pag. 571.) Tandem obiit a. Ch. 1249, VII Id. Martii. Epiſtola ab ipſo ad Abbates, aliosque viros eccleſiaſticos data extat Tom. CC. Germ. III. a pag. 575.

Serarius S. J. Mogunt. rerum Lib. V. a pag. 834.
Plura apud Trithemium & alios.

" (SIGEFRIDUS III.) hic Erfordiæ " indixit. Conventus in monte *D. Petri* habitus, Clerus de nimiis exactionibus, quibus SIGEFRIDUS proventus minueret, conqueritur: is tamen " nullam conquirendæ pecuniæ occasionem neglexit, Reip. necessitatibus " quærelis prævalentibus.

Falckensteinius in Chronico Erfurt. hanc Synodum ad annum MCCXXXIII refert, quod & facit *Joannis* in not. ad Serar. L. 5. Mogunt. rer. pag. 596. ita pergens:

" Paulo plenius vero *MS. Petrensis* SIGEFRIDUM sic respondisse refert: " *Oportet se accommodare præsenti necessitati,* " *nam per habita bella tum in territoriis nostris, tum in Turcarum provinciis, ærarium nostrum exhaustum est, quod necessario restaurare debemus. Romæ item per Antecessores nostros multa debita contracta sunt, ob non exsolutos pecunias palliales. Providendum insuper est, ne a vicinis Principibus præsertim Landgraviis, imparati hostiliter obruamur.*

" Synodo finita Moguntiam reversus haud destitit id urgere negotium " &c."

Conferri huc poterit Diploma apud *de Guden.* Cod. Diplom. I. pag. 225. utpote quod ceu tristis effectus ab hoc Concilio prodiit.

AD SYNODUM MOGUNTINAM
DE ANNO MCCXLIV.

Addenda ex *Gudenus* Cod. Diplomatico I. pag. 575. anno demum 1320.

Noviter hæc causa ventilata fuit integra Oratione a *Thoma* Clerico Eichstettensi in pleno Capitulo; promisique hanc orationem me daturum, sed quia extra Concilium habita fuit, licet causam Concilii Moguntini de anno MCCXLIV magis declaret, adeoque Tomo Conciliorum Germaniæ vix ab Eruditissimo Editore inseretur, hinc eam omisi, prolixiori scriptioni ut parcam.

W.(*) Halberstadensis Episcopi
ad Præpositos, Decanos &c. Epistola,

DATA

Anno Christi MCCXLVI. Innocentii IV. PP. I. Friderici II. Reg. XXVII.

In qua promulgantur Statuta quædam ex Conc. Mogunt. ad ipsum missa, sub pœna excommunicationis observanda.

W. DEI GRACIA HALBERSTADENSIS ECCLESIE EPISCOPUS, UNIVERSIS PREPOSITIS, DECANIS, ARCHIDIACONIS, PLEBANIS, AC ALIIS ECCLESIARUM RECTORIBUS PRESENTEM LITERAM INSPECTURIS, SALUTEM IN DOMINO.

Noveritis Nos sub Venerabilium Judicum testimonio sancte Sedis Moguntine literam recepisse, hanc formulam continentem:

JUDI-

(*) Quis sub charactere *W.* lateat Episcopus, ignoro. Salva Chronologia hic adposita, non est *Volradus* aut *Wolradus*. Forte per errorem *W.* pro *M.* (i. e. *Meinhardus* seu *Meinerus*) scriptori e calamo excidit. Forte & *Meinhardus* ab aliis *Weinhardus* scribitur. Erat porro Meinhardus Wolferi nobilis Domini de Kranichsfeld filius & Frater Wolradi I. Obiit a. 1259.

Lentzen Histor. dipl. Halberst. a pag. 146.

JUDICES SANCTE MOGUNTINE SEDIS OMNIBUS HANC LITERAM INSPECTURIS, SALUTEM IN DOMINO.

"Noveritis hec ſubſcripta eſſe Statuta Moguntini Conſcilii ſub pena excommunicationis jam late ſententie ab omnibus obſervanda. Moguntinum Conſcilium univerſos Sacerdotes Eccleſiarum Parochialium vel Capellarum Miniſtros excommunicationi ſubjacere decrevit, quicunque alicui de plebe ſua, ſive in vita ſive in morte, directe vel indirecte perſuadere preſumpſerit, ne in Eccleſiis conventualibus, vel aliis locis magis religioſis ſibi eligant ſepulturam, cum talis perſuaſio ſacris Canonibus contradicat & de avaritie radice procedat. Verum Sacerdotes & Miniſtri predicti in communicando ſubditos ſuos in egritudine conſtitutos difficultatem, ut accepimus, ingerunt aliquando. Ob hec duntaxat, quod idem ſubditi in Eccleſiis conventualibus ſeu aliis locis magis religioſis ſibi eligant ſepulturam. Cum igitur mora in talibus ſit periculoſa & dampnoſa, hujus ſacri approbatione Conſcilii adicimur conſcilio memorato, ut poſtquam dicti ſubditi peccatorum ſuorum confeſſionem fecerint, ut tenentur, ſi Rectores eorum ob hoc, quod elegerunt ſepulturam in Eccleſiis conventualibus, ſeu aliis locis magis religioſis & Dyoceſano ſubjectis, difficiles ſe reddiderint in communicando eosdem, iidem ex tunc Communionem Corporis Domini noſtri JESU CHRISTI recipere valeat a quocunque voluerint Sacerdote. Decrevimus etiam, ut parentes pro liberis infra annos diſcretionis agentibus, ut pro hiis, quos tenent, in paterna poteſtate eligere valeant libere ſepulturam, & Nos preſentibus ſigillum noſtrum apponi fecimus in teſtimonium veritatis. Datum Moguntie."

Hanc igitur literam ad inſtantiam Fratrum Heremitarum Ordinis ſancti Auguſtini Porte Celi de verbo ad verbum tranſſcriptam, ſigilli noſtri munimine duximus confirmandam.

Ex autographo adbuc inedito communicavit Cl. D. Conſil. Naſſovico-Dilleburgicus ab Erath, claræ Vir memoriæ, datis ad P. Hermannum Scholl p. m. e Soc. JESU Presbyterum, anteceſſorem meum, literis 1763. die 12 Jun.

SYNODUS BREMENSIS

Anno Chriſti MCCLXVI. Clementis IV. PP. II. Interregno magno Germaniæ.

a GUIDONE, Sedis Apoſt. Legato, in bonum Bremenſis Eccleſiæ coacta.

SUMMA. *GUIDO Cardinalis varia decernit in bonum Bremenſis Provinciæ.*

FRATER GUIDO, MISERATIONE DIVINA ECCLESIÆ SANCTI LAURENTII IN LUCINA PRESBYTER CARDINALIS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Humanæ naturæ ſauciata conditio, quam hoſtis antiqui invidia gratuitis ſpoliare, & in naturalibus vulnerare fraudulentibus conatibus elaborat, ligamenta quærit ſalutarium Statutorum, infuſionem quoque olei, per quod pungitiva correctio vel increpatio figuratur. Sicut in Evangelio in ho-

homine, qui descendit ab Jerusalem in Jericho, ac incidit inter latrones, pro schemate declaratur.

Hinc est, quod cum Dominus noster Summus Pontifex, Vicarius JESU CHRISTI, nos ad Bremensem Provinciam cum plenæ legationis officio duxerit destinandos, ea libenti diligenti animo cogitamus, ordinamus atque statuimus, quæ libertati Ecclesiasticæ conveniunt, animarum saluti proficiunt, finem imponunt vitiis, remissionem peccatis, vitæ ordinem, moribus disciplinam: verum cum expedit, ut Sacramenta Ecclesiæ, in quibus tanquam in vasis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere consuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur; cum ea plerumque contingat effici vitia propter vilem ac abominabilem Ministrorum conversationem: universis Personis Ecclesiasticis Provinciæ memoratæ districte præcipimus, ut in victu, vestitu, gestu, ac aliis operibus ac circumstantiis status sui sic honeste se habeant & decenter, ne propter ipsos nomen Ecclesiasticum inter Laicos blasphemetur; eisdem imprimis districtius inhibentes, ne de nomine Crucifixi inimicos se faciant, crucis extra sicut illi, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt, non Divina; in conviviis suis modestiam & mediocritatem servent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem omnem vitiorum fomitem & nutricem devitent; Prælati vero a gravaminibus abstineant subditorum, & maxime, cum Ecclesias visitant, moderentur expensas, coerceant evectionum numerum, ut *in generali Concilio* existit definitum, sibi & gregi suo taliter intendentes zelatores, justitiæ & modestiæ amatores, generaliter omnium sectatores bonorum operum ostendantur.

Præsentis igitur Concilii approbatione præcipimus, ut continenter & caste vivere studeant, ut puro corde & mundo corpore Deo possint in Officio Ecclesiastico ministrare: si qui autem de cætero comprehensi fuerint detinere publice concubinas, nisi per admonitionem sese ab eis & earum consortio separaverint, ita ut in domibus ipsarum aut propriis, aut aliis quibuscunque cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc omni Beneficio Ecclesiastico censemus esse privandos, & per eos, ad quos dictorum Beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferantur, illis exceptis, quæ nostræ collationi duxerimus reservanda: illi vero, qui Subdiaconalibus, aut aliis superioribus Ordinibus insigniti, fornicariam aliquam sub uxoris legitimæ specie quoquomodo sibi præsumserint de facto matrimonialiter copulare, omni Officio & Beneficio Ecclesiastico perpetuo sint privati: & sicut ob culpam plexi ejus posteritas legitur condemnata, sic pœnam talibus infligendam in progeniem, quæ de coitu sic damnato nascetur, duximus protrahendam, statuentes, ut filii, qui tali copula fuerint procreati, nec non & matrimonia, quæ tam incestuosum & sacrilegium connubium duxerint eligendum, ab omnibus bonis eorum mobilibus & immobilibus habeantur alieni, & quicquid eis fuerit ab ipsis relictum, in morte vel in vita donatum, inter Episcopum & communitatem loci ejusdem æqualiter dividatur, præfatos vero filios nota semper infamiæ comitetur: & quia, sicut intelleximus, aliqui Prælati, tales in scandalum totius Ecclesiæ in suis iniquitatibus & inmunditiis obtenta pecunia confovent & defendunt, qui eos deberent a suis iniquitatibus & inmunditiis ex injuncto sibi officio revocare, excommunicamus in scriptis & publice anathematisamus omnes illos tam Clericos, quam Laicos, tam Prælatos, quam subditos, tam majores, quam minores; & Medicos, qui ejusmodi cohabitatores sive clam, sive palam in suis iniquitatibus præsumserint defendere, nec non & illos, qui præstabunt consilium & auxilium, opem vel operam, quo minus observetur istud nostrum salutare Statutum, quod legi præcipimus singulis annis *in Synodis Episcopalibus & Provincialibus*, ne aliquis prætextu ignorantiæ se valeat excusare: illi vero sive Laici, sive Clerici fuerint, qui de cætero filias, sorores aut cognatas personis in sacris Ordinibus constitutis sine ratione matrimonii,

nii, quod multi errore cœcati fieri posse credunt, ut dicitur, se ratione concubinatus duxerint concedendas, sive mediatores exstiterint aut fautores, introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum. Si vero aliqui Clerici spiritu tanti furoris arrepti fuerint, ut in Prælatos suos, vel alios, quos ad exequendum salubre Statutum contigerit deputari, præsumant insurgere, aut se in sua turpitudine viribus temporalibus defendere; si autem nonnulli illorum jam fecisse dicuntur, ipso facto Officio & Beneficio Ecclesiastico sint privati, nec restitui valeant, nisi cum eis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

Et cum in plerisque locis quorundam iniquitas in tantum invaluerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas & violentia fortitudo; *Synodali judicio definimus*, ut qui bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instantem Quadragesimam eadem restituerint, ac de damnis & injuriis satisfecerint competenter, ex tunc introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab Episcopis aut aliis Ecclesiarum Prælatis ad Communionem Dominici Corporis admittantur: qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus Clericus secularis vel regularis sepulturæ ipsorum interesse præsumat; adjicientes, ut singulis annis in Synodo illi, qui Clericos capiunt, verberant vel occidunt, aut alio modo manus in ipsos injiciunt violentas, excommunicati denuncientur; & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam Ecclesiasticam enormiter vulneraverit, mutilaverit, vel occiderit, aut captivaverit, non nisi per Sedem Apostolicam absolvatur, ac ipso facto Beneficium, si quod tenebat, illud perdat, & res suæ in utilitatem Ecclesiæ commutentur; adjicientes, quod in illa Diœcesi, in qua aliquem Canonicum Cathedralem Ecclesiæ, ut in dignitate Ecclesiastica constitutum, capi, mutilari, vel occidi contigerit, vel captum detineri, usque ad liberationem ipsius & exhibitionem debitæ satisfactionis cessetur generaliter a Divinis; similiter & in ipsa Parochia, in qua res Clericis violenter ablatas, capi vel detineri contigerit, usque ad restitutionem & satisfactionem congruam a Divinis cessetur.

Item, cum Matrimonium Sacramentum non sit incontinenti præcipitium, sed potius remedium contra illud, non absque dolore cordis audivimus, quosdam in hac Provincia sic a suæ carnis voluptate & terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes, quod non tam Matrimonium, quam contubernium dicitur, se incestuosæ luxuriæ vilitatem immergere, ac Sacramentum Matrimonii, quantum in ipsis est, polluere non verentur. Nos itaque tantum excessum conniventibus oculis pertransire nolentes, sub pœna excommunicationis districtius prohibemus, ne absque dispensatione Sedis Apostolicæ tale de cætero matrimonium seu contubernium contrahatur, alioquin Sacerdotes, qui tales conjunxerint, a Sacerdotali Officio noverint se esse suspensos: illi vero, qui sic scienter permiserint se conjungi, ipso facto ab ingressu Ecclesiæ suspendantur. Sub eademque pœna illis, qui jam absque dispensatione Sedis Apostolicæ tale matrimonium contraxerint, districte præcipimus, ut a cohabitatione invicem abstinentes, Diœcesano suo, seu alteri Prælato, ad quem de jure vel consuetudine pertinere dignoscitur, talium caussarum cognitionem rei veritatem insinuare non tardent, qua vocatis, qui vocandi fuerint, ac caussa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, statuat, faciens per censuram Ecclesiasticam inviolabiliter observari. Episcopi vero, seu alii Prælati de caussis matrimonialibus cognoscentes, omnino caveant, ne cupiditate devicti non solum dirimenda haud dirimant, verum etiam separanda integrare prætextu pecuniæ vel alterius commodi non præsumant. Si quis autem contra hoc venire præsumserit interdictum, eo ipso se noverit Officio, Beneficioque privatum. Laici vero, qui de pœnis conferendis personis convictis in causa matrimoniali seu accusationibus se intromiserint, cum ad ipsos non pertineant, sed ad Judicem Ecclesiasticum, compescan-

pescantur: cum ex hoc multi ab accusatione Matrimonii retrahantur.

Item, cum detentores plurium Personatuum, vel Dignitatum seu Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, sint sacrorum Canonum transgressores, ac fructus talium Beneficiorum percipiendo furtum committere dignoscantur; præsenti Decreto statuimus, ut omnes, qui hujusmodi Dignitatum, Personatuum vel Beneficiorum cum cura, bona aut libertatem retinent, & super hoc dispensatum secum fuisse coram Nobis infra proximam Quadragesimam non doceant manifeste; aut si cum eis non fuerit dispensatum, eligant sibi unum de prædictis Beneficiis retinendum, & alia infra terminum memoratum libere in manus eorum resignent, ad quos illorum collatio dignoscitur pertinere: alioquin ex tunc ab omnibus Ecclesiasticis Beneficiis, Dignitatibus seu Personatibus, se noverint esse privatos. Præcipimus autem illis, ad quos ipsorum Beneficiorum, Dignitatum vel Personatuum collatio pertinet, ut aliis personis idoneis eadem conferant & assignent: quod si intra terminum determinatum a jure hoc adimplere non curaverint, ad proximum Superiorem collatio devolvatur.

Item, cum judiciorum vigor, jurisque publici tutela sit in medio constituta, ne quis sibi sumere audeat ultionem, præsenti Decreto statuimus, ut, si quis aliquid, contra quemcunque Clericum vel Laicum de jure competere crediderit, nequaquam in ipsum sponte insurgere, aut res ejus propria temeritate occupare præsumat; sed ipsum vocari faciat coram Judice competente: adjicientes, quod ille tanquam contumax puniatur, qui, ne ad ipsum citatio perveniat, inferendo minas vel injurias præsumserit impedire.

Item, cum ad aures nostras quorundam Laicorum graves excessus pervenerint, qui Ecclesias Parochiales de facto detinent, contra canonicas Sanctiones, nisi infra proximam Nativitatem Domini libere & absolute dimiserint ipsas, excommunicamus in scriptis; districte præcipientes, ut illi, ad quos prædictarum Ecclesiarum ordinatio pertinet, ex tunc personas idoneas instituant in eisdem.

Item, cum Ecclesia, in quam fideles ad audiendum Divina conveniunt, domus sit orationis & non negotiationis, nec spelunca latronum, nec locus armorum seu materialium gladiorum, ut quicunque ad Ecclesias ad audiendum Divina convenerint, infra ipsas vel cœmiteria earum hujusmodi arma non inferant; sed extra dimittant, cum tales Judæis similes videantur, qui ad capiendum Christum cum gladiis & fustibus convenerunt: transgressores hujus Statuti per excommunicationis sententiam compescantur.

Item, cum, sicut perpendimus Bremensem visitando Provinciam, homines ejusdem Provinciæ ad committendum homicidium proni sint & proclives; volentes refrenare nequitiam, ut inter improbos tuta sit innocentia ac malignorum coerceatur audacia, præsenti Decreto statuimus, ut quicunque Laicus in publico hominem occiderit, privatam pœnitentiam agat, similiter & catenis ligetur, & secundum arbitrium Diœcesani sui, alioquin Ecclesiastica careat sepultura, nisi forte jam incepta pœnitentia morte sit præventus; nihilominus præcipientes sub pœna excommunicationis Judicibus secularibus, sub quorum jurisdictione homicidium a Laicis contigerit perpetrari, ut homicidas requirant, & eos puniant secundum legitimas sanctiones, ut, si quis eorum negligens apparuerit, per Diœcesanum Episcopum auctoritate hujus Concilii per censuram Ecclesiasticam compellatur.

Item, sicut intelleximus, fama crebrescente, quod Beneficia Ecclesiastica a nonnullis Prælatis hujus Provinciæ per vitium Simoniæ conferantur; Nos igitur hujusmodi morbo pestifero congruum remedium adhibere volentes, districte præcipimus, ne id de cætero fiat; & omnis morsum conscientiæ habens super Beneficio per Simoniam dato vel accepto, illud infra instans Pascha resignet; qui simoniace recepit & qui obtulit, pœnitentiam agat, & si quid pro eo recepit, restituat; alioquin ultrumque, dantem scilicet & reci

recipientem, ex tunc excommunicationis vinculo innodamus.

Item ſtatuimus, ut unusquisque liberam teſtamenti factionem habeat & liberam teſtandi facultatem, non obſtantibus quibuscunque Statutis per quoscunque editis, videlicet, quod non valeat teſtamentum, niſi fiat præſentibus Conſulibus vel Laicis aliquibus de ipſo municipio vel loco teſtantis: cujusmodi Statuta decrevimus nullius fore momenti, quæ aboleri præcipimus & abradi. Conſervatoribus etiam hujusmodi Statutorum & aptatoribus eorundem, niſi reſipuerint, introitum Eccleſiæ denegamus; ſub eadem interminatione injungentes eisdem, ut etiam Statuta contra Eccleſiaſticam libertatem edita, ab ipſis præmoniti Diœceſanis Epiſcopis ſtudeant revocare.

Item, cum raptus & corruptio Dinæ filiæ Jacob oſtendant, periculoſum eſſe diſcurſum vel egreſſum mulieribus religioſis, præſenti Decreto ſtatuimus, ut Moniales, quæ pro evidenti neceſſitate exire debuerint, & maturæ ſint ac honeſtæ, & cum tali ſocietate ſe teneant, ut non tantum propriæ ſalutis periculum; ſed etiam ſiniſtra ſuſpicio inde non poſſit exoriri, adjicientes, ut illis Monialibus, quæ Præpoſitos habere conſueverint, Religioſi ſeu Regulares præficiantur, ſi perſonæ idoneæ de talibus poterunt inveniri; ſi vero propter defectum Regularium perſonas eis oportuerit, præfici Seculares, tales inſtituantur, quæ morum maturitate præfulgeant & probata diutius caſtitate.

Acta fuere hæc *in Concilio Bremenſi* menſe Novembr. anno Domini M.CC. LXVI.

De GUIDONE Card. Presbytero vide Tom. CC. Germ. III. pag. 802.

SYNODUS HALBERSTADENSIS

Anno Chriſti MCCXXCII. Martini IV. PP. II. Rudolphi I. Imp. X.

Sub VOLRADO, (*) *Halberſtadenſi XXVI* (al. XXVIII) *Epiſcopo,*

CELEBRATA FESTO S. LUCÆ EVANG.

SUMMA. *VOLRADUS 40 dierum indulgentias concedit operam Eccleſiæ S. Stephani in Helmeſtadt navantibus.*

VOLRADUS, DEI GRATIA HALBERSTADENSIS ECCLESIE EPISCOPUS, CHRISTI FIDELIBUS UNIVERSIS, AD QUOS SCRIPTUM PRESENS PERVENERIT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Cupientes Fideles Chriſti ad opera pietatis ſpeciali fremo invitare, de Omnipotentis DEI miſericordia & beate Virginis glorioſe, ac Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non ſancti Stephani Prothomartiris Patroni noſtri meritis, & auctoritate ac noſtra confiſi, omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui

(*) VOLRADUS, Volrado I. Domino Kranichsfeldio patre; matre Comite Klettenbergica natus, Ludolpho II Comiti Schladeno, vel ob Simoniam vel alios petulantioris quam agebat, ætatis defectus a Papa Alexandro IV poſt duorum duntaxat annorum regimen exauctorato, ſucceſſit circa annum 1256. Varia conſecravit annis labentibus templa, varia diplomata expedivit, vitamque ad annum Chriſti 1297 juxta Reimannum & Meimbomium *in Chron. Riddagsh. pag.* 46 apud Lentzenium *in Hiſt. diplom. Halberſtad.* pag. 161 protraxiſſe notatur. Errat igitur Krantzius in *Metropoli* ſua, cum pag. 541 annos nonniſi IX Volrado in Epiſcopatu tribuat.

Nubem Scriptorum, de geſtis Volradi tractantium, videre eſt in Lentzen. cit.

qui ad Ecclesiam sancti Stephani in *Helmestat* manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Halberstadt, anno Domini M. CC. LXXXII. Luce *in Sinodo generali* Pontificatus vero XXVIII. anno.

SYNODUS BREMENSIS

Anno Christi MCCXXCIV. Martini IV. PP. IV. Rudolphi I. Imp. XII.

Sub GISELBERTO, (*) *Bremensi XXVI* (al. XXVIII. immo XXX) *Archiepiscopo,*

CELEBRATA

FERIA IV. POST DOMINICAM *LÆTARE.*

SUMMA. *Fundationem Ecclesiæ B. M. in Suburbio Stadensi factam a. 1145. oblata Charta fundationis approbatæ auget* GISELBERTUS *Archiep. Bremens.*

IN NOMINE DOMINI, AMEN. UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, HANC LITERAM INSPECTURIS, SEU AUDITURIS, GISELBERTUS, DEI GRATIA SANCTÆ BREMENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SALUTEM IN DOMINO, AC INFRA SCRIPTÆ REI COGNOSCERE VERITATEM.

Constitutus Religiosus Vir, Dominus FRIEDERICUS, Abbas Monasterii sanctæ MARIÆ Stadensis, nostræ Diœcesis, coram Nobis pro se ac sui Conventus nomine, quandam *Literam primæ fundationis* sui Monasterii cum suis libertatibus produxit, Nobisque humiliter propter Deum supplicavit, quod ipsam, ob memoriam longiorem & firmiorem, inspicere & examinare dignaremur, & inspectam transcribi facere, & transcriptam auctoritate nostra, ac sigilli nostri munimine, roborari. Tenor ejusdem literæ erat talis: IN

(*) GISELBERTUS Comes de *Brunchorst*, Hildeboldo, antecessori suo, propinquus genere, a Bremensis ecclesiæ Capitulo una omnium consensione a. 1273 eligebatur, profectus haud diu post, rebus suis domi dispositis, in Galliam, ubi Gregorium X P. M. in Conventu Lugdunensi de terræ sanctæ recuperatione tractantem adiit, ab eoque & Sacerdotium & Confirmationem apostolicam est consecutus. Reducem inter plausus ac varia lætitiæ argumenta perhonorifice exceperunt Bremenses; cui postmodum *Regalia* Rudolphus I Habsburgicus Rom. Imp. tradidit. Petulantiam *Kedingorum* & contumaciam quasi per jocum domuit Giselbertus, cum quosdam illorum, qui ludicras equestres pugnas spectaturi Stadium venerant, occidi a militibus, quosdam capi jussisset. A. 1275 gravi fuit a Bremensibus, quos amabat plurimum, injuria adfectus: ii enim in quendam e famulis Aulæ, qui aurifabrum vulneraverat, commoti die Jovis sancto in palatium Archiepiscopi corruebant, sus deque vertebant omnia, ac flammis absumebant. Cessit tantisper insanientis plebis furori vir prudentissimus; quo posito, quos tumultuantes viderat, mox supplices habuit, & recepit in gratiam. Princeps erat pius admodum, & quam imperterritus in hostes, tam in suos blandus atque ad alloquium facilis. Triginta & amplius annis Bremensem rexit ecclesiam, defendit, variisque tum ædificiis tum opibus ampliavit. Obiit e calculi morbo in castro Vordensi a. Ch. 1306, Episcop. 33. mens. 3. dieb. 3. in Ecclesiæ Bremensis meditullio sepultus.

Krantz in sua Metropoli Lib. VIII. cap. 35. & *Anonym. in Hist. Archiepp. Bremensium, typis Matthiæ Beckeri, in fol. Francofurti* 1609.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, FILII ET SPIRITUS SANCTI.

ADALBERO, DEI GRATIA HAMBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, OMNIBUS, HOC PRIVILEGIUM LEGENTIBUS, BENEDICTIONEM A DOMINO ET MISERICORDIAM A DEO SALUTARI SUO.

" Quoniam facta præcedentium ad " notitiam subsequentium ad hoc " literali studio examinantur, ut " generationis, quæ præteriit, acta, " æmula virtute in memoriam habean- " tur, & generatio, quæ advenit, dum " pia gesta priorum imitata, bonis " operibus jugiter inhærendo de vir- " tute in virtutem provocetur; Nos " eadem gratia literis assignamus, qua- " liter Ecclesiam, Beatæ MARIÆ in *Sub-* " *urbio Stadensi*, affectus bonæ volunta- " tis plantavit, effectus copiosi operis " rigavit, Deus autem larga benedi- " ctione incrementum dedit. Nam " Divina providentia, quæ ante secula- " ria tempora Virginis uterum sibi " thalamum desponsavit, ipsa eadem in " diebus nostris Virgini Matri, hanc " quam dicimus Ecclesiam per manus " & devotionem suorum fidelium præ- " paravit. Suscitavit enim spiritum " trium fratrum germanorum, videli- " cet *Dudonis*, *Adiconis* & *Richerti*, quo- " rum instinctu *Conradus*, *Abbas Rosen-* " *feldensis*, Nobiscum commutationem " fecit, pro campo & prato, qui ad " nostram Sedem in omni jure in præ- " dicto suburbio Stadensi pertinebant, " & duos mansos proprietatis suæ Ec- " clesiæ, cum conniventia Fratrum suo- " rum, ac mortuorum fidelium, red- " didit Nobis & ipsum campum cum " prato in libertate, qua *Bremensis Ec-* " *clesia* eum habuerat, obtinuit. In " quo dum ligneam Ecclesiam prædicti " tres uterini fratres ædificassent, & a " Nobis ut eam consecraremus anno " Domini 1145. in quinta vero Indi- " ctione, anno autem Pontificatus no- " stri 26. Nonas Julii, pia prece ex- " petiissent, prædictus Abbas *Conradus* " Monachos suos cum venerabili viro " *Adalwardo* collocavit ibi, eo tenore, " ut quandocunque idem Adelwardus, " aut aliquis Successor suus, alios duos " mansos Rosenfeldensi, aut Bremensi, " compensaret Ecclesiæ, ipsum cam- " pum cum prato ad Monasterium fa- " ciendum tam ipse, quam sui Succes- " sores, in omni jure liberum posside- " rent. Igitur in processu temporis, " cum DEUS Optimus Maximus eo- " rundem statum augmentavit, com- " muni consilio Monachorum fidelium, " tam Laicorum, quam Clericorum, " eidem loco, libere assumptum *de Ro-* " *senfeldensi* Ecclesia, cum adstipulatione " præfati Abbatis Conradi & totius suæ " Congregationis, venerabilem virum " D. Adelwardum, liberum Abbatem " in libero loco, *anno Domini* 1147. In- " dictione vero decima, anno Pontifi- " catus nostri 24. pridie Nonas Julii, " ordinavimus; ad testimonium deinde " suæ libertatis Abbatem *Adonem*, qui " eidem Conrado mortuo successit, se- " cum Stadæ sub una benedictione " promovimus, & ita liberum Abba- " tem Adalwardum, Stadensi Ecclesiæ " consecravimus, sicut liberum Abba- " tem Adonem, Rosenfeldensi Cœno- " bio assignavimus, statuimus etiam, " ut omnia pertinentia eidem Ecclesiæ, " quæ jam possidet, aut in futurum " possidebit, sub potestate liberi Abba- " tis ejusdem loci posita sint, ut nullus " mortalium eis vim inferat, qui sta- " tim ab ipso Abbate, nisi resipiscat, " & Sanctæ MARIÆ satisfaciat, anathe- " matis gladio feriatur: concedimus " liberam potestatem eligendi Abba- " tem: Crisma, Ordines sacros a No- " bis & nostris Successoribus suscipient. " Damus quoque potestatem in toto " Episcopatu Abbati & Conventui con- " fessiones audiendi, prædicandi, bapti- " zandi & mortuos sepeliendi. Con- " stituimus præterea, ut idem Mona- " sterium nullus Successorum nostro- " rum temerario ausu præsumat per- " turbare, aut Abbatem pulsare, nec " ibidem hospitare, nisi ad beneplaci- " tum Abbatis. Coloni ab omni ex- " actione, etiam precaria, immunes " erunt & nullum habeant respectum, " nisi ad Abbatem. Quod si contra " fiat, Abbas transgressores excommu- " nicet, illamque excommunicationem " Archiepiscopus rati habeat. Inter

" Abbatem Rosenfeldensem & Staden-
" sem hoc perpetualiter, sub testimo-
" nio Christi & Ecclesiæ statuimus, ut
" neuter eorum alteri se præferat, nec
" alteri divortium faciat, sed una sit
" charitas, una spiritualis dilectio &
" domus unius sit alterius, & sicut eos
" conjungit affinitas locorum & unius
" Dominæ patrocinium, sic eos con-
" jungat amor Christi & fraterna di-
" lectio; unius negotium sit & alte-
" rius, nec aliquid constituatur in do-
" mo aut in Capitulo unius, quod
" discordat a sententia alterius; sed in
" omni synodali causa ita stent simul,
" ut nullus inter eos medius, nisi sub
" pace & fœdere, assistat, quia funicu-
" lus duplex difficilius rumpitur, ma-
" xime, si in omni justa re concorda-
" verint, & in unum, ut eos decet,
" comportaverint. Nullus Successo-
" rum nostrorum in causa justa injuste
" eos gravet, sed ut Aaron graves ma-
" nus Moysis sustentabat, contra Ame-
" leck; sic hi duo graves causas no-
" stras & judicium Pontificatus nostri,
" contra æmulos Sedis nostræ, susten-
" tare poterunt. Contra hæc non fa-
" cientibus sit pax æterna, contradi-
" centibus vero pœna æterna. Hi sunt
" testes, qui adfuerunt, *Hardewicus*,
" Bremensis Ecclesiæ major Præposi-
" tus, *Bertholdus* Abbas S. Pauli, *Ado*
" Abbas Rosenfeldensis, *Ropertus* ipsius
" Ecclesiæ Præpositus; Capellani: *Ro-*
" *pertus*, *Reinholdus*, *Hadelwicus* Capella-
" nus Stadensis castri. Laici: *Willerus*
" Advocatus Stadensis, *Bruno*, *Thitma-*
" *rus*, Ministeriales Ducis. Anno Do-
" mini 1147. Indictione decima datum
" est hoc privilegium Stadensi Abbati,
" anno Pontificatus nostri 24."

Qua litera inspecta, & diligentissime cum nostris Canonicis & aliarum Ecclesiarum Rectoribus, *in Synodo nostræ Ecclesiæ Bremensis* existentibus, auscultata & examinata, rogavit Nos idem Dominus Abbas, ut libertatem sui Monasterii, in ipsa contentam, innovare & approbare dignaremur. Nos ergo petitioni ipsius justæ, rationabili, & fide dignæ annuentes, ipsam literam cum omnibus suis clausulis innovavimus, & in nomine Domini approbamus & ratificamus & sigillo nostro confirmamus; similiter & privilegia, præfato Monasterio super libertatibus a nostris Antecessoribus, tradita, sub eadem confirmatione & approbatione volumus inviolabiliter observari. Insuper inhibentes omnibus & singulis, in nostro Archiepiscopatu existentibus, ne dicto Monasterio, aut suis colonis aliquam violentiam inferant, si excommunicationem & vindictam æterni Judicis voluerint effugere & evitare. Testes hujus rei sunt: *Ludolphus*, Præpositus sancti Georgii Stadensis, *Augustinus de Osta*, *Bartholdus Schultetus*, *Conradus de Bederkesa*, *Henricus de Nindorpe*, *Heinricus de Seltzing*, *Fridericus de Reimershausen*, *Johannes de Bachtenbrock*, *Arnoldus de Blomendal*, Milites nostri, & alii. Datum anno Domini 1284. Feria 4. post Dominicam *Lætare*.

SYNODUS ERFORDIÆ NATIONALIS

Anno Christi MCCXXCVII. Honorii IV. PP. III. Rudolphi I. Reg. XIV.

CELEBRATA.

Probatur ex Diplomate *Alberti* de *Ebeleben*, Fundatoris Monasterii *Marckfussera* (Abbat. Ord. Cisterc. Monial. in turbine Lutherano admodum constantis) hic subscripto (*Vid. Thuringia sacra*, sive *historia monasteriorum, quæ olim in Thuringia floruerunt.* 1738. fol. *pag.* 592.)

" Anno Millesimo ducentesimo
" octogesimo septimo, Ego *Al-*
" *bertus* miles supradictus existente in
" *Erfordia* pro reformatione pacis &
bono

" bono terræ Venerabili Domino noſtro " *Fratre* HENRICO (*) *Ordinis Fratrum* " *minorum*, *Archiepiſcopo Moguntino*, ip- " ſum adivi & confirmationem obtinui " ab eodem, proque literis confirma- " tionis plus quam decem marcas ero- " gavi. In Quadrageſima quoque ſub- " ſequente, contuli me ad glorioſum " noſtrum Romanorum Imperatorem, " anno Regni ſui quarto & decimo, " nec non ad Venerabilem Dominum " N. Legatum a latere Sanctiſſimi Pa- " tris HONORII II. *ad Concilium in pre-* " *dicta civitate* celebratum miſſum, una " cum Reverendo Domino noſtro Ar- " chiepiſcopo Moguntino adii, & ab " Archiepiſcopis Venerabilibus & Epi- " ſcopis, ibidem in nomine Domini " per longa terrarum ſpatia congrega- " tis, Indulgentias predicte Eccleſie " Sanctimonialium per Dei adjutorium " obtinui glorioſas, ita videlicet, quod " & in *Erfordia* & in *Mulhuſen* a triginta " & uno Archiepiſcopis & Epiſcopis " ad dictam Curiam & *Concilium* prope- " ratis obtinui triginta & unam kare- " nam, & annum & quadraginta dies " venalium, quas relaxant omnibus " vere contritis & confeſſis ſingulis " diebus, quibus dicte Eccleſie Sancti- " monialium manum porrexerint ad- " jutricem. His etiam quamdiu edi- " ficaverint inſuper & in perpetuum " valituris, quas omnes Venerabilis " Dominus Archiepiſcopus Mogunti- " nus ſupradictus datas, & etiam adhuc " dandas, ad petitionem meam miſeri- " corditer confirmavit. Nomina au- " tem omnium Epiſcoporum, qui di- " ctam Eccleſiam ſuis Indulgentiis mi- " ſericorditer reſpexerunt, ſunt hec:

" Dominus noſter Frater *Heinricus*, " *Epiſcopus Moguntinus*, qui relaxat " quadraginta dies.

" Dominus *Sifridus Colonienſis*, quadra- " ginta dies.

" Dominus *Rudolphus Salzburgenſis*, qua- " draginta dies.

" Dominus *Chriſtianus Sambienſis*, 40 " dies & annum venalium.

" Dominus *Bruno Brizinenſis*, 40 vena- " lium, & 100 criminalium.

" Dominus *Bertholdus Herbipolenſis*, 40 " dies criminalium, & 100 vena- " lium.

" Dominus *Gebhardus Brandenburgenſis*, " 40 dies criminalium, & 100 ve- " nalium.

" Dominus *Heinricus Fridenſis*, 40 dies " criminalium, & 100 venalium.

Fra-

(*) Fuit iſte F. HENRICUS fabri aut (quod alii volunt) piſtoris filius, Iſenæ in Suevia ortus; atque ex Ordinis FF. Minorum, quem fuerat ingreſſus, nodoſo cingulo *Knoderer* adpellabatur. Lectorem egit Moguntiæ inter ſuos; inſignitus poſtea Doctoris Theologi laurea, inde Guardianus Luzernæ, per plures annos Rudolpho Habsburgico, ejusque uxori & familiæ a confeſſionibus fuit. Tum Baſileenſem Conventum ſuſcepit moderandum, dum interim, vacante ejusdem urbis Epiſcopatu, ſciſſisque in diverſa electoribus Canonicis, miro prorſus eventu, cum oſtium cœnobii aperiret, a tribus e Capitulo miſſis abducebatur atque ab omnibus cum gaudio Præſul renunciabatur a. 1274. Tranſactis jam in hac Provincia annis 12, ab Honorio IV Pontifice, qui binos per diſcordiam electos *Gerardum* Comitem Eppenſteinium & *Petrum* Aichſpalterum abrogaverat, ad Sedis Moguntinæ Archiepiſcopatum a. 1286 evehebatur. Obiit a. Ch. 1288. Archiep. 2. Militibus, i. e. *Nobilibus* carior, quam Clericis.

Serarius Mogunt. Rerum Lib. V. a pag. 845, & *Chronicon S. Petri ſeu* Sampetrinum *Erfurtenſe Menckenii Scriptor. Rer. Germ. Tom. III.* unde hæc pauca refero:

" Anno Domini MCCLXXXVII. Dominus Archiepiſcopus Mogontinus Frater *Heinricus*, veniens in *Thuringiam*, honorifice ſuſceptus eſt ab omni Clero & populo " totius civitatis *Erphord*. Vocatis igitur ab eo Principibus terræ & liberis & mi- " niſterialibus, multisque Nobilibus, cœpit cum eis tractare de pace, quia jam per " multos annos incendia & rapinæ & vaſtationes in eadem provincia per malos " homines exercebantur &c... Eodem anno circa mediam Quadrageſimam gene- " rale Concilium celebratum eſt *Herbipoli* &c. Quod habetur *Tom. Conc. Germ. III. a pag.* 724.

" Frater *Conradus Tullensis* Episcopus, " 40 dies.
" Dominus *Volradus Halberstadiensis*, 40 " dies.
" Dominus *Wittigo Misnensis*, 40 dies.
" Dominus *Hartmdus Gorebensis*, 40 dies.
" Dominus *Reinboto Eistetensis*, 40 dies.
" Dominus *Heinricus de S. Marie Werthe*, " 40 dies.
" Dominus *Enricho Frisensis*, 40 dies.
" Dominus *Henricus Ratisponensis*, 40 dies.
" Dominus *Conradus Argentinus*, 40 dies.
" Dominus *Arnoldus Babinbergensis*, 40 " dies.
" Dominus *Conradus Laventinus*, 40 dies.
" Dominus *Borcardus Metensis*, 40 dies.
" Dominus *Petrus Basiliensis*, 40 dies.
" Dominus *Rudolphus Constantinus*, 40 " dies.
" Dominus *Wernerus Badensis*, 40 dies.
" Dominus *Conradus Verdensis*, 40 dies.
" Dominus *Merseburgensis*, 40 dies.
" Dominus *B. Numburgensis*, 40 dies.
" Dominus *Dietericus Olomicensis*, 40 dies.
" Dominus *Dietericus Curiensis*, 40 dies.
" Dominus *Burchardus Lubeccensis*, 40 " dies.
" Dominus *Tobias Pragensis*, 40 dies.
" Dominus *Sifridus Augustensis*, 40 dies.
" Summa totius Indulgentie est triginta " & una karena, & unus annus & " quadraginta dies venalium con" cesse."

SYNODUS ASCHAFFENBURGENSIS
PROVINCIALIS
Anno Christi MCCXCII.

(*Vide Tom. IV. CC. Germ. a pag. 7.*)

NOTA AD HANC SYNODUM, cum *Hartzhemio* communicata.

Exscribo verbis *Joannidis* in Differtat. de CC. Mogunt. pag. 297.

" Provinciale, anno MCCXCII. ab " Archiepiscopo GERHARDO II " Aschaffenburgi habitum. Quod " cum *Tritbemius* in *Chronico Spanheimensi* " ad h. a. p. m. 294, tum *Hirsaugiensi* ad " h. a. memoret *Lyserus* tamen ac vene" rabilis Auctor (*Schmidium* intelligit) " noster præteriere; quin & *Serarius*; " licet illius l. d. p. 104, dum de Con" cilio GERHARDI I agit, diserte fa" ciat mentionem.

" Sed enim operæ pretium erit, " audire *Tritbemium* ipsum. Sic autem " ille in *Chronico Hirsaugiensi* edit. San" gallensis ad h. a. p. 57. *Eodem anno* " *GERHARDUS, Archiepiscopus Mogun*" *tinus, Provinciale Concilium cum Suffraga*" *neis suis Episcopis celebravit in Ecclesia Ss.* " *Petri & Alexandri Pontificum in oppido* " *Aschaffenburg, juxta littus Mogani flumi*" *nis. In quo comparuerunt* Manegoldus " *Episcopus Herbipolensis*, Fridericus *Epi*" *scopus Spirensis*, Simon *Episcopus Vorma*" *tiensis, Episcopus quoque Augustanus, Epi*" *scopus Eichstattensis, Episcopus Hildeshei*" *mensis; reliqui vero Moguntinæ Provinciæ* " *Episcopi, Constantiensis, Curiensis, Argen*" *tinensis, Halberstatensis, Padelbronnensis &* " *Verdensis Oratores suos atque Vicarios, ut* " *moris est, cum potestate mandata sufficiente* " *miserunt. Comparuerunt & Abbates nostri* " *Ordinis in eodem Concilio plures; quorum* " *Cœnobiorum nomina conscripta invenimus* " *ita: Abbas Hersfeldensis, Abbas S. Albani* " *prope Moguntiam, Abbas S. Jacobi ibidem,* " *Abbas in Selgenstatt, Abbas S. Petri de* " *Erfurt, Abbas in Homburg, Abbas de* " *fonte Reinhardi, Abbas de Salueld, Abbas* " *de Blidenstatt, & alii plures tam nostri Or*" *dinis, quam aliorum, quorum nomina non* " *tenemus. Multa in eo Concilio statuta* " *sunt, quæ litteris commendata servabantur.*"

SYNODUS HALBERSTADENSIS
Anno Christi MCCXCVI. Bonifacii VIII. PP. II. Adolphi Reg. V.
Sub *VOLRADO*, *Halberstadensi Episcopo*, CELEBRATA IV FERIA POST DOMINICAM *PALMARUM*.

Anno Domini M. CC. XC. VI. quarta feria posterius Palmas. Nobis, VOLRADO, Halberstad. ecclesie Episcopo sacrosancte *Synodo* in nostra majori ecclesia Halb. presidentibus, exstitit quesitum, generaliter diffinitum & ab omnibus finaliter applicatum, quod nullus omnino vir possit bona hereditaria, que in structuris, pecoribus, equis ac mansis, nomine hereditario possideret, uxori sue in dotem absque heredum consensu aliqualiter dare seu etiam designare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum anno & die predictis.

Communicavit Cl. ab Erath propria manu script.

Diploma hoc Synodicum, si quidem genuinum sit, facile decidat, Volradum, raro ætatis illius exemplo, Halberstadensi ecclesiæ præfuisse annos ipsos XLI.

S. Lentzen Hist. dipl. Halberst. pag. 161.

SYNODUS VERDENSIS *Generalis*
Anno Chr. MCCCXXXIII. Joannis XXII. PP. XVIII. Ludovici IV. Reg. XVIII. Imp. IV.
Sub *JOANNE*, (*) *Verdensi XXXVII Episcopo*, CELEBRATA *IN LUNEBORCH.*

Anno Domini M. CCC. XXXIII. feria sexta infra octavam Pentecostes. Coram Nobis, JOHANNE, Divina providentia Verdensis ecclesie Episcopo, diffinitum fuit in *nostra Synodo generali*, quod quilibet decimalis de jure tenetur de decima majori prestare duo plaustra de suis frugibus ad spatium unius miliaris unum plaustrum de frugibus hyemalibus, aliud de estivalibus in locum Domini sui, ad quem decima pertinere videtur. Secundo fuit diffinitum de decima minuta, quod partes ultra numerum existentes & hoc numero decem incompleto sis (fors *sive*) de polledris, (*pulletris*) vitulis, apibus, bobus, ovibus, edis, (*hædis*) agnis aut de aliis quibuscunque, debent de illo pre-


(*) JOANNES, vir perinsignis, medicæque artis peritissimus tota Urbe audiebat: quem Benedictus XII P. M. ad Verdensem primum, mox ad Frisingensem a. 1338 evexit Cathedram. Pro absente Episcopo Verdensem ecclesiam administrabat Godefridus de Werge, Canonicus Verdensis. Obiit Joannes Avenione in Gallia circa a. 1349.

Chronicon Episcop. Verdensium pag. 219 *apud Leibnitz Tom. II Scriptorum Brunswicensium, Krantz in Metropoli a pag.* 609.

presenti anno considerari & usque in futurum annum penitus reservari, donec numerus decennarius compleatur & debent frequentius decimari & hoc est de singulis annis faciendum. Acta sunt hec in ecclesia Beate Virginis in Luneborch coram multis viris ydoneis & discretis. In cujus testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum.

Communicavit idem Cl. ab Erath.

Ignoscat, oro, Benevolus Lector, mihi errorem, quo lapsus huic Supplemento inserui, quæ postmodum inveni in aliis jam Tomis, loco certe alieno, publici juris facta.



SYNODUS PRAGENSIS

Anno Christi MCCCLXI. Innocentii VI. PP. IX. Caroli IV. Imp. XIII.

Sub ERNESTO, (*) Pragensi I. Archiepiscopo,

CELEBRATA
DIE 8 OCTOBRIS.

SUMMA. *Moderatio Statutorum anno 1355 in Concilio Provinciali Pragensi conditorum.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. ARNESTUS, DEI ET APOSTOLICE SEDIS GRATIA SANCTE PRAGENSIS ECCLESIE ARCHIEPISCOPUS, UNIVERSIS PRELATIS, CAPELLANIS ET CONVENTIBUS, PLEBANIS, ECCLESIARUM RECTORIBUS ET CLERICIS ET CETERIS CHRISTI FIDELIBUS TAM RELIGIOSIS, QUAM SECULARIBUS PER NOSTRAM DIOCESIN, CIVITATEM ET PROVINCIAM CONSTITUTIS, IN DOMINO SALVATORE SALUTEM ET (*a*) OBSERVANTIAM FREQUENTI LECTIONIS STUDIO SALUTAREM.

Mutabilitas conditionis humane propter ejus pravitatem invertitur, sicque frequenter exigit, ut contra pestiferas adinventiones hominum per Superiorum officium variis & rigidis maxime (*b*) condicionibus occurratur, sicut nonnunquam expedit propter Paschatis clementiam vigor major, si subjectis plus periculi quam utilitatis conferat, relaxetur. . . . . . Hinc est, quod dum, quando per Nos in Statutis Provincialibus alia Statuta, que editionis tempore, quo subditis nostris antea videbantur, successu temporis & aliis considerationibus tendant ad noxia.

Illa igitur de consilio & expresso consensu Fratrum & Suffraganeorum nostrorum per modum infrascriptum duximus interpretanda & etiam moderanda.

Et primo Statutum, quod habetur sub rubrica: *De majoritate & obedientia*, & incipit: *Item, cum aliquis nollet*; & ad sub rubrica: *De immunitate Ecclesiarum*, incipit: *Sed nihilominus*, in ejus opprobrium, in quibus statuitur, ut Presbyterum Ecclesiarum castrorum Capellani in locis, in quibus captivi Clerici vel Ecclesiarum predictarum per Laicos detinentur: alio non expectato mandato sub pœna excommunicationis latæ sententiæ a celebratione abstineant Divinorum &c. Quia sæpe contingit, prout experientia docuit, quod Plebani Capellani castrorum propter simplicitatem & ignorantiam eorum dijudicare nesciunt, utrum (*c*) Laicos captivati sint Clerici, tunc plerique quidam eorum literati sunt reputati Clerici, qui tamen non sunt in quibusdam Ordinibus constituti, vel forte quidam eorum, quia fuerunt ordinati, tam propter

(*) Vide *Tom. CC. IV. pag.* 381.
(*b*) *præceptis & condicionibus.*
(*a*) fors subint. *præsentium.*
(*c*) forte *per* omissum.

propter eorum graves & enormes excessus per suos Superiores clericali privilegio, quo se reddiderunt indignos, canonice sunt privati; sic quod hujusmodi Clerici non gaudent immunitate privilegii clericalis, nec pro eorum liberacione Ecclesia se interponit.

Et similiter de rebus ablatis sepe revocatur in dubium, an res ille perierunt Ecclesiarum, que . . Ecclesiis non rapte, & alia plura dubia ita frequenter incidunt, que tamen discussioni & cognitione sapientum indigent, & ideo Statuta predicta duo quoad premissa, tum & excommunicationem suam, quam illud Statutum de majoritate & obedientia infligit, non cessantibus ad minus totum tollemus & revocamus, statuentes, ut Plebanus, in cujus Parochia Clericus seu preda detinetur Ecclesie Laicum, qui captum Clericum seu predam apud se dicitur detinere, s. potestati personali tradat, vel idoneum nuntium mittat, & desuper hujusmodi & ejus circumstantiis universis meliori modo, quo potest, se informet. . . . . mox ad presenciam nostram & Suffraganeorum nostrorum seu Vicariorum nostrorum in Spiritualibus veniant, ut per eum instructi provideamus seu provideatur de remedio optimo. Item sub rubrica: *De institutionibus*, Capite unico, quod incipit: *Statuimus*, (*d*) circa formam juramenti, qua jurare debent omnes & singule Persone Regulares in dignitatibus, personatibus, officiis & quibuscunque beneficiis ecclesiasticis instituende, seu ad dictas dignitates, personatus, officia & alia ecclesiastica beneficia confirmanti, & . . . . . . in fine . . . . . & quia juramentum hujusmodi plerumque presertim conscientiosos viros angit, non modicum, cum plurima & multum generalia comprehendit, quæ jurantes nequeunt universaliter observare. Quapropter eandem formam juramenti & cum pœna presignificatum fuit, presens revocamus & penitus irritamus.

Statuentes, ut tam Religiosi, quam Seculares instituendi & confirmandi ad dignitates, personatus, officia & alia ecclesiastica beneficia promittant Superioribus secundum obedientiam & venerationem debitam. Insuper Nobis ac Successoribus nostris, seu Fratribus aut Suffraganeis nostris circa personas suadentibus aliquando casibus . . . . . videatur. Quod si bene considerentur omnia, que complectitur juramentum, tum totalis subjectio ad Prelatum ad hæc duo, videlicet *obedientiam & reverentiam*.

Item, quia sepe contingit, quod Clerici in minoribus Ordinibus constituti in alterutri claudicantes preicum non Clericorum se conjungunt consortio portantes clericalem tonsuram, coronam & habitum, nunc vero iidem tonsuram cum habitu dictis & Clericorum consortio declinantes cetibus & conditioni se ingerunt Laicorum, nec quidquam exhibent de militia clericali, nisi cum pro aliquibus criminibus fuerint per seculares Judices comprehensi, vel cum super illis, que tanquam Laici gesserunt, ad secularia judicia pertrahantur, non propter hoc, ut de cetero vita ecclesiastica, sed potius ut eludant forum judicii secularis. Propter quod inter Justitiarios & Judices seculares ab una parte, & Nos & Prelatos ac Officiales nostros ab altera, fuit frequens altercationum & scandalorum materia suscitata, tum pro talibus inter Ecclesiasticos & seculares Judices, an pro Clericis vel Laicis reputari debeant, & ad quorum judicium dubium hoc sit revocatum.

Volentes igitur in futurum talibus questionibus & scandalosis altercationibus, in quantum possumus, obviare, ne sub spe immunitatis ecclesiastice & libertatis hi, qui puniuntur seculariter reddantur ad perpetranda scelera proniores, & ne cum aliquorum prejudicio vage in isto Ordinis & singulos Acolitos & Clericos in minoribus Ordinibus constitutos contingat, per edictum presens monemus, ut qui ex eis volunt de cetero quoad forum ecclesiasticum gaudere privilegio clericali, quatenus assumant & deferant tonsuram, coronam & habitum clericalem. Alias sive fuerint criminaliter com-

(*d*) Caput XXIX. Concilii Provincialis Pragensis anni 1355. *Tom. CC. IV. pag.* 389.

comprehensi, sive fuerint criminaliter occupati per judicium seculare, Nos, seu Officiales nostri ipsos ad ecclesiasticum forum seu judicium minime repetemus.

Cum dignum sit, ut quicunque aliis similem ducit vitam, similem sentiat in legibus disciplinam. Iterum indignum est eis ab Ecclesia subveniri, per quos crescit scandalum in Ecclesia generali.

Volumus igitur & vobis districte precipimus & mandamus, quatenus omnes & singuli observent Constitutiones nostras, & Statutorum particularium Decreta, & pro Statutis nostris Provincialibus annotationes.

Dat. apud Ecclesiam nostram Pragensem anno M. CCC. sexagesimo primo, die octavo mensis Octobris. Et sic est finis Statutorum Synodalium.

Ex MS. libro Ordinis Crucigerorum cum aurea Stella in 4to. commodato a Celsissimo Archiepiscopo Pragensi anno 1761. & transcripto a me Jos. Hartzheim S.J.

SYNODUS PRAGENSIS
ARCHIDIACONALIS
Anno Christi MCCCLXV. Urbani V. PP. IV. Caroli IV. Imp. XVII.
Sub JOANNE, Pragensi II. Archiepiscopo,
CELEBRATA
DIE 16 JUNII.

NOTA ad hanc SYNODUM.

Transcripsit *Hartzhemius* ex MS. Pragensi, quod ob insolitas abbreviationes, ductus characterum obliquos, aliaque syrmata, ut Eximius testatur, legi vix potuit. Transcriptum multis ego locis mutilum, hiansque inveni, & pro usu Lectoris in hanc redegi formam, supplementis tamen lacunarum per minutiores typi litteras discriminatis.

ENTZO Præpositus Ecclesiæ sanctæ Pragensis, BEASO Archidiaconus, BECHUS Vicarius in Spiritualibus Reverendissimi in Christo Patris & Domini nostri, Dni JOHANNIS, Archiepiscopi Pragensis & Apostolicæ Sedis Legati generalis, universis Prælatis & Clericis secularibus ac Religiosis nostræ ordinationis ac legationis pacem. Reverendissimo in Christo Patri Domino JOHANNI, Archiepiscopo præfato, Nobisque Vicariis subjectis super dictis in CHRISTO Salvatore salutem, & præsentibus fidem dare.

Ex zelo devotionis, urgente & nostri officii commissi debita solicitudine contra noxia & inordinata, sine intermissione vigilemus *ad tuenda* præceptorum scriptorum olim salubria monita & statuta paterna prædicti Reverendissimi Patris Domini JOHANNIS Archiepiscopi & Legati memorati, & memorari summarie & servata temporis qualitate exigente. Insuper viros omnes & singulos Prælatos & Clericos jurisdictioni nostræ subjectos Seculares & Religiosos hortamur & monemus in Domino, ut in virtutum operibus & sanctimonia continenter vivant, sicut decet servos Dei, seque a noxiis operibus & tenebris *& illecebris* sensuum cohibeant: quæ *sunt* concubinatus, lascivæ choreæ, ludi taxillorum, & tabernarum frequentatio, usus prohibitorum armorum, furta, & alia quævis abusiva secularia, per quæ sacer Ordo clericalis dehonestatur & vilescit. Item prohibemus districte, ne Clerici seculares & Religiosi quibuscunque

cunque se actibus secularibus miscere præsumant, aut negotiationibus seu officiis publicis Laicorum quovis modo implicare; alioquin si in personis talium aliquis casus emerserit, ipsos, per Nos & Ecclesiarum immunitatis Servatores *non tuebimur*: cum secundum sacrorum Canonum instituta & mandata deceat in sacris Ordinibus constitutos sanctitudo & inhibitorum per eadem secularium negotiorum *fuga*. Ipsorummet mandata & statuta exequi, ut tenemur cupientes, statuimus inviolabiliter observandum sub pœna excommunicationis, ut nullus Clericus in Ordinibus sacris constitutus, maxime Beneficiatus, per nostras Civitates & Diœceses officium tabellionatus seu publici Notarii sub pœna prædictæ excommunicationis exerceat quovis modo instrumenta & contractus conficiendi, quos omnes & quoslibet ipsorum ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc sub executione illius officii suspendimus in hiis scriptis. Instrumenta autem & contractus prædictos, si quæ vel qui confecti vel confecta fuerint, deinceps nullius momenti esse *declaramus*, exceptis duntaxat Notariis Curiæ meæ & officiorum ejusdem, ad quos præsens statutum ac pœnam nolumus extendi. Item præcipiendo mandamus omnibus Plebanis, Viceplebanis & aliis Presbyteris dictæ Diœcesis tam Secularibus, quam etiam Religiosis in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pœna, ut nullus ipsorum fures, latrones & Clericos, qui vagi dicuntur, hospitent, vel in domos suas recipiant, eorum furta & ablata distrahant, aut congregationes eorum peragere quomodolibet præsumant, vel eis consilium vel auxilium vel expensas in domibus eorum vel aliis audeant ullo modo ministrare. Item hortamur & obsecramus in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus omnibus Plebanis & Viceplebanis, & Ecclesiarum Rectoribus tam Religiosis, quam secularibus, ceterisque Plebanis & Presbyteris per Diœcesim Pragensem constitutis, ut spirituales ad Dominum Deum pro bono statu, sanitate corporis, & prosperitate successuum Serenissimi Principis Domini CAROLI, Romanorum Imperatoris semper Augusti & Bohemiæ Regis, Domini nostri, & totius Cleri & Christiani populi Protectoris, devote & assidue fundant preces; quilibet ipsorum a notitia præsentium infra decem dies legendo prædicto Domino nostro per se vel per alium Missas tres, cæteri vero Diœceseos *Pragensis summa* qua valeant diligentia & devotione pro ipso infra tempus expleant jam præmissum. Et quoniam noverca veritatis & justitiæ inimica, jurgiorum materia & scandalum totius iniquitatis (fors *civitatis* vel *communitatis*) existat ipsa detentio (fors *detractio*) in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione æternæ maledictionis hortamur, monemus & obsecramus in Domino omnes vos religiosos ac seculares Clericos a verbis abstinere detractoriis, quæ scandalum generare possunt & errorem in populo *disseminare*. Sunt enim quidam, ut percepimus, in sermonibus suis *incauti, &* tam Seculares, quam Spirituales seu Religiosi, dum populo salubria monita ad devotionem pro concione inducere deberent, ibi verbis superfluis sibi invicem detrahentes, quod in majus tendit referentium periculum & dedecus, & audientium damnum & jacturam; verum ne amplius id fiat, districtius inhibemus conditiones debitæ animadversione instituti suadente Domino authore puniendos. Verum quia juxta Sanctiones Canonum diversis casibus diversa remedia detinere opportunum est; nam docente experientia injectiones manuum in Clericos, aliaque scandala fiunt in tabernis ut plurimum & ubi major Clericis præbetur occasio, eo major libertas retinetur & temeritas Clericorum. Ideo præcipimus sub pœna jam scripta districtius inhibentes, ne Plebani, Vicarii & alii Clerici de cætero tabernas publicas frequentare aut intrare præsumant. Quod si necessitas exiget, potius in aliquo loco honesto declinent potum, mercedem . . cum modestia recepturi; alioquin contrarium facientes, toties solvant ferthonem commissorum, quoties eos contigerit tabernas intrare. Hanc quoque pœnam volu-

volumus & mandamus per Dominos Archidiaconos a singulis singulam exigi, contrarium facientes toties ad solvendum per censuram ecclesiasticam compelli debent, quoties fuerit contraventum, cujus medietas ad fabricam Pragensis Ecclesiæ tribuatur per dictos mediatores, pro se ipsis partem residuam reservantes. Insuper inhibemus, ne Presbyteri, vel alii constituti in sacris intrent choreas in plateis, aut spectaculis . . . . . vel in domibus Laicorum, facientes contrarium, simili pœna puniantur. Et quia discretio sive discernentia debet esse Clerici a Laicis, præcipue in tonsura, habitu & vestitu, præcipimus, quod Clerici quibuscunque Statutis existant, & singulariter Presbyteri vestes clericales deferant, ita quod tunica ultra genua protendatur, alioquin tales, si in tunica breviori reperti fuerint, pro fabrica Pragensis Ecclesiæ solvant fertonem & alias canonice puniantur. Insuper præcipimus, quod Plebani, Vicarii & lusores taxillorum non teneantur, sed eos Decano suo & Decanus Nobis tales Vicarios, etiam Plebanos, tabernarios & lusores taxillorum Decanatus sui denuntient, quod si Plebani hoc non fecerint, alias Decani solvant fertonem, quoties in tali denuntiatione negligentes fuerint, quæ pecunia ab eis & eorum quolibet exigatur & alias canonice puniantur. Et quoniam in Statutis Provincialibus continetur expresse, quod ad Baptismi & Confirmationis Sacramenta solum duo viri si masculus & una mulier, & si fœmella duæ ejusdem sexus & unus vir levantes admittantur, cum Statutum hujusmodi nostræ Diœcesis Pragensis minime fuit observatum, volentes ad observationem hujus continuantes ipsos adjectione pœnæ compellere, cum plus solet evincere, quod cum pœna spiritualiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, præcipimus & mandamus, quatenus omnes citati Statutum præfatum observent, nec quod eorum plures in compaternitate contrahendo admittantur, alioqui contrarium facientes & plures admittentes, de qualibet persona imo admissam pœnam quoque . . . . . incurrant, quæ ab eis & eorum quolibet sine remissione aliqua pro Camera Domini nostri Archiepiscopi per censuram Ecclesiasticam ad solvendam pecuniam compellantur. Et quia oblivio ac desidia mater exstat ignorantiæ ac confusionis, Psalmista dicente: *Cum perspexero, non confundar.* Confundit enim memoriam officii oblivio præceptorum, quæ sine ipsorum lectione & rememoratione continua a memoria labuntur. Sane in Statutis præsentibus, dudum & sæpius publicatis, salubriter est provisum, ut quivis Archidiaconus, Decanus & parochialis Ecclesiæ Rector vel Curatus libellum Statutorum tam Provincialium, quam Synodalium habere tenentur sub pœna ibidem annotata, ac in vocationibus eorum debeant continuo publicari, ut sciant sibi auditores præcavere, tamen . . . . . multi rebelles & desidiosi, mandatorumque sacrorum contemptores prædictis non . . . . curant obedire cum effectu. Ideo districtius præcipimus & mandamus prædictis Archidiaconis & Decanis, ut prædictos libellos Statutorum habeant, & ipsis in suis convocationibus legant integre & sine intermissione, sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, subditosque suos ad habendum dictos libellos compellant sub pœna in Statutis prædictis expressa, qua ipsos & ipsorum quemlibet, si non fecerint, quod mandamus, ferimus in his scriptis. Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, die sexta decima mensis Junii &c. Item prohibitum est Synodaliter, ne cum pluribus candelis sive cereis & cum magna solemnitate visitent colendizato(*). . in vigilia Nativitatis Christi plus quam cum Corpore Christi. Item, ne tabula pacis prætactæ per Ecclesiarum digniores proponendo, sed stando in suo loco . . . . aut Altare Parochiarum omnibus indifferenter accedere cupientibus proximis diebus indulgentiarum obtinendis. Item, ne quis procedat ad Ordines sacros absque proprio horarum viatico, & nemo eidem concedat ad examen viaticum suum sub pœna excommunicationis. Item, ne quis vagus vel ignotus cupiens

(*) fors: *colendi gratia præsepe.*

piens celebrare, admittatur ſine formatis ſuæ Diœceſis, ac reliquis neceſſariis inſtrumentis. Sequitur alia

ORDINATIO
EJUSDEM PRAGENSIS ARCHIEPISCOPI.

Vobis omnibus Dominis Plebanis & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus perpetuisque Vicariis Dominus noſter Archiepiſcopus injungit infra ſcripta. Et primo mandat nobis, ut ſi quis veſtrum fuerit vel ſciverit aliquos hæreticos vel ſuſpectos in fide & fautores ipſorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis denuntiare, quamprimum poteritis, commode debeatis. Item, excitat officium veſtrum præfatum contra cenſuarios & ſortilegos: intellexit enim ipſe Dominus noſter Archiepiſcopus, quod quidam tam Laici, quam Clerici privative aſſerunt, quod mutuare decem pro uno per annum ſit Laicum (*licitum*) (*) imo ſi pro uno tuo mille devitiorum unus devitius ſolvetur, & ſimiliter de aliis rebus, quæ conſiſtunt in non pondere & menſura. Quoniam *hoc graviter eſt illicitum*, *damnatur a Domino Archiepiſcopo*. Et qui contrarium pertinaciter docuerit, tamquam hæreticus punietur. Unde prohibeatis clericales contractus in Parochiis veſtris & illos, qui hactenus per hujusmodi contractus aliquid receperint, ad reſtitutionem efficaciter perducatis, & qui veſtris ſalutaribus informationibus recuſarint, illos dicto Domino Archiepiſcopo, vel ejus in Spiritualibus Vicario, vel etiam Diaconis ipſius denuntiare curetis. Item audivit Dominus noſter Archiepiſcopus, quod multi tam Clerici, quam Laici dolorem capitis vel dentium, febres vel infirmitates alias ipſi vel eorum animalia patientes ad ſortilegos & *præſtigiatores* accedunt pro ſanitate ſeu remedio conſequendo, qui eis incantationes ſeu verba & geſtus ſcripturas ſeu ligaturas ſuperſtitioſas adhibere conſueverunt: iſta prohibere in veſtris Parochiis ſolicite ſtudeatis, & quoties hii incorrigibiles fuerint tam requirentes, quam impertientes talia, ipſos Domino Archiepiſcopo vel ejus Vicariis denuntietis. Nam licet hujusmodi remedia curare morbos videantur, tamen non virtute remedii, ſed permiſſione Divina fit diabolica pravitate, ut qui per ſuam infidelitatem ſolus factus membrum diaboli, alios ad errores profundius & *probroſius* & periculoſius pertrahatur. Item vos Plebani & alii Presbyteri & Clerici a ſuperſtitioſis benedictionibus & carminationibus, ſcriptis, *ligaturis ſuperſtitioſis* ægrorum quibuslibet impendendis ſeu adhibendis abſtinere curetis, prout periculum ordinis & ſtatus cupitis evitare. Item mandat, ut Parochianos veſtros utriusque ſexus frequenter in veſtris ſermonibus inſtituatis ac moneatis, ne parvulos propter oppreſſionis periculum in uno lecto ſecum dormire permittant, aut cubare. De firmatis autem *ſeu conventionibus*, quas Plebani habent inter ſe, ſi quas noſtras habent ratificationis literas, quod de eisdem infra tempus doceant. Nam intelleximus, quod viſitationes noſtræ, obſtantibus *talibus conventibus ſeu contractibus*, quorum prætextu unus alterius crimen negat, non poſſunt inquirere veritatem, (**) habentes impenſas de pecunia communi contributa per conformitatem. Amen.

Hoc MS. Pragenſe a Celſiſſimo Archiepiſcopo JOANNE MAURITIO *communicatum P. Hartzheim S. J.*

MISSI-

(*) Hic deſideratur linea, quam implere nullo modo ob enormem confuſionem potui.
(**) Uti conjicio ex vocibus nullo inter ſe nexu cohærentibus, ſed mutilis, ac miſere per chartam diſperſis, hic ſenſus dari poteſt: *& quod litigiis ſibi faciunt tædia ob impenſas viſitationum: quæ litigia vitent* habentes &c.

MISSIVA

THEODERICI, (*) S. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopi, AD SUFFRAGANEOS IN PUNCTO CONCILII PROVINCIALIS,

Anno Chriſti MCCCCXL. Eugenii IV. PP. X. Friderici III. Reg. I.

SINCERAM IN DOMINO COMPLACENDI VOLUNTATEM, REVERENDE PATER ET AMICE CHARISSIME.

Notum eſt, ut ad litteram loquamur quanta propoſiti noſtri tenacitate procelloſos turbines, & naviculam *PETRI Principis Apoſtolorum* ſanctiſſimi, hoc eſt Eccleſiam Dei univerſalem, per ſchiſmatis honorendi ingluviem in dies adoleſcentis acerrime concutientes a facie ejusdem abluere, ac deinceps venerabilem Metropolim notione, quod prefata noſtra paccata gauderet Metropolis, ac ſciſſure iſtius, que humana fragilitate contracta eſt, haud dubium de meritis non adterreretur incommodis, anno jam *decurſo Concilium indiximus Provinciale*, ubi inter cetera quidem, pepigerunt S. Imperii Coelectores noſtri fœdus, cum proteſtatione ipſi ſubnixa concorditer acceptatum.

Sperabatur utique, quod in tanti virtute fœderis Natio germanica in ſe unita flagella, altricem noſtram ſanctam Dei Eccleſiam inſolito more conſtringentia, poſſet accuratius decurtare. Videmus vero modo, qualiter nec impendiis, nec ſacrificiis, nec legibus noſtris humanis Majeſtas Divina noſtris exarcerbata facinoribus hactenus implacata, in noſtre Matris anxietate noſtris auſpicia ingeniis affulcerat preoptata. Decreſcit nimium reverentia, a minoribus potioribus debita, momentaneis ceſſat vicibus, obviam inſurgunt propemodum pernitioſiſſime lites, accedunt jurgiorum incommoda, private geruntur uſurpationes, nutriuntur ſchiſmata, diverſa homicidiorum genera proruunt, rariſſimus juſtitie vigor, variis Eccleſiaſtica libertas quam fundamentum eſſe precipuum Chriſtiane Religionis exiſtimamus, exinde laceſſitur injuriis Clerus, qui de ſorte Chriſti eſt, pedetentim humiliatur; &, ut plura paucis perſtringamus, in hereditate Domini Eccleſia vere confracta, & conciſſa, noxius dietim porro inhabitare deproperat, que profecto nobis indicium preparant, quantum humanum conceſſum ſit poteſtati Divine mitigandam fore poteſtatis ultionem; pacem in Eccleſia ſtruendam, & fidelium Principum ope & auxilio fructus (*flactus*) ſciſſurarum graſſantes protinus placandos.

Cognoſcentes itaque, quodcunque in rebus tam arduis, cum veſtro & aliorum ſancte noſtre Moguntine Sedi affectorum fuerit ordinatum Concilio, id ad beatitudinem noſtram Metropolis accedere, & in ipſius gloriam plurimum redundare; quare generalem noſtre Moguntine Provincie Suffraganeorum conventionem in craſtinum diem, que eſt dies Martis, poſt proximum feſtum Aſſumptionisglorioſe Virginis MARIE immediate ſequentem, cum ceteris ſequentibus diebus, in oppidum noſtrum *Aſchaffenburg*, deliberatione matura precurente, decrevimus inſtituendam, ad quam tanto ardentius motus noſtros contulimus, quanto ſincerius Sereniſſimum Principem

(*) Archiepiſcopi Moguntini Encyclica pro Synodo Provinciali feria III poſt Aſſumptæ B.M.V. a. 1440 cogendam, quæ jam a. 1439 indicta fuerat.

pem & Dominum noſtrum, D. FRIDERICUM Romanorum Regem, & ſemper Auguſtum ad pacem in Eccleſia ponendam novimus inclinatum: quem hoc pretextu indicta ſue Serenitatis authoritate in civitatem Nurnberg in feſto ſancti Michaelis proxime futuro inſtituta, cum ſacri ſui Imperii Principibus Electoribus, Optimatibus & Satrapis novimus conventurum; ut inibi ſecum exiſtentes dictorum noſtrorum Suffraganeorum prius freti conciliis, ſue valeamus Serenitati concilia revererere (*conſilia revelare*) ſuper premiſſis pro dicti Imperii, & noſtre Provincie profectu grata futura.

Veſtram itaque amicitiam in D. N. J. C. hortamur, & ſinceriſſime rogamus, quatenus ad hujusmodi Congregationem de & ſuper prefatis inſtitutam omni ceſſante impedimento, pro debito quo noſtre ſtringimini Metropoli, vos conferatis propria in perſona aut ſaltem, evidenti prohibiti neceſſitate veſtros doctos & conſtantes Viros transmittatis ad tractandum, conſulendum, concurrendum, & concludendum in dextra Omnipotentis DEI & noſtra virtute unita, quo pacto premiſſis modo occurratur diſpendiis; ac etiam ſi viſum fuerit expedire ad declarationem ſubeundam, cui partium ſit adherendum; alia quoque faciendum, que neceſſaria videbuntur, ne una Nobiscum improviſi, ac interim Nobis circa rem familiarem occupatis, in tanto devagantes, & operantes exitio, anfractibus irreparabilibus ſubjiciamur. Rogantes etiam Charitatem veſtram, ut Nos de intentione veſtra certificare non detractetis. Datum anno Domini M.CCCC.XL. menſe Aprili.

Ex nonnullis Suffraganeorum Reſponſoriis ſubnectere lubet datos Metropolitano titulos cum ceteris Curialibus illorum, qui ad Synodum ablegabantur, nomina & functiones.

CURIENSIS CONRADI. "Reverendiſſime Pater, Domine & Preceptor metuentiſſime." *Finit*: "Dominationis veſtre in preceptis. CONRADUS DE RECHBERG Electus Eccleſie Curienſis;" *Exterius*: "Rmo ... THEODERICO S.M.S. Epiſcopo, S.R.I. per Germaniam Archicancellario, & Principi Electori, Domino meo metuentiſſimo.

CONSTANTIENSIS HENRICUS, miſit *Hermannum de Laudenburg* Canonicum, & *Conradum Lulli* Decret. D.

HALBERSTAD. BURGHARDUS, hoc ſtylo Metropolitam affatur: "Recommendatione ſinceriſſima ſolida cum ſubjectione ac votiva complacendi promptitudine predirecta Reverendiſſime Pater, & Domine & Preceptor multum metuende. (Grönıngen d. 8. Jun.) "Reverendiſſimo ... Domino & Preceptori noſtro metuendiſſimo.

HILDESIENSIS MAGNUS, in caſtro Sturwald 9. Aug. nuntios conſtituit *Johannem Schwanenflügel*, Decanum Eccleſie majoris, & *Henricum Leuping*, Prepoſitum D. Martini Heligenſtad.

SPIRENSIS RHEINHARDI Oratores: *Andreas de Lapide* Prepoſitus S. Trinitatis, *Ruttgerus de Rutterburg* in Theologia Magiſter, *Erneſtus Duffel* ad S. Florinum Confluentie Canonicus. Credentiales expedite ſunt Undenhemii 12. Aug.

VERDENSIS JOHANNES (ex caſtro ſuo Rodenburg 18. Julii) deputavit *Conradum Aldenbroch* Can. Cathedr. & Archidiaconum in Meteſtipe.

WORMATIENSIS FRIDERICUS, *Johannem Ladenbaum*, ædis ſummæ Canonicum.

Cl. Gudenus Codicis diplomatici T. IV. pag. 262.

Anno

Anno Chrifti MCCCCXLI.

Ad condeliberandum in folenni Conventu Moguntino, caufa reftinguendi fchifmatis indicto, R. FRIDERICUS mittit Oratores.

(*p.* 756. *n.* 1.)

NOS FRIDERICUS D. G. ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS. AUSTRIE, STYRIE, KARINTHIE, KARNIOLE, &c. DUX, COMES TYROLIS.

Notum facimus univerfis litterarum prefentium infpectoribus, quod cum nuper pro fedando lamentabili fchifmate, fanctam Dei Ecclefiam diebus noftris miferabiliter conturbante, folennem dietam ad nunc inftans feftum Purificationis B. M. V. in civitate *Moguntina* inftituerimus celebrandam; ad illam Catholicos Reges, ut fuos Oratores pleno mandato fuffultos mitterent, invitantes, & adhortantes diligentius: Ecclefiafticos vero & feculares Principes, Prelatos, Comites, Barones, & Nobiles noftros & Imperii facri Fideles dilectos, ut perfonaliter eandem accederent, & feriofius requirentes; plena tunc deliberatione difpofiti, quod & Nos dietam ipfam vellemus accedere propria in perfona; tandem fupervenientibus nonnullis arduis negotiis, quibus pro utilitate Reipublice, totiusque Chriftianitatis commodo inevitabiliter habebamus intendere, diutius prepediti pro attingenda ftatuto tempore dieta prefata Nos nequivimus adaptare.

Verum, etfi prepeditionem eandem infra dies paucos fubmoveri fperemus, atque ad ipfam dietam Domino concedente in tempore opportuno pertingere; nolentes tamen tante arduitatis negotia, que illic pro communi omnium falute tractanda incumbunt, ex preftulatione noftre perfonalis prefentie, ullam retardationem accipere; hinc maturo fuper hoc cum Principibus, Prelatis, Comitibus, & Baronibus noftris prehabito concilio omni & meliori modo ac via, quibus poffumus & debemus, Venerabiles *Petrum* Auguftenfem, *Silveftrum* Chiemenfem Epifcopos, Principes, Magnificum *Albertum de Potendorf*, Baronem honorabilem *Thomam de Haffelbach*, facre pagine Profefforem, Conciliarios noftros devotos, dilectos, in noftros conftituimus, creavimus, & ordinavimus ... Oratores mandatarios, & ambafiatores; dantes & concedentes eisdem, aut majori parti ex illis plenam, liberam ac omnimodam poteftatem & facultatem, fe in predicta dieta Moguntina noftro nomine prefentandi, inibique cum Sereniffimis Regibus, & Principibus, Prelatis, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus prefatis, feu eorum Oratoribus & Ambafiatoribus ibidem convenientibus tractandi, confulendi, concordandi, & concludendi de ordine viis & modis, quibus fupra dictum fchifma evicatius tolli, & S. Matri noftre Catholice Ecclefie in fuis tribulationibus, & anguftiis defideratus valeat preberi fuccurfus; nec non maturam deliberationem in Concilio noftro factam, fi ab aliorum forfan deliberationibus difcrepans, aut diverfa fuerit, apud hujusmodi dietam, & in profecutione dicti negotii in unam unanimem fententiam reducendi & concordandi; omnemque modum & viam, per quorum medium tantis Ecclefie neceffitatibus & anxietatibus falubrius poffit confuli, noftro nomine acceptandi, & profequendi, nec non pro premifforum omnium firmiori ftabilitate, & reali executione, fi utilitas, & neceffitas exegerit, in aliam feu alias dietas confentiendi, easque, fi opus fuerit, authoritate noftra ftatuendi & indicendi; omnia quoque & fingula, que ipforum Oratorum . . noftrorum interventu, & unanimi confenfu Regum, & Principum, & Prelatorum, ac eorum

rum Oratorum predictorum indicta dieta convenientium pro S. R. Ecclesie, sacrique Romani Imperii felici & tranquillo statu avisata, & conclusa fuerint acceptandi atque executioni debite demandandi; & transgressoribus contra facientibus aut rebellibus authoritate nostra predicta pœnas debitas infligendi; omniaque alia & singula agendi, faciendi & exequendi, que circa premissa . . . necessaria fuerint, se quomodolibet opportuna, & que Nos ipsemet facere possemus, & deberemus, si predicte diete Moguntine personaliter interessemus, etiam si majora forent, quam in presentibus litteris continentur, aut mandatum exigerent majus speciale. Volentes quoque, quod per prefatos . . nostros Ambasiatores, ut prefertur circa premissa . . actum, factum, . . & conclusum fuerit approbare, firmumque & ratum inviolabiliter observare.

In cujus rei testimonium presentes litteras sub appensione nostri sigilli jussimus communiri. Datum in nova Civitate mensis Februarii 5. 6. 7. anno Domini M. CCCC. XLI. Regni nostri anno I.

Ad Mandatum Regis

Conradus, Prepositus Vienensis, Cancellarius.

Cl. de Gudenus Tomo IV. Codicis diplomatici pag. 266.

SYNODUS AUGUSTANA

Anno Christi MDXIX. Leonis X. PP. VII. Caroli V. Imp. I.

a CHRISTOPHORO de STADION,(*) *Augustano LVII. Episcopo,*

CELEBRATA

Synodi hujus mentionem facit in sua *Hierarchia Augustana* Cl. Corbinianus Khamm Cap. VI. Sect. V. pag. 311 his verbis:

" Christophoro Episcopo Augustano, anno subsequente *Synodum* ex 160 Presbyteris congregatam, postliminio Dilingæ indicente, nec non ad conservandos suos Pastores & oves utilissima statuente." Et paulo ante: " Christophoro ad antevertendum serpenti (*Lutheranæ contagionis*) toxico *Synodum* interim celebrante & eleganti oratione ad Clerum perorante."

(*) Erat is J. U. D. Cathedralis Aug. Canonicus, Officialis, Decanus. Pastor gregis sui fidelissimus, heterodoxorum juratus hostis, imperterritus veræ fidei custos & propugnator acerrimus. Adiit Episcopatum a. 1517. rexit 26. obiit 1543 die 15 Aprilis, ætatis anno 65.

Idem P. Corbinianus Khamm l. c.

EPI-

EPISTOLA CONVOCATORIA
AD SYNODUM HERBIPOLENSEM
Anno Christi MDXLVIII. Pauli III. PP. XIV. Caroli V. Imp. XXXI.
a MELCHIORE, (*) Episcopo Herbipolensi,
DATA
SUB HAC INSCRIPTIONE:

Venerabili honorandis devotis Nobis in Christo Dilectis Decano & Capitulo ecclesiæ Collegiatæ in Mosbach.

MELCHIOR, DEI GRATIA EPISCOPUS HERBIPOLENSIS, FRANCIÆQUE ORIENTALIS DUX. VENERABILIBUS ET HONORABILIBUS NOBIS IN CHRISTO DILECTIS AC DEVOTIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, CUSTODIBUS, PLEBANIS, VICARIIS, MONASTERIORUM PRIORIBUS ET GUARDIANIS, COMMENDATORIBUS ORDINUM QUORUMCUNQUE, NEC NON CAPITULORUM RURALIUM DECANIS, PROCURATORIBUS ET DIFFINITORIBUS, CÆTERISQUE OMNIBUS ET SINGULIS PERSONIS ECCLESIASTICIS PER CIVITATEM ET DIOCESIM NOSTRAS, SALUTEM IN DOMINO.

Ex debito Pastoralis officii nobis licet immeritis, superna providentia incumbentis tenemur, salutem animarum gregis nostri procurare, ac errores, scismata & omnem pestem improborum hominum (quæ inter nobis subjectos magna cum jactura Christianæ Religionis emerserunt) pro viribus extirpare. Quod tum fœlicius successurum speramus, si a Clericorum (quos scientia morum & vitæ integritate cæteris præstare oportet) correctione incipiamus, ac improbos & perversos ab illicitis doctrinis & actibus, per Ecclesiasticam disciplinam arceamus: acerbe enim ferimus hanc Ecclesiæ calamitatem. Quare cum olim sanctorum Patrum constitutionibus sancitum noscatur, ut Synodus sacrosancta (qua salus Ecclesiæ quæritur, hostes terrentur, ac fides catholica stabilitur) per Antistites & locorum Ordinarios, certis anni temporibus celebraretur: Nos eorum vestigia imitantes, & qui, ut Pastor ovium nostrarum, ad emendandam subditorum errata & excessus, maxime Clericorum & Religiosorum (ne sanguis impiorum e manibus nostris in die Judicii requiratur) prudenter & diligenter intendere debeamus, ne

(*) MELCHIOR ZOBELIUS Guttenbergæ loco peramœno, haud procul ab urbe Wirceburgensi, cœlum ex antiqua & prænobili natus familia hausit, eratque vir laudatissimus, carus omnibus Princeps, ac Præsul domi forisque inclytus. E Decano ecclesiæ Cathedralis a. 1544 die 19 Augusti fiebat ejusdem Episcopus & Dux Orientalis Franciæ, concordibus Canonicorum omnium suffragiis electus. Optimis provinciam hanc auspiciis suscepit, nec minori administravit laude ac felicitate, ad annum Christi 1558, quem expertus est fatalem sibi & supremum: die enim 16 Aprilis ejusd. currentis, cum e Concilio, quod indies in reipublicæ emolumentum habere consueverat, suam ad arcem rediret, in Mœni ponte a sicario, quem Guilielmus Grumbachius, nobilis Franco, adversus Episcopum ardens furore submiserat, sclopeto trajectus, sub urbis Herbipolensis porta occubuit.

Spondanus Annal. Ecclesiast. Tom. II. pag. 577.
Struv. Corp. Hist. Germ. pag. 1130 & alii apud J. Steph. Pütter Hist. Imp. Germ. P. III. pag. 557.

ne circa ea, quæ contra Divinas institutiones fiunt, diucius cessemus, sed omnibus viribus enitamur, ut oves palabundas, ac in pascuis palustribus errantes recolligamus: & earum morbis, ne veluti gangrena latius serpant, præsentaneo & salutari pharmaco occurramus. Videtis percussum Pastorem: videtis oves dispersas: videtis impudentem peccandi licentiam: videtis adversus pietatem audaciam tum loquendi tum disputandi impiissimam, & indies scelerata gliscere scismata. Quocirca diligenti deliberatione præhabita, super tanto & tam necessario negotio, ad honorem Dei & status totius Cleri nostræ Diœcesis profectum, ac salutis animarum eorundem augmentum, non solum de Legis nostræ Diœcesanæ auctoritate, sed edicto & mandato Cæsareæ Majestatis, juxta editam Reformationis formam, ad deliberandum, immo & ad observandum in Comitiis Augustanis, Statibus Ecclesiasticis prælectam & serio commissam (salvo tamen semper meliori Ecclesiæ & Concilii generalis consilio) ad sacrosanctam *Synodum*, & illam in Choro sancti Kiliani Patroni nostri, Ecclesiæ nostræ majoris Herbipolensis, sub officio sanctissimæ Missæ de sancto Spiritu, opitulante Divina clementia, solenniter decantando, celebrandam, constituimus & præfigimus diem Lunæ proxime post festum sancti Martini adventuram, de anno Domini præsenti videlicet, Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo: ad quam quidem sanctam Synodum die & loco præfatis, vos omnes & singulos conjunctim & divisim, ut coram personaliter compareatis, in virtute sanctæ obedientiæ, per præsentes in his scriptis peremptorie citamus, ad videndum & audiendum, quid in re tam seria & summopere necessaria, accedente vestro consilio, sit faciundum, & quid denique statuendum: alioquin sine legittima causa absentes & contumaces, animadversionibus condignis plectere non postponemus. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium, nostri Vicariatus sigillum, quo ad præsens utimur, præsentibus est impressum.

Datum in nostra Civitate Herbipolensi, die vicesima septima mensis Septembris, anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo.

GUILHELMUS RUSZWURM
Fiscalis subszt.

Communicavit Cl. Dom. Jung ærarii consilii Assessor, Membrum Acad. Scient. Manheim. & Baillivus S. E. P.



SYNODUS DIOECESANA ATREBATENSIS

Anno Christi MDLXXXIV. Gregorii XIII. PP. XII. Rudolphi II. Imp. VIII.

Statuta Synodi Diœcesanæ Atrebatensis,

anno Domini 1584. decima quarta Octobris

ATREBATI CELEBRATÆ,

REVERENDISSIMO PATRE ac DOMINO,

D. *MATTHÆO MEDULLARTIO,* (*)

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Atrebatiano Episcopo præsidente.

EPISTOLA PASTORALIS EPISCOPI.

MATTHÆUS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Atrebatensis Episcopus, universo Clero Civitatis & Diœcesis suæ, in Domino Salutem.

Quum Divina benignitas ad cumulum beneficiorum, hactenus in nos collatorum, etiam istud præstare dignata sit, ut tempora sedatiora Reipublicæ nostræ concedens viam aperiret Diœcesanæ paulo celebriori Synodo celebrandæ; non potuimus non mirum in modum in Domino gaudere, ac ejus immensæ Majestati, quantascunque possumus gratias, ex intimis præcordiorum venis & ferventissimis affectuum medullis de tantis beneficiis oppido quam agere, nec non quam maxime fieri potest, referre. Potissimum ob id, quod summa consensione & animorum concordia cuncta sint ita suaviter & tranquilli proposita, promota, conclusa, promulgata, ut merito sperare debeamus, quod a Domino factum sit istud, & ideo mirabile sit in oculis nostris, alioqui minus perspicacibus, quam ut rem adeo magnam, arduam, & sanctam ad optatum exitum possemus perducere, & ita brevi tempore adornatam videre sua coronide.

Idcirco prætermittere non debemus, quin parvitatis nostræ memores, universos ad gratiarum actionem nobiscum Deo referendam adhortaremur; quatenus eadem Dei bonitas, ingratitudinis notam declinare nos velle videns, concedat id quod in votis habuimus, & inprimis exoptavimus semper, nempe ut in praxim deducere universa possimus: & remedia jam divinitus parata, nostris morbis applicare valeamus. Ut enim parum prodest medicinam domi præparatam retinere, nisi & tempore opportuno morbis curandis adhibeatur; ita minimum adferret emolumenti, Sanctiones

(*) MATTHÆUS MEDULLARTIUS (al. *Moulartius*) ex pago S. Martini juxta Aeriam oriundus, S. T. L. in Academia Lovan. Cœnobii Gisleniani in Advaticis Abbas, Vir egregia rerum divinarum imbutus cognitione & zelo ad egregia quæque excitato illustris, Francisci Richardoti, Præsulis maximi, Successor renunciatus est a. 1575, consecratus a. 1577 & Calendis Octob. urbem solenniter ingressus. Obiit Bruxellis die 11 Julii 1600 prope octogenarius, dum generalibus Ordinum ecclesiasticorum comitiis interesset. Atrebati in medio chori sub insigni mausolæo quiescit relictis *Synodi*, quam hic damus, *Diœcesanæ Statutis*, & *Breviario ad usum Atrebatensis ecclesiæ*, typis Riverianis Atrebati edito.

Illmus de Castillion Jac. Belgii Chronol. P. II. pag. 381, & *Cl. J. F. Foppens Biblioth. Belg. Tom. II. pag.* 868.

ctiones & Decreta compilasse, & in unum congessisse, nisi & in executionem mittere conaremur.

Proinde ejusdem bonitatis in humanum genus propensissimam clementiam & inexhaustam misericordiæ scaturiginem implorandam & inclinandam curare debemus, ut sicut contra multorum spem Synodum ipsam sic satis ædificatorie absolvere concessit; ita præter nonnullorum expectationem brevi tempore ab omnibus observatam & usitatam, in Domino Ecclesiæ congratulari & congaudere possimus.

Paucis quidem & humilibus Constitutionibus contenti fuimus; quod sat multæ & graves sint tam in œcumenica Tridentina, quam Provinciali Cameracensi Synodo. Atque id ipsum non alio consilio, quam quod sicut perpetuo modestis conquiescere studuimus; sic pauciora constituere & bene observare satius nunquam duximus, quam velut Statutorum & Decretorum plaustris humeros hominum pessumdare & paucissima perfecte observare. Multitudo enim probitionum frequenter (ut experientia docet) plus obest, quam prodest, & non tantum ædificat, quantum destruit, non minus ordinem turbat, quam confusionem inducit.

Unde nobis esse brevibus & licuit & placuit potius quam prolixioribus, maxime quum affatim & in Tridentinis & in Cameracensibus Decretis materias nobis suppeditari cernamus, quibus disciplinæ integritatem & vitæ reformationem Clero & populo Christiano sartam tectam curare queamus. Adde etiam, quod periti Hypodidascali non onerant novis disciplinis discipulos, nisi priorum apprime imbutos & sufficienter instructos. Alioquin & priora & posteriora minus callebunt. Ita nisi populum primo doceamus observare magis necessaria & communia, frustra contendimus eum ad majora & difficiliora capessenda perducere. Quæ a Nobis, non animo reprehendendi alios, qui majora præstare possunt, sed intentione excusandi velut infantiam nostram, si quibusdam paucioribus fuisse contenti videamur.

Porro etiam horum paucissimorum Statutorum copiam nonnulli graves viri summopere expetentes, persuaserunt in lucem emittere; maxime hoc argumento, ut non nisi tersa & a mendis aliena hominum in manus venirent.

Itaque Prælatis omnibus, Archidiaconis, Capitulis, Prioribus, Collegiis, Personatibus, Decanis, Pastoribus, & aliis curam animarum exercentibus & Sacramenta administrantibus nostræ Diœcesis in virtute s. obedientiæ mandamus, ut ipsa simul cum Prædecessorum nostrorum Decretis, ac Generalis Tridentini nec non Provincialis Cameracensis Concilii habeant, diligenter legant, suosque ac subditorum mores illis omnibus conformare studeant; ut videntes plerique vicini nostram omnium in Christo conversationem bonam, operaque nostra laudabilia, ad imitationem provocentur, Patremque glorificent, qui in cælis est, in quo valeatis.

Ex animo quæsumus, mei vestris tum Sacrificiis, tum precibus & officiis Christianis haud immemores vobis omnibus nequaquam defuturi, quoad vita hæc ardore consentaneo comes fuerit.

E Domo nostra Episcopali 14. Novembr. 1584.

INDEX TITULORUM
SEU STATUTORUM HUJUS SYNODI.

PROOEMIUM.

SEQUUNTUR STATUTA.

In primis omnia & singula Fidei dogmata, Canones & Decreta sacrosancti Concilii Tridentini, Provincialis item Cameracensis novissimi Statuta & Ordinationes omnes, etiam Diœcesanæ Atrebatensis a pientissimæ memoriæ FRANCISCO RICHARDOTO & aliis Prædecessoribus nostris facta & observari mandata (quatenus Oecumenicæ Tridentinæ & Provinciali Cameracensi non derogent) velut sacrosancta & omni observatione dignissima reverenter agnoscentes, & cum quantacunque decet obedientia etiamnum suscipientes & rata habentes & pro posse nostro observantes & observari mandantes.

Quia tamen nondum ubique vel temporum injuria, vel quovis alio impedimento remorante, perfecte & plane observantur : idcirco eorum omnium, ut executioni puræ, perfectæ ac simplici serio ab omnibus omnino Prælatis, Archidiaconis, Capitulis, Collegiis, Monasteriis, Conventibus, Societatibus, Decanis, Pastoribus, Religiosis, Clericis & populis, Nobis ordinaria vel delegata potestate subditis, opera quam accuratissima adhibeatur.

Mandamus & præcipimus sub pœnis eorundem singulis appositis, quatenus in proximis Visitationibus nostris non cogamur in ipsorum executione perficienda laborare : sed ab unoquoque videntes omnia & singula integre in Domino observari, in Domino plurimum gaudere, ac ipsum pro tanti beneficii largitate laudare & benedicere valeamus.

Porro ad ea, quæ per Prædecessores nostros non minus sancte, quam provide constituta sunt, pro temporum ratione, quæ sequuntur, addenda duximus.

De Baptismo.

I.

Quum Susceptores & Susceptrices in Baptismo admittantur tanquam parentes spirituales suscipiendorum, & qui, deficientibus parentibus corporalibus, in sacra Christianæ pietatis doctrina susceptos instituant; ferendum non est, ut ad id muneris obeundum & infantes e sacro fonte suscipiendum pueri rationis usus perfecti, expertes admittantur.

Propterea in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus Sacramentorum Ministris, ut nullos alios admittant, quam in ea ætate, qua possint perfecte nosse, quod pro filiolis suscipiendis spondeant.

II.

Nomina etiam imponi non sinant profanorum vel ethnicorum; sed duntaxat Sanctorum & Sanctarum utroque Testamento, vel Ecclesiasticis historiis & Martyrologiis Catholicis bene notorum. Ideo siquidem nomina imponuntur, ut excitentur baptizati ad imitationem vitæ eorum, quorum participes sunt nominum, & ut specialiter Sanctis, quorum nomina gerunt, commendentur & precibus eorum foveantur & protegantur.

De Confirmatione.

I.

Insuper considerantes, hoc calamitoso tempore ob tentationum & tribulationum multitudinem & varietatem, Confirmationis Sacramentum valde opportunum esse, ad robur eisdem fortiter perferendis & superandis præstandum; frequenter moneri debent fideles populi, ut hoc Sacramentum suscipere studeant, & maxime quotiescunque recurrunt jejunia quatuor temporum & festum Pentecostes, quatenus ejus virtute sic induantur ex alto & armentur, ut tanquam fortes athletæ in hac militia & pugna viriliter dimicare possint & gloriosam de hostibus suis referre victoriam.

II.

Verum quia verisimiliter nonnulli sunt, qui Pastorum suorum, proh dolor!

lor! monitiones quantumvis ſalutares parvi pendunt & negligunt, ideo efficacioris remedii cauſa, & etiam non ignorando hoc Sacramentum plurimum juvare ad novi ſtatus electionem ſalubriter faciendam & in eo majorem gratiam percipiendam & capeſſendam.

Prohibemus; ne ad Sacramenti matrimonialis ſolemnitatem ullos Parochianos admittant Sacramentorum Miniſtri, neque ad ingreſſum Monaſterii, habitus percipiendi cauſa, Conventuum Superiores recipiant, cujuscunque ſexus ſint aut ordinis: niſi prius Confirmationis Sacramento inſignitos vel inſignitas: ſub pœna gravi, non modo admiſſis & receptis, verum etiam admittentibus & recipientibus, arbitrio Ordinarii infligenda.

Quod tamen ſub his modificationibus intelligendum eſt, ſi videlicet facilis ſit Epiſcopi copia, ad eumque tutus pateat acceſſus, nec morbo præpediatur, vel peregrinetur; aut alias Sedem vacare contingat.

De honeſtate & officio Sacerdotali.

I.

Præterea quum dignitas & eminentia gradus Sacerdotalis, ab omnibus næniis & inſolentiis ſecularibus debeat prorſus eſſe aliena; ſub interminatione Divini Judicii prohibemus, ne in ſolennitatibus Primitiarum novi Sacerdotis, choreæ & tripudia exerceantur; etiamſi nulla ſint inſtrumenta muſicalia, & ſolum cantilenis utantur: ſub pœna excommunicationis ab ipſo Paſtore loci, & celebrante ſuas Primitias, nec non ejus parentibus vel duobus præcipuis propinquis & amicis cujuscunque ſexus (ſi parentibus careant) incurrenda. A qua non aliter abſolvi poterunt ipſi Sacerdotes, niſi ſuſpenſione ab Officio Divino ad notabiliter longum tempus duratura.

Loco vero turpium illorum motuum & carnalium recreationum, conciones ſacræ ac etiam hiſtoriarum honeſtarum exhibitiones, quæ ad virtutem & ædificationem ſpiritualem excitant, & cedunt, adhiberi poſſint.

II.

Primitias vero celebraturi, ceremonias ſuas, quam fieri poteſt, vicine & proxime accommodent Miſſalis Romani ſanctis ordinationibus: exceptis iis, quæ communis patriæ mos & Diœceſis laudabilis obſervantia refugere videntur, tanquam hic omnino novis & inſolitis. Abſtineant vero prorſus ab antiqua illa ceremonia inſufflandi in panis ſpeciem vel in calicem, quaſi per ſuum anhelare Sacramentum vivificatum. Non enim vita aliunde poteſt ibi eſſe, quam virtute verborum a Chriſto proferri inſtitutorum. Neve, dum verbum: *fregit* pronuntiatur, inferiorem hoſtiæ partem frangant.

III.

Inſuper mandamus & præcipimus, ut Statutum in annuali Synodo noſtra 16. Octobris 1582. editum, quoad integritatem & puritatem nativam ſpecierum panis & vini, unde ſacroſancta conſecratur Euchariſtia, ſolerter obſervetur. Nimirum ut ab omnibus Sacerdotibus ſumma diligentia adhibeatur, ut non niſi omnino naturales & integræ ſpecies, non corruptæ non acidæ non inſipidæ & velut obſoletæ in tanto Sacrificio adhibeantur.

Quin imo ſacrificaturi curent explorari diligenter, vel ipſi pridie (puto potius, prævie) explorent ipſas, antequam Sacrificiorum oblationi ſeſe accingant: neque majorem ſpecierum proviſionem faciant, quam quæ omnino conſumi poſſint, antequam corrumpantur altérenturve notabiliter. Qui vero in hujusmodi Statuti obſervatione negligentes fuerint, graviter puniantur.

De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ &c.

I.

Ad hæc, quum Paſtores conſtet jure adſtringi ad Sacramentorum adminiſtrationem omnibus Parochianis ſuis exhibendam, etiam ſi morbis peſtiferis & contagioſis infecti credantur; mandamus Paſtoribus omnibus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut om-

omnium infirmorum magnam gerant ſolicitudinem, & nullis omnino infirmis alioqui capacibus negent Sacramentorum quorumcumque ad ſalutem neceſſariorum vel oportunorum adminiſtrationem. Præſertim quum veri Paſtoris ſit, animam ſuam ponere pro ovibus ſuis, quanto minus ſubterfugere debent corpus exponere, ob animæ pretioſo Chriſti Sanguine redemptæ ſalutem procurandam?

Exhortantes omnes & ſingulos Parochianos, & potiſſimum ſecularem Magiſtratum, ut ipſos Paſtores, contagioſis infirmis Myſteria ſacra diſtribuentes, ob id vitandos non judicent: præſertim quum experientia variis locis compertum ſit, divinitus tales ſuo munere fungentes ex animo, præſervari miniſterio (ut confidimus) Angelorum ipſis Miniſtris aſſiſtentium.

II.

Verum ſi Parochianorum vel Magiſtratus tanta ſit puſillanimitas, ut eam Divini auxilii prærogativam & Divinæ providentiæ favorem, vel ſuis Paſtoribus, vel etiam ſibi a Domino Deo fieri vix (quod dolendum eſt) in animum poſſint inducere; eorum infirmitati compatientes, peculiarem Sacerdotem ad id muneris ſpecialiter obeundum, parati ſumus admittere, & curam animarum illi dare: dummodo ſumptibus Parochianorum aut ærarii publici dignum aſſignetur illi ſtipendium.

Non enim æquum eſt, Paſtores nullo pacto recuſantes ſatisfacere ſuo muneri, & per ſolos Parochianos & Magiſtratus impeditos, in tali caſu ſumptus aliquos novos ferre debere: niſi forſan Paſtores ad evitandum periculum ultronee hoc expetant: Laicis alioqui paratis non vitare eos, ſi perſonaliter adminiſtrarent.

De Feſto S. Michaelis celebrando, & aliis feſtis & jejuniis, ex præcepto obſervandis.

I.

Præterea uſque adeo multum ſubſidii & favoris ab Angelica natura ſuſcepit humana ut notam ingratitudinis incurrere videri poſſit, niſi quam vicem poteſt, rependere ſtudeat. Siquidem ſaluti noſtræ invigilant, ac tuitioni contra malignorum ſpirituum incurſus, & ſinguli ſingulos habemus Angelos animæ noſtræ cuſtodes: imo omnes Angeli in miniſterium ſunt miſſi, propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis.

Hinc eſt quod gratitudinis ergo monemus omnes & ſingulos Nobis ſubditos, ut devotione quadam ſpeciali venerentur Angelos, & eorum feſta piis operationibus, orationibus & aliis exercitiis religionis colant. Videlicet prima Martii, qua feſtum celebratur Angelorum Cuſtodum animarum noſtrarum, & ejuſdem Martii decima octava, qua Gabrielis noſtræ Redemptionis Paranymphi memoria colitur, & octava Maji, qua Apparitio ſancti Michaelis ſolenniſatur, & S. Michaelis Dedicatio, quæ celebratur Septembris penultima.

Atque eum ipſum S. Michaelis diem menſis Septembris ita obſervent, ut ab omni opere ſervili tanquam in ſummo feſto Natalis omnium Sanctorum abſtineant, ut ſic ſibi benevolentiam ipſius ſancti Michaelis, & reliquorum omnium Spirituum ſanctorum concilient, & ſub eorum tutela ſalutem ſuam melius operari poſſint & valeant, ad honorem Majeſtatis Divinæ, cui perpetuo aſtare creduntur.

II.

De aliis vero Feſtis etiam colendis obſervanda ſunt Prædeceſſorum noſtrorum Statuta, tempore Domini Francisci Richardoti renovata & edita, prout habentur *pag.* 124 & 125, niſi quod juxta conſuetudinem in noſtra Diœceſi receptam, diebus Martis & Mercurii feſta Paſchalia & Pentecoſtalia immediate ſequentibus arare & equos & jumenta alia laboribus & oneribus conſuetis mancipare licebit. Declarantes intentionis noſtræ prorſus eſſe, ut ab omnibus omnino Eccleſiis noſtræ Diœceſis obſervetur præfatorum Prædeceſſorum noſtrorum Decretum, dicta pagina 125 & 126. habitum, de feſto Dedicationis ob cauſas ab eiſdem aſſigna-

assignatas VII. Julii simul cum Cathedrali nostra celebrando: sub pœnis jure infligendis, alio tempore Dedicationis suæ festum celebrantibus.

III.

Porro jejuniorum observatio consuetudinem inveteratam in nostra Diœcesi sequetur: nempe Quadragesimæ, quatuor Temporum, Vigiliarum, videlicet Nativitatis Domini, Pentecostes, B. Joannis Baptistæ, Petri & Pauli, Jacobi, Laurentii, Assumptionis B. MARIÆ Virginis, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, jejunia præcipiendo; & a carnibus abstinentiam in Litania majori beati Marci die, etiam in Rogationum diebus. Ita tamen, ut si Festa prædicta incidant in diem Lunæ, Sabbato præcedenti jejunetur.

De Scholis.

I.

Demum Statutum a Nobis in Synodo annali *anno* 1577. 15. *Octobr. de Scholis Dominicalibus*, renovandum & inculcandum duximus. Nullatenus enim negligendæ sunt ipsæ Scholæ Dominicales & Festivales pauperum, per ferias in pane quærendo vel lucrando occupatorum. Sed, ubi sunt institutæ, solerter excolantur & visitentur, tam a Pastoribus loci, quam Decanis. Ubi vero hactenus propter injuriam temporis non fuerunt erectæ, cogantur Pastores cum Parochianis per Decanos eam erigere, ad formam Atrebatensem, sive puerorum, sive puellarum: Statuta ibidem observando, hactenus præscripta vel præscribenda.

Quod si Parochiani vel Magistratus præbeant se difficiles in ipsarum Dominicalium & Festivalium, vel etiam quotidianarum pro ditioribus, & aliis opportunitatem visitandi ferialibus diebus habentibus, erectione vel continuatione: ad Nos, vel nostros Vicarios denuntientur, severe arguendi, imo per implorationem brachii secularis cogendi, una cum parentibus puerorum puellarumve suas proles mittere negligentibus, juxta Edictum Regium super hoc emanatum.

De Bonis temporalibus Ecclesiasticorum.

I.

Cogit temporum calamitas, ut temporalia Ecclesiæ tam notabiliter imminuta, quantum fieri poterit, restaurentur, vel ut minimum ita conserventur, ut inposterum saltem Ecclesiasticorum culpa deteriora non evadant.

Quorum cura quum apud quosdam non fuerit tam accurata, quam bene mereri censetur Christi Patrimonium, & satis probabile sit, multa periisse per incuriam Prælatorum, Sacerdotum, Curatorum vel Sacellanorum, aut bonis pauperum vel locis piis deputatorum, etiam Laicorum, aut etiam per favorem suis parentibus & amicis carnaliter impensum, in ipsorum bonorum elocatione, vel in emphiteosium concessione, aut chartulariorum substractione & denegatione, aut alioqui injusta detentione, in fraudem & præjudicium perquam notabile ipsarum Ecclesiarum.

Ideoque statuimus & mandamus omnibus Pastoribus, ut tribus diebus Dominicis continuis a reditu suo, & rursus in Quadragesima proxime futura, Dominica *Reminiscere* moneat iterum atque iterum omnes & singulos prædictorum bonorum & chartarum detentores, & omnes horum conscios vel fautores, sub pœna excommunicationis ipsa Dominica *Passionis* fulminanda, ut Pastoribus suis renuntient & declarent, quidquid tale sciunt se detinere, aut ab aliis detineri. Et id, quod eo modo scire poterunt, veris Dominis intra mensem referant.

II.

Atque ut in posterum tales jacturæ bonorum Ecclesiasticorum non contingant, omnes & singulos Pastores & Sacellanos, & piorum locorum Administratores jubemus inventarium conficere ipsorum bonorum & redditaum; quod Patrono suo vel Superiori dare signatum, sibi retenta copia teneantur, ea cautione, ut si quid celasse deprehendantur, graviter arbitrio sui Ordinarii puniantur.

III.

III.

In elocationibus quoque Ecclesiasticorum bonorum si deprehendantur notabiles læsiones, ut plus quam mediæ partis aut circiter, omnes Ecclesiastici humano timore postposito, & Dei solius ac pauperum membrorum ejus respectu habito, teneantur secundum jura tales rescindere contractus. Alioquin graviter ab Ordinariis puniri, primo per mulctam notabilem, deinde etiam per substractionem administrationis temporalium Beneficiorum suorum, ipsa aliis idoneis & ferventioris zeli commissa. Non enim licet, pauperibus eroganda, pro suo beneplacito ita viliter elocare, & Christi membra subsidio sibi debito defraudare.

IV.

Quia mobilia etiam pretiosa Monasteriorum,& chartularia & tituli Prioratuum & Pastoratuum, Personatuumque, solent jacturam pati notabilem post mortem ipsorum Prælatorum, Priorum, Pastorum, & cæterorum similium, cui ut obviam eatur, necessarium duximus injungere, prout hoc articulo injungimus, ut dum Prælatus, Prior forensis vel Pastor periculose laborabit ex infirmitate, & non fuerit spes probabilis convalescentiæ, ut Nobis vel Vicariis nostris curent eorum Religiosi vel Pastores vicini renuntiare, quatenus consolationis officium destitutis impendi, & pro futuro successore obtinendo non solum orationes fieri, sed etiam omnia, quæ sunt Beneficiorum bona, sive chartularia, sive pecuniaria, sive suppellectilia, alioqui necessaria & congrua, conservari mature valeant.

In Abbatiis observando Statutum *Sess.* 24. *cap.* 16. Concilii Tridentini, consistens in eo, ut Administratores constituti fideliter administrent, & rationem bonam reddant futuro Successori. Ita tamen, ut servetur consuetudo in nonnullis Monasteriis recepta, ubi quatuor Religiosi, Abbate defuncto, committuntur, qui temporalium curam gerant.

In Pastoribus autem & Prioratibus præfatis videndo, quod testamentum & quos Executores, & quæ bona defunctus reliquerit: ut si domus reparatione indigeant, vel alia restent onera, per ipsos Executores, vel hæredes prius præstentur, quam aliquod inde auferatur, ne Successores immerito graventur.

V.

Ferendum non est, ut qui commodum velint sentire, onus interim subterfugiant. Et proinde quum sunt quædam Collegia & Communitates, in quibus Beneficiorum Ecclesiasticorum valor inæqualis est: minime rationi consentaneum videtur, ut qui minus fructuum percipiunt, æquali graventur onere cum iis, qui plus accipiunt.

Hinc statuimus, ut in posterum onera sustineantur a singulis, pro ratione portionis fructuum & redituum singuli cujusque Beneficii, ea tamen conditione, ut Fundatorum intentiones, si aliæ sint, observentur, & Beneficiorum particularia onera considerentur.

De Excessibus gravioribus.

I.

Denique, quum id quod ignorat medicina, non curat, mandamus Pastoribus & Decanis locorum, ut Nos vel Vicarios vel Officiales nostros certiores faciant de publicis casibus enormibus, veluti homicidiis, adulteriis notoriis, raptibus, sacrilegiis, ut remedia procurari criminosis, & solamen exhiberi afflictis possit, ad Dei honorem.

II.

De casibus autem Episcopo reservatis matura deliberatione præhabita, tandem conclusimus persistendum in Prædecessorum nostrorum Sanctionibus *fol.* 54. libri Statutorum per Dominum RICHARDOTUM Prædecessorem nostrum editi. Maxime cum sat multi sint in Diœcesi, quibus facultas a Nobis communicatur, ab ipsis casibus absolvendi.

Nisi quod explicationis causa significandum existimemus, quod quando communicamus potestatem absolvendi a casibus Nobis reservatis, quoad crimen

men hæreſeos, Nos non communicare caſus hæreſeos comprehenſæ per *Caput V. Tit.* 9. *Lib. V. Extravag. Commun.* quod incipit: *Etſi Dominici gregis*; & Summo Pontifici reſervatæ. Qualis nimirum eſt poſtquam fuerint de ea ſententialiter condemnati, delati, ſeu publice diffamati. Eo quod poteſtatem a tali abſolvendi in foro conſcientiæ a Concilio Nobis factam, ne Vicario quidem noſtro communicare poſſimus.

Cæterum alias ſpecies Nobis tanquam Ordinariis reſervatas, iis quibus cæteros caſus Nobis reſervatos communicamus.

III.

Etiamque plurimam adfert pernitiem in Monaſteriis quorumdam tam mendicantium, quam aliorum, vinum vendi extraneis, ſive Eccleſiaſticis, ſive Laicis, in domo ſua menſam ſternendo, & ad ebrietatem uſque potitando.

Proinde præcipimus ſub pœnis gravibus omnibus & ſingulis omnino, etiam tanquam Delegati a Sede Apoſtolica, ut abſtineant a tam turpi lucro: ne quadret multis ita potantibus: *In domo Sanctorum iniqua geſſit: & non videbit gloriam Dei.* Iſaiæ 26. ℣. 10.

Et quia in domibus nonnullorum mendicantium (proh pudor!) idipſum communiter factitatur; ideo ſi qui ipſorum hoc Decretum contemnere deprehendantur, privabuntur a Nobis facultate concionandi & confeſſiones audiendi in noſtra Diœceſi per unum annum; ultra pœnam Canonibus congruam, a ſuis Superioribus imponendam. Et ſi negligant, a Nobis tanquam Delegatis, ut ſupra, aut prout de jure, *de ſupplendis negligentiis Prælatorum*, ordinatum eſt, ut punientur.

De Proceſſionibus.

I.

Interdicimus etiam, ne mendicantes Proceſſiones generales faciant per Parochias & plateas, & omnino extra ſepta ſuorum Conventuum, niſi de voluntate & conſenſu Paſtorum, vel Ordinarii, ac etiam, ne diebus Sabbatinis aquam, quam vocant luſtralem, benedicant: niſi ſpeciali ad hoc privilegio gaudeant.

II.

Quum a Prædeceſſoribus noſtris jam pridem decretum ſit, ut in Proceſſionibus generalibus unusquisque adſit animo & habitu devoto & religioſo, & a ſingulis Ordinibus, & Conventuum mendicantium Religioſis aliqua pia & ædificatoria decantentur; idcirco, adeo ſanctis Prædeceſſorum noſtrorum inſtitutis morem gerendo, & veſtigiis inhærendo, decernendum duximus, prout impræſentiarum decernimus, ut ſacroſanctum Statutum de Proceſſionibus pie ac devote peragendis, omnes omnino ſervent, quotquot ſunt ordines ad ipſas proceſſiones vocati, etiam juxta Concilium Tridentinum *Seſſ. XXV. Cap.* 13. coacti.

Et ut Mendicantium Ordines omnes & ſinguli in proceſſionibus exiſtentes, per totam proceſſionem aliquid pium & ſanctum modulentur, ad Domini Dei gloriam, & placandam iram, & ædificationem fidelis populi: ut tali pietatis exercitio vacantes, otioſis abſtineant fabulis, & religio ſit plebeis ipſos tum interturbare.

Porro ſi qui confabulationibus vacare in proceſſionibus reperiantur, graviter puniantur a ſuis Superioribus, etiam laici cives a ſuo Magiſtratu, vel Conſilio Regio, aut Gubernatore loci, aut alio ad id poteſtatem habente. Dedeceret enim omnem poteſtatem & juriſdictionem, rem adeo ſacram, religioſam ac piam labefactari permittere, defectu vigilantioris animadverſionis.

Proinde tam Eccleſiaſticos, quam laicos Magiſtratus requirimus & adhortamur, in ea parte ſuis muniis ſtrenue fungi, ad Domini Dei laudem & honorem, Eccleſiæ & Civitatis commendationem.

De Portione Canonica.

I.

Quod ad Portionem canonicam attinet, eam pro Paſtoribus ruralibus, annonæ caritate ac temporum difficultate attenta, cenſuimus ad ſummam centum florenorum eſſe reducendam. Qui autem Paſtores conquerentur, ſe minus habere fructibus, quam centum florenos, teneantur exhibere

hibere suo Patrono suorum certorum bonorum catalogum a fide dignis subsignatum, adhibito etiam jurejurando, si opus fuerit, quod plus non habeant. Quo casu, liceat iisdem Patronis recipere fructus ipsius Pastoratus, numerando prædictam centum florenorum summam.

II.

Et prius quam sacrorum Ordinum Candidati ad susceptionem Ordinis sacri admittantur; ordinamus, ut cum solennis banniorum proclamatio fiet, fiat etiam diligens inquisitio de valore tituli patrimonialis, num sufficiens sit.

De Usura.

Quandoquidem usuræ Divino atque humano jure prohibitæ sunt, ut justitiæ & charitati adversæ: statuimus, ne quis etiam Tutor aut Curator, sub prætextu augendi patrimonii pupillorum, aut eorum, qui sub tutela ipsius sunt, vel quovis alio prætextu, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo, mutuo det, retenta facultate repetendæ sortis ubi ad majorem ætatem pupilli pervenerint, aut Matrimonium contraxerint: aut alias ad tutoris voluntatem & arbitrium.

Declaramus enim hujusmodi contractus usurarios esse, & contra sic mutuantes ad pœnas juris, ut contra usurarios procedendum esse, maxime vero contra defensores usurarum & contractuum hujusmodi, juxta Clementinam, ex Gram. *Lib.* 5. *Tit.* 5.

Lecta & publicata fuerunt hæc Statuta in Synodo Diœcesana Atrebatensi, de Reverendiss. Episcopi mandato, anno Domini 1584. Octob. die vigesimo, etiamque impressa 24. Januarii 1585. M. J. DE BRUNE & M. SIMONE FRANCHOIS *Not.*

Atrebati, in ædibus Claudii de Buyens sub signo Bibliæ aureæ 1585.

SYNODUS DIOECESANA METENSIS

Anno Christi MDCIV. Clementis VIII. PP. XIII. Rudolphi II. Imp. XXVIII.

AUCTORITATE ET DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI,

D. CAROLI a LOTHARINGIA,(*)

S. R. E. Cardinalis Diaconi, Legati & Primatis Lotharingiæ, Episcopi Metensis & Argentinensis,

CELEBRATA.

CAROLUS, miseratione Divina Tituli S. Agathæ S. R. E. Diaconus Cardinalis a Lotharingia S. D. N. CLEMENTIS Papæ VIII. Sanctæque Sedis Apostolicæ in Lotharingiæ, & Barri Ducatibus, nec non Metensi, Tullensi, & Virdunensi, Civitatibus & Diœcesibus Legatus a latere, Episcopus Metensis, & Argentinensis, Primas Lotharingiæ. Universis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Capitulis, Archipresbyteris, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, seu eorum Vicariis, Capellanis, Presbyteris, ac Clericis nostrarum Civitatis, & Diœcesis Metensis Salutem in Domino.

Quod a Nobis Pastoralis officii cura exigit, libenter exequimur, & quantum cum Deo bene juvante possumus, instanter curamus. Cum ergo illud inprimis Nobis propo-

propositum esset, ut vitiis & scandalis præsertim e Diœcesi nostra Metensi extirpatis morum sanctimonia, rectaque fides reflorescerent; satisque videremus id, aut non omnino, aut ægre certe perfici posse, nisi totius Diœcesis diligenti visitatione peracta; eam jam sæpius per Electos a Nobis & Deputatos, ut vulgo notum est, aggressi, bellorum tumultibus omnia sursum deorsum miscentibus, vel perficere, vel certe qui sperabatur ex ea fructum colligere hactenus non potuimus. Cum itaque statuissemus, si quando liceret, per Nos ipsos Diœcesim eandem lustrare, & visitare; maximis, sicut Deo placuit, infirmitatibus, quibus multis annis distinemur, ab hoc sancto labore subeundo præpediti, pace reddita, & quamprimum licuit per molestas & difficillimas admodum procellas, quibus jactati sumus, ut Nobis commissos greges tueremur, & sartos tectos conservaremus, generalem ejusdem nostræ Diœcesis visitationem nostris etiam expensis, ne qua occasione retardaretur ejus progressus, instituimus, iisque viris hoc muneris demandavimus, quos & rerum gerendarum prudentia, & Christianæ disciplinæ restituendæ zelo plurimum pollere judicavimus. Atque illi quidem in hoc munere strenuam, ut ferebat ratio temporis & locorum, operam navantes multa quidem correxerunt, emendarunt, mutarunt: quæ vero majoris momenti videbantur, vel quibus propter angustias temporis occurrere non potuerunt, ad Nos retulerunt.

Quibus, ut Pastoralis officii solicitudo Nos admonet, mederi pro virili cupientes, sequentia ad reformationem morum, disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem, & maxime, ac præcipue ad Dei laudem & honorem, fideique orthodoxæ conservationem Decreta & Constitutiones statuimus, sancimus, & ordinamus: dum alia, si Deus dederit, proximo anno iterum ejusdem nostræ Diœcesis visitatione perfecta pro ratione temporis statuemus & observanda publicabimus.

CON-

(*) CAROLUS *Junior* A LOTHARINGIA, Caroli Lotharingiæ Ducis & Claudiæ Valesiæ Henrici II Regis filiæ secundus natu filius primam adspexit lucem Nanceji anno 1567 Kal. Jun. Lutetia Parisiorum ac Mussipontum palæstræ erant, in quibus non literis solum & scientiis, sed pietate etiam, aliisque virtutibus illustrem animum, magnisque rebus aptissimum egregie excoluit. Canonicus primum Trevirensis, Argentinensis ac Moguntinus; tum in Ludovici Guisiani Cardinalis locum Metensi ecclesiæ dabatur Episcopus a. 1578. Mox Abbas S. Victoris Parisiensis & Gorziensis; porro Cardinalis Diaconus a Sixto V P. M. renunciatus, a Gregorio XV titulum S. Agathæ, cum in Urbe ageret, die 15 Aprilis 1591 obtinuit. Anno proximo ab obitu Joannis Comitis Manderscheidii, vota Canonicorum Argentinensium pro Episcopatu tulit nona Junii, (al. 2 *Maji*) atque a Clemente VIII contra Joannem Georgium, Joachimi Electoris Brandeburgensis filium, confirmatus est. Unde bellum erupit multarum cædium causa & eversarum occasio urbium complurium; quod anno demum 1604 autoritate Rudolphi II Cæsaris intercedente penitus conquievit. Metensem, cujus mentio *Tom. CC. VIII pag.* 949 facta, Synodum celebrari jussit per Nicolaum Viardinum Primatialis Nancejanæ Scholasticum, virum prudentem ac strenuum anno, ut refert *Calmetus*, 1605 die 16 Nov. Metas venit die 29 Augusti a. 1607, inde Nancejum petiit, ubi & vitam clausit ex paralysi die 24 Novembris ej. a., in ecclesia principe mausolæo insignis operis exornatus. Laudes pro funere dixisse Leonardum Perinum e Soc. JESU Theologum, Oratorem ea ætate eximium, scribit Cl. Joannes Chenu *in Hist. chronol. Archiepp. & Episcoporum Galliæ* pag. 540.

Georg. Jos. ab Eggs in Supplem Purpuræ doctæ Lib. III. pag. 451.
Augustinus Calmet cit. Hist. Eccles. & Civil. Lotharingiæ Tom. III. Lib. XXXIII.

CONSTITUTIONES
EDITÆ AC PROMULGATÆ
IN SYNODO METENSI.

De Sacramento Eucharistiæ, & Sacrosancti Missæ Sacrificii celebratione.

I.

Animadversum est plerosque ex Parochis Missam dicere nullo ministro respondente. Quod cum contra generalem Ecclesiæ consuetudinem sit, mandamus, & præcipimus omnibus Parochis & Sacerdotibus in nostra Diœcesi Metensi constitutis, quatenus Æditυum, aut Ludimagistrum puerumve aliquem doceant ministrare & respondere Sacerdoti Sacris operanti: statuimusque, ut qui celebrare sine ministro respondente inventus fuerit, post tres menses a data præsentium, mulctam duorum francorum irremissibiliter solvat pro qualibet vice.

II.

Parochi omnes, qui ratione sui muneris diebus Festis, aut Dominicis bis celebrant, caveant, ne in prima Missa purificationem sumant; alias enim celebrarent non jejuni contra præceptum Ecclesiæ. Ac propterea qui bis in die Parasceves Officium facere tenentur, in primo quidem (quemadmodum docet Rubrica Missalis) communicabunt, in secundo autem minime: sed adoratione peracta, Officium sine Communione terminabunt.

III.

Singulis saltem mensibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum renovetur, ac novarum hostiarum consecratione peracta, veteres & earum fragmenta a Sacerdote reverenter sumantur.

IV.

Substernatur in Ciborio sanctissimo Sacramento pars aliqua corporalis mundi, neque unquam sordibus aspersum relinquatur.

V.

In Monstrantiæ (ut vocant) sanctissimi Sacramenti lunula substernatur pars aliqua corporalis, quam extracto sanctissimo Sacramento statim etiam extrahat Sacerdos, excutiatque diligenter in calicem, ne ei adhærentes particulæ deperdantur.

VI.

Atque ad Calicem ipsum, post sumptum Sacramentum & vinum ablutionis, decenter abstergendum parentur sudariola seu purificatoria ex albo linteo firmo, comburanturque, quæ jam præ vetustate sunt olida, aut putrida; & cineres, vel in piscinam altari vicinam, si capax sit, effundantur, vel in scrobem Ecclesiæ, vel cœmeterii recondantur.

VII.

Non liceat uti purificatoriis ex serico inposterum.

VIII.

Observetur diligenter, ut ad tremendum Missæ Sacrificium, non nisi recens haustum vinum adhibeatur; eidem recentes quoque panes singulis saltem mensibus provideantur.

IX.

Stet in altari Sacerdos erecto corpore, non cubitis innixus, nisi dum versatur actu in consecratione, tam hostiæ, quam calicis. Nullæ externæ ac inusitatæ cæremoniæ invehantur.

X.

In unoquoque Archipresbyteratu designetur aliquis cæremoniarum Magister, qui novos Sacerdotes sacras Missæ cæremonias doceat. Is vero eligatur, qui & eas perfecte calleat, probatæque vitæ sit & famæ.

XI.

Albas ne ex tam craſſa tela, ſed ſubtiliore, & decenti, easque rugatas circa collum, neque nimium laxas, aut ſtrictas, manicis non ita amplis, ſed oblongis fieri curent.

XII.

Cancellis ferreis ſeu cratibus, quibus ut plurimum ſepiuntur ſeu occluduntur forinſecus armariola & repoſitoria, in quibus aſſervatur ſanctiſſimum Sacramentum, apponatur interius vitrum aliquod, ne in ea muſcis, araneis, pulverive pateat aditus.

XIII.

Vaſcula ſacrarum Unctionum, ubi commode fieri poterit, extra tabernaculum ſeu repoſitorium ſanctiſſimi Sacramenti loco tuto & honeſto conſerventur, itemque cætera omnia, quæ plerisque locis inventa ſunt in eodem repoſitorio.

XIV.

Paſtores, eorumque Vicarii aliquoties in hebdomada, etſi non occurrat dies feſtus, Sacrum facient ad augendam & conſervandam populi devotionem.

XV.

Sacerdotes omnes, etſi iis animarum cura non incumbat, neque teneantur ratione Beneficii celebrare certo tempore; juxta ſacroſancti Concilii Tridentini Decreta celebrent præcipuis ſaltem anni feſtivitatibus, omni excuſatione ſemota, ſub pœna arbitratu noſtro, vel Officialium noſtrorum imponenda.

XVI.

Moneant diligenter & ſæpe Paſtores ſuos Parochianos, ut ſtatim initio Miſſæ adſint, neque ex Eccleſia ante eam finitam diſcedant; inobedientes primo ſecrete corripiant, ſecundo coram Scabinis iterum arguant, eosque, niſi reſipuerint, ad Superiores puniendos deferant.

XVII.

Communicanti populo purificationis vinum non ex calice, ſed ex ſcypho vel cratere inpoſterum, quacunque conſuetudine non obſtante, detur.

XVIII.

Inpoſterum inter Miſſarum ſolennia, vel alias in templo aut cœmiterio promulgationes locationum & cæterorum hujusmodi nec faciant Parochi, nec ab aliis fieri patiantur; ſed ea, abſoluto Officio Divino, loco publico fiant per deſignatum a Magiſtratu.

De Baptiſmo.

XIX.

Quilibet Parochus librum habeat, in quo baptizatorum ſimul & parentum, ſuſceptorumque nomina, nec non Baptiſmi diem & annum deſignet & annotet, isque ita ſervetur, ut ad ſucceſſoris manus integer deveniat.

XX.

Unctiones ne faciat intincto pollice, ſed ſtylis ſeu bacillis ex ſtanno vel argento in eum uſum comparatis, qui ſinguli in ſingulis Unctionum ſacrarum vaſculis recondantur.

XXI.

In Baptiſmi adminiſtratione caveant omnino, ne pro pueris illegitimis plus exigant, quam pro aliis ſub pœna quadrupli reſtituendi.

XXII.

Sacerdos baptizaturus urceolo deinceps, ſeu cochleari, non nuda manu aquam ex pelvi baptiſmali hauriat. Infantem autem baptizandum patrini teneant ſuppoſito diſco, ne quo forte caſu, aut infantis infirmitate inquinentur fontes.

XXIII.

Pueri morientes ante Baptiſmum ne omnino in cœmeteriis Eccleſiaſticis ſepeliantur, ſed in loco aliquo ſeparato, & eum in uſum aſſignato.

De Sacramento Pœnitentiæ.

XXIV.

Singulis ſaltem menſibus confiteantur omnes & ſinguli Parochi, & requiſiti fidem facere teneantur Domino Archipresbytero ſub pœna duorum francorum pro prima vice, trium pro ſecunda, quatuor pro tertia; gravioriſque pœnæ, etiam carceris pro quarta.

XXV.

Intolerabilis abusus irrepsit in hanc Diœcesim auctore Diabolo audiendi simul confessiones plurium puerorum usum rationis habentium; quem ex toto eliminare cupientes, prohibemus universis & singulis Parochis & Sacerdotibus ad confessiones audiendas deputatis, ne sub pœna suspensionis ab Ordine ullo unquam tempore quovis quæsito prætextu plures puero majores septennio, aut etiam septennes, in confessione simul, sed seorsim singulos audiant; hortamurque in Domino, ut quoniam omnium animarum sibi creditarum rationem in districto judicio sunt reddituri, eas ne negligant, neve sinant item pueros majores septennio sine sacra confessione decedere; moneantque sedulo parentes, ut quando contigerit aliquem ex suis decumbere, mature Parochum advocent ejus confessionem auditurum. Relinquimus autem discretioni, prudentiæ & conscientiæ Parochorum curam advertendi ex probabilibus conjecturis, aliquisne ex sibi commissis pueris ante septennium discretionis usum habeat. Quod si adverterint, ita se gerant cum eo, quemadmodum cum iis, qui essent majores septennio.

XXVI.

Caveant Parochi diligenter, ne pueros ad eos confessionem aut benedictionem sacerdotalem ut recipiant, venientes minis, verberibus aut virgis terreant, scientes pro certo se, nisi inposterum ab ejusmodi abstinuerint, severe castigandos.

XXVII.

In singulis Parochiis unum saltem fiat confessionale, ut & hujus Sacramenti reverentiæ, & Sacerdotis simul & confitentium commoditati consulatur: omniaque fiant cum ordine & decenter, nec noctu, nisi accensa lucerna seu candela, confessiones, etiam in Ecclesia, audiantur.

XXVIII.

Confessionibus audiendis nullus se immisceat, nisi a Vicario nostro Generali in scriptis approbatus. Externis in Diœcesibus approbati in hac nostra Metensi ne audiant, nisi prius approbationem ab eodem Vicario nostro consecuti fuerint.

De Matrimonio.

XXIX.

Prohibitum est omnibus & singulis Parochis, ne ullos ad Sacramentum Matrimonii admittant, qui non sciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Dei & sanctæ Matris Ecclesiæ, numerumque Sacramentorum sub pœna viginti francorum solvendorum per dictos Parochos, qui huic Constitutioni contravenerint.

XXX.

Matrimonio jungendos Parochi severe admoneant, ne post sponsalia de futuro ullo modo in iisdem ædibus degere incipiant ante Matrimonium contractum, neve ita se gerere audeant, ac si per verba de præsenti contraxissent: si secus a quopiam factum fuerit, prohibetur, Parochus eorum Matrimoniis adesse ante pœnitentiam peractam.

XXXI.

Habeant iidem Parochi librum aliquem penes se, quem & ad Successorem transmittant, in quo eorum nomina, qui Matrimonium contrahunt, eorumque parentum, testiumque designent, adnotentque tempus & an præmissæ sint tres denuntiationes, an vero omissæ ex dispensatione nostra, vel Vicarii nostri. Item, sintne in aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis cujuscumque, & cujus dispensatione contraxerint, eorum transumptum singulis annis deferant ad Synodum Diœcesanam, tradentque Vicario nostro Generali, vel ejus vices gerenti.

XXXII.

Postridie nuptiarum nihil indecens fiat. Nulli sub pœna unius marcæ argenti in Ecclesiam larvati ingrediantur, aut nuptas in Ecclesiam deducant. Nihil futile, nihil leve in Ecclesia fiat sub pœna unius libræ ceræ in usum Ecclesiæ solvendæ a contraveniente.

De

De Extrema Unctione.

XXXIII.

Dolentes audivimus sacrum Extremæ Unctionis Sacramentum ægrotis maxime, quo ex hac vita pie discedant, necessarium, in pluribus locis negligi: dent ergo operam Parochi, ut sæpe populum hujus sanctissimi Sacramenti efficaciam doceant, exhortenturque serio, ut quando ex suis aliquis decumbet, mature juxta morem Christianorum Parochum advocent, qui hoc Sacramentum ministret, & ex suggestu tribus diebus Dominicis continuis publice significent, se ex mandato nostro, nullum ad Ecclesiasticam sepulturam admissuros, qui hoc Sacramentum non perceperit, nisi ab eo percipiendo repentino aliquo casu impeditus fuerit.

XXXIV.

Vasculis saltem stanneis sacras Unctiones conservent, non vero æneis, quæ rubiginem facile aut nidorem contrahunt.

XXXV.

In vascula sacrarum Unctionum ter aut quater in anno Pastores instillent unam aut alteram guttam olei olivarum, non autem alterius cujuscunque, ne frequenti usu exhauriantur.

XXXVI.

Sacratis oleis unctionum in singulis earum locellis Parochi omnes inposterum, pro recepto more Diœcesis nostræ Metensis gossipium substernant, non vero canabem, stupam aut aliud quippiam.

De Officiis Divinis rite persolvendis.

XXXVII.

Parochi, quorum officium est Christi gregem pascere verbo & exemplo, caveant, ne quem ex suis Parochianis prætermittant; neque contenti sint in solis Ecclesiis matricibus Catechismum docere, sed eandem etiam operam navent in annexis, ut vocant, seu Capellis sibi subditis, semel saltem singulis mensibus, etiamsi hactenus non sit factum.

XXXVIII.

Singuli Parochi Vesperas decantent hora solita omnibus diebus Dominicis & Festis, itemque diebus Sabbati & saltem in Vigiliis majorum festorum. Qui secus fecerit, ab Archipresbyteris pœna pro modo negligentiæ debita coerceatur.

XXXIX.

Omnes Parochialium Ecclesiarum Rectores suos Parochianos diebus Dominicis Adventus & Quadragesimæ & cætero anni tempore semel in mense post prandium Catechismum doceant familiariter pueros, item forma signum crucis; curentque, ut singuli ex sibi creditis sciant ea omnia, quæ Christianos scire necesse est, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Dei & Ecclesiæ, Sacramenta, eorumque numerum, præcipuaque mysteria Religionis Christianæ. Quod eo diligentius erit iis in locis exequendum, quo majore in periculo versantur ii, quorum rationem exactam coram summo Judice reddere debent propter continuam pene cum hæreticis conversationem, quorum sermo, teste Apostolo, serpit ut cancer.

XL.

In Ecclesiis ut omnia cum ordine fiant, & sine confusione viri separati loco & sedibus a mulieribus sedeant. Nullæ mulieres in cancellos & chorum irrepant, vel designata viris loca occupent, vel contra.

De vita & honestate Clericorum.

XLI.

Cum ii, qui Beneficia Parochialia sine canonica institutione occupant, & sibi damnationem consciscant, & populo certum salutis detrimentum afferant, eam statim a publicatione præsentis Decreti a Nobis, vel a Vicario nostro Generali impetrare satagent; certi alioquin se istiusmodi Beneficio & ejus obtinendi spe non solum carituros, sed & ad quævis Beneficia in hac Diœcesi obtinenda inhabiles futuros.

XLII.

XLII.

Deferant omnes Parochi, Vicarii, Sacerdotes habitum Clericalem; & nunquam domo exeant fine tunica, quæ faltem ufque ad infima genua extendatur fub pœna unius aurei folvendi. Deferant item omnes tonfuram Clericalem, quam coronam vocant, fub eadem pœna.

XLIII.

Nemo Sacrum dicat, quin fub alba hujusmodi tunicam faltem deferat fub pœna decem francorum irremiffibiliter folvendorum.

XLIV.

In veftibus nihil indecorum, nullus color contra receptum Ecclefiafticum morem: nihil leve aut vanum appareat in toto veftimento. Collaria rugata nemo deferat, vel quidpiam aliud, quod modeftiam Ecclefiafticam non redoleat.

XLV.

Quemadmodum non decet eos, qui in fortem Domini allecti funt, vanitates veftimentorum, & novitates fectari: ita etiam convenit eosdem honefte veftiri, ne, quod inde facile evenire folet, in caufa fint, ut a populis vituperetur eorum minifterium. Si quem ergo ex Parochis, cæterisve Sacerdotibus aut Clericis viderint Archipresbyteri fordidius veftitum, eum primo arguant & increpent, non obedientem deferant ad Officiales noftros caftigandum.

XLVI.

Tabernas & cauponas ne frequentent, aut in itinere non conftituti ne ingrediantur fub pœna arbitrio noftro, vel Officialium noftrorum imponenda.

XLVII.

Parochi bonorum Authorum lectioni diligenter incumbant, ac libros de cafibus confcientiæ fibi comparent: fciantque Vifitatores diligenter inpofterum inveftigaturos, utrum ex præfcriptis ftudiis profecerint, proceffurosque contra incapaces ex Decretis facrofancti Tridentini Concilii *Seff.* 21. *cap.* 1.

XLVIII.

Quia aliqui ex Ecclefiafticis ftatus fui & decoris obliti cum fcandalo & fumma offenfione populi Chriftiani ancillas fuas fecum ad nundinas, convivia, nuptias, cauponasque frequenter ducunt, id ne de cætero fiat, fevere prohibemus, ftatuimusque, ut fi quis eo impudentiæ devenerit, ut mulierculam fibi infervientem ad nundinas, convivia, nuptias, cauponasque, vel alia quævis loca publica duxerit, vel in fuis ipfius ædibus cum aliis fecerit menfæ affidere, mulctetur irremiffibiliter pœna viginti francorum pro prima vice, pro fecunda, triginta, pro tertia, graviore, etiam carceris. Præcipimusque Archipresbyteris, ut quamprimum ad eorum notitiam pervenerit aliquem ex fibi fubditis Presbyteris huic mandato contravenifle, ab eo ftatim fupradictas pœnas exigant, easque Officialibus noftris tradant.

XLIX.

Imo vero re diu multumque difcuffa in confilio noftro, confiderataque præfentis fæculi malitia, hominumque ad peffime fufpicandum propenfione, Ecclefiafticorum faluti, honori & famæ confulere pro virili cupientes; prohibemus univerfis & fingulis Parochis, Vicariis, Capellanis, Presbyteris, Monachis, Religiofis & Clericis, ne ullas omnino mulierculas præter matres & forores vel neptes, quocumque prætextu, cujuscumque ætatis illæ fint, in fuis ædibus habere aut retinere, vel in obfequio domeftico occupare audeant poft fex menfes a publicatione præfentium fub pœna triginta francorum pro prima vice, ulteriorisque pro ratione inobedientiæ, fi cujusquam eo venerit inobedientia & contumacia, ut huic Conftitutioni & Decreto non pareat, ftatim per Archipresbyterum ad Officiales noftros deferatur, ut ab iis fevere & ex rigore præfentis Conftitutionis coerceatur.

L.

Parochi populum fibi commiffum ad leges Ecclefiafticas accurate & pie obfervandas hortentur fæpe. At novas ne adinveniant, neve ad illas populum obligare præfumant.

LI.

LI.

Multis rationibus moti, iisque piis & justissimis & multorum Ecclesiasticorum peritorum & proborum consilio, prohibemus omnibus & singulis Parochis, Vicariis, Religiosis, Capellanis & Clericis nostræ Diœcesis Metensis, ne unquam in suas ædes admittant, aut recipiant ullas cujusvis Ordinis Moniales seu Religiosas, sub pœna triginta francorum irremissibiliter a contravenientibus solvendorum; præcipimusque omnibus Archipresbyteris ejusdem Diœcesis, quatenus sedulo & studiose curent hanc nostram Constitutionem executioni mandari, statimque supradictam summam exigant ab inobedientibus, ne, quam in alios exercere noluerint, justam a Nobis vindictam suo merito ipsi sentiant.

LII.

Sacerdotes vagos & peregrinos ad celebrandum aut concionandum Parochi ne admittant, nisi prius a Vicario nostro generali, vel Officialibus nostris, si id iis demandatum fuerit, admissi fuerint.

In fine concionis diebus Dominicis Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica, Symbolo Apostolorum & Decalogo recitari curent Parochi, vel ipsi per se, alta & intelligibili voce recitent, ut subditi facilius ea memoriæ mandent.

LIII.

Quoniam autem aliquos ex Parochis ut jumenta in stercore fœdi concubinatus putrescere compertum est, quod a Nobis, & Officialibus nostris longius absint, teneantur & possint Archipresbyteri omnes & singulos Presbyteros & Clericos suorum Archipresbyteratuum monere super concubinatu, cæterisque omnibus excessibus, eorumque monitiones canonicæ sint, ejusdemque cum monitionibus Officialium nostrorum ponderis & authoritatis. Ubi autem quempiam monuerint, id adnotent in libro, quem in eum usum penes se reservabunt, curentque statim ea de re fieri certiores eosdem Officiales. Hi vero suis in registris eas monitiones referri per suos actuarios continuo curabunt.

LIV.

Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus Beneficia conferri ex præscripto sacrorum Canonum, & sacrosancti Concilii Tridentini debent. Idcirco auctoritate non solum Ordinaria, sed etiam Apostolica, qua fungimur, præcipimus omnibus & singulis Monachis & Religiosis, qui Parochias in hac nostra Diœcesi obtinent absque dispensatione legitima, neque eorum sunt Ordinum, quibus id a sancta Sede concessum est, ut ad sua Monasteria infra duos a publicatione præsentis Constitutionis menses se recipiant; atque ejusmodi Beneficia ab iis obtenta ex nunc, prout ex tunc vacare juxta sacras Constitutiones declaramus.

LV.

Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, inquit Apostolus, quod tamen minus observatum a plerisque ex hac Diœcesi Sacerdotibus audivimus, qui familias amplas, servos, ancillas detinent, & multa nescio quo prætextu pecora pascunt, id ne de cætero fiat sub pœnis gravibus arbitratu nostro, vel Officialium nostrorum imponendis severe prohibemus, volumusque, ut singuli Archipresbyteri non obedientes statim ad eosdem Officiales nostros deferant.

LVI.

Prohibemus omnibus & singulis Sacerdotibus in hac nostra eadem Diœcesi consistentibus, ne unquam Procuratores aut Oeconomos ullorum Laicorum, quacumque dignitate fulgeant, agant, neve iis (sic enim recta ratio & dignitas Sacerdotalis postulat) inserviant.

LVII.

Confraternitates absque confirmatione sanctæ Sedis, vel nostra de novo erigi prohibemus, ubi vero erectæ & nondum confirmatæ visuntur, ex iis designetur aliquis confirmationem earum a Nobis, vel Vicario nostro petiturus, in iisque omnino teneantur uti iis Regulis, quas in eum finem fieri curavimus, ubi tamen aliis a sancta Sede confirmatis non utentur.

LVIII.

Interdicimus ſub pœna quadraginta francorum omnibus & ſingulis Parochis, Sacerdotibus, Clericis, Religioſis, & Monachis, ne unquam ſe obligent ſub ſigillis tabellionatuum quorumcumque Principum ſæcularium; præcipimusque omnibus Archipresbyteris, ut ſedulo advertant, ne quis huic Conſtitutioni contraveniat, quosque deprehenderint, referant ad Fiſcales noſtros.

LIX.

Prohibemus omnibus Presbyteris & Clericis, ne ſub pœna viginti francorum pro prima vice officium Notariatus ſæcularis exerceant.

LX.

Bibliopolæ librorum, quos exponent, inventarium habeant, illudque Parochis, in quorum Parochia venales proponere volent, exhibeant ſub pœna confiſcationis omnium librorum. Caveat autem Parochus, ne quos exponant, in quibus vel contra bonos mores & honeſtatem, vel contra orthodoxam Fidem aliquid contineatur.

LXI.

Prohibemus, ne quis ex Sacerdotibus vel Clericis ſclopetos, vel catapultas unquam deferat, vel cum iis venationi vacet, ſub pœna viginti francorum pro prima vice. Archipresbyteri autem deferant non obedientes ad Fiſcales, ut omni excuſatione remota caſtigentur.

LXII.

Aliquos ex Eccleſiaſticis eo impudentiæ deveniſſe compertum eſt, ut mentiti ſint ſuas aut ſorores aut neptes eſſe, mulierculas impudicas quas fovebant: hoc amoliri cupientes, ſtatuimus, ut ſi quis ea unquam abuſus deprehendatur, quam falſo aſſeruerit ſuam ſeu ſororem, ſeu neptem, aut cognatam in quocumque gradu, pœnis contra inceſtuoſos ex rigore Canonum ſtatutis puniatur.

De obſervatione Feſtorum.

LXIII.

Nemini die Feſto liceat cujusque generis ludis vacare, vel in cauponis, aut alibi compotationibus indulgere, dum ſacrum Miſſæ Officium peragitur, vel decantantur Veſperæ ſub pœna unius libræ ceræ Eccleſiæ applicandæ.

LXIV.

Nundinæ ne uſpiam ſub quocumque prætextu fiant die Paraſceves ante meridiem, neque ad eas ullus convenire audeat ſub pœna unius libræ ceræ in uſum Eccleſiæ applicandæ.

LXV.

Qui diebus feſtis ab Eccleſia præceptis absque licentia Officialium noſtrorum vel Parochorum laboraverit, libra ceræ, prout ab antiquo aſſolet, in uſum Eccleſiæ mulctetur.

LXVI.

Ipſo die ſanctiſſimi Sacramenti, bonorum Eccleſiæ fieri ratiocinium quibusdam in locis audivimus, id ne inpoſterum fiat præcipimus Archipresbyteris & Parochis.

LXVII.

Quando in diem, quo fieri ſolet mercatus, incidet Feſtum aliquod ex præcepto ſervandum; in diem alium, qui feſtus non ſit, transferatur. Cui rei ad praxim adducendæ Magiſtratus Laici operam & authoritatem Sacerdos loci, in quo haberi ſolet, junctus Archipresbytero, ſi opus fuerit, implorabit.

LXVIII.

Viderint Parochi, ne quid inter ſacras Eccleſiæ cæremonias irrepat ſuperſtitionis vel irreverentiæ, caveantque diligenter, ne quocumque tempore, maxime vero ipſo Dominicæ Aſcenſionis die aliquid indecenter fiat in Eccleſia; neve, ut ſolet aliquibus in locis, e fornicibus templi dejiciatur aqua, vel quidvis aliud in adſtantes, ſciantque, ſe, niſi id genus irreverentiæ impedierint, ab Officialibus noſtris graviter puniendos.

LXIX.

In Supplicationibus, Litaniis, & Proceſſionibus, quæ ex ſolemni Eccleſiæ ritu inſtituentur, videant Parochi, ne quidpiam indecenter fiat, vel cantilenæ aliquæ a mulierculis nugarum plenæ

plenæ cantentur: inobedientes unius libræ ceræ mulcta in usum Ecclesiæ coerceant. Eidem quoque pœnæ subjaceant chorisantes aut ludis vacantes tempore Divini Officii.

LXX.

Diebus Festis & Dominicis molitores ne molant, nisi id necessitas exigat, quæ dum incidet, id etiam ne faciant, dum cantatur Missa Parochialis. Idem omnino servetur a mercatoribus; nec merces ullas, etiam rerum ad victum necessariarum, præsertim tempore Divini Officii, aut sacræ concionis exponere venum permittantur.

LXXI.

Patres familias, qui suorum & maxime domesticorum curam gerere tenentur, moneantur a Parochis, ut Missam audiendi & verbum Dei suis servis & ancillis tempus concedant, etiam iis, qui in pascendis animalibus occupantur, quod etiam de cæteris communitatum oppilionibus aut bubulcis curabunt.

LXXII.

Nundinæ quæcumque ubi inciderint in dies festos Domini, Beatæ Mariæ Virginis, aut sanctorum Apostolorum, in diem alium non festum ad arbitrium eorum, ad quos id spectat, transferantur.

LXXIII.

Curabunt Archipresbyteri simul & Parochi, ut ter in die, mane scilicet, meridie & vesperi detur signum ad Salutationem Angelicam.

De Sepulturis.

LXXIV.

Parochi ne patiantur ullum ex suis inhumari in cœmeteriis Ecclesiasticis sine statis & solitis cæremoniis Christianorum, neque ipsi suo officio desint, sed pro ea, qua pollere debent charitate in oves sibi commissas, quos charos habuere viventes, mortuos ne deserant, neve lucelli aut pecuniolæ alicujus gratia officio suo desint in pauperes, sed eis & sepulturam & alia extrema, prout moris est inter Christianos, gratis persolvant.

LXXV.

Ubi in circuitu Ecclesiarum incastellatarum sunt cœmeteria, quæ instar viarum publicarum patent curribus & pecoribus non sine eorum profanatione, detur diligenter opera, ut vel pars cœmeterii aliqua muro sepiatur, in eaque inposterum sola, mortui inhumentur, vel si id ob loci angustias fieri minime possit, locus alius in eum finem eligatur & benedicatur, ut non deinceps in loco prophanis usibus obnoxio mortui sepeliantur.

LXXVI.

Advertant Parochi in suis Ecclesiis, ac etiam inter visitandum Archipresbyteri, num qui Capellanias, seu fundata Altaria obtinent, fundationum oneribus desint, ut ea de re Officiales nostros certiores reddant.

De Superstitionibus.

LXXVII.

Prohibeant Parochi auctoritate nostra universis & singulis suis Parochianis, ne quibusvis superstitionibus utantur, inobedientes ab ingressu Ecclesiæ & usu Sacramentorum arceant. Aboleant profana tonitrualia festa, quæque Paganismum redolent, cæterasque vanas observationes, quas pro curandis & conservandis pecoribus hactenus a plerisque adhibitas accepimus; inobedientes ab Ecclesia & Sacramentis arceant. Prohibeant etiam suis Parochianis Parochi singuli authoritate nostra, ne observatores inposterum adhibeantur, qui curent cessari ab operibus servilibus Sabbato post meridiem certis anni temporibus, cum id perperam & sine Ecclesiæ authoritate introductum nimis apertam redoleat superstitionem. Quibus qui non paruerint, Ecclesiæ ingressu, & participatione Sacramentorum interdicantur, & morientes Ecclesiastica priventur sepultura.

De legitima administratione redituum Ecclesiæ.

LXXVIII.

Singuli Parochi suorum Beneficiorum, Scabini Ecclesiarum, Fratria-

rum Magiſtri & Gubernatores Capellani, Capellaniarum, Hoſpitalium item Adminiſtratores, redituum omnium, prædiorum, ædificiorum declarationes authenticas fieri curent infra menſem, easque ſuis Archipresbyteris tradant, qui eas ad Officiales noſtros deferent, quo eæ in Camera Epiſcopali ſerventur ad futuras neceſſitates.

LXXIX.

Turpe eſt eos, qui bonorum Eccleſiæ fideles debent eſſe adminiſtratores, ea, vel bonam eorum partem in convivia & compotationes impendere. Id ergo ne fiat inpoſterum ſub pœna dupli ejus, quod hoc pacto conſumptum fuerit, reſtituendi, graviorisque pœnæ pro ratione contumaciæ ſevere præcipimus. Ergo in locatione bonorum Eccleſiæ is modus ſervetur, quando aliquid Eccleſiæ locandum erit, illud indicet Parochus populo & omnia plus offerenti pro more locentur, neque liceat vina, ut vocant, addere, vel quidpiam aliud quocumque prætextu, quod in compotationes vertatur. Neque vero fiant eæ locationes ultra novem ad ſummum annos, quæ autem ad plures fient, eæ omnes ſint irritæ & inanes, & quæ hactenus factæ ſunt, revocentur & annullentur juxta ſacras Conſtitutiones.

LXXX.

Scabini & alii Adminiſtratores bonorum Eccleſiæ ſingulis annis coram Parocho, acceptorum & expenſorum rationem reddant, prout alias a Nobis ſtatutum eſt, ſub pœna arbitrio noſtro imponenda.

LXXXI.

In redditione rationum per Scabinos & alios bonorum Eccleſiæ Adminiſtratores nullæ fiant expenſæ, nulla convivia inſtruantur. Parochi exemplo ſint aliis, neque conviviis hujusmodi interſint; caveantque, ne hujusmodi conviviorum expenſas concedant Adminiſtratoribus bonorum Eccleſiæ.

LXXXII.

Prohibemus omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, ne ſub pœna mediæ partis fructuum Beneficiorum, locationes bonorum faciant hæreticis.

LXXXIII.

Scabini & Adminiſtratores omnes redituum Eccleſiarum, eos primo in comparandam neceſſariam Eccleſiæ ſupellectilem impendant, tum demum ſi quid ſuperſit, illud in ſacra quatuor temporibus celebranda convertant, ubi ea hactenus conſuetudo viguit; caveantque, ne tunc convivium ullum inſtruant, ſed celebrantibus Sacerdotibus ſtipendium honeſtum & Æditu, ſibique ſolvant pro ratione occupationis & laboris juxta taxam a Nobis imponendam, & ab Archipresbyteris deinceps declarandam.

LXXXIV.

In ſingulis Eccleſiis, & Capellis duo ſint ſaltem corporalia ex eleganti & firma tela, quæque ampla ſint ad inſtar ut minimum integri folii chartæ: quatuor purificatoria etiam ex tela linea aut lineæ ſimili longitudinis unius medii folii.

De Officio Archipresbyterorum.

LXXXV.

Penes ſe habeant Archipresbyteri regiſtrum, in quo Parochorum, Capellanorum, omniumque Sacerdotum nomina in ſuo Archipresbyteratu conſiſtentium deſcripta ſint; annoteturque, quibus Eccleſiis & Beneficiis præſint, vel inſerviant, a quibus ea obtineant, vel approbati ſint ad iis inſerviendum, aut confeſſiones audiendum; neque liceat cuiquam quocumque prætextu Beneficiis ullis inſervire quoquo modo, priusquam nomen ſuum Archipresbytero dederit, inſcriptusque fuerit in ejus catalogo.

LXXXVI.

Viſitent ſingulis annis & luſtrent ſibi ſubditas Parochias Archipresbyteri comitante Procuratore Capituli, vel alio, quem elegerint, idoneo & perito Sacerdote: inquirantque diligenter de vita & moribus ſubditorum, ac advertant ſedulo, num aliquid deſit Eccleſiis, & illud ſtatim ſuppleri curent. Eos autem charitative excipiant Parochi,

rochi, qui ne nimiis & ſuperfluis ſumptibus graventur, curent Archipresbyteri; dividantur vero ex æquo in viſitatos ſumptus, refundantque ſinguli ei, qui viſitantes hoſpitio exceperit, quod per ſchedulam Archipresbyteri manu ſignatam jubebuntur, eamque penes ſe reſervent, Viſitatoribus generalibus tradendam.

LXXXVII.

Agant Archipresbyteri ſerio tam cum Parochis ipſis, quam cum Scabinis atque aliis piis viris cujusque loci; ut fractæ, quæ paſſim occurrunt, cruces reſtituantur, & in locis celebrioribus novæ deſigantur.

LXXXVIII.

Teneantur omnes Parochi infra menſem a publicatione præſentis Statuti reſidere perſonaliter in ſuis Parochiis, non obſtantibus quibuscumque licentiis, quas omnes revocamus & revocatas declaramus ſub pœnis ſtatutis contra non reſidentes in Beneficiis curatis. Attendant vero diligenter Archipresbyteri, num quis forte huic Decreto non pareat, Nobisque vel Vicarium noſtrum Generalem certiorem quamprimum reddat.

LXXXIX.

Archipresbyteri in bannis ſeu proclamationibus matrimonialibus ſub pœna decem francorum ne diſpenſent quocumque prætextu, multo vero minus cæteri Parochi.

De ordine ſervando convocatis in Capitulo rurali Archipresbytero, & Parochis, eorumque Vicariis.

XC.

Singulis annis fiat Capitulum rurale, a quo nemo abſit ſine cauſa legitima, eaque Archipresbytero probata.

XCI.

Convocatis omnibus; deferat unusquisque ſuas difficultates in ſcriptis ad Archipresbyteros: isque, quæ erunt gravioris momenti, referat ad Superiores.

XCII.

In Eccleſia ſuo quisque loco ſedeat cum gravitate & modeſtia ſuperpelliciis indutus decenter cum pileis quadratis & tonſura clericali, quam coronam vocant. Nemo ex Eccleſia diſcedat absque Archipresbyteri licentia, & ut omnes bini & bini in Eccleſiam convenire debuerunt ſequente Archipresbytero; ita & egrediantur eodem ordine, ſubſequente etiam Archipresbytero, qui ſolus ſtolam deferet.

XCIII.

Aſſidente menſæ Archipresbytero omnes aſſideant, ſurgente ſurgant; nemo ad æquales hauſtus provocet ſocium, vel importunis ſermonibus lectorem impediat aut adſtantes.

XCIV.

In Miſſa cantent omnes modeſte, præeuntibus Cantoribus; nemo nimium feſtinet. In celebranda item Miſſa, quam omnes, ubi commode fieri poterit, celebrabunt; is ordo ſervetur, quem deſignaverit Archipresbyter ex ſcripto affixo, loco conſpicuo Eccleſiæ.

XCV.

Liceat unicuique ſervata modeſtia ſi quid habeat, quod correctione vel mutatione egeat, illud proponere; neque ullam inde timeat ſibi conflandam invidiam.

XCVI.

Quod propoſitum erit; ſi tale ſit, quod expediri poſſit, extemplo illud ex conſilio Capituli, vel peritorum expediatur; ſi vero res maturiori examine egeat, eam referant ad Superiores, quodque ii definierint exequantur.

XCVII.

Librum habeat Archipresbyter, in quo ſtatim deſcribi curet & ſolutiones monitionesque factas, ut ſupra dictum eſt, ſuoque ſigno & Procuratoris ſui, item & Secretarii quem elegerit, totum roboret & confirmet.

XCVIII.

Caveant diligenter Parochi, ne quo tempore ipſi in unum convenientes debent efficacius ad virtutem populis præbere exemplum, majorem ruinæ

ansam præbeant. Longe vero absint omnes crapulæ & ebrietates, discordiæ, contentiones, inter convivandum sit unus semper lector, qui toto prandio selecta aliquot ex sacris literis capita, alta & intelligibili voce legat, quem nemo interturbet.

XCIX.

Omnibus exacte consideratis, absolutisque omnibus, dimittat omnes Parochos in pace Archipresbyter: neque cuiquam ante dimissionem exire liceat.

Data & accepta exeundi licentia, recedant unusquisque in suas Parochias, cauponas ne intrent, neve in iis compotationibus vacent.

C.

Si quis autem adeo sui sit immemor & negligens ut inebrietur, statim mulcta decem francorum emendetur ab Archipresbytero pro una vice, vel ulteriore etiam pœna pro ratione scandali; cedat vero ea mulcta Archipresbytero pro tertia parte & Procuratori: pro reliquis in usum Ecclesiæ capitularis.

CI.

Novos Parochos ne sumptibus gravent: neve ab iis aliquid ultra decem francos exigant in ingressu Capitulares, ubi hactenus consuevit aliquid exigi: ubi tamen ea consuetudo non fuit, nihil omnino exigatur.

CII.

Quas ex antiqua consuetudine solvent in ingressu Parochi pecunias, in communem usum recipiat Procurator Capituli: earumque rationem coram omnibus, qui interesse voluerint, reddat: viderintque Archipresbyteri, ne superfluis sumptibus consumant, quod pro necessitatibus reservatum oportuit.

CIII.

In Ecclesiis, ad quas ex antiquo convenire solent Parochi celebraturi suum Capitulum rurale, a Collatoribus, Scabinis vel Parochianis tot altaria decenter instruantur, totque sacræ vestes & ornamenta Missæ necessaria parentur, ut singuli Parochi Missam dicere possint: hoc nisi factum fuerit, liberum sit Archipresbytero & Parochis aliam Ecclesiam sibi bene visam commodam eligere, & ad eam convenire.

De eligendo Archipresbytero.

CIV.

Præmissa Missa de Spiritu Sancto, Dei timorem præ oculis habentes ex Parochis eum eligant in Archipresbyterum, qui & vitæ probitate & scientia cæteris prælucere possit, quique morum gravitate, sermone, & exhortationibus cæteros in officio continere possit. Illud autem maxime caveant, ne quem impudicitiæ suspectum assumant.

CV.

Electionem factam Superioribus, ut moris est, repræsentent & personam, quo ab iis juxta sacras Constitutiones discussio diligens & exacta super moribus & doctrina electi, fieri possit.

CVI.

Archipresbytero confirmato, ut par est, Parochi obedient; alias castigandi pro meritis ab Officialibus nostris.

De Procuratoribus Capituli ruralis.

CVII.

Procuratores Archipresbytero adsint industria, opera, diligentia, & si quid advertant mutandum aut corrigendum, illud statim referant Archipresbytero. Concubinarios, ebriosos, &c. deferant, ut mature scandalis occurratur.

CVIII.

Si quid pecuniæ in commune conferatur, & ipsi administrent, id fideliter faciant: singulis annis in Capitulo rationem reddant coram Archipresbytero & Parochis adstantibus.

CIX.

Is eligatur, qui & scientia & vitæ probitate polleat, prudentiaque in negotiis administrandis valeat.

De

De Ludimagiſtris.

CX.

In ſingulis Parochiis ſit Ludimagiſter, qui & Æditui officium agat, ſtipendioque aſſignato pro Ædituo, fruatur; niſi pro utroque ſtipendium ſufficiens aſſignatum ſit. Parochi neminem ad hoc munus obeundum admittant, qui probatæ vitæ non ſit & integræ famæ, habeatque in ſcriptis a Parochis, in quorum Parochiis habitavit, de vita & moribus teſtimonium, ab eoque profeſſionem fidei Catholicæ omnino Parochus exigat, antequam Scholas aperire ſinatur.

CXI.

Ludimagiſtri ſingulis diebus matutino tempore, congregatis diſcipulis, curent recitari per unum aut plures ex pueris alta & intelligibili voce Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, præcepta Dei & Eccleſiæ. Item antequam lectiones pomeridianas auſpicentur, brevi aliqua oratiuncula implorabunt Dei opem, Scholasque alia etiam oratiuncula terminabunt ad gratias Deo Optimo Maximo agendas.

CXII.

Singulis feriis ſextis aut Sabbatis matutina lectio erit ex Catechiſmo, quam curabunt diligenter mandari memoriæ a diſcipulis, crebroque repeti; & ſuper eo diſputationibus frequentibus eosdem exercebunt Ludimagiſtri.

CXIII.

Teneatur Ludimagiſter per ſe, vel per honeſtum aliquem adoleſcentem deferre in ædes Parochianorum aquam benedictam pro more Chriſtianorum diebus Dominicis. Parochiani vero ejus laborem compenſabunt & remunerabuntur, prout ſolet fieri ut plurimum in Diœceſi Metenſi.

CXIV.

Teneantur omnes ſuos pueros mittere ad Scholas. Itaque e publico ſtipendium Ludimagiſtro ſolvatur, ut vere pauperes ab eo gratis & ſine ſtipendio doceri poſſint. Prudentiæ autem Superiorum erit curare, ne ſub prætextu paupertatis ſinant a quoquam fraudari Ludimagiſtros ſuo minervali.

CXV.

Parochiani (quod jam alias ſub pœna gravi ſtatutum fuit a Nobis) convivium ne extorqueant, ſub pœna arbitraria, ab Ædituis aut Cuſtodibus Eccleſiæ; ſed ii gaudeant integro ſtipendio ſibi aſſignato: ſalvo tamen, quod ſupra dictum eſt de hoc officio committendo Ludimagiſtris.

CXVI.

Ludimagiſtros, qui hoc muneris rite exercent, ad bonum publicum non mediocriter conducere nemo negat. Eos ergo ut in hanc rem diligentius incumbant, immunes eſſe decet, & convenit ab omnibus vectigalibus & tributis.

CXVII.

Conqueruntur multi ſe ob paupertatem Ludimagiſtros habere non poſſe. Ergo dum (quod Nos brevi facturos ſperamus) aliter providebitur, ex reditibus Fraternitatum, mulctis non obſervantium dies feſtos, exque pane & vino, quod plerisque locis in ſingulas familias circa Paſcha diſtribui ſolet, aliisque ejusmodi incertis, aliquid inpoſterum in eorum ſtipendium aſſignetur.

De Obſtetricibus.

CXVIII.

In ſingulis pagis & urbibus ſit una ſaltem obſtetrix bonæ & illibatæ famæ. Ea, priusquam officio fungatur, juramentum præſtet ſolitum in manibus Paſtoris loci, doceaturque miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, & cætera, quæ ei incumbunt aliquando, munia rite præſtare. Quod idem fiet in iis locis, in quibus plures conſtitui ſolent. Atque eæ inpoſterum in obſtetrices ſolæ eligantur, quæ Catholicæ ſint & integris moribus: quod ubi non fiet, electam ne admittant Parochi.

De Portione congrua.

CXIX.

Cum teneatur nemo ſuis ſtipendiis militare, & dignus ſit operarius cibo ſuo, dolemus Parochiarum in hac Diœ-

Diœcesi ut plurimum tam parvos esse reditus, ut Parochis alendis oneribusque eorum sustinendis non sufficiant. Cui malo pro virili occurrere cupientes, portionibus, ut vocant, congruis assignandis viros aliquot spectatæ prudentiæ deputavimus, qui in eam curam diligenter æque ac sine cujusquam injuria incumberent. Eos ergo Parochis, quibus ea convenienter hactenus assignata non est, adire licebit.

De Decimis.

CXX.

Pervenit ad Nos in hac nostra Metensi Diœcesi de jure percipiendi decimas novalium multas prodiisse querelas: quæ quidem undenam irrepserint, non liquet; cum jure canonico satis constet. Ergo inposterum, ubi hac de re difficultas extiterit, eam ex præscripto sacrorum Canonum terminabunt Officiales nostri; salvo tamen per omnia jure eorum, quibus privilegiis Apostolicis & indultis jus eas percipiendi concessum est.

De Judæis.

CXXI.

Judæi, qui in hac Diœcesi versantur, nota & habitu a Christianis distinguantur, prout in civitate fieri solet: quod nisi fecerint infra mensem, prohibeant Parochi suis Parochianis, prout Nos præsenti Constitutione prohibemus, ne cum eisdem Judæis omnino agere aut aliquid commercii habere audeant sub pœna arbitraria.

CXXII.

Prohibeant iidem Parochi & advertant, ne obstetrices Christianæ Judæis mulieribus in partu adsint. Item, ne Christiani Sabbato Judæorum ædes ingrediantur eorum rem domesticam curaturi, neve sub pœna excommunicationis & privationis sepulturæ Ecclesiasticæ & Sacramentorum, ulli ex Christianis eosdem Judæos lectionem librorum ab iis audituri adire ulla ratione audeant.

De Casibus reservatis.

CXXIII.

Accepimus a plerisque timoratæ conscientiæ Pastoribus & Confessariis hactenus dubitatum de numero casuum Nobis per Constitutiones nostras & Prædecessorum nostrorum reservatorum, & efflagitatum, ut quinam ii essent declararemus. Hoc ergo facturi ac tam Confessariorum, quam pœnitentium tranquillitati consulere volentes, matura deliberatione præhabita sequentes infrascriptos excessus solos ex quamplurimis, Nobis reservandos censuimus, præter eos tamen, qui de jure communi Episcopis sunt reservati, quique peti poterunt ab auctoribus, qui de casibus conscientiæ conscripserunt.

CASUS EPISCOPO RESERVATI.

CXXIV.

1. Si quis sacrosanctam Eucharistiam, venerandas Sanctorum Reliquias & imagines malitiose pedibus conculcaverit vel alia insigni contumelia affecerit, aut Chrismate, sacra Hostia, vel alia re sacrata abusus fuerit ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & cætera id genus.
2. Si quis patrem vel matrem sponte & de industria percusserit.
3. Si quis homicidium voluntarium perpetrarit.
4. Qui prolem suam studiose ante partum vel post, perimunt vel opprimunt, illamque projiciunt vel exponunt hospitalibus vel alio loco.
5. Qui abortum procurant, vel aliquid dant mulieribus, ne concipiant.
6. Si quis virgini vim intulerit.
7. Si quis incestum in primo & secundo gradu, vel Sodomiam commiserit, vel cum Judæa commisceri præsumpserit.
8. Si quis Matrimonium cum alia muliere post sponsalia jurejurando firmata, contraxerit.
9. Usurarii manifesti & notorii, sive in judicio convicti, sive ita publice ad usuram dantes, ut nulla tergiversatione celari possit.

10. Perjuri de perjurio judicialiter convicti & condemnati.
11. Cogentes virgines vel viduas invitas ingredi Religionem.
12. Bona Ecclesiastica alienantes, vel alienata recipientes, sine eorum, ad quos pertinet dispositio, licentia.
13. Falsarii literarum Episcopalium vel Officialium seu publicorum instrumentorum.

PRO SACERDOTIBUS & CLERICIS.

CXXV.

14. Omnes confessionum proditores peccatum in confessione auditum verbo vel signo detegentes ex industria.
15. Concubinarii publici & manifesti.
16. Qui mulierem aliquam cognoscit carnaliter, cujus prolem baptizavit, vel cujus confessionem excepit.

Statutum circa Divina seu Ecclesiastica Officia servandum, pro quibus de jure retributio Parochis Sacerdotibus a suis Parochianis competit.

Ne quod ab insigni populi Christiani liberalitate & devotione jam a seculis sumpsit initium, & longa jam annorum serie invaluit, in ejusdem populi detrimentum recidat; neve Parochi refrigescente charitate multorum, quo jam inde a multis seculis jure potiti sunt, priventur: matura deliberatione prævia, & iis perpensis, quæ in diversis nostræ Diœcesis partibus observata sunt, in ejusmodi Parochorum juribus exigendis & solvendis, multorumque precibus inclinati; confusionem & scandala, quæ hac in parte frequenter oborta deprehenduntur, tollere cupientes, præsenti Constitutione præcipimus, ne ullus ex Parochis sub specie prætensorum ab iis jurium exigat ultra sequentia a Parochianis, quæ ab omnibus nostræ Diœcesis Pastoribus, Vicariis, Scabinis, Ludimagistris, Æditùis, & Parochianis inviolabiliter inposterum observari volumus & præcipimus.

CXXVI.

Ubi mos invaluit aliquid pro Baptismo infantum tribuere Sacerdoti, eidem pro Baptismo cujusque, qui primus post fontium baptismalium benedictionem in Paschate & Pentecoste fieri solitam, baptizandus affertur, dentur tres grossi.

Eidem a puerpera, cum post puerperium in templum benedictionem acceptura venit, duo albi.

Eidem in Sponsalium solennitate, quinque grossi.

Parocho item eidem ab eo ex suis Parochianis, qui in alia Parochia Matrimonium contrahit, pro dimissorialibus, & bannorum (ut vocant) proclamatione, duo franci tribuantur.

Parocho in cujus parœcia contrahunt conjugandi, pro omni eo jure, quod competit, par chirothecarum valentium quinque grossos & præterea duo franci.

Ubi Scabinis aut Synodalibus jus aliquod ex consuetudine competit recipiendi vinum, sestertius seu cacabus aut lebes (poculo tribus grossis æstimato) censetur ac taxatur in præsentia valore unius franci. Itaque vel hæc summa prædictis Scabinis, aut tanti æstimatum vinum a solvere debentibus tribuatur debitoribus, optione alterutrius solvendi relicta.

Item Parocho ob funeralia & sepulturam defuncti sex grossi.

Scholæ Magistro seu Æditùo, qui in ejusmodi officio assistit Sacerdoti, duo solidi.

Singulis Sacerdotibus assistentibus prædictæ sepulturæ, tres grossi.

Pro quolibet Officio sacro, quod sive in fine mensis aut trigesimo die seu Anniversario, in quo tres Missæ solenniter cantantur, cum officio Defunctorum in pervigilio, item cum commendatione, ut vocant, animarum; Sacerdoti dentur de jure tres franci.

Ad eundem Parochum etiam pertinebit, quod reliquum est cereorum seu luminarium, nisi forte antiquo ac præscripto jure Ecclesiæ, ipsi competeret.

Unicuique item Sacerdoti pro Missa solenni dabuntur novem grossi.

Pro ſepulchri effoſſione in terra ſancta, nihil.

Pro ſepultura tamen in choro Eccleſiæ, ſi obtineatur nomine defuncti ſeu viri ſeu pueri, dabuntur decem franci; pro ſepultura autem in navi ejusdem, dabuntur quinque franci: atque utraque ſumma partim in Parochi, partim in fabricæ uſum conferetur: a quarum tamen ſolutione excipiendi erunt ii, quorum liberalitate, vel parentum prædefunctorum annui reditus Eccleſiæ eidem ſunt conceſſi, valoris decem francorum aut dotatum ſacellum, aut ædificatum certe, aut ſartum tectum extat, quo caſu pro jure ſepulturæ in dictis locis Sacerdoti tribuatur unus francus.

Non licebit terram ſanctam ſepulturæ gratia aperire, niſi ex prævia Parochi licentia.

Quicquid oblationis nomine tempore Divini Officii hujusmodi prodibit; ad Parochum pertinebit.

Omnes tumbæ, ſeu lapides ſepulchrales, qui cujusnam ſint, ignorantur, ad Eccleſiam pertinebunt, nec eos in uſum prophanum convertere cuiquam licebit.

Sodales Confraternitatum, qui Miſſam ſolennem cantari cum Veſperis tam in feſto, quam pridie feſti curabunt; tribuent Parocho octodecim groſſos.

Defuncto cuique, qui pater aut mater familias eſt, aut caput domus extitit, in Eccleſia parochiali, providendum Eccleſiaſtici funeris ſubſidium cum officio vigiliarum, ut vocant, & Miſſa & commendationibus ſolitis: eoque nomine Parocho vel ejus Vicario tribuentur triginta groſſi. Quo quidem officio procurando ſi negligentes hæredes vel executores teſtamenti viderit Parochus, eos officii commonefaciet, ac prædictis juſtis perſolutis, jus prætaxatum ab eis repoſcet.

Statutum ſervandum circa debitam Ludimagiſtro ſeu Æedituo retributionem pro obſequio vel comitatu ſeu aſſiſtentia, quam in prædictis Parocho exhibet.

CXXVII.

Pro officio trium Miſſarum ſolennium & Vigiliarum cum animæ commendatione unus francus tribuatur.

Pulſatoribus ſingulis ad pulſationem campanarum unius circiter horæ intervallo durantem neceſſariis, tres groſſi.

Idem præmium Æedituo, ſi pulſatoris partes obiverit, debebitur, ſcilicet tres groſſi.

Inſuper ejus labor & ſolicitudo in explicandis & reponendis Eccleſiæ ornamentis & pia aſſiſtentia in prædictis compenſabitur tribus groſſis.

De Decretis factis in Viſitatione.

Paſtores omnes curent diligenter, ut omnia Decreta ſtatum ſuarum Eccleſiarum concernentia executioni demandentur. Archipresbyteri advertant ſedulo, ne quis in iis exequendis negligens ſit aut remiſſus. Penes eos ſit poteſtas pœnas comminatas exigendi, & novas, ubi ſtatutæ non ſunt, imponendi & exequendi, pro ratione negligentiæ & contumaciæ: Sciantque iidem Archipresbyteri futuros Viſitatores generales diligenter inquiſituros, fuerintne, ipſi diligentes in luſtrandis Parochiis, quibus ſunt præfecti & exequendis mandatis ſibi factis.

Item Archipresbyteri advertant ſtudioſe & curent, ut hæc tam ſalutaria Statuta diligenter ab omnibus & ſingulis ſui Archipresbyteratus Parochis obſerventur & executioni mandentur, ipſique in eorumdem obſervatione cæteris exemplo præluceant. Quod ſi qui contumaces inventi fuerint, & rebelles, eos ſtatim ad Officiales noſtros referant, ut ab iis pro merito ſevere puniantur.

F I N I S.

Muſſiponti, apud Melch. Bernardum, Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis & Univerſitatis Typographum 1604. *in* 8 *min.*

SYNO-

SYNODUS AUDOMARENSIS

Anno Christi MDCXL. Urbani VIII. PP. XVIII. Ferdinandi III. Imp. IV.

Statuta Synodi Diœcesanæ Audomarensis,

ANNO 1583. AUDOMAROPOLI CELEBRATÆ, RENOVATA, AUCTA (*Tom. CC. VII. a pag.* 913.) ET PUBLICATA DECIMA NONA MENSIS APRILIS ANNO DNI 1640.

PRÆSIDENTE REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRE ac DOMINO,

D. CHRISTOPHORO de FRANCE, (*) *Episcopo VIII Audomarensi.*

CHRISTOPHORUS de FRANCE, DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Audomarensis, Universo Clero Civitatis ac Diœcesis Audomarensis, Salutem in Domino.

Magna solicitudine invigilarunt Prædecessores nostri, ut gregem suum, (a) *in quo Spiritus Sanctus eos posuerat Episcopos, exemplo, verbo, atque optimis quibusque legibus, diligentique in earum observationem vigilantia, pascerent, eaque omnia quæ ad renovandam, stabiliendamque Ecclesiasticam disciplinam opportuna erant, curarent. Id adeo ab ipsis præstitum est, tum in Synodo anni* 1583. *typis evulgata, tum singulis propemodum posterioribus annis in Synodis Diœcesanis: in quibus multa, ita prudenter & utiliter constituta, repetita, inculcata sunt; ut, si omnia (uti par esset) diligenter observarentur, nihil, aut parum, quod adjiciendum esset, desiderari videretur. Sed cum Synodi illius impressæ, apud multos non reperiantur exemplaria, illæ etiam posteriorum Synodorum ordinationes a plerisque exscriptæ non sint: (licet, ut id fieret sæpius ordinatum sit) visum est Nobis non fore abs re, si omnes hæ Constitutiones in unum volumen redactæ, & ordine digestæ, paucis quibusdam detractis vel additis, prout ratio temporum postulare videbatur, in lucem ederentur: quo sic, laborem exscribendi sublevantes, omnium com-*

(*) CHRISTOPHORUS DE FRANCE, *Rainutii* filius, *Hieronymi* nepos, *Adriani* frater, qui omnes olim Mechliniæ in magno Regiæ Majestatis Consilio Senatoria dignitate functi, dein quoque Provincialis Artesiæ Consilii Præsides extitere; & quidem *Rainutius* atque *Adrianus* inde rursus ad magni Consilii Præsidentiam gerendam evocati.

Christophorum Mechliniæ natum autumant aliqui, patre illic ab anno 1587 usque ad 1606 Senatore; alii vero Atrebatensem dicunt. Canonicatu primum in Ecclesia S. Petri Aëriensi donatus, patruo HIERONYMO ibidem Præposito dignissimo cohabitavit: ast paulo post in Cathedram Atrebatensem assumptus Canonicus, atque e Scholastico Decanus a. 1626 electus est. Hinc a. 1635 die 15 Julii inauguratur VIII Audomarensium Episcopus, apud quos tandem annorum ac meritorum cumulo gravatus, vivere desiit die 10 Octobris 1656.

Cl. Foppens Biblioth. Belg. T.I. pag. 177 & *Illmus de Castillion sac. Belgii Chronol. P. II. pag.* 450.

(*a*) Actor. 20.

commoditati consuleremus: omnesque paratas haberent leges, quas tum in animarum sibi commissarum regimine, tum in formanda vita sua sequerentur. Omnes proinde Prælatos, Archidiaconos, Archipresbyteros, Pastores Nobis subjectos, totumque Clerum hortamur in Domino, mandamusque, ut hæc Statuta habeant, diligenter & studiose legant, relegant, suosque & subditorum mores juxta illorum præscriptum forment, & pervigilent, (b) *quasi rationem pro animabus Nobiscum Domino reddituri. Archidiaconis quoque, Decanis, cæterisque, qui ex commissione nostra Diœcesim hanc nostram visitabunt, præcipimus, ut in visitatione diligenter observent, an huic ordinationi factum sit satis, & negligentes Nobis deferant graviter puniendos.*

INDEX TITULORUM
HUJUS SYNODI.

TITULUS PRIMUS.
De Fide & Christiana Doctrina.

CAPUT PRIMUM.
Professio Fidei facienda a Curatis, Prælatis, Canonicis, &c.

Ut a Fide, spiritualis ædificii fundamento, Constitutiones nostræ sumant exordium; sciant omnes, quibus de Beneficiis Ecclesiasticis curam animarum habentibus, Canonicatibus quarumcumque Ecclesiarum, Dignitatibus, Prælaturis Monasteriorum, vel domorum regularium provideri contigerit, Fidei professionem sibi esse faciendam intra bimestre a die adeptæ possessionis, juxta formam a PIO IV. præscriptam, cujus tenor ad calcem hujus operis, tum latina, tum vernacula lingua subjungitur.

CAPUT II.
A Sacellanis, Custodibus, Ludimagistris.

Eamdem Fidei professionem facient omnes Sacellani, Ludimagistri, Ludimagistræ & si qui sint cooperatores, Custodes etiam Ecclesiarum ruralium: idque in manibus Scholastici, ubi is est, alioqui coram Decano Christianitatis. Nec Pastores ullam sui officii partem eos attingere permittent, nisi scripto aliquo Decani aut Scholastici manu signato, professionem illam ab eis factam cognoverint.

CAPUT III.
A Magistratu.

Idem ut præstent quotannis, qui ad Magistratum, Baillivatum, vel officium aliud publicum, sive in pagis, sive in

(b) 1. Pet. 5.

in urbibus assumpti sunt, vel in eo post annum finitum perseverant, (prout Edicto Regio ad secundum Concilium Cameracense addito præcipitur) curabunt Pastores : quod si renuerint, cito Nos moneant.

Caput IV.

A Bibliopolis.

De Bibliopolis & Typographis, quod in eodem Concilio, & Regio edicto (c) statuitur, observetur, ut & ipsi similem Fidei professionem emittant, jurentque insuper, se nullos libros prohibitos invecturos, aut secreto distracturos, vel etiam compacturos.

Caput V.

Vigilandum Pastoribus adversus hæreses.

Quoniam, ubi dormiunt homines, fit, Salvatore teste, ut inimicus homo superseminet zizania in medio tritici; omnes Prælatos, Archipresbyteros, Capitula, Pastores, monemus in Domino, & districte ipsis mandamus, ut in hoc toti vigilent, ne qui sub ovina pelle lupi inter oves suas misceantur, hoc præsertim calamitoso tempore, quo, propter frequentia cum vicinis hæreticis commercia, plus est ab illis periculi. Quapropter in iis præsertim Parochiis, ubi suspicio est tales aliquos latere, inquirant diligentissime de iis, qui vel minimo signo suspicionem hæresis ingerunt, quive ad migrandum se præparant in Provincias hæreticas, & eo fine agros suos elocant, aut vendunt: aut qui ex Provinciis hæreticorum, ubi nunc degunt, commercii, parentes invisendi, vel hæreditatis dividundæ, aliove simili prætextu, in hanc Diœcesim commeant : per se & per fidos aliquos explorent, quid faciant, dicant, quamdiu morentur, & quinam eos hospitio excipiant, cum quibus agant: & in horum etiam mores & vitam inquirant diligenter, & comperta omnia, quamprimum ad Nos rescribant.

Caput VI.

Summa etiam diligentia attendant ad eos, qui sæpius se a Sacro parochiali absentant, explorent causam, & diuturnitatem absentiæ (maxime si id faciant circa præcipuas anni solemnitates) quove proficiscantur, ac Nobis etiam ea quamprimum significent.

Caput VII.

Monendi subditi, ut sibi caveant.

Moneant frequenter populum, doceantque, quam grave scelus sit, cum hæreticis conversari, quantumque subversionis periculum eos audire, quorum sermo ut cancer serpit: quam magna damna temporalia, & spiritualia ab hæresi immineant : quæ pœnæ decretæ a jure in fautores hæreticorum, defensores, & receptatores : ac multo magis, quam sit res plena periculi, conciones hæreticorum adire, eorum libros scienter tenere, legere, vendere, quæ pœnæ id facientibus constitutæ.

Caput VIII.

Soliciti sint, ne parentes filios suos ad loca hæresi infecta, mercaturæ vel opificii exercendi, aut alia quavis ex causa, mittere præsumant, cum evidenti perversionis periculo.

Caput IX.

Et ne legant Biblia lingua vernacula sine licentia.

Inculcent sæpius regulam quartam Indicis librorum prohibitorum, qua vetatur lectio, aut detentio Bibliorum lingua vernacula, nisi de licentia Episcoporum, vel ab eis Deputatorum.

Caput X.

Non admittendi exteri absque testimonio Pastoris loci unde migrarunt.

Observent diligentissime, ut si qui ignoti, aut exteri in Parochias suas commigrent, eos ibi nullatenus habitare permittant, nisi certo testimonio Pastoris loci unde emigrarunt, (quod gratis dabitur) constiterit eos sanæ esse fidei: quod, si modeste moniti, adferre negligant, Nobis aut potestati sæculari denuntientur. Si contingat ejusmodi testimonium haberi non posse, saltem Fidei professionem faciant, & interim in eorum vitam invigilent Parochi,

(c) 2. Cam. tit. 1. c. 1. & 3. Edict. Reg. ibid. art. 4.

rochi, & si quidem recte se gerant, permittantur: sin minus, ejiciantur. Et quia propter grassantes ubique hæreses, magna hujus rei habenda est ratio; Pastores in congregationibus suis, exhibeant registrum omnium suorum communicantium, declarentque, qui, & quam recenter externi ad Parochiam suam migrarunt, ut deinde per Decanum res tota ad Nos deferatur.

CAPUT XI.

Libelli, cantilenæ &c. visitandæ.

Reipsa compertum est, magnam doctrinæ & morum corruptelam fieri per libellos, cantilenas, rithmos, aliaque similia, quæ vel plateatim a circumforaneis, vel ante fores templorum, aut aliis publicis locis, venalia exponuntur, vel decantantur. Magna ob id cura in hoc vigilare debent Pastores, sportas, & sarcinas ejusmodi hominum visitare, neque permittere, ut talia vendantur, nisi Principis, & nostra licentia obtenta: contravenientes, ad Nos aut Magistratum loci deferre, ut istiusmodi libris mulctentur, & insuper severe puniantur: (*d*) in quo si Magistratus negligens fuerit, Nos quamprimum reddant certiores.

CAPUT XII.

Bibliopolæ libros non vendant, nisi visos.

Bibliopolæ & Librarii nulli permittantur, nisi jurati & a Nobis admissi: nec alios vendant libros, aut habeant, quam quos contineat catalogus a Nobis probatus, ipsisque relictus, nec imprimant, nisi ab aliquo approbato Censore visos & approbatos. Ubi vero foris accipiunt novos libros, non aperiant sarcinas, nisi Deputatis nostris præsentibus: neque Biblia vernacula lingua ulli vendant, qui non prius potestatem sibi a Nobis factam ea legendi in scriptis exhibuerit.

CAPUT XIII.

Nec libri domorum mortuariarum vendantur, nisi visi.

Libri domorum mortuariarum non divendantur, aut distrahantur, nisi ab approbato Censore, vel Decano illius districtus visi & vendi permissi.

CAPUT XIV.

Catechismus nunquam diebus Dominicis omittatur.

Quæ de Catechismo omnibus Dominicis diebus docendo, propemodum singulis annis repetita & inculcata sunt, ea ut diligentissime observentur, serio præcipimus: volumusque, ut nullo prætextu, nullamque ob causam prætermittant Pastores, quin singulis ejusmodi diebus, hora ea, quæ magis commoda, ex consilio cum Decano habito, judicabitur, Catechismum doceant: imo, si necesse sit, omnes potius conciones omittant, quam Catechismum: quandoquidem ejus necessitas, non possit satis explicari. Imo functio hæc juventutis instruendæ, nec minus adultorum rudium in rebus fidei necessariis, adeo muneri Pastorali annexa est, ut si in hac parte remissiores, vel negligentiores fuerint Pastores, sanguis pereuntium animarum de manu eorum requiretur a severissimo Judice, & a Nobis insuper graviter punientur.

CAPUT XV.

Si per Sacellanos suos interdum id faciendum duxerint (quo & illi pastoralibus functionibus paulatim assuescant) ipsi tamen Pastores ut plurimum præsentes adsint, notentque, in quo deficiant, & admoneant.

CAPUT XVI.

Parentes mittant liberos, heri famulos.

Moneant etiam Pastores & Decani, tum palam e suggestu, tum privatim parentes, ut liberos suos; heros, ut famulos & ancillas ad Catechismum mittant diligenter; negligentes id facere, increpent & corripiant, imo per Magistratum puniri curent, ut tandem ignorantia illa mysteriorum fidei, ex qua velut fonte, hæreses, sortilegia, aliaque scelera, sumunt exordia aut incrementia, prorsus eliminetur.

CAPUT XVII.

Denuntient quoque sæpius publice, neminem se ad Matrimonium admissu-

(*d*) Edict. Philip. II. anno 1556.

missuros, qui ejusmodi rudimenta fidei, quantum cuique necessarium est, ad salutem non calleat, idque reipsa faciant.

Caput XVIII.
Quomodo Catechismus docendus.

Illud vero in tradendo Catechismo observent, ut a quæstionibus altioribus abstineant: inculcent autem ea, quæ debent scire omnes Christiani: idque familiari modo, verbis apertis, vulgaribus & ad captum auditorum accommodatis: neque dedignentur cum pueris repuerascere, cum rudibus, & ignaris, rudi modo, & sermone agere, obviisque, & familiaribus similitudinibus, & exemplis uti: nihil enim se dignius, nec Reipublicæ Christianæ utilius facere possunt, quam pueros, & adultos docere, quæ Christianos omnes scire convenit.

Caput XIX.
Pueri & adulti quomodo docendi.

Et quamvis adlaborandum sit, ut vota Catechismi doctrina, aut prima Fidei rudimenta, præsertim a pueris, sive in Scholis trivialibus, sive Dominicalibus, sive instruentibus parentibus, aut fratribus memoriter ediscantur: id tamen potissimum curabit Catechista, ut sensum verborum pro suo captu apprehendant: adeoque non semper iisdem verbis, vel eadem sermonis forma interrogandi erunt, vel instruendi, sed diversa; ut non tantum verba, sed rem ipsam significatam bene percipiant, & ea bene perspecta, subinde breviter edoceantur, quomodo mores suos formare debeant.

Caput XX.
Pro adultioribus habenda brevis monitiuncula.

Cæterum pro adultioribus, famulis præsertim, & ancillis (qui plerumque valde ignari sunt) instruendis; tempore primæ Missæ brevem monitiunculam, seu catechisticum familiarem sermonem, habere convenit de principiis Christianæ Religionis, maxime necessariis ad salutem, atque iis solis; sed brevem, & qui quadrantem horæ non excedat, quo & brevitate & familiaritate sermonis, alliciantur ad audiendam & retinendam eam doctrinam. Quod si illud idem tempus destinatum sit pueris instruendis, statim post eam monitiunculam, ad eos etiam instruendos, sed alia forma procedatur: nimirum per interrogationes, & responsiones.

Caput XXI.
Etiam extra Ecclesiam docendi rudes.

Neque tamen adhuc muneri suo se satisfecisse existiment Pastores, si singulis Dominicis in templo catechisent: sed exemplo Christi Domini (qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, unam aberrantem solicite requisivit) & ipsi ignaros illos, suæ salutis immemores, ultro accedant (præsertim in pagis) in eorum se familiaritatem insinuent, comiter agant, pro opportunitate instruant, animent. Quod maxime fiet, postquam instituta visitatione totius Parochiæ, juxta eam formam, quam præscripsimus, omnium qualitates probe perspectas habuerint. Poterunt etiam subinde convocatis unius familiæ prolibus, in præsentia adultorum, speciem aliquam examinis catechistici ita artificiose instituere; ut etiam grandiores, quasi familiari colloquio ad respondendum invitentur. Denique aliis modis, quos zelus animarum & prudentia suggerent, ejusmodi rudes instruent; zelus enim ille aspera faciet in vias planas, omneque laboris tædium unctio cælestis alleviabit.

Caput XXII.
Deneganda eleemosyna pauperibus ignaris.

Et quoniam sæpe contingit, pauperiores etiam rudiores esse; agant Pastores cum Magistratu, & Rectoribus mensæ pauperum, ut nihil eleemosynæ eis tribuatur, qui vel negligunt ipsi ad Catechismum venire, vel proles suas mittere. Atque ubi in fundationibus anniversariorum aliquid pauperibus distribuendum decernitur, habeatur ratio eorum tantum, qui bene instructi sunt, aut ut instruantur, soliciti.

CA-

Caput XXIII.

Erigendæ Scholæ Dominicales.

Quæ etiam ratio ſervetur, ubi præter Catechiſmum, Schola Dominicalis erecta eſt: quam a Magiſtratu frequentare cogantur jam dictis modis, aliisque oportunis, famuli & alii juxta Edictum Regis. (e) Atque ut ubi nondum erectæ ſunt ejusmodi Scholæ, quamprimum erigantur, moneatur Magiſtratus, ut juxta idem Edictum, ſumptus ad id neceſſarios procuret, (quandoquidem plurimi alioqui, qui tota hebdomada artificiis vel alias diſtenti, Scholas frequentare non poſſunt, per ignorantiam pereant) caveaturque, ne eo tempore, quo juventus catechiſatur, ullæ choreæ, vel luſus publici fiant, neve ulla ratione a tam neceſſario officio avocetur, vel per plateas divagari permittatur.

Caput XXIV.

Scholarum magna habenda ratio.

Jam de Scholis (in quibus formari debent, qui Reipublicæ aliquando præerunt) ſoliciti ſint Paſtores, ut ubi collapſæ ſunt, reſtituantur: ubi conſervatæ, magis, magisque colantur: de ſtipendio neceſſario Ludimagiſtris provideatur abunde, domus apta (quam prope templum Parochiale eſſe convenit) ſarta tecta conſervetur: Ludimagiſtri diligenter doceant, juventus docenda frequens accedat, gratisque doceantur, qui ob inopiam alioqui a Scholis frequentandis averterentur, aut (ſi fieri poteſt, quod alicubi in more poſitum deprehendimus) ex communi ærario aliquid eo nomine Ludimagiſtris conferatur. Iidem etiam pauperes Scholas adire compellantur denegatione eleemoſynarum, aliisque ſupradictis modis: & ut inſtitutionis initia a doctrina Orationis Dominicæ, aliorumque fidei rudimentorum ſumantur. Ut vero ea omnia accurate fiant, Paſtores Scholas ad minus ſemel in menſe, & ſæpe ex improviſo adeant, ſingulorum diligentiam in legendo, & ſcribendo explorent, examinent de principiis fidei, Ludimagiſtros ipſos animent, hortentur, corripiant, denique nihil eorum omittant, quæ teneram ætatem juvare, & utiliter dirigere poſſunt. Decani quoque in viſitationibus ſuis, non prætermittant idem præſtare, & ſolicite animadvertere, an hæc omnia a Paſtoribus præſtentur.

Caput XXV.

Pueri & puellæ ſeparatim docendæ, & ad lectionem catechiſticam deducendæ.

In celebrioribus locis curetur, ut puellæ per fœminas, ſive religioſas, ſive ſæculares idoneas doceantur, a quibus etiam non alii, quam puellæ inſtituantur, ſicuti nec apud Ludimagiſtrum niſi maſculi. Ubi autem tales fœminarum Scholæ non ſunt, volumus omnino, ut pariete vel interſtitio aliquo, pueri a puellis ſeparentur, quo ſic omnis illorum inter ſe aſpectus arceatur. Volumus etiam, ut quantum fieri poterit, ad locum puellarum alio oſtio aditus ſit, quam ad locum maſculorum, & ut alia hora pueri ad Scholam accedant & recedant, alia puellæ. Denique omnis inter eos ſermo & collocutio ac converſatio, quantum fieri poterit, arceatur. Inſuper hortamur, ut Ludimagiſtri & Ludimagiſtræ Scholarum linguæ vernaculæ, juventutem ſuam ſtatis diebus ad lectionem catechiſticam deducant, & ibidem in officio contineant.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

Caput Primum.

Quæ a Tridentina, & Cameracenſibus Provincialibus Synodis, de legitimo Sacramentorum uſu & adminiſtratione, quæ etiam in Manuali Audomarenſi pie & docte conſtituta ſunt, ea omnia accurate obſervari volumus: nec alia omnino forma Sacramenta adminiſtrari, quam quæ in dicto Manuali præſcribitur: cujus monita, & documenta ſæpe ſæpius legi, relegi, memoriæ mandari, atque ad praxim reduci præcipimus.

Ca-

(e) Edict. Reg. ad II. Cam. art. 15.

Caput II.

Non ministret Sacramentum, nisi approbatus.

Nemo Sacramentum ullum administrare permittatur, qui prius non fuerit a Nobis approbatus, ejusque approbationis fidem fecerit.

Caput III.

Vis Sacramentorum explicanda.

Doceant Pastores frequenter populum pro ipsius captu, singulorum Sacramentorum institutionem, virtutem, efficaciam, usumque legitimum: breviter quidem in ipsa Sacramentorum administratione, latius vero in concionibus suis.

Caput IV.

Custodienda solicite Sacramentorum materia.

Porro, quia Sanctum minime est dandum canibus, materias Sacramentorum ita solicite Pastores custodiant, ut nulli ad eas accessus pateat: ne maleficii causa improbi homines iis uti possint, imo nec medicinæ: neque omnino ad alium usum quocumque prætextu quisquam eas vel tradat, vel accipiat, quam ad quem ab Ecclesia destinatæ sunt: qui secus facere præsumpserit, graviter a Nobis juxta canonicas Sanctiones punietur.

Caput V.

Olea sacra per quem deferenda.

Quo Sancta sancte, ut par est, tractentur; Pastores ipsi per se sacra Olea a Decanis, in vasis argenteis (si fieri possit) alioqui stanneis (nullo modo vero cupreis, testaceis, aut vitreis) bene obturatis & in capsula nitida, ut minimum stannea inclusis, accipiant; vel saltem per aliquem in sacris Ordinibus constitutum: qui si in reditu, ad ædes aliquas refectionis gratia divertere debeat, ipsa sacra Olea in templo Parochiæ interim, si fieri potest, decenter collocentur: idem Decani sibi præceptum intelligant. Sint autem soliciti Pastores, quam citissime Olea nova a Decanis accipere, neque postea audeant antiquis uti: sed quod superfuerit, lampadi ante Venerabile Sacramentum lucenti infundatur: aut, si gossipio sit mixtum, super piscinam comburatur.

Caput VI.

Vasa Oleorum sacrorum recondenda in arcula lignea vel alio honesto loco.

Sacrorum Oleorum vasa, ita inter se distinguantur, ut periculum nullum sit, ne unum pro altero per errorem assumatur. Neque asserventur in tabernaculo Venerabilis Sacramenti: sed, vel in arcula aliqua lignea decenti appensa ad murum, vel loco alio honesto, & sera clauso: & quidem Oleum Catechumenorum ac sacrum Chrisma, intra baptisterium, prope fontem baptismalem: Oleum autem infirmorum a latere summi altaris. Claves vero asserventur ab iis solis, qui Sacramentum administrant.

TITULUS III.

De Baptismo.

Caput Primum.

Ad Baptismum conferendum semper parati sint Pastores. Non differatur Baptismus infantium ultra tertium diem.

Quum ea sit Sacramenti hujus necessitas, ut sine eo salvari non possint homines, Pastoribus districte præcipimus, ut statim ubi requiruntur, paratos se offerant ad illud administrandum: neque aliqua ex causa, (etiam ob id, quod infans baptizandus ex illegitimo concubitu conceptus sit, aut quod pro alimentatione ejus nullus sit sponsor) administrare aut recusent, aut differant: subditis quoque suis præcipiant, ut quam citissime possunt, proles suas in Christo regenerandas offerant: neque propter eorum, quos elegerint patrinorum loco, moram, ultra tertium diem differant.

Caput II.

Non conferatur extra Ecclesiam.

Nemo extra Ecclesiam parochialem, ubi sacri fontes sunt, baptizare audeat, nisi in necessitate, aut Principum liberos.

CAPUT III.

Susceptores a Baptismo non intrent tabernas.

Abusum illum quibusdam in locis, maxime in pagis usitatum, quo peracto Baptismo, susceptores, & comites tabernam ex itinere adeunt, seriis ad populum exhortationibus tollere satagant Pastores.

CAPUT IV.

Ecclesiastici non adeant convivia mulierum purificantium, aut post nuptialia.

Districte prohibemus, ne ad ea, quæ mulieribus ex puerperio excedentibus, aut etiam antea instruuntur convivia; Parochorum aut Clericorum quisquam accedat: quemadmodum neque ad ea, quæ postridie diei nuptialis, aut etiam tertio die celebrantur.

CAPUT V.

Registra baptizatorum antiqua asservanda in archivio Ecclesiæ.

Antiqua omnia registra baptizatorum, matrimonio junctorum, aliaque omnia, quorum usus quotidianus non est, in Archivio Ecclesiæ cum cæteris munimentis asserventur: ea vero, quorum adhuc usus est, non in ædibus suis Pastores asservent, sed vel in armariolo aliquo sacristiæ, vel in cista aliqua, cujus clavis sit penes ipsos, non autem Custodem: quin etiam nomina, cognomina baptizati, illiusque patris, matris, & susceptorum, diesque Baptismi per baptizantem ipsum in registro inscribantur, antequam baptizatus extra Ecclesiam deferatur: quo facto, etiam nomen suum adscribet baptizans.

CAPUT VI.

Obstetrices faciant Fidei professionem & examinentur, præstentque juramentum statutum.

Obstetrices nullæ admittantur, aut inposterum tolerentur, nisi Catholicæ, & quæ Fidei professionem emiserint, quæ etiam a Parocho de iis, quæ ad Baptismi essentiam pertinent, examinatæ, & abunde instructæ sint, & juramentum in manibus Pastoris, aut Magistratus juxta Edictum Regium (*f*) emiserint, de denuntiandis intra triduum infantibus, quos forte parentes nondum baptizari curarint: atque ad id, implorato, si opus sit, Magistratus auxilio, præstandum cogantur.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT PRIMUM.

Monendus populus, ut se præparet.

Ubi intellexerint Pastores Episcopum Sacramentum hoc, vel in sua Parochia, vel in vicina conferre decrevisse, diligenter populum commonebunt, de die quo id facturus est: hortabuntur, ut ad illud debite suscipiendum se disponant, quotquot adhuc non susceperunt, & septennium ætatis attigerunt: in iis enim, qui semel illud susceperunt, iterari non posse.

CAPUT II.

Vis, dignitas & effectus Confirmationis.

Explicabunt aliquoties vim, effectum & dignitatem hujus Sacramenti. Vis quidem, & efficacia in eo consistit, quod per illud gratia habitualis copiosa accipiatur, anima roboretur ad spirituale certamen subeundum, adversus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus: maxime vero ut baptizatus, quam fidem professus est in Baptismo, eam intrepide & constanter confiteatur; quod quidem per Oleum, quod nervos confortat, corpusque validius reddat, & per balsamum, quod a putredine conservat, & suavem habet odorem, significatur: animam scilicet, per hanc gratiam roborari, & Christianarum virtutum odorem late spargere, atque a vitiorum putredine liberari.

CAPUT III.

Quare in fronte conferatur.

In fronte autem, (quæ pudoris sedes est) & per impressionem signi sanctæ Crucis, confirmandi inunguntur; ut aperte confiteantur se sub cruce militantes, nulla verecundia aut metu absterreri posse, a profitenda fide, vel officio Christiani hominis.

CA-

(*f*) Edict. Reg. ad 2. Conc. Camer.

CAPUT IV.

Cur alapa cædatur Confirmatus.

Alapa etiam cæditur confirmandus in maxilla, ut meminerit se tanquam Christi athletam, ad ferenda pro Christi nomine quævis opprobria, & adversa paratum esse debere.

CAPUT V.

Quæ dispositio corporalis ad hoc Sacramentum.

Docebunt præterea Pastores, quæ dispositio & corporis & animæ ad hoc Sacramentum adferri debeat. Ac primum postulat hujus Sacramenti reverentia, ut confirmandi accedant facie bene lota, munda, & crinibus in frontem defluentibus resectis.

CAPUT VI.

Adferendæ fasciæ.

Adferre etiam debent fascias mundas & spissas, ac justæ longitudinis: ut fronti & capiti circumcingi commode possint.

CAPUT VII.

Quæ spiritualis.

Præmittenda insuper est Confessio Sacramentalis ab adultis, seu doli capacibus: debentque scire rudimenta fidei: ac demum a Confessario scedulam parvam accipere, testem scientiæ sufficientis, & debitæ dispositionis, ab eoque signatam: quam scedulam in manibus habeant, & exhibeant jam jam confirmandi.

CAPUT VIII.

Adhibendus Patrinus.

Susceptorem etiam habeant ejusdem cum confirmando sexus, (ut nimirum mares a maribus, puellæ a mulieribus teneantur) quique jam confirmatus sit: is vero manu dextra super humerum dextrum confirmandi apposita, stans eum teneat.

CAPUT IX.

Contrahitur in eo cognatio spiritualis.

Doceat etiam Pastor in hoc Sacramento perinde ut in Baptismo, contrahi cognationem spiritualem, inter confirmatum & suscipientem, item inter suscipientem & patrem confirmati ac matrem: quæ quidem Matrimonium inter illas personas impediat & dirimat.

CAPUT X.

Post tres dies deponendæ fasciæ.

Postremo monebuntur confirmati, ut tribus diebus fascias illas gerant, ac postea Parochum, aut Sacerdotem alium in Ecclesia parochiali adeant, qui fascias solvat, frontem eorum sale & aqua lavet: quæ ablutionis aqua in sacrarium Ecclesiæ fundatur, fasciæ vero exurantur, aut ad conficiendos cineres in diem Cinerum serventur.

CAPUT XI.

Scribendum in registro nomen confirmati & patrini ac parentum.

Tum in registro ad hoc parato, confirmati nomen, cognomen, parentum quoque & patrini, insuper locus & dies, quo confirmatus est, inscribatur, ea forma, quæ in Baptismo servatur.

CAPUT XII.

Qui in Baptismo a patrini officio rejiciuntur, nec in Confirmatione admitti debent.

TITULUS V.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT PRIMUM.

Catholica de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Fides.

Quæ de sanctissimo hoc Sacramento Concilium Tridentinum non minus pie, quam docte tradidit, ea sæpius subditos suos Pastores doceant, adversusque grassantes hodie hæreses muniant. Doceant in isto Termaximo Sacramento sub qualibet specie, quin etiam sub cujuslibet speciei quavis particula contineri totum & integrum Christum, Deum & Hominem, vere, realiter, & substantialiter, totumque ejus Corpus & Sanguinem, sanctissimam Animam, imo & Divinitatem ipsam. Doceant honorem huic Sacramento debitum, honorem scilicet supremum, eum, qui Dei Filio & Deo debe-

debetur; sive dum in Missæ Sacrificio offertur, sive dum in Ecclesia asservatur, sive dum in processionibus, aut ad infirmos defertur.

CAPUT II.

Modus illud ministrandi, petatur ex Manuali.

Cætera item, quæ de modo Sacramentum hoc administrandi, suscipiendi, asservandi, quæve alia in Manuali Diœcesano tradita sunt, & legantur diligenter & exacte observentur.

CAPUT III.

Suadenda frequens Communio. Pastores se paratos exhibeant ad excipiendum confessiones.

Frequenter Pastores populum sibi commissum hortentur, ut sacrosancta illa Mysteria, quæ ad nostræ fragilitatis subsidium Salvator dedit, non ita ægre & raro, (ut magna hominum pars non sine injuria tam liberalis Donatoris) adeat, sed frequentet sæpius: doceantque, quam uberes fructus sint frequentis Communionis. Itaque saltem Festis celebrioribus Domini nostri, & Beatissimæ Virginis, imo singulis mensibus, ita ut oportet; contritione & confessione expurgati, hunc panem supersubstantialem manducatum veniant. Atque ut id præstent commodius, & libentius, ipsi Pastores & in ejusmodi Festis, mane tempestive, & pridie etiam sub vesperam, paratissimos in Ecclesia se offerant, & sistant, imo & quocumque tempore, ad eorum confessiones audiendas: seque ultro offerant, & subsidiarios, si necesse sit, advocent.

CAPUT IV.

Adolescentes ante susceptionem examinandi.

Adolescentes dum prima vice communicaturi sunt, prius aliquot diebus, per Pastorem, Confessarium, vel alium idoneum examinentur, & de vi ac tota ratione hujus Sacramenti, sufficienter instruantur.

CAPUT V.

Multitudine communicante occurrendum inordinationi.

Jam in Paschate, aliisque diebus, quibus magno numero fideles communicant, prospiciendum est, ne qua fit inter communicandum inordinatio, ne alii aliis impedimento sint, quo minus tremenda illa Mysteria sumere queant ea reverentia, & animi quiete, qua decet: ne alii alios sive accedendo, sive recedendo propellant, comprimant, aut turbent. Aptetur locus cancellis ligneis decentibus ab altari sejunctus, ubi genu flexis sacra Synaxis ordine præbeatur, ita ut qui expectant, ab illis separati sint, qui jam percipiunt.

CAPUT VI.

Ubi magnus esse solet communicantium numerus, constituatur Sacerdos aliquis, qui qualibet hora, & tempore, omnibus advenientibus Eucharistiam administret.

CAPUT VII.

Vinum ablutionis ex calice non dandum.

Dum populo, Eucharistia sumpta, vinum pro ablutione præbetur, non e calice, sed e scypho ad hoc destinato detur: doceanturque rudes, & publice & privatim, ejusmodi vinum minime esse consecratum, vel Sanguinem Christi.

CAPUT VIII.

Hortandus populus, ut comitetur Venerabile Sacramentum.

Frequenter & serio moneatur populus, ut Sacramentum hoc, quando ad infirmos defertur, comitetur: conenturque Pastores, saltem in locis celebrioribus, laudatam illam consuetudinem inducere, ut sub umbella tunc Sacramentum deferatur: atque ut frequentior populus adsit, quantum fieri potest, satagant, ut post matutinum Sacrum, quando plures ad Ecclesiam venire solent, id fiat: & prius certis campanæ pulsibus signum detur, ut ii, quibus vacat, conveniant.

CAPUT IX.

Lampas ante Venerabile Sacramentum continuo ardeat.

Adnitantur Pastores, ut (quod a Principibus quoque nostris tantopere commendatum est) diu noctuque lampas ante Venerabile Sacramentum ardeat, saltem ubi a furibus nocturnis periculum non est. Quod si Ecclesiarum

rum paupertas tanta ſit, ut ſumptui ferendo non ſint, ineant rationem aliquam cum Ædituis, ſive ex pecuniariis collectis in eum finem inſtitutis, ſive ex applicatione partis, aut totius collectæ pro lacticiniis, (re tamen prius Nobis communicata) ut provideatur de ſumptibus neceſſariis.

CAPUT X.

S. Euchariſtia raro in Proceſſionibus deferenda.

Sacroſancta Euchariſtia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis ſupplicationibus defertur, potiſſimum vero in feſto ſacro Chriſti Corpori dedicato, & in ejus Octava: ſed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora (& ubi moris eſt primam Dominicam menſis) id fiat: nec niſi in arduis cauſis pacis & publicæ neceſſitatis aut utilitatis.

TITULUS VI.

De Miſſæ Sacrificio.

CAPUT PRIMUM.

Miſſa frequentanda.

Diviniſſimi hujus Sacrificii inſtitutionem, præſtantiam, fructum ubertatem, cæteraque huc pertinentia, ſedulo explicent populo Paſtores, quo illud & frequentet diligentius, & audiat religioſius. Doceant Eccleſiæ præcepto obligari omnes, ut audiant Dominicis & Feſtis diebus Miſſam: illosque huic præcepto neutiquam ſatisfacere, qui peracta Conſecratione, aut poſt Orationem Dominicam ab Eccleſia recedunt: ac proinde contra ejusmodi, perinde Nos proceſſuros, atque contra eos, qui Miſſam diebus feſtis non audiunt.

CAPUT II.

Audienda in propria Parochia.

Moneant etiam, teneri Parochianos, dum commode poſſunt, Sacrum in Parochia ſua audire, & concioni intereſſe, quandoquidem in ea intelligere debeant, quæ jejunia, quæ feſta, ea ſeptimana recurrant, quæ Miſſæ votivæ, quæ ſupplicationes publicæ, & alia Chriſtianæ pietatis officia ſint agenda: & audire bannorum proclamationes, ut impedimenta, ſi quæ norint, denuntient: deque aliis inſtrui, quæ ad ſuam & proximorum ſalutem atque ad bonum publicum pertinent.

CAPUT III.

In Sacrificio omnia reſpondeant ſacrorum ipſorum dignitati.

Porro ne alienetur populus a ſacris Myſteriis, detrahatque Sacrificio Domini, (ut quondam Iſraelitæ ſcandalizati a filiis Heli) curent Paſtores, ne tantam rem perfunctorie, leviter aut irreverenter peragant; verum ea pietate & gravitate, quæ & myſteriorum ipſorum majeſtate digna ſit, & populum in magnam illorum æſtimationem, devotionisque ardorem adducat.

CAPUT IV.

Omnia, quorum uſus eſt in Sacrificio, ſint decentia & munda.

Quare jugiter advigilent, ut ſacri calices (qui argentei ſint oportet, aut ut minimum eorum cuppa) corporalia, veſtimenta, aliaque, quibus uſus eſt in Sacrificio iſto, munda ſint, & nitida: altare quoque integrum, mundum, ornatum: pallæ, ex præſcripto Miſſalis Romani, lineæ (ſepoſitis ſericeis): purificatoria nitida, juſtæ magnitudinis, & quæ ſæpius renoventur: parva vero, & quæ vix orificium calicis tegunt, penitus abjiciantur: denique tota ſupellex Eccleſiaſtica talis ſit, & tam nitida conſervetur, ut digna ſit, quæ prodeat in conſpectum Dei. Crux in medio altaris adſit, & duæ candelæ cereæ in eo vel circa illud ardeant, dum Sacrificium Miſſæ celebratur. Ubi vero ob periculum ab hoſtibus vel prædonibus calices ſtannei tolerandi eſſent, ut minimum ſingulis quindecim diebus per ipſos Sacerdotes debite mundentur.

CAPUT V.

Ornamenta Sacerdotalia decenter aſſervanda.

Ea vero omnia ornamenta ita in ſcriniis vel ciſtis decenter complicata ſerventur, ut nec rugas, vel maculas ex indecenti projectione contrahant. Superior altaris mappa, finita Miſſa, tega-

tegatur panno laneo vel corio: denique facto ipſo, oſtendant Paſtores zelum, quem decet eos habere circa decorem domus Dei.

CAPUT VI.

Ipſum templum mundum ſit, uti & ſupellex Eccleſiaſtica.

Templum vero ipſum, ſi opus ſit, curent totum ſemel interius dealbari, & a ſolo uſque ad faſtigium ſingulis annis totaliter bene ſcopis purgari, feneſtras mundari, pavimentum ſingulis hebdomadibus verri, ſæpius in anno, ſi lutum adhæſerit, eradi; vaſa ænea, argentea, lampades, thuribula, aliamque ſupellectilem nitidam ſemper conſervari, tectum & totum ædificii corpus debite reparari, virgulta, ſentes & hederas templorum parietibus adhærentes prorſus avelli.

CAPUT VII.

Tempore belli quanta cura de munditie Templi.

Et quoniam ob bellorum calamitates contingit, quibusdam locis, animalia in Eccleſia ſtabulari; curet Paſtor, ut belli tempore ſaltem altare, totusque chorus immunis ſervetur ab immunditiis, & a ciſtis: & locus, ubi animalia ſunt, ſingulis ſeptimanis aliquoties mundetur, maxime in vigiliis diei Dominicæ & Feſtorum, aut ſummo mane ante Miſſæ celebrationem: graviterque populus admoneatur, ut a compotationibus, jurgiis, aliisque irreverentiis, quamdiu in templo eſt, abſtineat: memorque ſit illius Apoſtoli, ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.

CAPUT VIII.

Ante Miſſam exacte ſe præparet Sacerdos. Quandoque etiam confeſſus non celebret.

Cæterum non externa ſufficit, oportet & interna, ut decet, eſſe compoſita. Nemo ergo Sacerdotum ad offerenda tremenda hæc Myſteria ſe accingat, niſi bene ſe probarit, conſcientiam ſuam diſcuſſerit, &, ſi opus fuerit, Sacramentali Confeſſione expurgarit: (g) ſi quis temulentia vel notorio alio crimine ſcandalum dederit, poſtridie ne celebret quantumvis confeſſus, niſi neceſſitate coactus.

CAPUT IX.

Serventur in Miſſa cæremoniæ Romanæ.

In Sacrificio celebrando ſerventur exacte cæremoniæ Miſſalis Romani, neque iis quidquam addatur, aut detrahatur. Quæ vero ex ejus præſcripto, altiori voce pronuntianda ſunt, ita Celebrantes moderentur, ut aliis in eadem Eccleſia celebrantibus, non ſint impedimento.

CAPUT X.

Sacerdos induat ſe in Sacriſtia, & ſi nulla ſit, loco ab altari ſeparato.

In iis Eccleſiis, in quibus eſt Sacriſtia, obſerventur, quæ in Rubricis ſtatuuntur: ubi ea nondum eſt, ſaltem in loco ab altari ſeparato induat ſe Sacerdos ſacris veſtibus, atque ita decenter compoſitus, tecto capite ad altare graviter procedat; cæteris, quæ in dicto Miſſali ordinata ſunt, obſervatis.

CAPUT XI.

Quando liceat bis in die ſacrificare.

Nemini liceat bis eodem die ſacrificare, iis dumtaxat exceptis, qui ratione Succurſus (ut vocant) id coguntur facere, & excepto die Nativitatis Domini.

CAPUT XII.

Quid agendum, ubi non eſt Sacerdos præter Paſtorem.

In iis Parochiis, ubi Sacellanus haberi nequit, qui primam Miſſam celebret, poterit Paſtor tempore & loco primæ Miſſæ Venerabile Sacramentum adorandum exhibere, certosque Hymnos decantare, ac deinde catechizare: monebitque Patresfamilias, ut ſaltem alternis Dominicis famulos & famulas per vices mittant ad ſummum Sacrum audiendum.

CAPUT XIII.

Sacerdotes ignoti & vagi non permittantur celebrare absque Epiſcopi facultate.

Vagi, ignotique Sacerdotes, ad operandum Sacris, prorſus non admittantur absque

(g) Camer. II. Tit. 3. c. 8.

absque noſtra expreſſa licentia: quam a Nobis illi non expectent, ſine commendatitiis Ordinarii ſui literis. Quicumque autem ſæcularis ad Presbyteratus Ordinem recens promotus fuerit, primam Miſſam non prius celebrare permittatur, quam literas ſui Ordinis Decano loci exhibuerit. Quod ſi apud Regulares primum Sacris operetur, Superiori literas Sacerdotii prius exhibeat.

CAPUT XIV.

Non celebretur in altari portatili ſine licentia Epiſcopi.

In altari portatili nemo celebret, niſi de expreſſo noſtro conſenſu, cujus conſenſus in proxima viſitatione fidem facere teneatur: neque altaribus conſecratis ſuperponatur altare portatile.

CAPUT XV.

Nullum altare novum erigatur absque Epiſcopi licentia.

Nullum quoque altare novum erigatur, niſi id expreſſe a Nobis conceſſum fuerit, & non alibi, quam in locis Deo dicatis a Nobis deſignatis, (ſecluſo privilegio) Miſſæ Sacrificium fiat. Neque plura altaria extruantur, quam commode poſſint adornari, & quæ templi decori non officiant, ac populo non ſint impedimento.

CAPUT XVI.

Fundationibus ſatisfaciendum. Sacerdotis celebrantis ſtipendium.

Ne pio deſiderio ſuo fraudentur Fundatores, Sacerdotes in Eccleſiis, in quibus ex fundatione debent, tam frequenter celebrent, quam neceſſe eſt, ut officio ſuo, & Fundatorum intentioni ſatisfaciant. Nemo conventionem ineat pretii ſolvendi pro Miſſa: verum id demum quod ſponte datum fuerit, vel a Nobis taxatum, vel juxta laudabilem conſuetudinem locorum, debitum poſt celebrationem accipiat. Nemo unam Miſſam celebrans plurium ſtipendium accipiat. (b) Si, quod antiquitus ex fundatione conſtitutum eſt ſtipendium, nimis exiguum fuerit, ad Nos recurratur, ut id ſtatuamus, quod ratio dictaverit faciendum.

CAPUT XVII.

Celebrans, eique miniſtrantes, pileum, chirothecas, claves, cæteraque ejusmodi in altari non ponant.

CAPUT XVIII.

Diacono & Subdiacono Sacerdoti miniſtrantibus in Miſſa ſolemni negetur ſtipendium, ſi ante finem Miſſæ alio abeuntes Sacerdotem relinquant.

TITULUS VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT PRIMUM.

Pœnitentiæ neceſſitas.

Nemini poſt Baptiſmum in grave peccatum lapſo ſperanda eſt remiſſio, absque Sacramento Pœnitentiæ, aut ſi ab eo ſuſcipiendo neceſſitate excludatur, illius voto & deſiderio: quam neceſſitatem, cæteraque huc pertinentia e Tridentino Concilio, Rituali Diœceſano, & aliis probatis Auctoribus Parochus frequenter inculcet.

CAPUT II.

Confitendum ut minimum ſemel ſingulis annis.

Quotannis ſtatim a Quadrageſimæ principio populum ſibi commiſſum admoneat, ut ex eo tempore ad exactam peccatorum ſuorum confeſſionem ſe paret, matureque eam faciat. Qui vero hoc Eccleſiæ præceptum neglexerit, & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.

CAPUT III.

Quotannis ſcribantur nomina confitentium.

Ut vero Paſtoribus conſtare poſſit, an omnes huic præcepto & officio hominis Chriſtiani ſatisfecerint, mandamus illis, ut ſtatim ab initio Quadrageſimæ omnium eorum, quorum confeſſiones audiunt, nomina, & cognomina ſcripto excipiant. Idemque faciant omnes eorum Cooperatores. Et hi ſtatim poſt octavam Paſchæ, eorum, quos audierint, catalogum Paſtori tradant, qui ex omnibus, catalogum unum totius Parochiæ ſuæ conficiat, in quo, quos non repererit ſcriptos, confeſtim adeat,

(b) Conc. Trid. Seſſ. 22. cap. *Quanta cura.*

adeat, inquirat, quam omittendi rationem habuerint. Quod si id factum deprehenderit ex justa aliqua causa, aut ex simplicitate tolerabili, persuadeat illis quamprimum confiteri, & communicare: quod si moniti non pareant, ad Officialem nostrum deferat: & interea ad Matrimonii, aut alterius Sacramenti susceptionem non admittat, & mortuos Ecclesiastica privet sepultura.

CAPUT IV.

Confessi Religiosis adferant testimonium.

Si Religioso privilegiato confessos se dicant, teneantur ejus rei fidem facere per testimonium ejus Religiosi scriptum, idque intra breve aliquod tempus a Pastore perfiniendum: alioqui contra eos, ut jam prius dictum est, procedatur.

CAPUT V.

Absentes in Paschate doceant se confessos esse.

Si aliqui a Parochia, Paschatis tempore, abfuerint, statim a reditu, cogantur docere ubinam huic præcepto satisfecerint: quod si intra quindenam non docuerint, iisdem pœnis subjaceant.

CAPUT VI.

Quotannis visitetur Parochia tota, & quomodo.

Et quo certius constare possit, an aliqui supradictæ legi non satisfecerint; præcipimus Pastoribus, ut quotannis post octavam Paschæ, Parochiam suam totam, singulasque Parochiæ familias visitent, & perlustrent, per se ipsos, aut saltem a Sacellanis suis adjuti: atque in singulis familiis scribant nomen, cognomen, qualitatem singulorum habitantium: verbi gratia, patrisfamilias, matrisfamilias, filiorum & filiarum, servorum, ancillarum, & aliorum: item an sint rudes mysteriorum Fidei, an confirmati. Tum catalogum hunc cum illo priori eorum, qui confessi sunt, conferant, advertantque, si qui a confessione se subduxerint.

CAPUT VII.

Sedes confessionales sint commodo loco.

Sedes confessionales ubi collocatæ sunt in angulis Ecclesiarum, vel ita contiguæ altaribus, ut pœnitentes vel celebrare, aut communicare volentes impediant, deinceps in locum honestum, patentem, conspicuum transferantur, atque ita ut utrimque ad illas facilis & liber pateat accessus, sine cujusquam incommodo.

CAPUT VIII.

Sint autem sedes illæ ejusmodi, ut Sacerdotem a pœnitente asserculo cancellato, & pœnitentem a sequentibus alio asserculo disjungant: & utrimque ad cancellos sint ostiola, quæ pœnitentis ab altero latere constituti aspectum & auditum arceant.

CAPUT IX.

Nec ex ritu antiquo fit, nec ex ratione, nec ex dignitate Sacramenti, ut Confessarius, dum pœnitentem absolvit, aperto sit capite. Quare deinceps nonnisi cooperto capite Sacramentalis Absolutionis sententiam ferat: nec nisi sedens confessiones excipiat, quacumque pœnitens dignitate fulgeat.

CAPUT X.

Magna oportet esse instructum scientia, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet. Ideoque Confessarii, quibus non hominis, sed Dei judicium exercendum est, & quidem de animabus pretioso JESU CHRISTI Sanguine redemptis, diligentissime eorum librorum lectioni incumbant, unde necessariam sibi scientiam hauriant.

TITULUS VIII.

De Extrema Unctione.

CAPUT PRIMUM.

Explicanda utilitas & usus legitimus hujus Sacramenti.

Utilitatem & usum legitimum hujus Sacramenti a Christo Domino instituti, & a beato Jacobo Apostolo promulgati, doceant Pastores ex Concilio Tridentino, ex antiquo ritu Ecclesiæ, & ex Manuali Diœcesano.

CAPUT II.

Populus hortandus, ut frequens comitetur hoc Sacramentum.

Admoneatur populus, dato, priusquam e templo prodeat Sacerdos, cam-

pane

panæ ſigno, pro ægroto orare, & quibus commodum eſt, Sacerdotem, dum ad infirmum procedit, comitari, atque una cum eo preces devote pro ægroto fundere, a fabulis & colloquiis abſtinere: qui id fecerint, & iſtiusmodi honore Sacramentum proſecuti fuerint, indulgentiæ decem dierum conceduntur, quæ in reditu publicentur.

CAPUT III.

Hujus Sacramenti fructus. Non expectandum extremum in petitione bujus Sacramenti.

Stultam, quinimo impiam illam opinionem, qua perſuaſum eſt nonnullis, nullam eſſe reliquam ſpem vitæ, ubi hoc Sacramentum ſuſceptum fuerit; vel teſtamentum condi non poſſe, ex animis ſuorum evellant Paſtores, cum potius ipſam corporis ſanitatem adferat, ubi ægroti ſaluti expedit. Quare, ne hujus Sacramenti ſuſceptionem ad extremum differant, ſi ſibi bene conſultum volunt. Viſitent itaque Paſtores diligenter infirmos etiam non vocati, ſatagantque, ut ſenſibus & uſu rationis adhuc integris, illud ſibi adminiſtrari petant, ut ad uberiorem gratiam percipiendam, ipſi etiam ſuam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint.

TITULUS IX.

De Ordine.

CAPUT PRIMUM.

Qualitates Tonſuram ſuſcipientium.

Ad primam Tonſuram nemo præſentetur, niſi confirmatus, fidei rudimenta edoctus, legendi, & ſcribendi gnarus, quique de thoro parentum legitimo, de ætate ac vitæ probitate, & quod ſit Diœceſanus origine, vel domicilio, clarum a Parocho afferat teſtimonium. Quod ſi in Schola latina ſtudeat, de ejus probitate Magiſter teſtabitur. Denique is ſit, de quo probabilis conjectura habeatur, non eum ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtet, hæc vitæ genus elegiſſe. Hoc vero teſtimonium clauſum ſit, & ſigillo teſtantis obſignatum.

CAPUT II.

Quomodo comparere debeant.

Compareat autem hora, quæ indicta fuerit, in Eccleſia honeſte indutus, capillitio decenter compoſito, & ſuperpelliceum ac cereum parata habens: qui ubi tonſuram acceperit, radi eam jubeat, & juſtæ decentisque pro Ordine & gradu ſuo magnitudinis, perpetuo deinde gerat.

CAPUT III.

Qualitates minoribus Ordinibus initiandorum.

Ad minores Ordines promovendi, bonum a Parocho & a Magiſtro Scholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant, & ſaltem latinam linguam intelligant: adferant etiam literas tonſuræ ſuſceptæ, & ætatis ſufficientis.

CAPUT IV.

Qualitates ſacris Ordinibus initiandorum.

Hi, qui ſacris Ordinibus initiandi erunt, præter ejusmodi teſtimonium ætatis a Parocho, & morum a Præſide Collegii, ſi in eo degant, a Capitulo, ſi reſideant in Eccleſia Collegiata, alioqui a proprio Parocho, & ſimul a Profeſſore, ſi humanioribus literis, Philoſophiæ, vel Theologiæ dent operam, clauſum, & obſignatum; adferant aliud de denuntiationibus & proclamationibus bannorum, in Eccleſia Parochiali, in cujus finibus nunc habitant, ſiquidem ibi per ſex menſes habitarint, alioqui in illa, in qua ante non minori tempore proxime fuerunt, factis, ſimulque exhibeant literas teſtimoniales Ordinis ultimo ſuſcepti.

CAPUT V.

Forma proclamationum.

Forma autem, quam in ejusmodi denuntiationibus obſervare debent Parochi, eſt, ut in Eccleſia die Dominico aut feſto intra Miſſarum ſolemnia publice proponant N. intra breve tempus ſacrum Ordinem ſuſcipere decreviſſe: quare omnibus & ſingulis ſub excommunicationis pœna mandari, ut ſi quod noverint canonicum impedimentum, ob quod a ſuſcipiendis Ordinibus repelli

pelli debeant, five ob malos mores, five ob aliquid aliud, ftatim denuntient.

CAPUT VI.

Doceant de titulo five cenfu annuo.

Doceant etiam iidem ordinandi fe titulum five cenfum Ecclefiafticum, aut patrimonialem, valoris annui centum florenorum (deductis omnibus oneribus) pacifice poffidere, jam ante ab Officiali noftro approbatum; coram quo jurabunt fe illum vere & fine ulla fraude poffidere, nec dimiffuros absque noftro expreffo confenfu, ea forma, quæ in Concilio II. Cameracenfi (*i*) refertur. Quod fi cenfus ille patrimonialis, in reditu annuo redimibili confiftat, jurabunt infuper, fi contingat eum redimi, & extingui, fe nummos (ut dicunt) capitales quamprimum numeraturos in manibus ejus, quem defignabimus, quo citiffime alius reditus creari poffit, in cujus creatione idem quod prius jurabunt.

CAPUT VII.

Afcribantur certæ Ecclefiæ.

Et ne incertis vagentur fedibus, Ecclefiæ alicui, aut pio loco, pro cujus utilitate aut neceffitate adfumantur, afcribi debeant. Ubi (fiquidem ftudiorum caufa non abfint) & in Ordine fufcepto miniftrare, & Sacro, diebus Dominicis, Feftisque fuperpelliceo induti, intereffe, & in proceffionibus generalibus, cum Clero illius Ecclefiæ comparere teneantur, fub pœna arbitraria.

CAPUT VIII.

Sint periti cantus.

Nemo etiam ad Subdiaconatum admittatur, qui cantus Gregoriani bene peritus non fit.

CAPUT IX.

Qualitates ordinandi in Diaconum.

Qui Diaconus ordinari cupit, præter ætatis, probitatis, & proclamationum fupradictarum teftimonium, & literas poftremi Ordinis, aliud infuper adferat teftimonium, quod in Ordine ante fufcepto fæpius miniftrarit, & frequenter Euchariftiam fumpferit.

CAPUT X.

In Sacerdotem ordinandus, præter fupradicta teftimonia ætatis, morum, proclamationum, exercitii in Ordine, adferat aliud, quod frequenter communicaverit. Tenebitur etiam, antequam ad examen admittatur, coram aliquo, quem defignaverimus, probare fe in cæremoniis Miffæ, ex ritu Miffalis Romani probe exercitatum effe, ejusque rei ab eo fcriptum exhibebit, atque ut id faciat, paulo maturius cæteris ad locum, ubi conferendi funt facri Ordines, venire.

CAPUT XI.

Quale debeat effe teftimonium pro ordinandis.

Quo autem certum de ætate, aliisque requifitis teftimonium habeatur, & ne contingat ordinandos ejus defectu remitti, advertant Paftores, aliique ad quos id pertinet, Nos nonnifi claufum, figilloque eorum obfignatum accepturos. Cum vero de moribus ordinandi teftimonium Parochi dederint, illud ad Archipresbyterum aut Decanum Chriftianitatis dirigant, atque ille, fi ita judicaverit, illud approbabit, & fuo refcripto inclufum ad Nos diriget.

CAPUT XII.

Formula teftimonii de ætate.

Quantum ad teftimonium de fufficienti ætate, fervetur hæc formula: *Ego infrafcriptus Paftor in N. fidem facio me regiftrum Baptizatorum Ecclefiæ meæ infpexiffe, & hæc in eo reperiffe fcripta.* Adjiciantur ipfamet verba regiftri.

CAPUT XIII.

Quid faciendum, fi regiftra fint deperdita.

Ubi vero (ut contingit) baptizatorum regiftra fuerint deperdita, ut ætatis & legitimitatis debitum teftimonium detur; primum examinentur prævio juramento teftes fide digni (five a Decano, five a Paftore) qui eum, de quo agitur, probe cognitum a nativitate habeant, quique non tantum teftentur de quæfitis, fed etiam dent caufam & rationem pertinentem fuæ fcientiæ: quæ omnia in fcriptum redacta ad Nos tranfmittentur.

Ca-

(*i*) Tit. 10. cap. 4. & Edict. Reg. art. 10.

CAPUT XIV.

Qui de moribus testantur, nude, & simpliciter veritatem bene cognitam aperiant, sine verborum lenociniis & adulatione aut fuco.

CAPUT XV.

Novi Sacerdotes celebrent ante sex septimanas.

Evecti ad sacrum Presbyteratus Ordinem, Primitias celebrare non differant, ultra sex hebdomadas a die ordinationis, nisi ex causa legitima, nostraque expressa licentia.

CAPUT XVI.

Religiosi quale testimonium exhibebunt.

Religiosi, etiam Ordinum Mendicantium, a Superiore suo ætatis ac vitæ, morumque probitatis testimonia in scriptis afferant, doceantque de Ordinibus susceptis, per literas a Secretario Episcopi expeditas. Insuper ad Subdiaconatum promovendi, declarent se libere & sine ulla coactione Professionem fecisse, aut ratam habuisse, illudque in registro Ordinatorum annotetur.

CAPUT XVII.

Ordinandi titulo patrimoniali copiam authenticam ejusdem tituli penes Graffiarium Curiæ nostræ relinquant.

TITULUS X.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT PRIMUM.

Sponsalia nonnisi maturo consilio contrahenda. Libera esse debent. Non contrahenda sine parentum consensu.

Sponsalia nonnisi maturo consilio contrahantur. Et quoniam Matrimonia libera esse debent, ac coactæ nuptiæ tristes sæpenumero solent habere exitus; Parentes vel Tutores nulla ratione contra eam, quæ a natura relicta est Matrimonii ineundi libertatem, vim liberis suis faciant, quo invitos ad certa Sponsalia, certumque Matrimonium cogant. Cæterum liberi ipsi parentes debito obedientiæ honore non defraudent, quin sana humiliter consilia amplectantur eorum, quibus, ut præcipua cura fuit eos educandi, & instituendi, ita & feliciter in Matrimonium collocandi.

CAPUT II.

Parochi non assistant Matrimonio vi aut metu contracto.

Diligenter itaque Pastores inquirant ab iis, qui Sponsalia aut Matrimonium contracturi sunt, an parentum aut aliorum vi, metu, & non libera voluntate ducantur. Quod si ita esse comperiant, nullatenus eos conjungant aut assistant, nec cuiquam, ut id faciat, suas vices committant, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio. Neque etiam Sponsalibus aut Matrimoniis assistant, quæ inconsulto juventutis fervore interdum contrahuntur, nisi de consensu parentum aut tutorum eis constiterit: aut, re ad Nos delata, facultatem id faciendi accipiant.

CAPUT III.

Nec contrahatur, nisi in Ecclesia.

Laudabilis hujus Diœcesis consuetudo, ut in Ecclesia tantum, & inter Missarum solemnia Matrimonium contrahatur, omnino retineatur: nec quisquam Pastorum absque speciali nostra licentia ei contravenire audeat.

CAPUT IV.

Nec eo die, quo ultima proclamatio bannorum facta.

Quo die de Matrimonio contrahendo denuntiatio ultima facta est, eo die illud non celebretur: quod multo magis observetur, quando super una aut duabus reliquis a Nobis dispensatum est. Neque etiam contrahatur unquam post meridiem: nisi de expressa nostra licentia.

CAPUT V.

Qui non admittendi ad Matrimonium sine licentia Episcopi.

Vagi aut ignoti, vel qui incertas sedes habent, ad Matrimonium non admittantur, nisi de eorum statu diligenti inquisitione facta, & re ad Nos delata, licentia eos conjungendi obtineatur. Idem judicium esto de iis, qui antea conjugati fuerunt, nec de morte conjugis certo constat, cujusmodi sæpe sunt uxores militum, captivorum vel pere-

peregrinantium. Et de iis, qui ſunt alterius Regni vel Provinciæ, etſi pro tempore in Parochia degant.

CAPUT VI.

Caſus, in quo ſine proclamationibus poſſit Matrimonium iniri.

Si alter eorum, qui Matrimonium contrahere cupiunt, in mortis periculo verſetur, prolesque jam ſuſcepta ſit; permittimus in favorem prolis ſuperſtitis, ut omiſſis proclamationibus, poſſit Paſtor in privatis ædibus, coram duobus teſtibus Matrimonio aſſiſtere: ita tamen ut promittat uterque, ſi mortem evadat ægrotus, non prius ſe conjugum officia ſibi mutuo præſtituros, aut cohabitaturos, quam bannorum proclamationes debite factæ ſint, cæteraque obſervata. Quare ſtatim a contracto Matrimonio, ad bannorum proclamationem procedatur.

CAPUT VII.

Excommunicati, qui diabolicis artibus impediunt congreſſum conjugum.

Eos, qui diabolicis neſcio quibus ligaturarum præſtigiis id efficiunt, aut tentant efficere, ne novi conjuges convenire poſſint, volumus, ut Paſtores, quando mandata Eccleſiæ promulgant, noſtris verbis denuntient ipſo facto eſſe excommunicatos: & ſi tales deprehenderint, ad Officialem noſtrum deferant.

CAPUT VIII.

Ab ineuntibus Matrimonium nihil extorquendum.

Non ſunt ferendæ in quibusdam locis depravato morum uſu introductæ corruptelæ, ut a nubentibus præſertim viduis ad ſecundas vel tertias nuptias convolantibus, aut ex aliena Parochia uxorem ducentibus pecunia extorqueatur: aut ut illi, qui tertias nuptias contrahunt, tecti domus infractione, aliisve modis divexentur: vel ut ſponſis ſtatim a contractis ſponſalibus pugni aut palmæ in dorſum impingantur. Quæ omnia cum non ſolum ſint violenta & injurioſa, ſed etiam ad irreverentiam Sacramenti ſpectent; Paſtores ſubinde in eas corruptelas invehantur, & tollere ſatagant, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.

CAPUT IX.

Aboleantur comeſſationes antenuptiales.

Pravam etiam illam conſuetudinem, quæ multis in locis inolevit, ut vigilia nuptiarum conveniant adoleſcentes & puellæ & comeſſentur: aut poſtridie nuptiarum ad ſponſos accedant; quo tempore multa lubrica dicuntur & fiunt; pariter adnitantur tollere Paſtores, invehanturque in eam tum privatis admonitionibus, tum in publicis concionibus.

CAPUT X.

Divortium privata authoritate non fiat.

Diſtricte inhibemus, ne ulli conjugati, quantumvis ſubſit cauſa legitima, propria authoritate, & non intercedente Eccleſiæ judicio, divortium faciant, aut ſe mutuo repudient. Qui ſecus fecerint, a Parocho admoneantur ad communem thorum redire, & ſi non paruerint, Nobis, aut Officiali noſtro denuntientur.

TITULUS XI.

De Officio Divino.

CAPUT PRIMUM.

Divinum Officium reverenter peragendum.

Quum in Divino Officio negotium nobis ſit cum ſummo Deo, ita illud peragant omnes, quibus ſive ex beneficio, ſive ex officio incumbit, ut dignum eſt tanto Deo, mente pia, & attenta, corpore decenter compoſito, modeſtia gravi, & verborum pronuntiatione minime præcipiti: in Pſalmorum decantatione quieſcentes in medio, (quod ipſum ſervetur etiam in decantatione parvi Officii Beatæ Virginis & Defunctorum) quo & Deum, ut oportet, honorent, & populum Dei ædificent.

CAPUT II.

Exulet e templis laſcivus cantus vel ſæcularis.

Organorum & muſices uſum, ſicut & campanarum & tintinnabulorum modulationem, ita retinendam mandamus, ut nihil laſcivi aut ſæcularis cantus imitentur. Gravis autem & quæ pios

pios affectus moveat musica in Officio Divino adhibeatur.

CAPUT III.

Omnes in choro reverenter se habeant.

In choro nemo dormiat, nemo sermones misceat, nemo profanum quid, aut ab instituto alienum legat, sub pœna perdendæ distributionis illius horæ. Qui risum studiose provocaverit, rixatus fuerit, strepitum excitaverit, aut alioqui se gesserit insolenter, totius diei distributione mulctetur, aut gravius pro offensæ modo puniatur: quod si nec ea ratione efficax remedium afferatur, Nobis, aut Officiali nostro denuntietur, atque ut hæc omnia rite fiant, invigilet is, cui ex officio vel consuetudine ea cura incumbit, delinquentes mox officii sui admoneat: qui ubi forte a choro abesse cogetur, alteri idoneo vices suas mandet.

CAPUT IV.

Præsentia in choro.

Qui Divino Officio durante e choro egressi, in Ecclesia, aut apud Ecclesiam ambulant, aut confabulantur, licet ante finem Officii in chorum redeant, priventur prima vice distributione illius horæ, deinde totius diei emolumento; quod si perseverent, ad Nos deferantur gravius puniendi. Porro qui sibi non debitas destributiones acceperit, noverit se illarum non acquirere dominium, sed ad earum restitutionem obligari.

CAPUT V.

Qui distributiones non faciant suas.

Studeat unusquisque mox a principio Divino Officio interesse: distributiones autem non faciat suas, qui ante primi Psalmi finem in Matutinis, & Vesperis, in Missis autem ante finem Epistolæ non adfuerit.

CAPUT VI.

Egressus e choro quando licitus. Absentes quando lucrentur distributiones.

Ante finitum Officium nemo egrediatur sub simili pœna, nisi justa de causa: cujusmodi est, si confessionem faciendi, aut audiendi, vel celebrandi gratia exeat, (modo iis absolutis ad chorum redeat): vel juxta Capit. *Consuetudinem*, (k) infirmitatis, seu justæ & rationabilis corporalis necessitatis, aut evidentis Ecclesiæ utilitatis causa. Ubi cum Ecclesiæ utilitas inter justas absentiæ causas numeretur, intelligimus etiam excusari, & pro præsentibus haberi, qui in Episcopatus negotiis suam Nobis operam impendunt.

CAPUT VII.

Per seipsos Beneficiati Officium faciant.

Qui Canonicatum, dignitatem vel aliud beneficium aut officium in Ecclesia obtinent; ita Vicariorum aut Stipendiariorum opera ad cantandas horas canonicas utantur, ut tamen ipsi, quorum hoc proprie munus est, nisi legitime impediantur, per seipsos, & non tantum per alios illud faciant: præsertim vero altaris Ministerium, & hebdomadarium in choro Officium, (ipsi vero Vicarii & Stipendiarii vitæ honestate & vestitus decentia Ministros se esse Ecclesiæ Dei ostendant): in sedilibus suis non sint otiosi, sed voce & corde Deum laudent, & psallant, neque se indignum existiment canere, quod non est dedignatus Rex & Propheta David facere, & id ipsum jugiter præstant in cœlo Beati.

CAPUT VIII.

Confabulationes & deambulationes in templo illicitæ.

Confabulationes in processionibus, rursus deambulationes, risus, jocos, & confabulationes in sacrosanctis templis, coram augustissimis Corporis & Sanguinis Dei & Redemptoris nostri mysteriis, impudentissimæ illas audaciæ, & Canonicis & Laicis tum Divini Officii tempore, tum extra illud severissime prohibemus, & in eos, qui hic peccaverint, districte animadverti volumus: cum intolerabile sit domum Dei, domum facere negotiationis. Clerus quoque in sacristia profana colloquia non habeat.

(k) De Clericis non resident. in 6. Conc. Camer. II. tit. 18. cap. 5.

CAPUT IX.

Proclamationes forenses non fiant tempore Divini Officii.

Sed nec proclamationes forenses, aut oblationum venditiones fiant durante Divino Officio: ac multo minus in templo.

CAPUT X.

Ludi, negotiationes, &c. in cœmeteriis non fiant.

In cœmeteriis, ne qui lusus fiant, nec confabulationes ante aut post Divinum Officium, nulla etiam judicia, placita, aut proclamationes, sæculares negotiationes nundinarum ac fori permittantur a Pastoribus: multo minus convivia, ludi theatrales, contentiones aut pugnæ: neque etiam lintea in iis dealbentur, fæni aut lignorum strues fiant. Claudantur vero muris aut sepibus, ne animalibus ad ea pateat accessus, quæ nec in eo pasci volumus, aut ali: &, ut semel dicatur, omnis sordium atque irreverentiæ occasio ab illis præcludatur: atque in hoc invigilent tum Pastores, tum Custodes & Æditui Ecclesiarum.

CAPUT XI.

Jura possessionis Beneficii cui cedant.

In admissione novi Canonici ad possessionem nihil exigatur, quod in pios usus non convertatur, & jam a Prædecessoribus nostris probatum sit: non pecunia, non prandium, non aliud quidvis, quod in cæterorum Canonicorum cedat commodum, quacumque consuetudine etiam immemoriali non obstante.

CAPUT XII.

Tempus Missæ Parochialis.

Diebus Dominicis & Festis Missa Parochialis celebretur certa constitutaque hora, quo omnes sciant, quando conveniendum sit, atque ita ut summa Missa ante medium duodecimæ finita sit.

CAPUT XIII.

Et Vesperarum.

Vesperæ canantur hora secunda: neque propter Pastorum negotia sæcularia, aut adventus aliquorum tarditatem, aut differatur aut antevertatur Divinum Officium.

CAPUT XIV.

Et concionis sub Missam.

Concio sub Missam habeatur statim a decantato Evangelio: sit autem illa brevis & ordinarie mediam horam non excedat, futura alioqui potius tædio, quam ædificationi: & si in præsentia Venerabilis Sacramenti fiat, Concionator detecto sit capite.

CAPUT XV.

Missa non celebretur tempore concionis.

Missa non celebretur eo tempore, quo concio habetur, vel quo processiones per templum instituuntur.

CAPUT XVI.

Aqua benedicta diebus Dominicis.

Dominicis diebus post Pascha fiat benedictio aquæ lustralis, neque aspergatur populus aqua fontis baptismalis, quæ ad eum usum instituta non est; si quis tamen eam domi asservare velit, eam accipiat priusquam Chrisma admisceatur.

CAPUT XVII.

In die Cœnæ Domini abstineatur a potu.

In die Cœnæ Domini nullus cibus aut potus sumendus in Ecclesia præbeatur, nec omnino aliud fiat, quam quod præscribit Missale Romanum.

CAPUT XVIII.

Die Parasceves Officium semel tantum fiat.

Die sacro Parasceves nemo Officium antemeridianum bis faciat, ne quidem illi Pastores, qui Succursum habent.

CAPUT XIX.

Sabbato Sancto unica Missa.

Sabbato Sancto nonnisi una Missa celebretur in unaquaque Ecclesia.

CAPUT XX.

Pulsus campanarum terni in die.

Quotidie mane, meridie, & vesperi, trino campanæ pulsu, excitetur populus ad orandum, & recolenda mysteria Resurrectionis, Passionis, & Incarnationis Christi: quam rationem esse istorum

rum pulſuum, ſubinde in concione explicabunt Paſtores.

CAPUT XXI.
Duo Manualia.

In ſingulis Eccleſiis ſint duo Manualia Diœceſana.

CAPUT XXII.
Mendici in templo non mendicent.

Non permittantur mendici in templo vagari, & pios fidelium animos orationi intentos divertere; atque importunitate ſua vexare: (*k*) ſed per Cuſtodes, aut alios conſtitutos abigantur, & ante fores templi conſiſtere cogantur.

CAPUT XXIII.
Quales imagines vetentur.

Neque permittant Paſtores, ut in templis, vel etiam in proceſſionibus exponantur imagines mutilæ, profanæ, fabuloſæ, inhoneſtæ aut ſordibus obſitæ, ſuperſtitioſæ, veritati hiſtoriarum non reſpondentes, vel procaci venuſtate, aut ſæculariter comptæ, atque univerſim tales, ex quarum inſpectione offendiculum aliquod poſſit generari, vel fidelium mentes a devotione abſtrahi.

CAPUT XXIV.

Paſtores, quando paſtoralis muneris neceſſitas eos abeſſe non cogit, interſint Vigiliis mortuorum, non albis, ſed ſuperpelliceis induti.

CAPUT XXV.
Tabernæ non intrandæ potus cauſa tempore Divini Officii.

Diligenter etiam advigilent, ne Dominicis & Feſtis diebus, eo tempore, quo Divinum fit Officium, aut verbum Dei prædicatur, tabernæ vel hoſpitia ulla aliis, quam viatoribus pateant, (quamquam aliis nunquam patere conveniat) nec permittant, ut choreæ eo tempore ducantur. Porro, loca carnibus aut mercibus deſtinata, nullis aperta ſint: nulli eo tempore ludi ſive baliſtariorum, ſive aliorum publice aut privatim exerceantur, nulli pilæ aut globorum luſus inſtituantur: nullæ deambulationes in publico loco fiant: nulla denique occaſio objiciatur, qua populus a Dei verbo, vel Officio Divino avocetur. Quocirca requirimus etiam locorum Magiſtratus & Officiarios, ut juxta Regis Edictum (*l*) curent atque efficiant, ut ne eo tempore ejusmodi fiant: cujus quidem Edicti ad Concilium ſecundum Cameracenſe adjuncti, memoriam ſæpius ipſis Officiariis, Paſtores refricare, atque ut exacte obſervent, requirere volumus.

CAPUT XXVI.
Ludi theatrales non fiant ſine licentia Epiſcopi.

Ludos theatrales, ne vel hæreſim ſapiant, vel aliquid contineant, quod pias aures queat offendere, nolumus populo exhiberi: niſi per Nos, aut Vicarios noſtros viſos & approbatos, & obtenta a Nobis licentia; volumus etiam, ut aliquis a Nobis deputatus ludis illis interſit, qui ſcriptum eorum exemplar inſpiciat, & obſervet, an aliquid aliter exprimatur, quam probatum ſit.

TITULUS XII.
De Feſtis.

CAPUT PRIMUM.
Dies Feſti ab omnibus ſervandi.

Dies Feſti a Paſtoribus, Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia, tam a populo, quam a Clero (etiam a Regularibus exemptis) ea ſeptimana celebrandi indicantur: ii videlicet, qui in Manuali noſtro deſignantur. Idem de jejuniis ea hebdomada recurrentibus faciant.

CAPUT II.
Nulla opera ſervilia in iis facienda.

Curent vero omnibus modis, ut iis diebus nulla ſervilia opera fiant; nulla judicia exerceantur, nullum forum, aut mercatus rerum venalium habeatur, ne aurigæ aut nautæ merces vehant, evehant, aut exonerent, ne molitores, laniones, cerevifiæ coctores, piſtores, aliive opifices, quidquam ſuæ artis exerceant, niſi ob notabilem neceſſitatem, de qua judicabunt Decani, aut in eorum abſentia Paſtores. (*m*)

Ca-

(*k*) Camer. II. tit. 2. c. 7. (*l*) Edictum Reg. ad Conc. Camer. art. 5. 6. 7. 8.
(*m*) Camer. tit. 4. c. 1. Edict. Reg. art. 5. & ſeqq.

CAPUT III.

Nec potitandum.

Frequenter etiam populo inculcari volumus, quam indecens sit dies cultui Divino dicatos, potitationibus, ebrietatibus, choreis, ingluvie, aliisque ejusmodi rebus contaminare.

CAPUT IV.

Occasione Confraternitatum non committendi excessus.

Diligenter invigilent Pastores, ne in congregationibus puellarum, vel adolescentum, sub nomine sanctæ Catharinæ, vel sancti Nicolai, ulli excessus, convivia, choreæ exerceantur: multoque minus impudicitiæ, vel alia scelera committantur. Quod si ejusmodi aliquid fieri deprehendant, candelam, quam offerre solent, frangant publice, denuntientque auctoritate nostra, eam Confraternitatem ipso facto esse abolitam: neque ipsi inposterum permittant ullam candelam in templo offerri, vel aliquam solemnitatem, vel Missam ea occasione fieri.

CAPUT V.

Choreæ & potitationes puellarum in tabernis diebus festis vitandæ.

Perniciosam illam consuetudinem, qua solent quibusdam in locis puellæ diebus festivis post Vesperas circa tabernas convenire, cum adolescentibus choreas ducere, & demum in ipsis tabernis inverecunde potitare, etiam usque ad vesperum, cum magno castitatis periculo (quod & ipsa experientia docet) omnino tolli cupimus: adeoque in eam sæpe invehantur Pastores in concionibus, parentes severe admoneant sui officii, qui in filiabus suis tantum honoris periculum dissimulant, Magistratus quoque sæpius hortentur, ut per emendas pecuniarias bibaces illæ & petulcæ coerceantur.

CAPUT VI.

Dies Festi pro devotione.

Præter Festos dies in Manuali nostro designatos, quos observari omnino præcipimus, sunt alii quidam, ut Parasceves, feria tertia & quarta a die Paschæ, sancti Marci, feria tertia & quarta a die Pentecostes, Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, Innocentium, qui & ipsi aliquando indicti fuere, vel integre, vel usque ad Divinum Officium finitum observandi. Sed cum flaccescens populi devotio dies festos non raro ob eorum multiplicitatem violaret, sublata est hos observandi obligatio. Cæterum cum videamus a bona populi parte adhuc observari, volumus illos publicari, ut pro devotione observandos, & ad fovendam populi devotionem, Officium Divinum in Ecclesiis a Sacerdotibus, ut antea celebrari.

TITULUS XIII.

De Jejuniis & Processionibus.

CAPUT PRIMUM.

In Quadragesima lacticiniorum usus quomodo licitus.

Quæ jejunia ex præcepto observanda sint, declaratur in Manuali nostro: hic addimus, ut quando Festa, in quorum vigiliis jejunandum est, inciderint in feriam secundam, jejunetur Sabbato proxime præcedenti. Feria quarta Cinerum, & die Parasceves non permittimus cuiquam uti lacticiniis, sed nec in Quadragesima tota usus lacticiniorum licitus est, nisi ex nostra permissione, & dispensatione: quam ita facere decrevimus, ut singuli modicum aliquid a Nobis statutum conferant, quod in res pias (non tamen sine nostro consensu) expendatur.

CAPUT II.

Rogationum Processiones cur & quomodo faciendæ.

Processionum, quæ in festo sancti Marci & tribus diebus Rogationum fiunt, causas exponant Pastores populo: in quibus & aliis omnibus, ac signanter in ea, quæ fit die festo Venerabilis Sacramenti, ne quæ comessationes, ebrietates, aut abusus alii committantur, vigilent Pastores, cæterique, quorum interest.

CAPUT III.

In iis cibus & potus non sumendus.

Abusum illum, quo in Rogationum Processionibus secum esculenta aut poculenta

culenta deferunt, tollere ſtudeant Parochi, ac fideles, quam dedeceat hæc corruptela, admoneant.

Caput IV.

Sanctorum Reliquiæ portentur a viris ſpectatis. Non exponantur laſcivæ aut ethnicæ imagines.

Curent etiam, ut Reliquiæ, quando per inopiam Sacerdotum a Laicis eas circumferri contingit, a viris non contemptibilibus, ſed ſpectatis, omni cum reverentia ac devotione portentur: ad decorandas autem proceſſiones, non exponantur ſpectandæ imagines laſcivæ, aut ethnicorum gentilitatem referentes.

Caput V.

Prolixæ Proceſſiones vetantur.

Prolixas illas Proceſſiones ad aliquot milliaria, quæ ſine ullo devotionis ſenſu, imo cum occaſione potitationum alicubi inſtituuntur, omnino vetamus.

Caput VI.

Pietas in Proceſſionibus.

Qui Proceſſionibus interſunt, pie, humiliter, & graviter procedant, colloquiisque ſecluſis; Pſalmis, Hymnis, aliisque ſacris precibus operam dent, ſuumque ordinem ſervent.

Caput VII.

In Quadrageſima cibi vetiti ad ægrotantium uſum in loco publico venales non exponantur: nec alii eos domi vendant, quam ii, quibus Nos, aut a Nobis deputatus id permiſerit.

TITULUS XIV.

De vita & honeſtate Clericorum.

Caput Primum.

Vita Clericorum qualis eſſe debeat. Abſtineant a familiaritate peccatorum publicorum.

Cum nihil ſit, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſidue moveat, quam vita & exemplum eorum, qui ſe Divino cultui dedicarunt, quos cæteris ad virtutem prælucere æquum eſt; omnes de Clero vitam & mores ſuos ita componant, ut habitu, geſtu, ac ſermone, cunctis afferant ædificationem. Quapropter ab omni levitate, ſpurcitia ſermonis, laſciviæ atque intemperantiæ ſpecie ſibi caveant: multoque magis ab ipſa incontinentia, comeſſatione, ebrietate. Abſtineant etiam ab omni familiaritate vel converſatione cum publicis uſurariis, aliisve peccatoribus, niſi cum neceſſitas vel charitas aliud ſuaſerit: ne familiaritate illa vel ipſis anſam præbeant in ſuo peccato perſeverandi, vel aliis idem faciendi.

Caput II.

Veſtis & tonſura Eccleſiaſticorum.

Veſtibus utantur Ordini ſuo congruis, iisque non diſſertis, non ſuperfluo cultu ornatis, ſed vulgari & ſimplici modo confectis. Qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, vel Beneficium Eccleſiaſticum obtinent, geſtent ſoutanam, in urbibus quidem uſque ad talos, in pagis vero ſaltem ad medietatem tibiarum pertingentem, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, & ſi correpti, in hoc iterum deliquerint, privationis eorumdem. Geſtent etiam tonſuram ſeu coronam in capitis vertice conſpicuam, & juſtæ, pro Ordinis ſui gradu, magnitudinis: barbam item non alatam, ſed pro more Diœceſis præciſam, & ſuperius labrum ita reſciſſum habeant Sacerdotes, ut Sanguinem Chriſti ſumpturis non ſint impedimento.

Caput III.

Etiam peregrinantium.

Porro Clerici viatores ita ſe decenter, ſuaque profeſſione digne gerant, ut eorum moribus, verbis, habituque modeſto per omnia glorificetur Deus.

Caput IV.

Tabernas vitent.

Sciant ſibi interdictam omnem tabernarum frequentationem, neque illas ſibi quocumque prætextu ingredi licere, niſi Sacramentorum adminiſtrandorum, aut iter facientibus, neceſſariæ refectionis gratia: idque in pœnam carceris. Quod etiam extendimus ad eos, qui occaſione auditionis compu- tuum

tuum Ecclesiæ, vel mensæ pauperum, vel occasione Confraternitatum quarumcumque, vel quia a Magistratu loci invitantur, tabernas ingrediuntur: quin & ad eos, qui ad ostia tabernarum, vel in umbraculis aut hortis eorum potitant.

Caput V.

Clericorum convivia.

In conviviis, sive quæ ipsi instituunt, sive ad quæ vocantur, (quæ raro rogati adire debent) modeste temperanterque se gerant, atque ita ut statim ab iis ad munera sua obeunda parati sint. Sit mensa frugalis, & brevis, sanctis condita colloquiis: a temulentia vero, & verborum turpitudine alienissima, cui ludicra nulla admisceantur: quod si choreas, ludos profanos, aut alias levitates vel vanitates alicubi contingat adjungi, statim ab iis recedant, ne præsentia sua ejusmodi approbare videantur: denique vita, verbis, factis, exemplo suo omnes ædificent, ne tanquam sal infatuatum, in sterquilinium mittantur.

Caput VI.

Quæ convivia ipsis interdicta.

Præterea non tantum conviviis puerperarum, & postnuptialibus abstineant, (quod jam supra vetavimus) sed nec ullis nocturnis etiam nuptialibus, vel ebriosorum conviviis intersint: caveant vero & a chartarum pictarum, aut alearum vel taxillorum lusu: caveant etiam a lusu pilæ palmariæ, aut globorum, aut clavarum in loco publico, nec minus a venationibus illicitis sub pœna arbitraria.

Caput VII.

A conversatione cum mulieribus abstineant.

Cum fœminis, etiam sanctitate spectatis, nisi necessaria de causa non conversentur: *De vestimentis enim* (inquit Sapiens (n) *procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Ancillam non accipiant, nisi grandioris ætatis, boni nominis ac famæ, & per quam incontinentiæ periculum, opinionem, imo suspicionem non possint incurrere. Abstineant ab ejus familiaritate, nec cum illa ad forum, ad convivia, quantumvis honesta, aut proxima oppida, vel pagos divertant. Sciant vero multo honestius fore, & tutius, si viri viris inserviant, atque iis præsertim, qui soli agunt.

Caput VIII.

Sæcularia negotia Clericis interdicta.

Clerici beneficiati vel in Sacris constituti, nullum mercaturæ, vel negotiationis genus exerceant, fori sæcularis negotiis se implicent, servitium subeant laicale, alienos agros conducant, aut colant, quæstus causa; fidejubeant vel aliud faciant suo munere & vocatione indignum.

Caput IX.

Quæ Ecclesiasticorum esse debeant studia.

Meminerint vero omnes se non ad iners otium aut ignaviam, sed ad labores Ecclesiasticæ militiæ vocatos esse: atque ideo tempus, quod a Divino Officio & corporis necessitatibus reliquum est, meditationi Scripturarum sacrarum, & spiritualium librorum lectioni, & in pia charitatis officia impendere debere. Qui curam animarum habent, ii præterea studio Theologico, & maxime casuum conscientiæ incumbant, dispiciant, qua ratione animos suorum juvare, ignaros docere, omnes ad virtutem animare debeant, idque reipsa præstent, ægrotos invisant, concioni se præparent, denique ita se gerant, ut de animabus sibi concreditis severissimo Judici rationem reddere possint.

Caput X.

Illicitum iis est, coram Judice laico testimonium dicere.

Prohibentur Clerici beneficiati vel in Sacris constituti coram Judice laico testimonium perhibere, nisi causa ab Episcopo approbata, propter irregularitatis periculum.

Caput XI.

Nemo Ecclesiastici Ordinis lascivas & ob nuditatem vel aliter obscœnas, aut quæ pias mentes offendant imagines retineat sub pœna arbitraria.

Ca-

(n) Eccles. 42.

CAPUT XII.

Clerici beneficiati in loco beneficiorum suorum residentes, sive in Sacris constituti, sive tonsurati, in celebrioribus anni festivitatibus in Ecclesiis suæ residentiæ sub summo Sacro publice de manibus Celebrantis Eucharistiam sumant, sub pœna arbitraria. (o)

TITULUS XV.

De Regularibus.

CAPUT PRIMUM.

Prælatorum Regularium officium.

Conventus eorum, qui se Dei servitio consecrarunt, sicuti dum professioni suæ respondent, Ordinisque sui regulas servant, tanquam gemmæ sunt illustres coronæ capitis Matris Ecclesiæ; ita dum spreta, neglectave observantia regulari, exleges vivunt, maximo sunt in Ecclesia scandalo. Quare Regularium Præfectis omnibus in Dei nomine mandamus, ut quæcumque in Tridentino & Cameracensi Conciliis de Monasteriorum reformatione, & disciplina regulari sancita sunt, exacte servari curent, memores illius Sapientis, *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

CAPUT II.

Absit a Religionis ingressu Simoniæ labes.

Atque inprimis absit, ut Religionis ingressus Simoniæ crimine maculetur, nihilque quovis prætextu ab ingredientibus Religionem exigatur. Si tamen aliqua Monasteria dotem non habeant, quæ ad Religiosorum honestam sustentationem & domus necessitates ordinarias sufficiat, (ut fit in plerisque de novo erectis) aliquid ab ingredientibus pro dotali eleemosyna poterit accipi: ita tamen ut ab omni avaritiæ specie caveatur. Ac ne in immensum ea dotatio se extendat, curæ Nobis erit, ut certa annua summa præfigatur, habita ratione temporum, locorum, personarum: quam ubi habuerint, deinceps gratis ingredientes admittantur.

CAPUT III.

In Monasteriis sit sanctæ Scripturæ Lector.

Sit in singulis virorum Monasteriis Lector, qui Religiosos sacras Scripturas, & ea, quæ professionis ipsorum sunt, doceat: non enim prius bene agetur, quam ubi vel sacrarum literarum studiis, vel manuum operibus, (ut antiquitus consuevere) addicti erunt eo tempore, quo a Divinis Officiis vacant.

CAPUT IV.

Novitiorum institutio & probatio.

Novitii diligenter exercitentur, doceanturque Religionis vota, regulam & Monasterii statuta, eaque sæpius illis relegantur, & explicentur: sintque ejusmodi qualitatibus præditi, ut certam spem dent fore, ut omnia exacte servent: atque adeo iis tales præficiantur, qui illos non tantum verbo doceant, sed multo magis exemplo, eosque in contemptu mundi, pietate, obedientia, & cæteris virtutibus ac disciplina regulari instruant.

CAPUT V.

Professio fiat publice & expresse. Examinentur prius virgines.

Professio publice & disertis verbis fiat in manu ejus, qui legitimam potestatem habet. Porro Deo dicandarum virginum voluntas ante susceptionem habitus, & rursus ante professionem diligenter ab eo, quem deputabimus, exploretur: atque ita ut nemo vel interrogationem, vel responsa puellarum audire possit, eaque omnia in scriptum redacta, ab ipsis Novitiis signentur.

CAPUT VI.

Capilli Novitiarum non resecandi.

Capilli Novitiarum nonnisi in professione, vel paulo ante resecentur, neque ulli in vestitione sumptus fiant, in professione autem frugales tantum & moderati.

CA-

(o) Mechlin. 1. c. 5. infert majorem pœnam.

Caput VII.

Ex communi penu suppeditentur omnibus omnia. Sint eis omnia communia.

Ut proprietatis vitium Deo invisum a Monasteriis exulet, victus, vestitus, cæteraque vitæ necessaria, æqualiter omnibus, pro cujusque necessitate, & Monasterii facultate, benigne ex communi penu aut thesauro subministrentur, non pecuniis æstimata, sed ipsis rerum speciebus præsentia. Aboleatur ea consuetudo, qua soliti sunt quidam Superiores Religiosis singulis annuam numerare pecuniam, aut permittere pensionem, atque ita redimere eorum vestitui necessaria. Aboleantur illa jura & emolumenta, quæ vel Religiosis, vel Officialibus alicubi concedi solent: nec alicui pecunia permittatur, sive labore & industria, sive amicorum liberalitate, vel alia occasione provenerit, nisi pro injuncta a Prælato administratione: sed prorsus omnia in communem usum convertantur, & ad nutum Superioris expendantur.

Caput VIII.

Habitus omnibus idem.

Habitus seu vestitus omnibus similis formæ & materiæ detur: similiter & victus omnibus idem suppeditetur: infirmis tamen omnia necessaria benigne, & cum magna charitate subministrentur.

Caput IX.

Ingressus in Monasteria prohibitus.

Jam illa, quæ toties sacris Canonibus prohibita sunt, ne mulierum Monasteria viri ingrediantur, nec virorum mulieres, sub pœna excommunicationis, aliisque, in cujusvis sexus, ætatis, conditionis hominibus locum habeant, viteuturque quam diligentissime: (*p*) nec liceat parentibus Religiosarum ipso die, quo habitum Religionis suscipiunt, vel professionem emittunt, in ulla loca regularia (id est, ad quæ Religiosis liberum est accedere) ingredi. Quo etiam tempore, & quovis alio, prohibemus, ne cum sæcularibus Religiosæ convivia, compotationes, aut comessationes ineant, sub pœna arbitraria: neque viri ad interiora virorum claustra, absque Superioris licentia admittantur, non sine delectu autem Superior aliquos admittat.

Caput X.

Templi, refectorii, & dormitorii leges. Superior exemplo præeat.

Ad Divinum Officium simul omnes conveniant, nisi quorum absentiam obedientia excuset: simul omnes collaborent, in omnibusque vitæ regularis exercitiis sint uniformes. Privatas seorsim mensas non habeant, sed uno in refectorio omnes comedant, in uno dormitorio omnes dormiant, nisi quos Superior ob ægritudinem, aliudve legitimum impedimentum excusarit. Mensa frugalis sit, & brevis, lectione sacra condita; silentia & jejunia sedulo observentur, cæteraque juxta Regulæ & Ordinis præscriptum: ad dormitorium una omnes se recipiant statuta hora: quod deinde ita obseretur, ut nemo sine Superioris consensu egredi possit, penes quem proinde claves ejus permaneant, ac deinde dato signo omnes cubitum concedant, lumine extincto. Porro Superior exemplo præeat cæteris in omnibus, & quoad ejus officium patietur, præsens ipse adsit, præsit, & præluceat ubique gregi suo, in templo, in refectorio, in dormitorio, nihilque singulare aut eximium præ reliquis habeat: virtutes, quas a subditis requirit, in seipso tanquam in speculo spectandas objiciat.

Caput XI.

Hospites qui excipiendi. A prandio nullæ compotationes Religiosis permittantur.

Religiosorum propinquos, & alios mensa excipiat ipse Superior, aut ab alio probo, modesto, & gravi Religioso excipi jubeat, advocatis (si ita visum fuerit) iis, propter quos venerint. Sit autem mensa similiter frugalis & brevis. Absit intemperantia, & lascivia. Remota mensa auferantur omnis cibus & potus: nec sinantur Religiosi ibi cum fœminis remanere. A prandio

(*p*) Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de Regular.

dio nunquam sternatur mensa, (nisi si qui recens ex itinere longo advenientes opus habuerint) nec detur potus, nisi cui opus fuerit ad levandam ex tempore sitim: nam compotationes Religiosorum vel inter se, vel cum externis adventantibus, vel cum fœminis, neque in aulis, neque in hortis, aut umbraculis, vel quocumque alio loco permittantur: neque sinantur extra cœnobium ullas compotationes aut comessationes instituere. Si qui contra fecerint, graviter puniantur: hinc enim dissolutio omnis disciplinæ regularis.

Caput XII.

Sanctimonialium hospites qui excipiendi.

In Sanctimonialium Monasteriis locus hospitalitati deputatus ita seclusus sit a claustro, ut nulli Religiosarum nec Abbatissæ ulterior ad eum accessus sit, quam usque ad cancellos: per quos medios, quando Superiori videbitur, colloquia cum amicis habere possint, servatis iis, quæ per regulas aut statuta cujusvis præcipiuntur, non liceat tamen cum iis cibum aut potum sumere.

Caput XIII.

Confessarii earum, quales. Dandus eis Confessarius extraordinarius.

Confessarius earum sit, quantum fieri potest, provectæ ætatis, eruditionis bonæ, prudentiæ, castitatis, probitatis, pietatisque spectatæ & a Nobis approbatus: præter quem extraordinarius iisdem qualitatibus præditus, a Nobis aut Superioribus bis aut ter in anno offeretur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod si aliquæ medio tempore extraordinarium Confessarium petierint, non acerbe rejiciantur, nec causæ conscientiarum nimis curiose inquirantur: sed consideretur, quo animo id petant, & quem petant, non enim cuivis credendæ sunt.

Caput XIV.

Præfecti Regularium non Domini, sed dispensatores bonorum.

Noverint Monasteriorum Præfecti & Præfectæ, non se esse Dominos rerum, quas obtinent, nec voto paupertatis solutos, sed dispensatores: cujus dispensationis severam Deo reddere rationem debeant: caveant ergo propinquos de iis ditare, magnificas domos extruere, mensas instituere sumptuosiores, famulatum alere numerosum, vel alio modo Christi & pauperum (quibus, quod superfluit, debetur) patrimonium dissipare.

Caput XV.

Lex Religiosorum egredientium Monasterio.

Regulares Monasterio egredientes quamcumque ob causam, habeant literas sui Superioris, quibus illud eis permittitur, alioqui apostatarum pœna puniendi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus seu potius corruptelis.

Caput XVI.

Et Monialium.

Moniales eleemosynarum causa pagos de licentia Superiorum adeuntes, ædibus Pastorum, aliorumve Ecclesiasticorum excipi prohibemus, sub pœna arbitraria.

Caput XVII.

Regulares extra Monasterium non fixe resideant.

Regulares ad prædicandum Dei verbum admissi, caveant fixam residentiam extra suos Conventus habere, nisi ex causa magnæ necessitatis a Nobis approbanda.

Caput XVIII.

Qui se gerere debeant in stationibus suis.

Iidem dum in consuetis terminis sive stationibus agunt, sint conversationis exemplaris, pleno habitu sui Ordinis semper & ubique utantur, negotiis profanis se non immisceant, non sectentur comessationes, convivia, compotationes: caveant vero in tabernas quocumque prætextu ingredi: quantum permittit Divinum Officium, & prædicatio verbi Dei, domi se contineant, libris & studiis vacantes, regularibusque omnibus exercitiis intenti: denique ita se gerant, ut nemini dent ullam offensionem, ne vituperetur ministerium eorum, sed ut proba eorum vita,

 (quod

(quod optimum prædicandi genus eſt) omnes ad virtutem excitentur.

CAPUT XIX.

Non prædicent ſine licentia Epiſcopi.

Meminerint Regulares ſe ſine licentia Superiorum ſuorum, ac benedictione Epiſcopi Diœceſani in Eccleſiis ſuorum Ordinum; & ſine licentia expreſſa tam Epiſcopi, quam Superiorum ſuorum in aliis Eccleſiis prædicare non poſſe: nec uſquam omnino contradicente Epiſcopo.

TITULUS XVI.

De Archipresbyteris & Decanis.

CAPUT PRIMUM.

Paſtorum Decani, & Paſtores, ut bene perſpecta habeant omnia, quæ ſui muneris ſunt; ea, quæ hac de re Concilium Tridentinum & Cameracenſe Provinciale copioſe & pie tractarunt, ſæpius legant, & relegant, atque ad praxim deducant.

CAPUT II.

Decanis incumbit Paſtorum ſui diſtrictus cura. Paſtoribus Eccleſiaſticorum ſuæ Parochiæ.

Porro Decanorum (ut ab illis ordiamur) officium eſt, in ſui Decanatus partibus curare, ut Sacerdotes & Clerici omnes, ac ſingulariter Paſtores vitam agant ſua vocatione dignam, ac talem, ut nemo de ipſis queri poſſit: nihilque in ipſis, niſi grave, modeſtum, imitationeque dignum conſpiciatur. Quod ſi ab eis (vel a quocumque Eccleſiaſtico etiam exempto) aliquid ſecus, quam deceat, factum intelligant, absque ulla diſſimulatione Nobis ſignificent: ne per ſocordiam aut conniventiam, alienorum peccatorum rei efficiantur, eodemque loco a Nobis habeantur quo illi, qui ſcandala committunt. Idem quoad Eccleſiaſticos in ſua Parochia degentes, ſibi Paſtores præceptum ſciant.

CAPUT III.

Decani Paſtorum. Paſtores.

Deinde in hoc advigilent Decani, ut Paſtores in prædicatione verbi Dei, Sacramentorum adminiſtratione, & in omni functione Paſtoralis officii ſui, recte diligenterque verſentur. Ad hæc ipſos, quando opus fuerit, viſitent, moneant, corripiant, conſolentur, conſilio ſubveniant, denique veri Paſtoris officium erga illos ſanos & ægrotos, vivos & mortuos exerceant. Parochi quoque illos viciſſim pro ſuis Paſtoribus agnoſcant & revereantur.

CAPUT IV.

Decani Paſtores ſuos convocent.

Ut autem hæc & alia, quorum ipſis cura incumbit, facilius exequantur, liceat ipſis Paſtores ſui diſtrictus, cum expedire judicarint, convocare, de ſtatu & rebus Eccleſiarum cum illis, vel ſingulis, vel omnibus ſimul agere, de Paſtorali officio, obſervatione Statutorum conſilia inire, controverſias, ſi quæ ortæ ſint, componere, aliaque agere, quæ pro officio facienda ipſis incumbent. Exceſſus autem Cleri & populi, & defectus enormes, aut quorum non eſt facilis emendatio, fideliter Nobis ſignificent.

CAPUT V.

Quando & quoties.

Porro ordinarie quotannis bis convocent Decani ad ſuas ædes omnes ſuos Paſtores, ad ea, quæ jam diximus, tractanda: ſemel una aut altera hebdomada ante noſtram Synodum: iterum una aut altera hebdomada ante primam Octobris. Cum enim his temporibus Decani coram Nobis explicare debeant totum Eccleſiarum ſuarum ſtatum; oportet, ut prius cum Paſtoribus conveniant, atque hi particularius illis ſcripto expreſſum tradant ſtatum illum, & exceſſus: denique difficultates ſuas declarent, ad Nos una cum Eccleſiarum ſtatu referendas.

CAPUT VI.

Quid agendum in illis convocationibus.

Porro in his conventibus habeatur primum oratio latina aut vernacula lingua in Eccleſia: deinde agatur de iis, quæ ſupra commemoravimus. Exhibeantur etiam, ut diximus, exceſſus in ſcriptis ſub ſingulorum nomine & ſignatura: quod ſi nulli exceſſus fuerint,

rint, illud ipſum ſcripto exprimatur: & hi exceſſus ut minimum quindena ante diem Synodi ordinarium ad Nos mittantur.

CAPUT VII.

Quod ſi poſt aliquod tempus viderint eos, qui peccarant, non citari, vel incuria Officiariorum noſtrorum, vel oblivione, vel alia de cauſa; iterato ad Nos, vel Archidiaconum ſuum mittant eosdem exceſſus, (quorum proinde copiam penes ſe ſervabunt) ne ſcelera impunita maneant, ſignificabuntque ejusmodi perſonas nondum eſſe citatas.

CAPUT VIII.

Adferant hæc Statuta.

Afferant etiam ad hos conventus Paſtores, Statuta hæc noſtra, cum Decretis Concilii Tridentini, & Cameracenſis Provincialis, affirmentque ſe illa pro opportunitate diligenter legere, & obſervare.

CAPUT IX.

Arceantur Externi. Prandium frugale & ſervetur concordia.

Ut vero majori cum libertate de ſupra dictis inter ſe agant, arceantur a convocationibus iſtis omnes Externi. Prandium non celebretur, niſi frugale admodum, caveaturque omnino, (Decano Præſide curam agente) ne quæ intemperantiæ, laſciviæ, rixæ aut ſcandala committantur. Si quis tumultuoſius egerit, aut monita Decanorum contempſerit, ad Nos deferatur, quoniam id perinde æſtimamus, atque ſi Nobis ipſis factum eſſet.

CAPUT X.

Alia Decanorum officia.

Decanorum adhæc officium eſt, novas campanas benedicere: qua in functione caveant patrinos aut matrinas, qui nomina campanis imponant, invitare, aut permittere, ſed id tantum faciant, quod in Manuali præſcribitur. Ipſorum etiam officium eſt Beneficiorum omnium ſui Decanatus curam habere: eos, quibus de cura Paſtorali, vel alio Beneficio Eccleſiaſtico proviſum fuerit, viſis literis collationis nulla ſui parte dubiis, in poſſeſſionem inducere, adhibitis ſolemnitatibus requiſitis, exactoque jurejurando conſueto: quod ne a quoquam alio fiat, vetamus, etſi literæ ad quemlibet Presbyterum dirigerentur.

CAPUT XI.

Decani eſt Paſtorum mortuorum exequias celebrare, & domus mortuariæ curam habere.

Mortuo e Paſtoribus Decanatus ſui aliquo, Decani rurſus eſt, exequias celebrare, & mox a morte conſcribere omnia & ſingula munimenta portionis Paſtoralis, & quæ officium Paſtorale concernunt: (exempli gratia, regiſtra Baptizatorum, Communicantium, Matrimonio junctorum, Sodalium Beatæ Virginis, &c.) & ſub inventario, ne ab hæredibus diſtrahantur, illa apud ſe aſſervare, Succeſſori, dum inſtitutus fuerit, ſub atteſtatione de receptis, tradenda: niſi ejusmodi ſint, quæ in archivium referri debeant. Deſcribere adhæc omnia mobilia defuncti, & tamdiu ſub arreſto illa tenere, donec reparata debite domus paſtoralis, & proventus curæ, aliorumque, (ſi quæ defunctus habuerit) beneficiorum (qui a die mortis ipſius Succeſſori currere debent) ſi quos forſan acceperit, reſtituti fuerint: denique omne æs alienum redditum, aut data pro his ſufficiens cautio. Pro his autem, aliisque laboribus ſuis accipere, poterunt quod ex laudabili conſuetudine conſueverunt. Porro mortuo e Decanis ruralibus aliquo, idem faciet Archipresbyter Civitatenſis, qui eorum Paſtor eſt.

CAPUT XII.

Inter defunctum Paſtorem & Succeſſorem quomodo fructus dividendi.

Volumus autem, ut (quod in hac Diœceſi longa conſuetudine invaluit) inter defunctum Paſtorem & Succeſſorem proventus certi ita dividantur, ut defunctus de iis participet pro rata temporis, quo ſupervixit, computando a feſto ſancti Joannis Baptiſtæ unius anni, ad ſimile feſtum alterius anni: ita ut qui verbi gratia poſt feſtum illud ſupervixerit tribus menſibus, participet pro rata trium menſium: idemque ſervetur

vetur in Beneficiis foraneis, nisi longa consuetudine aliter practicatum probetur.

CAPUT XIII.

Defunctorum literæ levandæ & custodiendæ.

Curabunt etiam Decani defunctorum literas omnes Ordinum, & Beneficiorum ad Nos mittere, denique quæcumque Beneficiorum sive curatorum, sive aliorum munimenta, literas redituum, registra, manualia, in quibus receptorum rationes conscribuntur, quæ in domibus mortuariis invenientur, sive apud hæredes, sive apud testamenti executores, ea omnia levent, fideliter servent, & Nobis consultis, vel Successori tradant, vel in certa custodia, uti præscribemus, reponant. Idipsum præstabunt, quandocumque aliquem Beneficiatum in districtu suo mori contigerit.

CAPUT XIV.

Quomodo distribuendum Chrisma.

Accepta a Nobis in die Cœnæ Domini Chrisma & reliqua Sacramentalia, Decani nonnisi in templo distribuant, & in mundas capsulas: neque aliis tradant deferenda, nisi qui sacris Ordinibus initiati fuerint: qui ea deferendo ita se gerent, quemadmodum supra Titulo secundo ordinavimus.

CAPUT XV.

Deferre debent crimina publica.

Jam de criminibus publicis, blasphemiis, hæresi, aut hæresis suspicione, & quibuscumque aliis scandalosis criminibus, Decani Nos certiores reddant, & accepta a Nobis potestate informationem sumant: atque in his cooperentur Decanis Pastores, Sacellani, aliique Ecclesiastici, ut quæ noverunt enormia crimina, manifesta, dent, aut ut innotescant, pro virili adlaborent.

CAPUT XVI.

Visitent Ecclesias singulis annis.

Præterea & in hoc aderunt Nobis Decani pro officio suo, ut singulis annis visitent Decanatus sui Ecclesias, oratoria; & a visitatione rerum omnium statum Nobis scribant: quod negotium quomodo instituendum ipsis erit, mox describemus. Illud hic præcipimus, ut non perfunctorie in visitatione illa se habeant, sed ut in re maximi momenti exactissime, & minutissime omnia, quæ notarint, describant.

CAPUT XVII.

Controversias finiant.

Porro si contingat Laicos cum Pastoribus suis, aut Pastores inter se controversias aliquas habere, soliciti sint Decani, ut quamprimum componantur & finiantur, qua convenit brevitate ac maturitate, quo pax animorumque concordia inter omnes servetur integra.

CAPUT XVIII.

Absolvere possunt a casibus Episcopo reservatis.

Quia difficile est plerisque pœnitentium, qua sunt animi ad virtutem conversione languida, id persuadere, ut dum casus aliquos Nobis reservatos habent, ad Nos, aut Pœnitentiarium nostrum accedant; damus facultatem Decanis, ut pœnitentes sui districtus ab illis, dum in eos inciderint, absolvere possint, donec & quousque id Nobis visum fuerit revocare: ita tamen ut extra casum illum non liceat illis, nisi de consensu Pastoris loci, eos absolvere, aut aliud Sacramentum administrare.

TITULUS XVII.

De Pastoribus, & qui illis concionando adsunt.

CAPUT PRIMUM.

Pastoris cura pro grege suo.

Pastores noverint ad se pertinere, quod ad Ezechielem (q) Prophetam dictum fuit, *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo verbum & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Pascant ergo gregem suum verbo

(q) Ezech. c. 3.

verbo prædicationis, exemplo ædificationis, (quod optimum dicendi genus est) fructu orationis: delinquentesque constanter corripiant, non obtemperantes, Nobis aut Officiali nostro denuntient; & inprimis eos, qui publica ac scandalosa crimina commiserint.

CAPUT II.

Paratus sit semper ad Sacramenta administranda.

Semper tam noctu, quam interdiu ad administranda Sacramenta, & alia quæcumque officii sui munera, se exhibeant paratos & faciles: neque ullo modo vocati tardent; graviter alioqui puniendi: gravissime vero, si quem ipsorum negligentia sine Baptismo, Confessione, sacro Viatico, aut Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit. Nec suos deserant in quacumque infirmitate, etiam in peste contagiosissima, nisi per alium eis sufficienter provisum fuerit: *Bonus enim Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* (r) Visitent infirmos, consolentur, & ad patientiam instruant, atque ad petenda tempestive & in initio morbi Sacramenta hortentur, seque paratos offerant.

CAPUT III.

Pastores fixe resideant.

Quo autem hæc præstare possint, fixe in Parochiis suis resideant necesse est: adeoque nulli posthac Pastori liceat ultra quinque dies abesse a Parochia, nisi de licentia sui Decani in scriptis obtenta: quod si ultra decem dies abesse cogatur, similem licentiam a Nobis prius obtineat, sub pœna arbitraria, & interim alteri Sacerdoti idoneo per Nos admisso vices suas committat, qui quidem substitutus iisdem teneatur legibus.

CAPUT IV.

Concionentur & quomodo.

Diebus Dominicis & Festis solemnibus, ut plurimum per se plebem sibi commissam pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Quæ vero de Catechismo docendo & Scholis instituendis, Titulo primo dicta sunt, ea omnia servent exactissime.

CAPUT V.

Regulares de quibus conciones suas formare debeant. Non permittantur concionari sine licentia Episcopi.

Curent etiam, ut Regulares ipsorum nomine concionantes, in vitia, quæ ibi maxime regnant, invehantur, & virtutes, quæ illic frigent, cumprimis commendent. Quos tamen Regulares ad concionandum nullatenus admittant, sine expressa a Nobis facultate in scriptis exhibita. Sicut vero solitas stationes a Terminariis auferre nolumus, ita nec novas concedi permittimus: quod ut caveri possit, volumus, ut Pastor auditis Magistratu & Æditituis notabilibus aut senioribus Parochiæ, instrumentum conficiat super numero & diebus stationum: illudque asservetur cum Ecclesiæ monumentis. Idem de aliis omnibus Sacerdotibus sibi præceptum intelligant, ut eos ad concionandum non admittant, sine nostra expressa licentia in scriptis exhibita.

CAPUT VI.

Qui libri Pastorum.

Ut vero salubriter populos sibi creditos ac seipsos erudiant, bibliothecas suas instruant bonorum & piorum Authorum libris, ex quibus doctrinam sanam hauriant, & in alios effundant: non habeant autem, aut legant eos, ex quorum lectione lasciva, vana, aut curiosa, studium boni operis, aut timor, vel amor Dei languescere possit.

CAPUT VII.

Parochis per se munus prædicationis obire volentibus, sciant cæteri, etiam Regulares, se illis cedere debere. (s)

CA-

(r) Joan. c. 10. (s) Sac. Congreg. Conc. Trid. super c. 4. sess. 24.

CAPUT VIII.

Pastores intersint concionibus Regularium.

Quandocumque autem alius, quam Pastor, concionabitur, ipse per se, vel alium idoneum concioni intersit, notetque, an porrigatur Christi ovibus, quale convenit pabulum: an aliquid dicatur Fidei Catholicæ aut bonis moribus non satis consonum, fabulosum, inutile: moneat deinde Concionatorem, vel, si opus sit, ad Nos deferat: quemadmodum & si Concionator moribus suis plebem non satis ædificet.

CAPUT IX.

Promoveant Sodalitatem B. Virginis.

Omni qua possunt solicitudine & diligentia sedulo promoveant Pastores Sodalitatem Beatæ Virginis, hortentur Parochianos, ut nomina sua ei dent, utque diebus ejusdem Virginis cultui dedicatis, Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistiæ animum expient, & nutriant: doceant frequenter, quantum præsidium in tutela ejus Divæ repositum sit, peculiarem ejus cultum commendent: inter cætera, ut singulæ familiæ quotidie Litanias Lauretanas legant in ejus honorem, publicent indulgentias id facientibus a Nobis concessas: atque ut commodius Sacramenta illa iis diebus frequententur, ipsi se & pridie, & ipso die summo mane paratos exhibeant ad confessiones audiendas, & si necesse sit, subsidiarios advocent.

CAPUT X.

In Confraternitatibus abstinendum a conviviis.

Nullam vero Confraternitatis alicujus erectionem admittant, nisi Nobis consultis. Si vero occasione alicujus jam erectæ, deprehendant instrui convivia sumptuosa, aut committi ebrietates, nisi ab ejusmodi excessibus quamprimum abstineatur, nostro nomine denuntient eas Confraternitates a Nobis de facto suppressas esse & abrogatas. Id vero maxime indignum est, si ad ejusmodi convivia etiam mulieres admittantur.

CAPUT XI.

Ab iis abstineant Pastores.

Multo vero magis caveant Pastores, ne conviviis Sodalitiorum aut Confraternitatum intersint, neve illarum Decani, aut Superiores, aut Assistentes fiant, quod Ecclesiasticis omnibus pariter interdicimus sub pœna arbitraria.

CAPUT XII.

Inquirant de superstitionibus & improbent.

Solicite adhæc perquirant, irrepserintne in populum superstitiones aliquæ, maxime vero phylacteria illa, quæ alta nomina vocant, nimis (proh dolor) hodie quibusdam locis frequentia, quæ vulnera impedire putantur: quibus animæ plurimæ illaqueantur, quorum fiducia in cædes ruunt & subito ad inferos abripiuntur: item an in usu sint veneficia, quibus novi sponsi interdum illaqueantur, cæteraque hujusmodi: gravitatem illorum peccatorum subinde ostendant. Quod si ita inveterata sint, ut ipsi remedium adferre nequeant, Nobis denuntient. Doceant autem generaliter superstitiosum esse, expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex natura sua, nec ex institutione Divina, nec ex ordinatione, aut approbatione Ecclesiæ producere potest.

CAPUT XIII.

Non exorcisent personas sine licentia Episcopi.

Sine licentia nostra in scriptis obtenta, nemo personas exorcizare, aut animalia præsumat: nisi quod Pastoribus animalia (non personas) intra Parochiæ suæ fines exorcizare concedimus, servata in omnibus forma Manualis Diœcesani. Gratis tamen id charitatis officium præstent, graviterque, & pie, ac religiose se gerant, atque ab omni curiosa quæstione abstineant.

CAPUT XIV.

Non commendent ullos pro eleemosynis, nisi de licentia Episcopi.

Nullatenus admittant Pastores ad charitatis subsidia, aut populo commendent pauperes alterius Parochiæ, vel quoscumque quæstores eleemosynarum,

narum, nisi a Nobis id faciendi obtinuerint facultatem, & concessionis literas manu nostra & Secretarii nostri signatas & sigilli nostri appensione munitas exhibuerint; similiter nec Religiosas ad quæstam lini vel butyri, nisi ab immemorabili tempore eam, ut supra, obtinuerint.

CAPUT XV.

Excommunicatos ab Officiali publice denuntient.

Denuntient eos excommunicatos, quos, ut denuntient, mandatum habent ab Officiali nostro: idque intra tempus statutum. Immo singulis Dominicis publice & nominatim denuntient eos, qui antea denuntiati sunt excommunicati, expressa etiam causa excommunicationis, idque donec absolutionis beneficium obtinuerint. In eos autem, qui ea in re dissimularint, & usque ad tempus elapsum commissionis sibi factæ tergiversati fuerint, etiam suspensione a Divinis animadverti curabimus.

CAPUT XVI.

Cum defectuosos ad Nos, aut Officialem deferunt, simul adscribant nomina testium.

CAPUT XVII.

Non tradant sepulturæ mortuos in pugna, sine licentia Episcopi.

Qui sine confessione, vel Sacramentorum perceptione ex pugna vel vulnere inflicto mortui fuerint, eos non leviter sepulturæ tradant: sed prius Nos, aut Officialem nostrum consulant, narrati facti specie, & circumstantiis, quomodoque defunctus se in vita gesserit. Alio autem genere mortis subito raptos, poterunt libere sepelire, si christiane & honeste vixerint, & Sacramenta suis temporibus suscipere soliti sint, nec palam appareat, quod in mortali peccato decesserint.

CAPUT XVIII.

Inhabitent domum Pastoralem & debite reficiant.

Ubi domus pastoralis est, non liceat Pastori sine expresso consensu nostro, aliam inhabitare: eam autem domum debite ab ipso reparari & sartam tectam conservari præcipimus, nisi reparationes illius ab aliis fieri debere certo constet. Atque in hoc advigilabunt sedulo Decani, aliique Visitatores, ne, quod contigisse alicubi deprehendimus, paulatim per incuriam Pastorum domus illæ deteriorentur, immo corruant, cum magno interdum Successorum præjudicio. Si quos negligentes deprehenderint, Nobis denuntiabunt, ut Nos ipsi eorum sumptibus eam reparationem fieri curemus, & pro præterita negligentia puniamus.

CAPUT XIX.

Examinandus pro Pastoratu, quid cavere debeat.

Pro cura Pastorali examinandus, caveat per se, vel alios a Patrono assecurationem de præsentatione in persona sua facienda accipere, alioqui ab examine rejiciendus.

CAPUT XX.

Pastores assistant Visitantibus.

Curabunt præterea Pastores Visitatoribus adesse, adventum eorum, indictamque visitationem populo publice e suggestu significare, & notabiliores ad eam invitare.

CAPUT XXI.

Inimicitias sopiant.

Si quis inimicitias, aut rixas, sive inter conjuges, sive inter alios esse cognoverint; eas, ne diuturniores sint & scandalosæ, omni studio adnitantur sopire.

CAPUT XXII.

Doceant, quis sit legitimus usus imaginum.

Doceant frequenter populum, quis legitimus usus sit imaginum Christi & Sanctorum: inter alia, eis debitum honorem impertiendum, non quod credatur eis inesse aliqua Divinitas, & virtus, vel quod ab iis aliquid sit petendum, aut fiducia ponenda: sed quoniam honos, qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypum, quod repræsentant, ita ut per imagines, quas veneramur, Christum adoremus, & Sanctos, quoniam illæ similitudinem gerunt, veneremur.

CAPUT XXIII.

Ss. Reliquiæ approbandæ & decenter asservandæ.

Sanctorum Reliquiæ prius tamen approbatæ, in capsulis decentibus asserventur, debite obseratis, & in loco honesto extra tabernaculum Venerabilis Sacramenti custodiantur; nec ex capsulis per alios, quam per Nos, aut a Nobis deputatum educantur.

CAPUT XXIV.

Eremitæ qui admittendi.

Eremitas in Parochia sua degere non permittant Pastores, sine nostro expresso consensu.

CAPUT XXV.

Jura funeralia non augenda.

Jura funeralia antiqua consuetudine probata, aut a nostris Prædecessoribus stabilita non augeant: nec Custodi aut Ministris Ecclesiæ permissum sit quidquam exigere insolitum, aut a Nobis non probatum.

TITULUS XVIII.

De Sacellanis, Custodibus, Ludimagistris.

CAPUT PRIMUM.

Procuretur, ut in Parochia sit Sacellanus.

Adnitantur Pastores, ut Sacellanus seu Vicepastor in omnibus Parochiis habeatur, quo Parochiani omnes diebus Dominicis & Festis sacrosancto Missæ Sacrificio interesse possint, & alia Sacramenta præsertim Pœnitentiæ frequentius suscipere. Ad quod adhortandus erit populus, ut de suo aliquid conferat, & dispicienda alia media, quibus commoda Sacerdotis sustentatio possit haberi: cujusmodi erit, si officium Ludimagistri & Custodis alicui Sacerdoti attribuatur.

CAPUT II.

Sacellani officium.

Sacellani officium erit, Pastori in celebratione Divini Officii auxilio adesse, ejusque ægroti vel absentis nomine, (si quidem id necessitas postulet) necessaria Sacramenta administrare: imo & præsente Pastore, ubi ille id exiget: nam iis Pastorum officiis contra voluntatem eorum nullatenus Sacellanum se immiscere volumus, sed iis plane subesse: sed nec per unum diem abesse a Parochia, nisi Pastore præmonito & consentiente.

CAPUT III.

Non admittendus, nisi approbatus ab Episcopo. Literas admissionis exhibeat Decano.

Sacellanus nullus admittatur, nisi a Nobis probatus, & admissus. Is etiam literas admissionis a Nobis factæ Decano districtus illius exhibeat, qui eas vidisse se, & examinasse scripto testabitur: nec nisi ejusmodi Decani scripto viso, & Professione fidei emissa, præsumant Pastores eum recipere.

CAPUT IV.

Neque imperitus in cantu.

Neque deinceps admittantur Sacellani ulli, nisi cantus Gregoriani bene periti.

CAPUT V.

Cura Pastorum de Sacellanis.

Invigilent vero Pastores in vitam & mores Sacellanorum, curentque, ut tempus non in inutili otio traducant, sed serio studiis incumbant: &, si ita eis videatur, ut Catechismum pueros & rudiores doceant: paulatimque etiam assuescant concioni, & cæteris functionibus Pastoralibus, quo possint ita exercitati, & specimen sui præbentes, a Nobis ad altiora promoveri.

CAPUT VI.

Qui assumendi ad Custodis officium.

Ad Custodis officium non admittatur bigamus, non qui baillivi aut satellitis munus exerceat, non qui criminalibus quoquo modo se immiscuerit judiciis. Denique nec qui cauponarii, aut alterius vilis & Clero indignæ professionis sit: sed is, de cujus industria, probitate, & laudabili conversatione, (qualem decet esse Ecclesiæ ministrum) fide digno testimonio constet. Atque ut talis sit, non assumatur tamen, nisi a Nobis probetur & admittatur: cujus admissionis testimonio viso, Pastor eum investiat per traditionem superpellicei & clavis.

CA-

CAPUT VII.

Custodum officia.

Custodes subsint, obediant, & serviant Pastori in iis, quæ sui muneris sunt, a Parochia sua non absint sine Pastoris licentia: imo quoties domo sua abesse ob negotia coguntur, domesticis aut vicino significent quo vadant, ut si necessitas ingruat, statim accersiri possint: ornamenta Ecclesiæ soliciti sint, ne perdantur, seduli ut lacera fractave restaurari faciant, detrita aut indecora seponant. Dent operam, ut sursum & deorsum in templis omnia sint munda, pavimenta, parietes, altaria, tecta, & sacras vestes verrant frequenter: phialas, seu ampullas, quibus vinum & aqua ad Missam subministrantur, cæteramque templi supellectilem mundent, & mundam conservent, locis suis reponant: uti & sacras vestes in armariis decenter plicatas, non permixtim & confuse, sed suis quasque locis: denique in omnibus diligenter & fideliter, quæ officii sui sunt, præstent, magnis a Deo præmiis remunerandi.

CAPUT VIII.

Custodes abstineant a tabernis, & qualis eorum vita esse debeat.

Abstineant ab omni tabernarum ingressu & conversatione indecenti, vitam ducant Dei ministris dignam, tonsuram, si necdum acceperint, a Nobis quamprimum accipiant, deincepsque eam, & habitum gestent clericalem.

CAPUT IX.

Ludimagistri quales esse debeant. Quid promittere debeant. Qualis eorum vita.

Ludimagistri nulli præficiantur Scholæ, nisi fidei ac vitæ probatæ, a Pastore & Nobis admissi: admittatur autem nemo, de cujus Religione ac Fide Catholica non prius informatio fiat: is etiam Fidei professionem emittat, & dato jurejurando promittat se non doctorum libros hæreticos, de hæresi suspectos, Catholicæ fidei offensivos, lascivos, & generaliter non probatos: seque institutionis suæ & doctrinæ initia sumpturum a rudimentis fidei, Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo Apostolorum, præceptis Dei, & Ecclesiæ, numeri Sacramentorum: nec alios libros doctorum, nisi in his pueri, quantum satis est, fuerint instituti: singulis quoque septimanis certo statoque die ut minimum semel Catechismum omnes doceantur. Atque ut hæc observentur, frequenter moneant Parochi Ludimagistros, atque ipsi frequenter Scholas visitent, pueros de iis interrogent & instruant: quod si eos hac in re negligentiores deprehenderint, nec monitos se emendare, Nobis denuntient: invigilentque in hoc omnibus modis, ut ne recentes testulæ pravæ doctrinæ odore imbuantur, & corrumpantur, neve malo Præceptoris exemplo ad vitia declinent: qui proinde vitam suam ita componere curabit, abstinendo ab ingressu tabernarum, aliisque vitiis, ut quos literis instruit, vita ad virtutem ædificet. Decani quoque in visitationibus suis Scholas non prætermittant, sed singulis semestribus visitent, & accurate inquirant de supradictis.

CAPUT X.

Cantum Gregorianum doceant.

In locis celebrioribus, bis in hebdomada cantum Gregorianum doceant Ludimagistri, ac proinde non assumantur, nisi cantus Gregoriani periti: doceant etiam pueros modum inserviendi Sacro.

CAPUT XI.

Etiam in Scholis literarum humaniorum docendus cantus.

Quoniam vero ex raritate eorum, qui cantus sunt periti, contingit multis in locis Officium Divinum minus decenter peragi; non in trivialibus tantum Scholis doceatur cantus, sed etiam in Scholis humaniorum literarum, (cum in ætate grandiori difficilius ediscatur) idque singulis septimanis: quod ut in suis etiam Scholis præstent Religiosi, qui juventutem docent, vehementer in Domino eos hortamur.

TITULUS XIX.

De Magiſtris Fabricarum & Menſarum Pauperum.

CAPUT PRIMUM.

Magiſtri fabricarum.

Fabricæ uniuscujusque Eccleſiæ, ex communi conſilio Paſtoris & notabilium Parochianorum præficiantur Magiſtri ſeu Gubernatores omni exceptione majores, fidei, probitatis, & induſtriæ ſpectatæ: qui dato jurejurando promittant non minorem ſe adhibituros diligentiam, ut, quemadmodum oportet, diſpenſentur, conſerventur, recuperentur fabricæ bona, quam adhiberent ut ſua ipſorum.

CAPUT II.

Magiſtri Menſarum pauperum.

Menſis pauperum ſimiliter communicatis conſiliis præficiantur Magiſtri ſeu Gubernatores, fidei, & vitæ ſpectatæ & hæreſeos minime ſuſpecti; ſed & humani, affabiles, & benigni erga pauperes, exigaturque idem jusjurandum, quod a Magiſtris fabricæ.

CAPUT III.

Horum mutatio.

Mutentur porro ſingulis annis aliqui tam ex Magiſtris fabricæ, quam menſæ pauperum: quod ſi interdum retineri amplius expediat, (quod raro, & non ad multos annos fiat) innovent ſaltem ſingulis annis idem juramentum.

CAPUT IV.

Aliæ horum leges.

In negotiis majoris momenti nihil agant Magiſtri ſine Paſtoris conſilio. Non expendant in uſus ſuos aut ſervent ſibi pecuniam ſive fabricæ, ſive menſæ, ne quidem ſub obligatione reſtituendi eam cum fœnore, nec ad hoc ſufficiat notabilium accedere conſenſum. Non emant redditus, niſi legitimos, acceptaque ſufficienti hypotheca, quam proximo computu declarent. Si qui ante empti hypothecam non habeant, curent eam quamprimum accipere. Atque hæc omnia Receptori (ſi alius ſit a Magiſtris) præcepta intelligantur.

CAPUT V.

Literæ & alia munimenta quomodo aſſervanda. Et conficiendum eorum inventarium.

Literæ originales, regiſtra, computus, aliaque omnia fabricæ & menſæ pauperum munimenta, ſub tuta & fideli cuſtodia trium clavium in archivis ad eum uſum deſtinatis ordine debito collocata conſerventur: nec inde a Magiſtris auferantur, niſi neceſſitate id poſtulante, & in ſcriptis data aut relicta ejus rei confeſſione. Fiat autem inventarium eorum omnium munimentorum cum deſignatione debita limitum & conterminorum, nec non hypothecarum quoad redditus: quod quidem inventarium ut minimum ſingulis quindecim annis renovetur, ejusque copia authentica ad Nos mittatur in Epiſcopatus archivis ſervanda.

CAPUT VI.

Item inventarium totius ſupellectilis Eccleſiaſticæ.

Fiat autem aliud inventarium omnium ornamentorum, veſtium ſacrarum, & totius ſupellectilis Eccleſiæ, ſubſigneturque a Paſtore, Magiſtris fabricæ, & eo, cujus fidei commiſſa ſunt: qui & cautionem pro eis dabit ſufficientem. Quandocumque autem aliquid vel ornamenti, vel ſupellectilis novæ adjicietur, vel propter vetuſtatem ſeponetur, idipſum in inventario annotabitur, ut ex illo, Succeſſori in eo officio poſſint tradi. Quod quidem inventarium ſingulis trienniis renovetur.

CAPUT VII.

Collectæ per ſcutellas quomodo faciendæ & ubi aſſervandæ.

Optaremus mendicationes omnes, quæ per ſcutellas tempore Sacri fiunt, magna illa devotionis impedimenta abrogari: cæterum, dum adhuc tolerantur, ita illæ fiant ut quæſtores eleemoſynarum illarum vel altiori voce, vel ſtrepitu Celebrantem aut populum non interturbent. Neque liceat eis ad ædes ſuas illas deferre, ſed in arca aliqua in templo aſſerventur: quod ſi valde exiguæ ſint, ſingulis ſaltem Dominicis poſt Miſſam in libro notetur,

quæ

quæ summa accepta sit; ac deinde tota unius anni summa, in computus fabricæ referatur.

CAPUT VIII.

Conficienda tabula fundationum.

Conficiatur tabula, in qua describantur fundationes omnes Missarum,& anniversariorum : ex qua tabula denunciet Pastor diebus Dominicis eas, quæ septimana illa celebrandæ recurrunt. Et ejusmodi tabulæ copiam authenticam singuli intra trimestre ad Nos transmittant in archivis Episcopatus conservandam.

CAPUT IX.

Computus quando & quomodo reddendi.

Computus fabricæ, mensæ pauperum, Hospitalium, & aliarum piarum fundationum, singulis annis vel bienniis reddantur : & tunc abstineatur a comessationibus, quibus fabricæ, pauperesque graventur. Et quoniam magna multis in locis ea in re negligentia committitur, magna etiam in solvendis iis, quæ per arrestum com putus a Receptoribus debentur, magno cum damno & fabricarum & animarum eorum, quibus ea cura incumbit; Pastoribus mandamus, ut & ipsos Receptores nomine nostro admoneant suo muneri satisfacere, & apud Prætores & Magistratum instent, ut ad hoc cogantur, & si non proficiant, Nobis denuntient.

CAPUT X.

Indicatur dies computuum reddendorum.

Atque ut inposterum ejusmodi abusibus obvietur, hæc, quæ sequuntur, curabunt. Primum de consilio & consensu eorum, quorum interest, Pastores certam diem annuam statuent, qua ejusmodi computus singulis annis aut bienniis reddantur. Deinde tempestive eam diem quotannis, antequam recurrat, notificabunt : ut & Receptores parati sint & alii in templo vel loco consueto (modo non sit taberna) compareant.

CAPUT XI.

Apostillæ scribantur.

Apostillæ omnes, antequam a loco discedatur, scribentur, & auditoribus relegentur, per quos deinde computus more solito signabuntur.

CAPUT XII.

Si quid difficultatis oriatur, amicabili communicatione per auditores sopietur : si convenire nequeant, nostrum desuper judicium expectabunt.

CAPUT XIII.

Clausura prioris computus in novo referatur.

In quolibet computu clausura præcedentis adducetur, sub rubrica receptæ, vel misiarum, prout Receptor debebit fabricæ, aut ei debebitur : ac deinde super computu præcedenti annotabitur, qualiter dicta clausura purgata sit in sequenti.

CAPUT XIV.

Nummi capitales non distrahantur, & denuo ad reditum impendantur.

Si qui reditus fuerint redempti, nummi capitales non permittantur distrahi, nec maneant penes Receptorem: sed recludantur eo loco, ubi solent archivia Ecclesiæ asservari, sub pluribus seris & clavibus, quæ a diversis custodientur. Impendantur autem prima opportunitate ad novum reditum, & donec id factum fuerit in quolibet computu; fiat ejus rei memoria.

CAPUT XV.

Computus exemplar unum in archivis reponatur.

Solicite curabitur, ut computus exemplar unum debite signatum mox ab auditione, in loco tuto, sub diversis seris recludatur cum aliis Ecclesiæ munimentis, unde nemini liceat quidquam efferre, nisi ex causa valde necessaria, & relicta ibidem scedula vulgo *recepisse.*

CAPUT XVI.

Bona diversarum fundationum non permisceantur.

Nec permittant Pastores bona fabricæ & pauperum, aliarumve fundationum confundi : sed nec sibi mutuo succurrere, absque nostra licentia: vel de novo gravari pensionibus pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, nisi id habeat fundatio vel longa consuetudine sic fuerit practicatum.

CA-

CAPUT XVII.

Pia legata solvantur.

Executores ultimarum voluntatum, pia legata solvere negligentes, si serio moniti, anno a morte Testatoris evoluto, refractarii difficilesque perseverent, eos Nobis, aut Vicariis nostris, vel Procuratori animarum a Nobis designato, absque ulteriori dissimulatione, Pastores denuntient.

CAPUT XVIII.

Locationes bonorum quomodo faciendæ.

Locationes terrarum arabilium, pratorum, decimarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, vel fabricæ, aut pauperum, non fiant ultra terminos præscriptos, a Concilio secundo Cameracensi. (t) Nimirum decimarum non ultra triennium, pratorum, dum separatim elocantur, non ultra sexennium, terrarum arabilium non ultra novem annos. Contractus vero ejusmodi non renoventur, nisi finito biennio prioris contractus quoad decimas, quadriennio quoad prata, & sexennio quoad terras arabiles.

TITULUS XX.

De Bonorum Ecclesiasticorum conservatione & onerum persolutione.

CAPUT PRIMUM.

Etsi nemo ad possessionem Beneficii alicujus admittatur, nisi jurejurando promittat bona sui beneficii fideliter conservare, & alienata pro virili recuperare; attamen multorum a sui beneficii loco absentia, aut supina negligentia plurima quotidie deperdi aut obscurari experimur. Cui malo ut obviam eatur, quæ sequuntur, statuenda duximus.

CAPUT II.

Decani habeant registrum Beneficiorum.

Habeant Decani registrum omnium beneficiorum sui districtus cum cura & sine cura, ascriptis nominibus Possessorum & ubi habitent: cum specificatione bonorum, reddituum, sylvarum, pratorum, terrarum, & limitum, ac terminorum & onerum annexorum quotannis exhibendum. Ejus vero registri copiam authenticam ad Nos mittant in Episcopatus archivis reservandam. Capitula vero, quibus beneficia subsunt, habeant etiam simile registrum eorum: quod quidem singulis decenniis renovetur cum specificatione supradicta.

CAPUT III.

Omnes Beneficiati specificent redditus beneficiorum. In possessione quid Beneficiatis jurandum.

Ut autem id præstent commodius, districte mandamus omnibus Beneficiatis nostræ Diœcesis, ut intra annum a conclusione hujus Synodi, beneficiorum suorum bona, terras, redditus & proventus quoscumque, jura item & onera omnia, quibus illa subjecta sunt, integre & per partes minutissime descripta, atque a Baillivo loci & Scabinis subsignata, Decanis suis, & Decani Nobis transmittant. Hoc idem se facturos intra annum jurejurando promittent, quotquot in beneficii alicujus possessionem de novo inducentur. Dies vero præstiti juramenti registro suo inscribet Decanus: & si Beneficiatus intra annum promisso non satisfecerit, eum denuntiabit citandum & de perjurio puniendum. Et ne quis ignorantiam prætexere possit, volumus, ut Decani, quisque in suo districtu, eos, qui extra Diœcesim morantur, per literas admoneant, hujus nostri Decreti: elapso autem anno, iidem Decani Officiali nostro denuntiabunt eos, qui nondum fecerint, ut juris remediis & fructuum arrestatione id facere compellantur.

CAPUT IV.

Formula attestationis de redditibus beneficiorum.

Formula vero attestationis, quam exigimus a Baillivo & Scabinis loci, hæc est vernacula tamen lingua: *Nos subsignati, Pastor, Baillivus & Scabini N. testamur in conscientia coram Deo hæc, prout hic nominatim descripta sunt, esse omnia bona, & redditus annuos hujus Pastoratus de N. vel*

(t) Tit. 15. cap. 6. & Tit. 8. c. 13.

vel Capellaniæ de N. sitæ in Parochia N. Item hæc esse beneficii onera, nec alia nos scire, post diligentem a Nobis inquisitionem factam, in quorum fidem hæc signavimus.

CAPUT V.

Fructus non residentium aut non satisfacientium oneribus arrestentur.

Fructus beneficiorum, quæ residentiam debent, si eorum Possessores non resideant, nec sint in loco privilegiato, nec literas absentiæ sibi a Nobis concessæ exhibuerint, sequestrentur & ponantur sub arresto a Decanis: uti & eorum, quorum onera non exolvuntur. Pro labore autem, quem hic Decani subibunt, eis justam mercedem assignabimus. Vacatione autem alicujus beneficii occurrente sive per obitum, sive aliter, Decani ac Pastores Nos reddant certiores.

CAPUT VI.

Literæ renovandæ.

Literas originales, registra, & omnia alia munimenta beneficiorum, quæ ob nimiam vetustatem consumptioni proxima sunt, curent beneficiorum Rectores intra annum in formam authenticam transsumi, transsumpta cum ipsis originalibus in Ecclesia, ad quam beneficia ipsa pertinent, cum cæteris munimentis reponi & conservari: & si aliquid ex his levari necessum sit, tradatur Rectoribus, sub *recepisse*, & sub promissione fideliter illud restituendi.

CAPUT VII.

Habendum Manuale.

Præter supradictum registrum, in quo singuli beneficiorum proventus minutissime describentur, & cujus unum exemplar penes Beneficiatos maneat; habeant etiam Manuale quoddam, in quo solutiones sibi factas notent: ut successu temporis, possit diuturna, & legitima possessio probari. Quod manuale cum registro Successori in beneficio relinquatur: adeoque Decani, a morte Beneficiati ea sibi assument, ut Successori tradant.

CAPUT VIII.

Nummi capitales redituum beneficialium denuo impendendi, & a quo servandi.

Si reditus alicujus beneficii redimi contigerit, sors pecuniæ capitalis, si utiliter & secure statim impendi non possit, penes ipsum tamen Beneficiatum ne relinquatur, sed Capitulo (si ei immediate subsit) consignetur in archiviis reservanda, sin minus, Archidiacono illius districtus, donec opportunitas fructuose ac tuto eam collocandi obvenerit.

CAPUT IX.

Elocationes redituum Capellaniarum quomodo faciendæ.

Elocationes bonorum ad Capellanias spectantium fiant cum cognitione Capituli, cui subsunt; alibi vero cum Decani consensu, qui in actis visitationis suæ ejusmodi elocationes annotabit.

CAPUT X.

Singulis annis legatur Decretum Concilii Tridentini.

Decretum Concilii Tridentini (u) contra occupatores bonorum & jurium Ecclesiæ, subinde populo per Concionatores inculcetur, quod incipit: *Si quem Clericorum &c.* Quod quidem Decretum singulis annis paulo ante messem per omnes Parochos ex suggestu publicari, nec non ejus copiam ad valvas Ecclesiarum Parochialium affigi volumus.

TITULUS XXI.

De Ecclesiarum Visitatione.

CAPUT PRIMUM.

Visitationis scopus.

Ut ea, quæ hactenus statuta sunt, exactius observentur, plurimum conducet ea, de qua nunc agendum est, Ecclesiarum Visitatio: cujus is finis & scopus est, advertere, an ea, quæ ordinata sunt, executioni mandentur, atque id efficere, ut mandentur: sanam doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, popu-

(u) Sess. 22. cap. 11.

populum cohortationibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere, & cætera, prout locus, tempus, & occasio ferunt ex Visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere, ut totidem verbis explicat Concilium Tridentinum. (x) Operæ itaque pretium est, ut sciant Archidiaconi & Decani singuli in suo districtu, Ecclesias ex officio visitantes, tum etiam Pastores & populus, qui se in ea gerere debeant pro sua quisque parte.

CAPUT II.

Visitaturi prænuntient diem & horam conveniendi.

Visitaturi Parochialem Ecclesiam: diem visitationi statutum & adventus sui fere horam Pastori Ecclesiæ significent mature, atque is, Dominico aut Festo eum diem proxime præcedente, ex suggestu diem visitationi destinatum populo denuntiabit, monebitque, ut Sacellanus, Custos, Ludimagister, Magistri fabricæ, & mensæ pauperum, denique notabiliores Parochiæ & Magistratus die & hora statutis, præsentes adsint (imo & dum Nos ipsi visitationem instituemus, totus populus, quantum fieri potest, qui etiam tum ad sacram Communionem Nobis ministrantibus suscipiendam, per Confessionem Sacramentalem se disponat, & qui apti sunt, Confirmationis Sacramentum accipiant) Magistri mensæ pauperum & fabricæ, aliarumque piarum fundationum secum afferant ultimos suos aut Prædecessorum suorum computus.

CAPUT III.

Adjungant sibi Notarium vel Ecclesiasticum.

Adjungant sibi Visitatores Notarium, vel saltem virum aliquem Ecclesiasticum. Et ne per ejus defectum, mora aliqua injiciatur, omnibus Presbyteris & Notariis Nobis subditis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut requisiti operam suam Visitatoribus non negent: quin imo statim omne eis auxilium præbeant: nec in visitationibus solum, sed & in informationibus quibuscumque, quin & ad omnia Curiæ nostræ mandata præsto sint.

CAPUT IV.

Visitatores adventus sui causam exponant.

Ubi igitur advenerint, omnibus in Ecclesia congregatis, causam adventus sui & indictæ congregationis exponant: nimirum Episcopum, (cujus hoc in negotio funguntur vicibus) desiderare, ut hac visitatione abusus & scandala, si quæ sint, tollantur ac corrigantur, & quæ necessaria aut utilia sunt, ordinentur. Itaque eos moneant nostro nomine omnes & singulos, ut pro eo, quo Deum & Ecclesiam prosequuntur amore, proque eo, quo tenentur justitiæ zelo, de Ecclesiæ ac Ministrorum illius, deque totius Parochiæ statu, sincerum atque integrum absque dissimulatione testimonium perhibeant: & quæ corrigenda aut instituenda putant, fideliter declarent: ne, dum veritatem ipsi subticent, de commissis & committendis criminibus, Deo Judice, culpam in se commereantur.

CAPUT V.

Forma visitandi.

Initio igitur sumpto ab invocatione Sancti Spiritus per decantationem Hymni: *Veni Creator Spiritus*, proferatur in medium ad summum altare ea qua solet cum reverentia ac luminaribus & cæteris solemnitatibus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ac thure dato suis ipse oculis Visitator diligentissime perlustrabit omnia & singula. Serventurne sacræ Hostiæ ab omni putredine & corruptione liberæ, atque ideo renoventur singulis quindenis vel etiam sæpius.

An Ciborium atque aliæ pyxides, quarum usus est in augustissimo hoc Sacramento populo ministrando, vel ad infirmos deferendo, ea sint materiæ & operis dignitate, quæ tantum Principem deceat. An rite compactis juncturis constent, ut & pluviæ injuriam & ventos arceant, dum vel ad ægros, vel in processionibus defertur.

Inquiratur, an Pastori illud ad ægros deferenti, adsit Custos superpelliceo indutus, lumine accenso, prosequente frequenti populo.

An

(x) Sess. 24. de Reformat. c. 3.

An ſemper in Eccleſia ſint reſiduæ aliquot hoſtiæ.

Inſpiciatur tabernaculum, in quo reconditur hoc Sacramentum, an ſit decens pro tanta Majeſtate, gradibus commodis adeundum, ſera ſecura, clave fideli munitum, quam apud ſe Paſtor aut Capellanus retineant. Sitne loco eminenti & ad adorationem omnibus expoſito, atque in eo corporale ſubſtratum ciborio. An lumen ante ipſum continuo ardeat. Tum demum dato thure, & ad decantationem verſus: *Tantum ergo Sacramentum*, data benedictione, ſuo loco Venerabile Sacramentum reponatur.

Inſpiciat deinde Viſitator pyxides, quibus aſſervatur ſacrum Chriſma, Oleum catechumenorum, & infirmorum. An ſint decentes & nitidæ. An diſtinctæ & notulis quibusdam eas diſcriminantibus inſignitæ. An ſuis quæque unctionibus refertæ. An operculo cohærentes & munitæ. An ſingulæ ſuis bacillis inſtructæ. Quæ loco aſſerventur, & an in arculis quibusdam diſtinctis a tabernaculo Venerabilis Sacramenti, quæ clauſæ fideli ſera & clave, nullis niſi Sacerdotibus aditum præbeant.

Videat deinde calices (an argentei, ſaltem cuppa) & calicum purificatoria, ac ſacculos, an ſint juſtæ magnitudinis, corporalia adhæc, pallas, vela ad tegendos calices: Sacerdotalia ornamenta, caſulas cujusvis coloris: albas, amictus, cingula, mappas altaris, manutergia, ſuperpellicea, tunicellas, pluvialia, ampullas vino & aquæ in Sacrificio fundendæ neceſſarias. Tum Miſſalia, Antiphonaria, Gradualia, Proceſſionalia, Manualia, cæterosque rituales libros, & reliqua, quorum in Divino Officio vel Sacramentorum adminiſtratione eſt uſus, an ſint munda, integra, & decentia, atque in numero ſufficienti, dignaque, quæ prodeant in conſpectum Dei.

Quod ſi quæ rupta, lacera, aut ſordida inveniat, notet ea ac ſeponat, & mundari ac reparari præcipiat: aut ſi id mereantur, ita de eis diſponat, ut amplius non prodeant in ſervitium Dei, cum acri increpatione Paſtoris, Cuſtodis, & eorum, quibus harum rerum cura incumbit.

Inquiratur deinde de pane, vino, candelis, quorum uſus eſt in Sacrificio, an ſelectus ſit panis, vinum purum, non evanidum, non acetoſum, non corruptum, candelæ cereæ ſemper binæ.

Viſantur altaria, an omnia ſint conſecrata, a pulvere & ſordibus libera, tribus mundis mappis cooperta, inſtructa & ornata honeſtis picturis & imaginibus, non mutilis, non ruptis, non ſcandaloſis, non apocryphas hiſtorias referentibus, aut nudas perſonas indecore repræſentantibus, (atque idem etiam conſideretur in aliis imaginibus per totum templum diſpoſitis:) cortinis, item antipendiis, candelabris binis, cæterisque ornamentis atque imagine Crucifixi in medio.

Porro quo tota ea viſitatio in expedito ſit, habeatur in promptu & exhibeatur univerſæ ſupellectilis Eccleſiaſticæ inventarium manu Paſtoris, Æditorum, & Cuſtodis, ſeu ejus, qui eam in depoſito habet, ſignatum.

Præterea viſitentur Reliquiæ Sanctorum, an in debitis capſulis tuto & decenter aſſerventur, & an ſint approbatæ ab Epiſcopo, aut longo ſaltem temporis uſu receptæ.

Videatur ſacriſtia, ſi quæ ſit, an in ea ſufficientia ſint armaria, ſeu arcæ, in quibus ornamenta non confuſe aut permixtim reponantur, ſed ſuis quæque & diverſis locis decenter plicata recondantur.

Inquirat adhæc Viſitator, an ſit aliqua celebris peregrinatio ad Eccleſiam. An Sodalitates approbatæ, potiſſimum num vigeat Sodalitas B. Virginis, an multi nomina ſua ei dederint, an frequenti confeſſione, & Communione, aliisque pietatis officiis, ſe ejus dignos clientes oſtendant. An occaſione Sodalitatum aliquarum convivia aliqua inſtituantur, vel choreæ, quæ earum ſint regulæ.

An & quæ ſint fundationes Miſſarum, aut anniverſariorum. An extet earum regiſtrum, an debite denuntientur Dominica die poſtquam proxime recur-

recurrunt, & poſtea exonerentur. An earum facta ſit aliqua reductio ob exiguitatem ſtipendii. An legata pia ſolvantur, num computus Eccleſiæ, fabricæ, menſæ pauperum, aliorumque piorum locorum ſuo tempore reddantur, & quod in reſiduo eſt debitum a Receptoribus perſolutum, aliaque obſerventur, quæ ſupra Titulo XIX. decrevimus. Videantur ipſi computus.

Quæ beneficia in hac Eccleſia ſint fundata, qui eorum poſſeſſores, an ſatisfiat oneribus, an poſſeſſores exhibuerint munimenta ſui beneficii & regiſtrum bonorum.

Circumſpiciatur ædificiolum, quod ſacris fontibus conſervandis extructum eſt, ſitne firmum, circumdatum cancellis, ſera clauſis, vas ſacri fontis an purum ſervetur, continendis ſacris aquis commodum, & hæ an graviter oleant: An clavi & ſera ita muniatur, ut aditus non ſit ſordibus, beſtiolis, ac multo minus maleficorum injuriis: clavis quoque a Sacerdotibus baptizantibus & ſolis ſervetur; minime vero in Cuſtodis aut Laicorum ſit poteſtate. An ſit paropſis aliqua decens, in quam defluat aqua ex capite recens baptizati, concha, qua aqua infundatur.

Videantur ea, quæ paſſim per ædem ſacram eſſe debent, vas aquæ benedictæ, an decens & nitidum, & aqua ipſa ſingulis hebdomadis mutetur. Sitne ſuggeſtum concionibus habendis aptum, ſedes confeſſionales feneſtellis utrimque conſtantes loco aperto, ut ad eas facilis ſit utrimque aditus, campanæ benedictæ, ſcamna omnia debite ordinata, ut Divinis functionibus obeundis non ſint impedimento.

Viſitetur deinde totum templi ædificium, ſurſum & deorſum, intus & extra, ſitne aliquid, quod reparatione indigeat, aut indignum ſit domo Dei, parietes dealbati, rimis carentes, chorus bene clauſus, pavimentum bene ſtratum, tectum tegulis (non culmis) coopertum, feneſtræ vitreæ integræ, canales plumbei exterius aquam longe a fundamentis Eccleſiæ tranſmittentes, nullæ hederæ, arbuſculæ, vepres ibidem enaſcentes. Quod ſi aliquid reparandum ſit, ſerio monendi ſunt illi, quibus cura ea incumbit. Cœmeterium an ſepibus, foſſis, vel muris cinctum, ut nullis animalibus pateat aditus, nec ulla ibi paſcantur, lintea non dealbentur, non luſus exerceantur, non merces vendantur.

CAPUT VI.

Examen de Miniſtris Eccleſiæ & totius Parochiæ ſtatu.

His peractis, examinet Viſitator convocatos omnes, ſeorſum ſingulos, de Miniſtrorum Eccleſiæ & Parochianorum ſtatu, & ſingulorum reſponſiones excipiat Notarius.

De Paſtore quærat diligenter, an ſit vitæ irreprehenſibilis & boni nominis; popinas, aut infames domos non adeat, non interſit conviviis nuptialibus ſecundo vel tertio die, aut puerperarum: rixas & diffidia non foveat, non teneat mulierem ſuſpectam, non abſit frequenter a Parochia; an bene ei cum Parochianis conveniat. An circa Sacrificium Miſſæ, Divinum Officium, Sacramentorum adminiſtrationem, verbi Dei prædicationem, ac denique circa Paſtoralis officii functionem, recte, diligenter, reverenter & laudabiliter verſetur. An horam Miſſæ & Veſperarum obſervet, an in adminiſtrandis Sacramentis & viſitandis infirmis diligens, noctu diuque paratus, an circa juventutis & rudium Catechiſticam inſtitutionem, & viſitationem Scholæ aſſiduus: in concione non nimis prolixus, ſatisfaciat piis fundationibus, denuntiet Feſta, jejunia, obitus recurrentes, an quæ ſuperiori ordinata ſunt viſitatione adimpleverit.

De Sacellano, cæteriſque Sacerdotibus idem fere inquirendum, quod de Paſtore, quantum ad vitam, adminiſtrationem Sacramentorum, Catechiſationem. Et num admiſſi ſint ab Epiſcopo, obedientes Paſtori, non intrent popinas aut hortos earum, globorum aut pilæ luſu cum ſæcularibus tempus non terant: num Sacellanus admiſſus ſit ad confeſſiones audiendas, num exeat e Parochia non præmonito aut non conſentiente Paſtore: num in templo & ſchola catechizet, quomodo, quo fructu, Officium Divinum reverenter & tractim decantet.

De

De Custode, an sit bigamus, satelles, caupo &c. an conversationis honestæ, fidelis, obsequens Pastori: an templum & totam ejus supellectilem curet, ut sint munda, nitida, & decentia, & ornamenta bene complicata, suis locis reponat diligenter, an intret popinas &c. an admissus ab Episcopo.

De Magistris Scholæ, an sint fidei ac vitæ probatæ, an non doceant libros suspectos aut non approbatos, an doceant ante omnia juventutem prima rudimenta fidei, modum serviendi Sacro, an sint admissi ab Episcopo aut Decano ac Pastore loci, an emiserint Professionem fidei, an diligenter suo munere fungantur, catechizent in Schola, doceant separatim pueros & puellas, ubi id eis permittitur. An servent regulas ab Episcopo latas.

De Magistris fabricæ & mensæ pauperum, an bona fabricæ & pauperum fideliter administrent, locationes faciant juxta Edictum Regis, piis fundationibus satisfaciant, ædificia Ecclesiæ, ut oportet, reparari procurent, reddant computus quotannis, aut bienniis, persolverint, quod per arrestum sui computus debent, an collectarum, quæ in templo fiunt per scutellas, computus reddantur.

De populo, quot sint Parochiani, an omnes confessi sint & communicarint ultimo Paschate, an diligenter frequentent omnes templum, Dominicis & Festis diebus audiant Sacrum, non exeant ante finem Sacri. An iis diebus tempore Divini Officii frequententur tabernæ, in cœmeterio fabulæ misceantur, an Baillivus diligenter invigilet, ne ea fiant. An iis diebus servilia opera exerceantur sine venia; an sint aliqui inter se discordias foventes, decimas, vel alia bona Ecclesiæ aut pauperum defraudantes, aut pia legata non persolventes. An aliqui hæretici, aut hæreseos suspecti, an faciant clandestina conventicula. An conjugati absque Episcopi sententia separatim viventes, an aliqui concubinarii, usurarii, incantatores, aut malefici, nominatim alta (ut vocant nomina) dantes aut gestantes; an superstitionibus dediti, an aliqui fornicarii aut alioqui vitæ reprehensibilis. An diebus festivis choreæ exerceantur a puellis, quæ deinde cum adolescentibus in tabernis potitent, an occasione Sodalitatum maxime sanctæ Catharinæ, aut sancti Nicolai, convivia habeantur aut choreæ. An pueros suos diligenter ad Scholas mittant. An aliqui excommunicati.

Inquiratur insuper a singulis, an quid sciant reformatione aut constitutione dignum.

Denique prudenter consideret Visitator, quid pro loco, tempore, personis, interrogari conveniat, & de quo exactius oporteat inquirere.

CAPUT VII.

Visitentur registra. Ædes, Bibliotheca.

His scripto mandatis, visitentur Pastorum registra, Baptizatorum, Confirmatorum, Communicantium, Sponsalibus, aut Matrimonio junctorum, catalogus omnium Parochianorum. Tum visitentur ædes Pastoris & Sacellani, & si quæ sint, quæ ad Beneficiatos spectent, eorumque Bibliotheca, notanter an hæc Statuta habeant, legant. Si ædificia collapsa sint, ruinosa, non debite reparata, jubeantur reparari expensis eorum, quibus incumbit, & si non faciant, Nobis denuntientur. Adhæc visitetur Schola, examinentur pueri.

CAPUT VIII.

Visitationis finis. Acta Episcopo mittenda.

Visitatis & observatis omnibus, moneat Visitator, corripiat, increpet, quos oportebit palam aut seorsum, eos, qui moniti non resipuerint, Nobis denuntiet: neglectus, abusus, scandala, quantum in se est, tollat: necessaria ordinet atque utilia pro sua prudentia; ita tamen, ut quæ dubia & majoris momenti erunt, ad Nos referat, & denuntiet eos, qui superiorum visitationum ordinationes contempserint, aut neglexerint. Denique omnia, quæ ordinaverit, actaque omnia Nobis intra proximum mensis spatium mittat. Quod ad Visitatorum victualia aut stipendia attinet, servetur Concilii Tri-

dentini Conſtitutio *Seſſ.* 24. *cap.* 3. *de Reformatione*: concedimus vero, ut jura Viſitatoribus debita ſumantur ex denariis pro eſu lacticiniorum collectis.

TITULUS XXII.

De Synodo Diœceſana.

CAPUT PRIMUM.

Non ſine cauſa a Patribus Concilii Tridentini (*y*) ſtatutum eſt, ut præter particulares Eccleſiarum viſitationes, quotannis etiam Synodi Diœceſanæ celebrentur: in quibus, congregatis totius Diœceſis Capitibus, ſtatuantur ea, quæ pro communi Diœceſis bono ſtatuenda videri poſſint, & caveatur, ne quæ bene conſtituta ſunt, temerentur. Quapropter quotannis feria tertia Pentecoſten proxime præcedente, Diœceſanam Synodum pro more in noſtra Eccleſia Cathedrali Audomarenſi, aut Aula domus Epiſcopalis, celebrandam eſſe ordinamus, indicimus, & publicamus. Et Reverendos ac Venerabiles Dominos Decanum & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, Prælatos, Abbates, Abbatiſſas, Præpoſitos, Priores, Collegiatarum Eccleſiarum Capitula, Decanos Chriſtianitatis, Parochos: atque in univerſum omnes & ſingulos tam exemtos, quam non exemtos, qui ad Synodum Diœceſanam Audomarenſem, de jure, conſuetudine, aut Concilii Tridentini diſpoſitione, venire tenentur, ex nunc prout ex tunc, in ſingulos annos requirimus, & monemus, ut absque alia convocatione aut monitione, perſonaliter; vel, ſi neceſſario impediti fuerint, per legitimos ſuos ad hoc ſpecialiter cum ſufficienti mandato conſtitutos Procuratores adſint.

CAPUT II.

Paſtores tamen Synodo perſonaliter interſint: neque ob id excuſentur, quod exequiæ aliquæ forſan tunc temporis celebrandæ occurrant, aut Matrimonium ſolemnizandum; hæc enim & ſimilia ſuis aut vicinarum Eccleſiarum Sacellanis committi poſſunt aut differri. Neque liceat Decanis Paſtorum excuſationes hic admittere; ſed, ſi quas neceſſarias aut probabiles judicarint, Nobis proponant examinandas. Interim & pro ſe & pro ſui diſtrictus Paſtoribus reſpondeant, adſint necne, abſentes nominent & ſcripto tradant.

CAPUT III.

Omnes itaque quotannis, quorum eſt Synodo intereſſe, die jam dicta aut potius pridie adſint, compareantque in choro Eccleſiæ Cathedralis habitu decenti: Prælati cappis induti, Decani albis & ſtolis, Paſtores ſuperpelliceis: atque illic audiant eam, quæ ad implorandam Spiritus Sancti opem fiet, Miſſam. Deinde eodem habitu ſervato, a principio uſque ad finem, Synodo interſint. Demum civitate non diſcedant, etiam a concluſa Synodo, niſi data a Nobis diſcedendi facultate: ſintque toto tempore modeſti, ſobrii, nulli dantes offenſionem, ne vituperetur miniſterium eorum, neve diſciplinam Eccleſiaſticam ludibrio exponant.

CAPUT IV.

Decani tamen, quibuscum ante & poſt Synodum de toto Diœceſis ſtatu & bono, agendum Nobis eſt, maturius adſint, & uno atque altero die Synodi diem præveniant, & quid iis faciendum ſit, a Nobis poſt Synodum mandata accipiant.

Lecta & publicata fuerunt hæc Statuta, in Synodo Diœceſana Audomarenſi, de mandato Reverendiſſimi Domini Audomarenſis præſidentis, per me JACOBUM DU CAMP *Secretarium & Notarium publicum. Anno Domini* 1640. *menſis Aprilis die decima nona.*

J. DU CAMP *Secret.*

Audomari, typis viduæ Caroli Boſcardi, *ſub ſigno Nominis JESU.* 1640.

ACTA

(*y*) Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.

ACTA
ECCLESIÆ MECHLINIENSIS,
Anno Chr. MDCCXVIII. Clementis XI. PP. XVIII. Caroli VI. Imp. VII.

CIRCA BULLAM:

UNIGENITUS. (*)

EPISTOLÆ VARIÆ
QUÆ IN EUNDEM OMNES SCOPUM COLLIMANT.

EPISTOLA
EPISCOPORUM BELGII ad Ss. D. N. CLEMENTEM XI.

Beatissime Pater

Votis nostris DEO Ter Opt. Max. solemniter redditis pro diuturna Sanctitatis Tuæ incolumitate, undevigesimo anno sapientissimi juxta, ac vigilantissimi Ecclesiæ Catholicæ regiminis feliciter inchoato, ad Apostolatus Tui Principatum accedimus, ad universalem Pastorem Gregis Dominici, cujus partem Nobis commissam sub altius præsidente, & præeminente celsiore fastigio speculæ Pastoralis, ad salubria pascua Catholicæ fidei, morumque doctrinæ dirigere, hactenus conati sumus. Immobile fidei fundamentum cum S. Augustino, & priscis omnibus Ecclesiæ Patribus in Te semper agnovimus, Pater Beatissime, supra quod ædificii Ecclesiastici altitudo consurgit, a quo, si vel ad latum unguem recedatur, ruere omnia in præceps, ac Pastores ipsos cum ovibus in manifestam perniciem, & interitum prolabi, necesse est. Id Nos docuit æterna ipsa incarnata Sapientia, id Traditio, Concilia; ætatum omnium venerandi, sanctique Antistites, Patres, Doctores, verbo, Nationum omnium, Scriptores Catholici, & olim professi sunt, & hodie profitentur, conterendos eos demum, qui a vestra Sede defecerint, quæ ipsa Principis Apostolorum est, per quem convicta, atque expugnata sunt hæreticorum omnium, schismaticorumque commenta. Vicina horremus scandala, atque infandam rerum Divinarum, profanarumque commixtionem execramur, in id totis viribus intenti, ne in Ecclesias nostras, vel clanculum irrepat, vel furtive serpat, vel quoquo se modo insinuet, inauditum prorsus a Catholicis Episcopis exemplum. Necessaria sane fuit, Beatissime Pater, diuque a Nobis expetita sapientissima illa vestra Constitutio, *Unigenitus Dei Filius*, ex Spiritu Sancto dictata per os Sancti, ac Beatissimi Principis Apostolorum, a digito vestro scripta, qua centum & unum perversorum hominum placita solenni anathemate configuntur, quamque proinde in nostris singuli Diœcesibus promptissima Summo Ecclesiæ Rectori obedientia, & submissio-

(*) Hæc Constitutio (187. *Tom.* 10. *Bullarii part.* 1. *pag.* 340.) exigui quidem momenti esse videtur Autori anonymo infamis libri, qui inscribitur: Pragmatische Geschichte der Bulle *in Cœna Domini* &c. Verum summo ab omnibus orthodoxis in pretio & existimatione habita semper fuit, habetur modo, atque ad perpetuum veræ Christi Ecclesiæ splendorem ac triumphum, ringentibus incassum ejusdem hostibus, cœlo tutore, habebitur.

miſſione incunctanter ſuſcepimus, avide amplexi ſumus, continuo publicari curavimus, & toto Belgio Catholico ab omnibus acceptatam, illibatam fidei, morumque regulam eſſe voluimus. Hæ muneris noſtri partes, Pater Sanctiſſime; quibus id modò ſuperaddimus, ut Sanctitati Tuæ debitas pridem gratias referamus, quod tam opportuno remedio renaſcentes quotidie, & ex obtritis olim hæreſibus repullulantes errores, falce ad radicem miſſa, penitus extirpaveris. Tantum profecto in hac meditanda, condendaque ſanctione, virtutis, & Divini luminis oſtendiſti, ultimos tortuoſi colubri flexus reſcindendo, ut in Te uno collectæ videantur dotes illæ, quæ Deceſſores Tuos, Romanos Pontifices, ejusdem hæreſeos interemptores pridem nobilitarunt. Prompti remedii neceſſitas numquam clarius apparuit, quam, cum eos, quos iſta lues afflaverat, principio titubare, ſenſim immodeſtius obſtrepere, tum apertius refragari, demum in exitialem contumaciam erumpere incredibili cum noſtro mœrore conſpeximus. Quot autem, quantæ, & quam diuturnæ perrumpendæ difficultates fuerint, ut eam controverſiam dirimeres, quam indefeſſo ſtudio ſingulos errorum angulos ſcrutatus ſis, quot vigiliis Tibi conſtiterit, illæſa S. Auguſtini auctoritate latitantes ſub ejus umbra errores contundere, grata recordatione meminimus; eaque adeo longe gratiori, quod eo pacto infecta, corruptaque paſcua detexeris, a quibus Greges noſtros ſecurius cuſtodiremus. Eamdem Nobiſcum gratitudinem totius Orbis Catholici Præſules teſtatiſſimam reddidere, ut univerſi plane obſtupuerint, repertos nonnullos, qui ad immobilem Fidei Petram duras cervices allidere non formidarent, deſerta Paſtoris voce ad profanam novitatem dilapſi, quo Paternum Tuum animum vehementiſſime excruciatum non ſemel demonſtraſti, iis nihilominus pacis, & lenitatis uſus conſiliis, quæ ad oves, periculo proximas, retrahendas ſaluberrima judicaſti; nihil intentatum relinquens, quo aberrantes in viam ſalutis reduceres. Tum vero incomparabilem illam Tuam manſuetudinem, incredibilem tolerantiam, clementiam inexhauſtam admirari licuit, dum immorigerorum filiorum audaciam, temeritatem & pervicaciam tam longanimiter ſuſtinuiſti, ut dubium putemus, majoremne in edenda ipſa Conſtitutione, an in harum virtutum tam illuſtri teſtimonio gloriam Tibi conciliaveris. Lenem Te Patrem ſatis diu experti ſunt refractarii homines, at ſapientiæ Tuæ, prudentiæ, & Paſtorali fortitudini media non defutura cenſemus, quibus Sanctionum Tuarum acerrimum Te aliquando vindicem ſentiant, depulſisque turbarum nebulis, veritas Catholica de ipſis inferorum portis triumphet. Turpem maculam parti illi Eccleſiæ Gallicanæ rebellanti inuſtam, amaris lacrymis deflere cogimur; id interim ſolatii Tuæ Sanctitati afferentes, quod devium illum, & pervicacem erroris ſpiritum ab Eccleſia noſtra Belgica, ſaltem pro maxima, potiori, nobiliorique parte, penitus exulare confidamus; non ſine ſumma fiducia fore, ut ſi quos forte, Nobis invitiſſimis, contagioſum malum afflaverit, ii per Dei gratiam ad debitam obedientiam compellantur. Hæc noſtra, noſtrorumque regula eſt, Pater Beatiſſime, nec aliam agnoſcimus, quam ut Cathedræ Tuæ inviolabili communione conſociati, eos, qui tecum non colligunt, ut diſperſores, diſſipatoreſque fugiamus. Super Apoſtolorum Principis Petram ædificatam Eccleſiam ſcimus, noſtri ſunt, qui Tuæ Cathedræ conjunguntur: id Catholicum credimus, quod a Tua Sede proficiſcitur; quod contra eſt, omne reſpuimus. In hac fide, in perpetua obedientia, in demiſſiſſima veneratione Eccleſiarum omnium Capiti, ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine ulla inflata cervice arrogantiæ, ſine ulla contentione lividæ invidiæ, cum ſancta humilitate, cum charitate Chriſtiana, indiſſolubili vinculo æternum copulabimur. Et Sanctitatis Veſtræ pedes, corde, & animo provoluti, deoſculamur.

Die Sancto Clementi ſacra 1718.

Humillimi, devinctiſſimi, & obedientiſſimi Servi, & Filii.

THOMAS *Archiepiſcopus Mechlinienſis.*
P. E. *Epiſcopus Gandavenſis,*

FER-

FERDINANDUS *Episcopus Namurcensis.*
F. ANGELUS *Episcopus Ruræmundensis.*
PETRUS JOSEPHUS *Episcopus Antverpiensis.*
HENRICUS JOSEPHUS *Episcopus Brugensis.*
PETRUS GOVARTS *Vicarius Apostolicus Sylvæducensis.*

BREVE RESPONSORIUM
Ss. D. N. CLEMENTIS PP. XI. ad Episcopos Belgii.

Venerabilibus Fratribus THOMÆ Archiepiscopo Mechliniensi, ac Episcopis Gandavensi, Namurcensi, Ruræmundensi, Antverpiensi, & Brugensi, nec non Dilecto Filio PETRO GOVARTS *Vicario Apostolico Sylvæducensi.*

CLEMENS PAPA XI.

VENERABILES FRATRES, AC DILECTE FILI SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pietatis Vestræ, atque Filialis in hanc Sanctam Sedem studii insigne accepimus argumentum in literis, quas die Sancto Clementi sacra anni proxime præteriti ad Nos dedistis. Ex iis enim, quam alacri, promptoque animo Constitutioni nostræ, *Unigenitus Dei Filius*, debitam obedientiam præstiteritis, ac, ut ab aliis etiam præstetur, omni ope curare decreveritis, abunde cognovimus. Hoc autem illustre, & nomine vestro maxime dignum factum eo gratius Nobis accidit, quo certius allatum ad Nos est, paucos illos, qui sanam doctrinam non sustinent, & a veritate auditum avertunt, hoc potissimum tempore obduratæ mentis indicia prodere, apertamque ab Apostolica Sede defectionem revelata facie profiteri. Perspectam itaque virtutem vestram uberi, & plane merita in Domino laude prosequentes, eum, qui non dat in æternum fluctuationem justo, impense precamur, ut Vobis cœlesti suo præsidio jugiter adesse velit, quatenus Ministerii vestri partes strenue, constanter, atque fructuose obire pergatis, unde sacris Belgii Antistitibus major indies justissimæ gloriæ cumulus accedat, & gaudium, quod Nos ex tam præclara zeli vestri testificatione percepimus, compleatur. Hunc porro in scopum Vobis, Venerabiles Fratres, & Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, sub annulo Piscatoris die 15. Januarii 1719. Pontificatus nostri anno decimo nono.

JO. CHRISTOPHORUS *Archiepiscopus Amasenus.*

Loco † Annuli Piscatoris.

EPISTOLA
Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis ad Illustrissimos ac Reverendissimos Dominos Episcopos Belgii.

Ea, quam diu vidi, & ingemui ex scandalosa paucorum in Gallia Episcoporum Appellatione ad Concilium Generale, animarum perniciem in hac mea Diœcesi imminere, me pridem impulit, ut pro munere meo vel minimum tanti mali periculum ab ovibus curæ meæ concreditis averterem. Atque ideo scripsi sæpius, ursi, institi apud Sanctissimum Dominum, ut Galliarum dissensionibus finem imponeret, quod Sua Sanctitas pro sua clementia se præstituram addixit. Moræ tamen impatiens, instrumentorum illorum appellationis apud Catholicos inauditæ, ad fallendum compositorum fucos, & fraudes opere publicando detegere, & refutare aggressus sum, quam refutationem edere distuli, usque dum Summus Pontifex, quid de refractariorum illorum contumacia judicaret, pro sua auctoritate edixisset: quod ubi Romæ actum, ad aures meas pervenit, ulterius tacere mihi tutum non esse, conscientia mea dictavit. Ideoque, dum illud refutationis opus adhuc limari, & sub prælo sudare debet, Epistolam Pastoralem publicavi, quam in Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ manus hisce acclusam consigno.

Pro rei gravitate Capitulares meos consulendos esse duxi, qui eodem, quo Bullam *Unigenitus*, Sede vacante, admiserunt zelo, Epistolæ meæ Pastorali subscripserunt. Illustrissima, ac Reverendissima Dominatio Vestra Constitutionem illam *Unigenitus* non tantum admisit, sed & legitime publicavit; porro nullus dubito, quin cum summo in terris Christi Vicario, & cum omnibus Orbis Catholici Episcopis (paucis in Gallia exceptis) pro sua auctoritate, & zelo, quo fertur pro conservanda fidei integritate, ora loquentium iniqua obstruere velit, & perenni cultu subscribor. Mechliniæ 2. Novembris 1718. *Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ, humillimus ac devinctissimus Famulus.* Erat signatum: THOMAS *Archiepiscopus Mechliniensis.*

RESPONSUM

Illustrissimi ac Revdissimi Domini Episcopi Gandavensis.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Magno cum gaudio accepimus literas, quas Excellentia Vestra transmittere nobis dignatus est cum adjuncta Epistola sua Pastorali, quam & nos libentissimo animo suscepimus, eique toto corde adhæremus: laudandus summopere est generosus zelus Excellentiæ Vestræ, pro cognoscendis, & extirpandis zizaniis jam nimis inficientibus Belgium; magnus inde sperandus est fructus, pro quo obtinendo nihil nos omittemus, atque optamus, ut hoc omnes intelligant. In illum finem non cessabimus rogare D. O. M., ut Excellentiam Vestram diu servet incolumem, dum omni submissione subscribimur. Bruxellis 18. Novembris 1718. *Illustrissime Domine, Excellentiæ Vestræ, humillimus, & obsequentissimus Famulus.* Erat signatum: P. E. *Episcopus Gandavensis.*

RESPONSUM

Illustrissimi ac Revdissimi Domini Episcopi Namurcensis.

ILLME AC REVME DOMINE.

Gemitus Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ a me non fuit absconditus, quandoquidem ejus, & zeli sui plurima mihi fuerint exhibita specimina, solicitudinem suam pro salute animarum sibi concreditarum convincentia, quibus totum Orbem testem adhibet, suæ in sanctam Sedem obedientiæ, & submissionis; non enim Antidotum toti suæ Diœcesi salubrius contra infensissimos sanctæ Sedis, ac sanæ, avitæque Romanæ fidei hostes, qui Christi Vicario, Beati Petri Successori definienti contradicunt, ac contumaces, & rebelles persistunt, hauriendum præbere potuisset, quam Epistolam suam Pastoralem, ad me ex vestra benevolentia, & singulari affectu transmissam, non minus pro fidei integritate conservanda, quam veritatis propalatione editam.

Eam totis animis perlegi, eique semper, & in omnibus adhærebo, ac totis viribus continuo insistam, ut idem sentiat tota Diœcesis mea, quæ hucusque non aliter sentire visa est (quod mihi notum sit) quam Sedes Apostolica dictavit, & definivit; quidquid oblocuti sint aliqui, quorum calumniam retudit sententia juridice lata, & pronunciata.

Novatorum opera in mea Diœcesi distribui, huc usque non toleravi, ne in viam illorum pusilli, ac mediocris doctrinæ viri abeant; quandoquidem liniant sermones suos sicut oleum, ipsi autem sint jacula. Si enim scissuras inter ipsum genus electum causare possint, quid vero inter cæteros? De iis dici posset, oculos habent, & non vident, quia videre nolunt; eapropter continuas ad Deum preces effundo, ut eorum mentes illuminet, ac tandem illorum misertus, tanquam a somno excitati ad sanam doctrinam redeant, lumen veritatis agnoscant, Capitique Ecclesiæ veram obedientiam spondeant, & jurent: id enim mihi in votis est, utque idem sapiens cum grege mihi commisso usque ad extremum vitæ halitum Fidem illæsam, licet in multis periculis apud Nos modo versantem, servare valeam, qui totus dicor, ac plena observantia subscribor. Namurci hac 5. Novembris 1718. *Illustrissime, ac Reverendissime Domine, Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ, humilli-mus,*

mus, & obsequentissimus Servus. Erat signatum: FERDINANDUS *Episcopus Namurcensis.*

RESPONSUM

Illustrissimi, ac Revdissimi Domini Episcopi Ruræmundensis.

MONSEIGNEUR

Je viens de recevoir la Lettre, que Vous m'avez fait l'honneur d'écrire le 2. de ce mois, avec la Pastorale y jointe. J'ai lû, & relû l'une, & l'autre avec joye, & ne sçaurois m'empêcher de loüer, & approuver le zele, qui Vous fait rompre le silence pour confirmer vos Brebis, & qui fait connoître en même tems à nos Voisins, que Nous detestons dans cette Province la nouveauté dangereuse, & criminelle de quelques Evêques de France, & qu'on y croit, que Saint Pierre a parlé en Clement dans la Constitution *Unigenitus.* Pour moi j'ai la consolation, d'avoir des premiers publié cette Constitution, même dans un Diocese soûmis à des Puissances d'une Religion contraire à la nôtre, & de la voir y respectee, & observée, graces à Dieu, de tout mon Clergé, & Peuple, ainsi que je ne crois pas necessaire d'y publier quelque nouvelle Lettre Pastorale, devant que Sa Sainteté, ou son Ministre Monseigneur l'Internonce m'ait communiqué le Bref de Séparation, que je ne manquerai pas de publier, ni jamais les occasions, ou je pourai Vous témoigner le respect avec lequel j'ai l'honneur d'être. Ruremonde ce 5. de Novembre 1718. *Monseigneur, votre très-humble & très-obéïssant Serviteur.* Etoit signé: F. ANGE *Evêque de Ruremonde.*

RESPONSUM

Illustrissimi, ac Revdissimi Domini Episcopi Antverpiensis.

EXCELLENTISSIME, AC REVME DOMINE

Dum summas, quas alias Excellentiæ Vestræ pro communicatione Literæ suæ Pastoralis oretenus egi gratias, nunc pro transmissione plurium exemplarium ejusdem hic repeto, licebit simul sensum ingentis doloris mei exprimere, quo me afficiunt scandalosæ istæ, novissimeque erumpentes quorumdam hujus Patriæ refractariorum, & obstinatorum voces contra Bullam Sanctissimi Domini nostri *Unigenitus*, quas intra Galliæ limites mansuras, intraque paucorum, inibi plus justo sapere volentium, ora suffocandas speraveram, idque, ut accideret, humiliter simul ac instanter Deum rogabam; sane malo, quod oppressum credebamus, nunc recrudescente, fortius quoque contraire necesse erit. In Bulla *Unigenitus* Supremum Ecclesiæ Caput errores, maxima ex parte ab ante damnatos, notavit noviter; Episcopi Orbis universi, paucis Gallis exceptis, necessitatem simul, ac justitiam Pontificiæ definitionis agnoverunt reverenter; quid restat, nisi ut oblatrantes puniantur fortiter? Nullum, laus Deo, publice id verbo factove facientem novi hucusque in Diœcesi mea; de occultis judicabit Dominus: non dormio interim ego, nec dormiunt mei, sentietque primus, quem oblatrandi pruritus invaserit, quod, dum Summum Pastorem loquentem alii Pastores pro debito auscultant, & ipse Pastorem suum audire, aut pro hædo haberi, &, qua talis, a bonis separari debeat. Sum interea debito cum respectu. Antverpiæ 3. Decembris 1718. *Excellentiæ Vestræ humillimus Servus.* Erat signatum: P. J. *Episcopus Antverpiensis.*

RESPONSUM

Illustrissimi & Revdissimi Domini Episcopi Brugensis.

EXCELLENTISSIME, AC REVME DOMINE

Summo cum animi gaudio legi, & relegi Epistolam Pastoralem, quam Excellentissima, ac Reverendissima Vestra Dominatio mecum communicare dignata fuit, a se adversus Ecclesiæ perduelles, & in schisma protendentes editam: zelum enim vere Apostolicum in ea suspexi, & veneratus sum, atque alte-

alterum in ea agnovi HUMBERTUM GUILIELMUM zelosissimum, & piissimæ, æternumque venerandæ memoriæ Antecessorem Vestrum, filiorum iniquitatis, ac publicæ tranquillitatis perturbatorum malleum. Novo quoque ardore in me sensi accendi & augeri zelum illum, quo turbarum, quibus Ecclesia modo tam misere exagitatur, Authorem *Quesnellum* ex perniciosis latebris alias extraxi, & pro integritate tranquillitateque sponsæ vestræ agonizari non cessavi. Placuit quidem Divinæ Providentiæ desponsare mihi Ecclesiam Brugensem fidei integram, luisque *Jansenianæ* puram, quæ ambabus ulnis, singularique applausu Constitutionem Apostolicam *Unigenitus* amplexa fuit, eamque adhuc constringit arctissime; at, cum e specula Pastoralis solicitudinis funesto igne, quem Quesnellus, ejusque asseclæ suscitarunt, proximam ardere videam Galliam, & ex ea quaquaversum vibrari ignea tela, turbulenta inquam, & venenata diffundi scripta, pia æmulatione zelum Vestrum æmulari satagam, & gregem mihi creditum, ne veneno illo afficetur, aspirante Domino præmunire salubri instructione. Interim Supremum Ecclesiæ Sponsum, cui absolutum in ventos & mare imperium, enixissime orare non desinam, ut perduellium voluntates ad obedientiæ debitum propitius compellat, & solatio restauratæ pacis, ac servatæ veritatis, fructu Epistolæ Vestræ Pastoralis, Vos beet, & in Ecclesiæ Belgicæ bonum diu servet incolumes. Hoc ardentissimum Votum ex intimis cordis medullis effundit, qui summo cultu permanet. Brugis 5. Novembris 1718. *Excellentissime, ac Reverendissime Domine, Vestræ Dominationis Excellentissimæ, & Reverendissimæ, humillimus & obsequentissimus Servus.* Erat signatum: HENRICUS JOSEPHUS *Episcopus Brugensis.*

RESPONSUM
Reverendissimi Domini Vicarii Apostolici Buscoducensis.

EXCELLME, ET REVME DOMINE

Epistolam Pastoralem ab Excellentia Tua jam pridem editam, & promulgatam, ab eadem ad Suffraganeos suos Episcopos, & ad me missam, qua decet submissione, & obedientia amplector, in qua nimirum, & per quam audio, & sequor vocem ipsius Pontificis, ejusdemque Constitutionis doctrinam infallibilem: quanta promptitudine ego, & ipsi Belgii Episcopi eam jam diu suscepimus, & promulgavimus, novit Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus SANTINI, pervigil ille Internuntius Belgicus, & per eum Sua Sanctitas ipsa: modo agitur de Constitutionis illius executione, & observantia: ad eam egregie Nos incitat Epistola Tua Pastoralis, simili zelo, quo illam urget Christi Vicarius postremis suis Literis 28. Augusti labentis anni datis, ut inferiorem Clerum, & commissas Nobis Christi oves a venenatis pascuis, & doctrinarum novitatibus sedulo arceamus, simulque Apostolicam ipsius solicitudinem in revocandis ad saniora consilia quibuscumque diffidentibus efficacius adjuvemus: tam sanctæ voluntati obsecundantes Suffraganei Tui indubie omnem operam, & laborem addixerunt, uti & ego non impari desiderio, & zelo in idipsum, Deo adjuvante, allaborabo, tanto majori cura, quanto Oves, & Pastores magnæ partis Diœcesis meæ loco, & periculo sunt propinquiores, non tantum schismaticis Pontificiæ Constitutionis contemptoribus vicini, sed ipsis hæreticis commixti: attamen in ejusmodi discrimine, nec hactenus in tota mea Diœcesi novi subditos Catholicos, aut Pastores, qui de erroribus Jansenii, aut Quesnelli, vel eminus sint suspecti, quos scilicet, nec ego, nec Prædecessores mei, Internuntii Belgici, & Apostolica indagatione selecti, unquam ad curam animarum admiserunt, nisi probe novissent, eos, seu in particularibus Seminariis, seu in Universitatibus, præcipue Lovaniensi, alios non habuisse Magistros, quam errorum similium osores, de quo omnibus Diœcesanis præcipua, & communis debet esse vigilantia: sane famosa Universitas Lovaniensis, universale Belgii Seminarium abundat Professoribus, & Doctoribus ejusmodi, æquissimis Pontificiæ authoritatis, ejusque Constitutionum æstimato-

matoribus: interim neque in ea desunt aliqui, præcipue unus, qui non cessat illi quotidie arrodere, & etiam in hisce circumstantiis publice suggerere, quod neque moderna Constitutio *Unigenitus*, neque ullæ aliæ Bullæ, licet dogmaticæ, Catholicos obligent, antequam a Consiliis Regiis sint placetatæ, invitis, & id nolentibus Supremis ipsorum Consiliorum, & Belgii Principibus: fundamentum latissimum hujus, similiumque assertionum posuit in famoso suo libro, cui titulus: *Jus Ecclesiasticum universum*, titulo de Jurisdictione Ecclesiastica; ubi Vir ille Ecclesiasticus ex Petro Cunerii, & Molinæo docet, quod neque Ecclesiæ, neque Episcopis ejus propria sit jurisdictio, sed precaria dumtaxat, qualem Principes sæculi ipsis crediderunt, atque concesserunt, & sparsim alibi hisce pejora: cum vero ante ipsum nullus omnino Author Belga, neque Laicus, neque Ecclesiasticus hactenus hanc doctrinam adduxerit in Belgium, optandum est summopere, ut hoc novo fermento purgetur fœcundum Belgii Seminarium Universitas Lovaniensis: hoc opus, hic labor etiam nunc tuus est, Præsul Excellentissime. In hoc voto permaneo profunda veneratione. Mechliniæ 8. Decemb. 1718. *Excellentissime, ac Reverendissime Domine, Vestræ Dominationis Excellentissimæ, & Reverendissimæ, humillimus, & obsequentissimus Famulus.* Erat signatum: P. GOVARTS *Vicarius Apostolicus Buscoducensis.*

RESPONSUM

Amplissimorum Dominorum Vicariorum Generalium Sedis vacantis Iprensis.

EXCELLENTISSIME, AC REVME DOMINE

Sanctissimi Domini nostri CLEMENTIS Epistolam Catholicam, & Vestram Pastoralem æque amplexi sumus: & jam inde iteratum fidei nostræ, & lætitiæ testimonium hujus Diœcesis Fidelibus dedissemus, si eorum incredulitas eo adjuvari, vel fides roborari exigeret. Verum, quod Nos summopere delectat, in hac ipsa Sede, a qua error quodammodo sumpsit exordium, neminem scimus, qui doctrinam Jansenii de Gratia Salvatoris, & non potius obedientiam, & submissionem ejus erga Summum Christi in terris Vicarium constanter sequatur. Obmussitarunt quidem contra Constitutionem Apostolicam *Unigenitus* pauci Sacerdotes: sed, ut primum hoc Nobis innotuit, ipsi eos adivimus, & si corda eorum, quæ intuetur Deus, non convertimus, saltem ora ita obstruximus, ut non modo silentii reverentialis, sed debitæ quoque obedientiæ certa pignora retulerimus. Atque hoc pacto factum est, Excellentissime Domine, ut nulli, quod sciamus, in hac Diœcesi supersint, qui dictæ Constitutioni palam contradicere audeant, clam vero, quod vix præsumimus, paucissimi. Hæ sunt Excellentissime Domine, atque aliæ quædam hujus Sedis, & temporis circumstantiæ, quæ zelum nostrum in silentio, & pace attemperant. Si nihilominus Excellentiæ Vestræ visum fuerit, ut Epistolam aliquam, seu Mandatum publicemus, ad amussim obsequemur. Interea faxit Deus, ut in aliis Vestræ Provinciæ Diœcesibus, & præsertim in Vestra tam reverenter, tamque fideliter recipiantur Ecclesiæ circa Bajanismum, & Jansenismum Constitutiones, quam in hac receptæ sunt, & dum jussa Vestra avide expectamus, summa reverentia permanemus. Ipris 27. Novembris 1718. *Excellentissime ac Reverendissime Domine, Vestræ Excellentiæ humillimi, ac obsequentissimi Servi, Vicarii Generales Sedis Iprensis vacantis. De Mandato.* Erat signatum: F. J. MATHEWE *Secretarius.*

Sequuntur Declarationes utriusque Cleri per totam Diœcesin Mechliniensem sparsi, laudatamque Constitutionem Apostolicam acceptantis & pro dogmatica reverentis.

Bruxellis, typis Simonis T'Serstevens, *Typographi Excellmi & Revmi Dni Archiepiscopi Mechliniens. in 8. maj.*

EPISTOLA PASTORALIS

Anno Chr. MDCCXLVII. Benedicti XIV. PP. VII. Caroli VI. Imp. XXXV.

A

REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. JOANNE BAPT. LUDOVICO de CASTILLION, (*) *Brugensi XV. Episcopo,*

DATA

AD OMNES DIOECESIS BRUGENSIS ARCHIPRESBYTEROS, PASTORES ET CURAM ANIMARUM ADMINISTRANTES,

DIE 21 MARTII.

JOANNES BAPTISTA LUDOVICUS DE CASTILLION, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS BRUGENSIS, PERPETUUS AC HEREDITARIUS FLANDRIÆ CANCELLARIUS &c. OMNIBUS DIOECESIS NOSTRÆ ARCHIPRESBYTERIS, PASTORIBUS ET CURAM ANIMARUM ADMINISTRANTIBUS SALUTEM IN DOMINO.

Jam, cariſſimi in Chriſto Fratres, ſuperna auxiliante gratia, terminavimus primam & generalem Dioeceſis noſtræ Viſitationem, utinam ſicut feliciter, ita & lætanter: etenim, licet in vigili omnium fere Miniſtrorum, Nobis-

(*) Erat JOANNES BAPTISTA LUDOVICUS in lucem editus Bruxellis, Jacobo de Caſtillion, Concilii ſanctioris apud Bruxellenſes Aſſeſſore, & Joanna Maria Renaert parentibus clariſſimis, die 21 Sept. a. 1680. J. U. L. Protonotarius Apoſtolicus, functionum eccleſiaſticarum tirocinia poſuit Gandavi ſub Illmo Antiſtite Philippo Erardo van der Noot, cui a ſacris & ſecretis epiſtolis fuit; dein & Vicarius Generalis. Eccleſiæ Collegiaræ S. Pharaildis, ad D. Nicolai Parochialem translatæ Præpoſitum agebat ab a. 1714. cum primum ad Ruræmundenſem Epiſcopatum a. 1742 ab Augma Imp. Regina nominatus, Bullas a Benedicto XIV P. M. obtinuit; ſed antequam inauguraretur, Brugenſem ad Cathedram per novas Bullas transfertur die 20 Maji 1743; ex quo ſacris donatus Infulis Mechliniæ per Cardinalem de Alſatia die 14 Julii, Gandavenſi & Antverpienſi Epiſcopis adſiſtentibus, Epiſcopatum toto fere decennio pie prudenterque gubernavit, donec multis exhauſtus adverſæ valetudinis moleſtiis ad vitam beatam tranſiit die 26 Junii 1753, annos natus 73.

Edidit *ſacram Belgii Chronologiam*: item *Exercice journalier pour les Demoiſelles penſionnaires du Monaſtere de S. George a Gand* in 16. a. 1734. Quibus tunc erat a confeſſionibus.

Epiſcopus jam conſecratus, *Conferentias eccleſiaſticas* ſeu *Clericales*, olim pro Seminario Gandavenſi compoſitas pro ſuo Brugenſi, cum auctario recudi curavit in 8. Brugis. *Regulas* pro eodem Brugenſi impreſſas dedit a. 1750 die 26 Febr. Extant pariter *Decreta* ejuſdem Epiſcopi & *Epiſtolæ paſtorales* plures.

In Choro Cathedralis Brugenſis videre eſt

ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ.

Incomparabilis HENRICI JOSEPHI digniſſimo Succeſſori, paris ſtimulato pietatis zelo JOANNI BAPTISTÆ LUDOVICO DE CASTILLION ex X. Ruræmundenſium Præſule, XV Brugarum Epiſcopo perpetuo Flandriæ Cancellario, 16 Cal. Jul. 1753 ad Superos evocato, ſeptem totius ejus peculii Epiſcopalis Legatarii in debitam ac perennem grati animi teſſeram Devotiſſimi Ponunt, Dicant, Conſecrant.

Ætatis 73.

Nobiscum cooperantium zelo, summam reperimus consolationem, non permisit tamen Altissimus, ut gaudium nostrum foret plenum: tot siquidem, hisce temporibus, ex turbulentis bellorum furiis exortæ calamitates & miseriæ, dissolutionesque morum, animum nostrum amaritudine repleverunt; & reminiscentes formidabile ministerii nostri pondus atque obligationum immensitatem, in timore ac tremore multo fuimus apud Vos: verum, tantum onus, quod nostram imbecillitatem terret, non dejicit fiduciam, quam reposuimus in illo, qui Nobiscum usque ad finem promisit se futurum; neque ipsi Præsules sanctissimi, ipsius territorii, nunc a duobus pene seculis in Brugensem Diœcesim erecti, primi Pastores, Ecclesiæque nostræ Patroni ferent, ut pars tam illustris hereditatis, quam tot vigiliis, tot laboribus, ac continua adeo Apostolica prædicatione JESU CHRISTO acquisiverunt, in manibus successoris indigni deperdat splendorem; deprecabuntur, ut speramus, benignissimum Patrem, largitorem bonorum omnium, ut quid Nobis Episcopalis spiritus, quid Nobis zeli ac fortitudinis, quibus replebantur, elargiri dignetur, ut nostris curis, etiam nunc, ipsi acquisitus populus regatur ad salutem: & hoc unicum nostrum in Christo gaudium & solamen, *scimus*, dilecti Fratres, (pleni fiducia loquimur cum Apostolo ad Philip. c. 1. v. 19.) *quia nobis proveniet per vestram orationem*, per fidelem vestram subministrationem, per vestram Evangelio dignam conversationem. Quia *stabitis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei*; quia memores eritis Præpositorum vestrorum, illorum utpote Pastorum, qui primi Belgicis populis annuntiaverunt verbum Evangelii: quia recordabimini quis illorum fuerit zelus, quis ad lucrandas Deo animas intensus & numquam intermissus labor: quantus inde ipsis cœlestium gratiarum & benedictionum cumulus; quis denique beatus fuerit eorum exitus ad æternam gloriam & immarcessibilem coronam: hunc itaque illorum intuentes conversationis exitum, imitabimini fidem, etenim JESUS CHRISTUS heri, & hodie: & eritis nostrum gaudium, Episcopatus nostri gloria, gravissimi muneris nostri fulcimentum & solatium, qui propterea desursum constituti estis nostri cooperatores. Jam nunc *in hoc gaudemus*, *sed &*, plane de vobis confidentes, *gaudebimus*, ac proinde recolligentes in Domino, quas fecimus Parochialium Ecclesiarum visitationes, ad sui unius gloriam, sequentia, generalia quidem ob uniformitatem admodum laudandam, ab omnibus observanda decernimus.

Primo, cum *impossibile sit sine fide placere Deo*, *ac vita æterna* consistat in eo, *ut cognoscant homines Deum*, *quem nosse consummatam justitiam*, docet Sapiens c. 15. *& quem misit JESUM CHRISTUM*, Joan. c. 17. Volumus, ut Catechismi regulariter fiant toto anni tempore, etiam messis, non obstante contraria consuetudine, & paucitate puerorum tunc confluentium; etenim qui in hunc mundum venerat mitissimus Salvator JESUS, vel unam Samaritanam sitibundus quæsivit, fatigatus invenit, & ea, qua numerosum populum charitate, solam instruxit. Ut autem parvuli facilius & securius instruantur, quæstiones de verbo ad verbum, prout jacent in Catechismo Provincialis Synodi Mechliniensis (ut ibidem decretum est *Tit.* 11. *cap.* 5.) illis proponendæ sunt, & ad easdem quæstiones, responsiones exigendæ ejusdem Catechismi. Cum vero *omnes debitores sumus*, probanda est praxis eorum, qui initio Catechismi per aliquod temporis spatium de primis fidei rudimentis interrogant, & repetentes, quæ anteriori Catechismo de lectione occurrente dicta sunt, sequentem explanant adultis; qui ulterius instruendi sunt diebus Dominicis & Festivis infra Missarum solemnia, vel Concione, vel Catechismo, tradendo illis & explicando solide præcipua fidei puncta, & quæ concernunt Sacramentorum susceptionem; insuper vitia, quæ quemque declinare, & virtutes, quas sectari oportet. Ad hæc doceant Pastores Parochianos suos timorem Domini, & inde inserant eorum animis peccatorum enormitatem, tum ex parte Divinæ charitatis, qua nos prævenit & dilexit Deus, tum ex parte beneficiorum,

rum, quibus nos & gratiose & misericorditer cumulavit, tum denique ex parte æternæ & justissimæ pœnæ, quam demerentur, efficiantque ut percipiant, quam *horrendum sit incidere in manus Dei viventis*. Cæterum exhortentur parentes, ut discant suas erudire proles ad virtutem, ad peccatorum fugam & ad servitutem Domini, non solum lingua, sed & exemplo; ut ita, quas gaudent se hic acquisivisse, præparent æternitati, sedulitate Doctrinæ Christianæ, Fidei & Religionis, ac morum efformatione. Cum autem de peccatis magna circumspectione & prudentia, præsente potissimum juvenum turba, ad captum tamen uniuscujusque, egerint Pastores, ad lapsos non raro convertant sermonem, expositoque eorum misero & periculoso æternæ damnationis statu, dulcibus ut plurimum & charitate fervidis, sed allicientibus verbis exponant remedia, proferant exempla, ut facilius concipiant, quantus sit miserentis Dei thesaurus bonitatis, & quam infinitus illius sit misericordiarum numerus; ut inde spe erecti, perducantur ad sinceram vitæ emendationem & veram pœnitentiam, & extracti e peccatorum fecibus, hic & cum gaudentibus desuper Angelorum choris laudent Dominum in æternum.

II. Oretenus in ipso visitationum nostrarum decursu exposuimus DD. Pastoribus, quam facile gravia, circa impedimenta Matrimonium dirimentia, atque ignorantiam proximitatis graduum, cum magno admodum sæpe sæpius tertii damno & præjudicio, exoriri possint incommoda, si non exacte nec uniformiter nomina inscribantur registris Baptizatorum, Matrimonio junctorum & mortuorum; si respective nativitatis & obitus hora in eis apponi negligatur, & si vigili cura dicta registra non conserventur, propter omnibus nota, quæ acciderunt dolenda exempla. Hinc per præsentes, ad evitandum sive subreptitii extracti, sive cujusvis in ipsis registris faciendæ falsificationis omne periculum, præcipimus, ut Pastores supradicta registra, ita sedulo conservent sub sera, ne & ipsi Custodes, aliique Ecclesiæ Ministri, ad illa ullum valeant habere accessum: duplicent, duplicata signent, & repleta ad Nos, vel ad Archipresbyterum deferant, ut habent Statuta Diœcesis nostræ *Tit.* 4. §. 4. Et quoad exactam nominum in registris inscriptionem, reminiscantur DD. Pastores, quam sæpe ex defectu illius exactitudinis, possint exoriri ambiguæ & sumptuosæ lites, imo & exortæ fuerint: proinde pro sua prudentia, & quo feruntur in proximum ac obstringuntur amore justitiæ, media aucupent, quæ judicaverint ad id opportuniora, atque sua hac opera rei adeo gravi provideatur. Et cum deprehenderimus in registris, quæ apud Archipresbyterum nostrum degunt, plurimas omissiones, ne detur locus tam damnosæ oblivioni, cupimus, ut inregistratio baptizatorum fiat in ipso baptisterii loco, præsentibus prolium patribus, patrinis & matrinis; & ad id confici posset ibidem armariolum sive in pariete, si non nimis humido, vel pensile, in quo recluderentur sub sera atramentarium, vasculum sive lagenula cum atramento nigro, ad infundendum atramentario, ne, quod in illo est, atramentum aqua umquam augeatur, calami & ipsum registrum. Matrimonio autem junctorum & mortuorum fiat inregistratio sine dilatione, addendo horam nativitatis & obitus in suis respective registris. Cum vero nostris ipsi oculis viderimus, plurium talium registrorum, extremitates paginarum ita esse tritas, ut non solum quorumdam verborum ablatæ sint literæ, sed & propriorum nominum, & inde reddantur illegibilia, curent DD. Pastores, ut in scribendo cuilibet paginæ aliquem relinquant marginem.

III. Considerent DD. Pastores & reminiscantur prægnantes illas rationes, ob quas sub sera claudi debeat baptismalis aqua, maxime etiam militare respectu sacrorum Oleorum; unde de novo mandamus, ne umquam patula remaneant in Sacristia, aliove in loco, sed post eorum usum, illico claudantur sub sera, ita ut nullus ad ea possit habere accessum.

IV. Si domus aliquæ Pastorales de nostra, vel Prædecessorum nostrorum licentia sint oneratæ, curent RR. DD. Decani, ut a Pastoribus non solum

solvan-

ſolvantur canones redituum, ſed & pars capitalis fideliter refundatur, aſſignatis per licentias terminis, cum talis, ſi contingeret omiſſio, vergeret in grave Succeſſorum, imo & curæ Paſtoralis damnum & detrimentum; quibus proinde tenebuntur Paſtores exhibere apochas, tam ſolutorum Canonum, quam refuſæ partis capitalis, de quibus Nos docebunt reſpective Decani intra ſemeſtre, & recordentur ipſis curam eſſe impoſitam per Statuta hujus Diœceſis, invigilandi conſerventur ſartæ tectæ Paſtorales domus & Beneficiatorum (ad quod uſufructuarii tenentur ex juſtitia) ac proinde dictæ domus debito tempore reparentur, prout fuſius habetur in Synodo hujus Diœceſis *cap.* 2. *De Decanorum officiis.*

V. Maximo certe animi mœrore percepimus in ſupplicationibus, in quibus circumfertur Sacratiſſimum ac Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, non pauca peragi, quæ non ſolum & debitam minuunt reverentiam & devotionem, verum & multis ſunt lapis offenſionis & petra ſcandali, ac contemptum Divinorum Myſteriorum ſanctæ noſtræ Religionis pariunt in animis hæreticorum; eapropter mandamus, ut ab omni ſupplicatione, in qua ſalutaris Hoſtia circumfertur, arceantur omnis fiſtularum, tympanorum, aliorumque inſtrumentorum excœnialium ſtrepitus, perſonatus habitus morionis, joci & confabulationes; imo ne quis in ipſam intret Eccleſiam morionis veſte indutus ſtrictiſſime inhibemus quocumque tempore, ſive expoſito Venerabili Sacramento, ſive non expoſito, ut ferunt ipſa ſupremorum Principum noſtrorum placita & Decreta; ac proinde Domini Decani & Paſtores, locorum Ballivos & eos, ad quos quomodolibet ſpectare poteſt, de hac noſtra inhibitione moneant, ut & illi invigilent, & hi ad illam ſe conforment, atque adeo tanta Divini cultus & Religionis irreverentia penitus tollatur, ne ad altiora cogamur recurrere remedia.

VI. Circa delationem ſacratiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ad ægrotos, illud ſemper deferant Paſtores, majori quo poterunt decore, omnibus illis obviis reverentiam inſpirante, induti utpote ſuperpelliceis, uti & Cuſtodes, dum ad vicinos Eccleſiæ Parochiali locos tantum procedendum; ſi longius, ſequantur, quod ordinatum eſt *Titulo* 3. §. 9. Statutorum noſtræ Diœceſis; ſed numquam ſine lumine Viaticum deferatur: & obſervent, quæ ibidem §. 11. *De viſitatione ægrotorum*, ipſis ſunt impoſita, ac memorentur illam inter Paſtorales functiones & obligationes unam eſſe præcipuam: quid enim ſupremo Judici, cujus venturum diem perhorreſcimus, reſpondebunt? Si tantum unus Parochianorum ob defectum ſedulæ viſitationis depereat; quod contingere quin poſſit, nullus inſtructus dubitat. Cum itaque, ut ex jam dictis, juvamen moribundorum ſit una ex præcipuis & frequentioribus Parochi functionibus, volumus, ut Domini Paſtores ſubinde adſint ſuis Vicepaſtoribus talem actum exercentibus, quatenus ſi eorum methodum minus bonam reperiant, meliorem eos edoceant, uti & in eorum abſentia, modum petendi diſpenſationem, occurrente caſu, ſuper bannorum quorumdam proclamatione, ſecundum formulam in Manuali Paſtorum aſſignatam, ut ordinatum eſt a Prædeceſſore noſtro 2. Aprilis 1721.

VII. Inhibitum eſt eodem *Titulo* 3. §. 12. omnibus Paſtoribus, *ne deinceps ſine licentia Superiorum a Paſtoratu abſint*, & conceſſa facultas DD. Decanis, ſuperveniente neceſſitate, illis in ſcriptis dandi licentiam ſe abſentandi ad quatriduum: huic ſaluberrimo Decreto inhærentes, legem illam ſtricte obſervandam, ſub pœna, ut ibidem, præcipientes, monemus DD. Decanos, ne illam concedant, niſi ipſis conſtiterit Parochiæ eſſe proviſum de ſubſtituta capace & approbata perſona, vigilentque, ne per repetitas licentias oriatur prævaricatio: multiplices etenim Parochorum a ſuis abſentiæ, nonniſi ſolidum præbent teſtimonium minoris ſolicitudinis, minoris in Parochianos debitæ charitatis, & quod magis ea, quæ ſuper terram, quam quæ ſurſum ſunt, quærant. Sciant inſuper omnes pro longiori ſe abſentandi tempore, ad Nos eſſe recurrendum, ut in eodem Decreto cautum eſt. Nos autem providebimus, ut parati ſint capaces aliqui Sacerdotes, qui-

quibus five abfentandorum, five infirmantium Paftorum cura Parochiarum valeat demandari; quos in hunc finem jam approbabimus, adeoque illos a Nobis folummodo requirere oportebit fcripto, vel oretenus : memores vero fint DD. Paftores, ne extra Parochiam fecum deferant claves tabernaculi, aut baptifterii, nec illas confidant, nifi iis folis, quibus cura gregis committetur, neque unquam pendulas relinquant in Sacriftia, aliove in loco, fed recludantur, ut fupra dictum eft *n.* 2. *&* 3.

VIII. Perpendentes ovium Nobis concreditarum falutem maxime pendere a piis & zelofis Paftoribus, præcipuas muneris noftri partes cenfemus advigilare, ut non nifi tales, & quos probata & exemplaris vita commendat, ad Ecclefias Parochiales promoveantur: quocirca, ne defectu debitæ informationis fecus fieri contingat, cum fummo animarum præjudicio, & confcientiæ noftræ gravamine, ordinamus, ut nullus impofterum concurfui fe fiftat, absque teftimonialibus claufis vitæ & morum a fuo Decano, ac infuper etiam a Paftore fuo, fi concurrens fuerit Vicepaftor : declarantes neminem Nos admiffuros, qui ejusmodi non fuerit munitus teftimonialibus, quas, prout exigit rei gravitas, fincere, fideliter, & fepofita omni paffione, amicitiæ aut confanguinitatis ratione, expediri commendamus: in quibus exprimatur tempus, quo quis Diœcefi noftræ infervierit, & quo zelo ac diligentia. Similibus teftimonialibus claufis fuorum refpective Paftorum, Vicepaftores muniti fint, dum ad examen funt venturi, pro obtinenda fuarum facultatum continuatione; in quorum commodum, attentis locorum diftantia, viarumque ftatis temporibus moleftia, modo affignamus primam feriam tertiam menfium hic expreffórum, pro fingulis Decanatibus ad horam octavam matutinam.

Pro Decanatu *Civitatenfi* erit prima feria tertia menfis Decembris.
Pro Decanatu *Ardenburgenfi* erit prima feria tertia menfis Julii.
Pro Decanatu *Rollarienfi* erit prima feria tertia menfis Augufti.
Pro Decanatu *Thoraltenfi* erit prima feria tertia menfis Septembris.
Pro Decanatu *Giftellenfi* & *Damnenfi* erit prima feria tertia menfis Octobris.

Porro per præfentes extendimus facultates, quas habent Vicepaftores horum duorum diftrictuum *Giftellenfis & Damnenfis*, ufque ad primam feriam tertiam menfis Octobris proxime venturi.

IX. Novimus, noruntque vigiles noftri cooperatores Parochi, quam falubriter a Prædeceffore noftro inhibitum fit, fub pœna fufpenfionis ipfo facto incurrenda, ne quis exorcizet quocumque modo fine ejus licentia, & quam prudenter injunxerit DD. Paftoribus meritiffimus ille Præful, ut *non permittant in Parochia fua ab ullo Religiofo, vel quocumque altero id fieri fine Illmi licentia; quibus, fi illud in Parochiis facere vellent, tenebuntur DD. Paftores indicare, illud quoque fub eadem pœna ab Illmo Domino* (funt verba Decreti de 2. Aprilis 1721.) *effe inhibitum Religiofis.* Nos tam falutari inhærentes Decreto, ut pluribus quoad hoc fubfequentibus, præcipimus etiam, ut Nobis indilate deferant, fi quis contraierit, imo vel benedictiones adhibuerit fuper agris, cubiculis, beftiis &c. ut pro rei exigentia, per opportuna ulteriora remedia corrigatur & puniatur; illum utpote privando omni facultate, quam a Nobis vel Prædecefforibus noftris obtinuerit, audiendi confeffiones & prædicandi verbum Dei, omnemque revocando jurisdictionem; de novo mandantes DD. Paftoribus, ut hæc omnia intiment Regularibus ad ipforum Parochiam divertentibus.

Attamen ad majus Paftorum commodum, & fuorum Parochianorum fublevamen & folatium, per præfentes concedimus Reverendo adm. Domino Archipresbytero noftro, omnibusque RR. DD. Decanis, exorcizandi facultatem, quam in cafibus neceffitatis occurrentibus, fed ad fingulos tantum, delegare poterunt DD. Paftoribus fuorum refpective Diftrictuum, fcripto vel oretenus, etiam quibusdam Vicepaftoribus, quos prudentes fatis judicaverint, & per quinque ad minus annos Diœcefi noftræ infervierint; fed illis non deleganda umquam erit hæc facultas, nifi in fcriptis &, ut fupra, ad

cafus

casus singulatim; volumus autem, ut non alii adhibeantur exorcismi, quam illi, qui in Pastorali Mechliniensi præscribuntur, nisi de nostra speciali licentia, & nisi, sedulo attentis omnibus circumstantiis, id fieri oportere judicaverint RR. DD. respective Decani & Pastores: ne per temerarium exorcizandi usum vituperetur ministerium nostrum, & Ecclesia Dei vicinis nostris fiat in derisum. Plane confidentes prudentiæ & circumspectioni RR. DD. Pastorum & sagaci studio, quod in ipsis reperimus, hortamur tamen & monemus, ut attendant quam sæpe iniquitas mentiatur sibi, & quam facile rudis præsertim & agrestis populus, vel ex ignorantia, vel ex malitia superstitionibus fidem habeat: ad quas frequenter nimis induci se sinit per inexpertos, qui, dum curandis malis artem suam deficere conspiciunt, maleficium inclamant, & non superesse aliud, quam spirituale remedium credulo nimis populo, si non fraudulenter, saltem ignoranter imponunt. Hinc continua illa vexatio, quæ indies magis invalescet, nisi Pastores ipsi conentur lepram a lepra distinguere, & suis Parochianis persuadere nitantur, non statim morbos hominum, pecudumque insolitos, aut possessionibus obvenientia damna, maleficiis esse imputanda, quæ ab ignaris, quia mirabilia, contra naturæ ordinem contingere autumantur, penitius vero a peritis examinata non nisi naturalia judicantur. Quantæ ex hac falsa mentium præoccupatione non oriuntur sinistræ suspiciones! Quanta de proximo iniqua judicia! Semen est, quod ut plurimum seminat inimicus homo, ex quo abundantem adeo colligit messem; odia scilicet, inimicitias, rixas, imo tragica, quæ non ita pridem accidisse in vicinia nostra vix ullus ignorat. Contra hæc exaltent vocem suam Pastores, moneantque sibi subditum populum & edoceant, grave esse peccatum, ineptis & fallacibus indiciis niti deprehendere, an hic vel ista sit veneficus aut venefica, imo id ipsum suspicari; nec ita facile, ut passim, incantationibus attribuant, quæ ipsis accidunt mala. Verum si deprehenderint ex signis, prudenti suo, aliorumque judicio, quid maleficii subesse in casibus sibi occurrentibus, habita a Decano suo licentia, recursum habeant ad spirituale remedium exorcismorum, quod Christus Dominus reliquit Ecclesiæ, induentes se armaturam fidei, ut in Dei nomine dœmonia ejiciant & conculcent leonem & draconem: meminerint tamen nulli fœminæ exorcismum esse adhibendum, nisi in præsentia personarum probatæ fidei.

X. Denique mandamus omnibus & singulis Diœcesis nostræ Pastoribus, ut in persona accedant locum ordinarium, vel alium a Rev. D. Decano Christianitatis indicendum, etiamsi foret ad propriam ejus domum, ad recipienda sacra Olea, sub pœna unius libræ magnæ, ultra quotam, ad quam taxabuntur, ac si præsentes interfuissent prandio, ad quod de more tunc conveniunt; ubi a RR. DD. Decanis prælegi volumus Decretum laudatissimi nostri Prædecessoris de data 6. *Aprilis* 1729, quod, uti cætera, plane quoad singula, præsentibus renovamus; & expresse præcipimus, ne ullus DD. Pastorum pro alio Pastore sacra Olea recipiat, nisi prius habita in scriptis licentia a Rev. D. Decano suo, quam Decani nullo prætextu dabunt, nisi in causa inexcusabili. Monemus etiam omnes Pastores, ut, post frugale convivium, a quo Custodes secluduntur, quisque se in suam Parochiam recipiat, nec extra illam pernoctet sub præfata pœna: insuper ut prandium tale instituatur, in quo singuli non expendant ultra pataconem, monetæ cambialis hoc anno, ob caritatem rerum comestibilium.

Ad proximum concursum, tempore ordinario instituendum conventuri, concionem sine exordio parabunt super hæc verba Psalmistæ: *Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus?* Psal. 38. v. 11.

Cæterum, Nos omnium Sacrificiis, & precibus enixe commendantes, *vivificantem Spiritum & multiformis gratiæ* ardenter deprecabimur, *cujus unctione docti de omnibus, illoque inspirante locuti sunt sancti Dei homines*, primi hujus nostræ Patriæ fervidi Pastores, ut Vos, pariter in hac miseriarum valle, & fragili carne constitutos, induat virtute de cœlo,

& adversus omnes hostes Ecclesiæ stare faciat immobiles, ne ullis mundi insidiis, aut dœmonis artibus a charitate CHRISTI JESU separemini: sed illi usque in finem adhæreatis, ac veluti invicti athletæ, nunc sub Christo, duce vestro militantes, cum ipso triumphetis in gloria: atque eapropter, ut illius Vos gratia semper præveniat & sequatur, Vos bonis operibus jugiter præstet esse intentos: accendat lumen vestris sensibus; infundat amorem cordibus, & infirma vestri corporis virtute firmet perpetim. Amen. Datum Brugis in Palatio nostro Episcopali hac 21. Martii 1747.


JOAN. BAPT. LUD.
EPISCOPUS BRUGENSIS.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illmi ac Revmi Domini mei Episcopi

F. C. J. HENDERICKX
Secret.

Exemplar communicavit Cl. D. Jacobus Goyers, *Pastor in Humelchem, Vir de hac Collectione CC. longe meritissimus.*



AD LECTOREM.

Habe Tibi, L. B. Tomum CC. X. & supremum; vitia in eo si quæ inveneris, ignosce, turbulentissimorum, quibus laborandum mihi fuit, temporum memor; & Indicem in omnes Tomos generalem, quem separatus Tomus, commoditatis tuæ majoris gratia, una cum Explanatione Historica de Episcopatibus in Germania suppressis, novisque erectis, Tibi exhibebit, præstolare.

Fave & Vale.

O. A. M. D. G.

